BIBLIOTECA NAZIONALE VITT. EMANUELE
14
35 F
18

E.1.n°11

14-23-A.6

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

PHYSICA
FR. GABRIELIS
A SANCTO VINCENTIO
CARMELITAE EXCALCEATI LAVDENSIS.

Digitized by Google

Digitized by Google

P H Y S I C A

FR. GABRIELIS

A SANCTO VINCENTIO

CARMELITAE EXCALCEATI LAVDENSIS.

Continens etiam materiam de Mundo, de Cælo, & de Meteoris.

O P V S


Perquam vtile cunctis ſtudioſis, & Philoſophiæ arcana ſcire cupientibus.

EMINENTISS. AC REVERENDISS. PRINCIPI D.

D. PETRO VIDONO

S. R. E. CARDINALI AMPLISSIMO

D I C A T V M.



ROMAE, Ex Typographia Philippi Mariæ Mancini. M. DC. LXX.

SVPERIORVM LICENTIA.

EMINENTISSIMO,

AC REVERENDISSIMO PRINCIPI D.

D. PETRO VIDONO

S. R. E.

CARDINALI AMPLISSIMO,

SALVTEM.

IN ſecundo, Eminentiſs. Princeps aliud mei qualiſcumque laboris opus ad Te venit, vt in turri Tua ſeruetur ſua ęternitate perrenandum. Turris namque Tua non à Nembrodianis ædificata ob ambitioſam cupiditatem nomen ſuum celebrandi, ſed ad Filiorum, & Religioſorum animos ſtabiliendos, & confortandos, contra piraticos terrores; & contra

Prin-

Digitized by Google

Principes tenebrarum harum. Coſdras Perſarum fortiſsimus ſubiugata Africa, & Aſia turrim argenteam ædificauit, excelſam valdè, in cuius ſummitate thronum fieri iuſsit aureum, gemmis pretioſiſsimis ornatum, vbi etiam quadrigæ Solis, & Lunę, ſtellarum imagines continua vertigine mobiles in gyrum, ſummo artificio efformatæ conſpiciebantur; occultaque erant foramina per quæ aqua diffundebatur ad modum pluuiæ. Aliqua erant ſpiracula è quibus ad bombardæ ſimilitudinem tonitrua, & fulmina mittebantur. At Turris Tua ad inſtar ſpecularum longè, lateque oſtendit viam nauigantibus in hoc mari magno, & procelloſo huius mundi; non eſt Tua Turris, ò Princeps ad exiguum ornatum, ſed ad multorum præſidium, & iuuamen contra piratorum inſidias, quæ indè facilè deteguntur, dum aperit proſpectum ad ortum, & occaſum ad meridiem, & auſtrum, ad terram, & mare ipſum. Turris Tua ſtabilis perrenabit, licet cuncta perditum eant, non enim ſuper mobilem arenam eſt ædificata, ſed ſuper firmam, & ſtabilem petram, quicquid enim incidat cuncta fabrica perſeuerabit; nihil eam commouebit, nihil

euer-

euertet, & meritò, inacceſsibilis namque eſt ab inimicis, eam non obruent terræ motus, incendia non conſument, infeſtantia bella non deuaſtabunt. Tui ſtemmatis Turris ò Princeps non eſt mutabilis, non vana vt Turris Babel, quam gigantes ædificauerunt, & quam vanè vſque ad Cęlum erigere voluerunt, quæ per linguarum confuſionem deſtructa fuit. Infęlix Turris, quæ ſola linguę diuiſione ruit, ſed eſt fortiſsima in nomine Domini fundata, eſt Turris eburnea, Turris Dauidica, ex qua mille clypei pendent, & omnis armatura fortium; eſt Turris fortitudinis à facie inimici, vt [fiat pax in virtute Tua, & abundantia in Turribus Tuis.] Eſt vna æquiualens pluribus. Hanc Turrim ædificauit magnus Pater familias pro ſuę vineæ defenſione, ad eam defendendam, & cuſtodiendam. Turris excelſa vbi hoſtium inſultus, & incurſus præuidentur, vt Eccleſię vinea, & ciuitas defendatur, iuxta illud Iudic. 9. [Erat Turris excelſa in media ciuitate.] In hac Turri garulę hirundines non nidificant, ſed puræ, & ſimplices columbę; in ea non ſedent locutulei, non comedunt canes clanculum mordentes; nec vlla fęra peſ-

ſima

ſima deuorat; nec venenoſi ſerpentes, benè tamen illi de quibus dicitur. [Eſtote prudentes ſicut Serpentes,] ſed omnia in illa tranquilla in ſtatione morantur, vt domus quædam quietis, & pacis. Quidam quod lugendum eſt, habent domi veſtes in apodyterio tectas, & benè cuſtoditas, parmam ligneo tectam operimento, gladios vaginis, ſagittas pharetra, ſolam virtutem, ſi quam habent, detectam. Omnia habere volunt cooperta, præter bona opera, quæ volunt omnibus diuulgari. Non ſic Tu Princeps Eminentiſsime, quoniam charitatem Tuam eximiam, magnificentiam, liberalitatem, in Tua Turri abſcondis, velut in apodyterio; vellem vt ab omnibus viderentur, vt Pater cæleſtis glorificetur. Cæterum quia noui congenitam Tuæ modeſtiæ præclaram indolem qua debitæ laudis encomia abnuis, ideo hic ſiſto, vellem tamen quod ab omnibus cognoſcerentur labores quos magno cratere quotidiè Deo litas, dum continuò multis aſsiſtis congregationibus, earumque negotijs ſumma maturitate, & diligentia inſiſtis, cuncta fideliter tractans, prudenterque reſoluens; non reſpicis gloriam tem-

pora-

poralem, non vulgi applauſus, non hominum placita, ſed Dei beneplacitum, quod tempori non cedit, quod finem non habet. In hac ergo Turri Tua vbi tot mirabilia abſcondis, vt perrenentur, deſidero quod meum hoc qualecumque opus conſeruetur ſua perennitate perpetuandum; ideo ſupplex oro E. Tuam vt dignetur illud in ea reponere, vt interim ad maiora detur contendendi animus. Interim pijſsimus Deus Te incolumen ſeruet ad ipſius gloriam, & Eccleſiæ profectum, & bonum. Romæ in Conuentu S. Mariæ de Victoria die 12. Maij 1670.

Eminentiæ Tuæ

Humiliſſimus, & addictiſſimus Seruus, & Cliens

Fr. Gabriel à S. Vincentio;

DISPVTATIONVM, DVBIORVM, PARAGRAPHORVMQVE INDEX.

DISPVTATIO I. PHYSICAE Proœmialis.

DVB. I. *Quid, & quotuplex ſit Philoſophia.* pag. 2.
Dub. 2. *De inuentione Philoſophiæ, de illius inuen toribus, deque illius dignitate & vtilitate.* 4.
Dub. 3. *An Philoſophia ſit ſcientia.* 7.
Dub. 4. *An Philoſophia ſit ſcientia ſpeculatiua, an practica.* 10.
Dub. 5. *An Philoſophia ſit vna ſcientia vnitate ſpecifica.* 12.
Dub. 6. *Quodnam ſit obiectum philoſophiæ naturalis, ſeu phyſicæ.* 14.
Dub. 7. *An ſub obiecto phyſicę comprehendantur ſola ſubſtantia, & entia materialia, an etiam ſpiritualia vt Angeli.* 17.

DISPVTATIO II.

In primum librum Ariſtotelis de phyſico auditu, vbi poſitis quibuſdam præambulis agitur de rerum principijs.

Dub. 1. *An ad perfectam rei cognitionem ſit neceſſe omnes illius cauſas cognoſcere.* 22.
Dub. 2. *Quaenam ſint notiora nobis, & ſecundum ſe, ſeu natura.* 25.
Dub. 3. *An vniuerſaliora ſint nobis notiora, an natura.* 28.
Dub. 4. *An vniuerſale ſit nobis notius quacumque cognitione, an ſolum aliqua.* 31.
Dub. 5. *Quodnam ſit primum cognitum a noſtro intellectu.* 34.
§. 1. *Ponitur vera ſententia, & probatur. pag.* 37
§. 2. *Satisfit argum. primæ ſententię, quod primum cognitum ſit ſingulare.* 38.
§. 3. *Soluuntur argumenta ſecundę ſententię. quod*

quod primum cognitum ſit natura ſpecifica. 39.
§. 4. *Quodnam ens, & ſub qua ratione ſit primum cognitum, & obiectum noſtri intellectus pro hoc ſtatu.* 41.
§. 5. *Incidens, unde oriatur difficultas intelligendi.* 44.
Dub. 6. *Quid ſint principia rerum naturalium, quot, &c.* 46.
§. 1. *Referuntur antiquorum opiniones, de primis rerum principijs.* 46.
§. 2. *Quid ſit principium in genere.* 48.
§. 3. *De quibus principijs hic diſputet Ariſtoteles.* 49.
§. 4. *An ad phyſicum ſpectet inueſtigare, & probare ſua principia.* 50.
§. 5. *Quid ſenſerit Ariſtoteles de rerum naturalium principijs, & an illa rectè inueſtigauerit.* 52.
§. 6. *An re ipſa prima rerum naturalium principia ſint tantum tria.* 54.
§. 7. *An principia rerum naturaliũ ſint contraria.* 56.
§. 8. *An prima principia rectè definiantur.* pag. 59.
§. 9. *Quomodo principia inter ſe ſe conueniant.* 62.
Dub. 7. *De primo rerum naturalium principio, ſcilicet de priuatione.* 64.
§. 1. *An priuatio ſit principium reale ſeu ens reale.* 64.
§. 2. *Quomodo priuationes multiplicentur.* 66.
§. 3. *Quomodo priuatio ſit principium rerum naturalium.* 69.
Dub. 1. *De 2. rerum naturalium principio, ſcilicet materia prima.* 70.
§. 1. *An detur materia prima.* 71.
§. 2. *Quid ſit materia prima.* 74.
§. 3. *An materia prima ita ſit pura potentia, ut neque actum phyſicum, neque metaphyſicum habeat.* 75.
§. 4. *An materia prima habeat propriam exiſtentiam.* 79.
§. 5. *Suſtinetur reſponſio tradita n. 251. & ſatisfit rationibus in contrarium adductis.* 83.
§. 6. *Ponuntur alia argumenta contra noſtram ſententiam, & ſolutiones eorum.* pag. 84.
§. 7. *An materia prima ſit una ſpecie, & numero.* 86.
§. 8. *An potentia materiæ ſit de eſſentia illius* pag. 88.
§. 9. *An materia prima ſit potentia ad omnem formam.* 90.
§. 10. *An materia prima habeat potentiam ad formam quam amiſit, & quam habet.* 91.
§. 11. *An materia appetat formam, & qualis ſit iſte appetitus.* 92.
§. 12. *An materia prima ſit corporea, & an habeat formam corporeitatis.* 93.
§. 13. *An materia prima habeat quantitatem coæuam, & dimenſiones interminatas.* pag. 94.
§. 14. *An materia ſit ingenerabilis, & incorruptibilis.* 95.
§. 15. *An principium corruptionis ſit materia prima.* 96.
§. 16. *An materia prima habeat propriam ideam.* 97.
§. 17. *An materia ſit bona.* 99.
§. 18. *An materia prima ſit omnium rerum infima, & ignobilior etiam de poſſibili.* 101.
Dub. 9. *De 3. rerum naturalium principio, ſcilicet de forma.* 102.
§. 1. *An detur forma ſubſtantialis, & quid ſit.* 102.
§. 2. *An forma ſit actus ſimplex, communicabilis, & extenſa, ubi aliacurioſa.* 104.
§. 3. *An formæ materiales educantur de potentia materiæ, & quid ſit eductio iſta.* pag. 106.
§. 4. *An anima rationalis educatur de potentia materiæ.* 109.
§. 5. *Reſoluuntur aliquæ difficultates de formis.* 111.
§. 6. *An una forma ſubſtantialis poſſit ſimul informare duas materias.* 113.
§. 7. *An Deus eodem concurſu quo conſeruat animam rationalem unitam materiæ, eam conſeruat ſeparatam, & quid de alijs formis ſi per diuinam potentiam ſeparentur.* 114
Dub. 10. *De naturali compoſito.* §. 1. *an materia ſit de eſſentia compoſiti ſubſtantialis.* 115.
§. 2. *An unio inter materiam, & formam ſit* de

de eſſentia compoſiti. 117.
§.3. *An inter materiam, & formam detur vnio distincta, an ſe ipſis vniantur.* pag. 118.
§.4. *An inter materiam, & formam detur vna, an duplex vnio.* 120.
§.5. *An totum diſtinguatur realiter à ſui partibus ſimul ſumptis, & vnitis.* 122.

DISPVTATIO III.

I. Lib. 2. Phyſicorum, vbi agitur potiſſimè de natura.

Dub.1. *De natura.* 126.
§.1. *An natura rectè definiatur.* 126.
§.2. *An materia prima ſit natura.* 131.
§. 3. *An forma ſubſtantialis ſit natura, & quid de anima rationalis.* 133.
§. 4. *An natura ſit tantum principium paſſiuum, an etiam actiuum.* 135.
§. 5. *Soluuntur aliqua quæſita de natura.* pag. 136.
§. 6. *An natura diſtinguatur ab arte, & an ars poſſit facere opera naturæ* 137.
Dub.2. *De cauſis in communi.* §. 1. *quid ſit cauſa.* 139.
§.2. *Quotuplex ſit cauſa.* 140.
§. 3. *An cauſa ſit nobilior ſuo effectu.* 142.
§.4. *An cauſa ſit prior ſaltem natura ſuo effectu.*
§. 3. *Quomodo cauſa diuidatur, ſeu de diuiſione cauſæ.* 145.
Dub. 3. *De cauſa materiali, & formali.* pagin. 145.
§.1. *An materia ſit cauſa phyſica.* ibid.
§. 2. *Cuius rei materia prima ſit cauſa.* pag. 146.
§. 3. *Quænam ſit cauſalitas materiæ.* 149.
§.4. *Quænam ſit cauſalitas formæ.* 150.
§. 5. *An cauſa exemplaris, ſeu idea, ſit cauſa formalis.* 149.
§.5. *An cauſa exemplaris, ſeu idea, ſit cauſa formalis.* ibid.
Dub. 4. *De cauſa efficiente.* 153.
§. 1. *An cauſa efficiens rectè definiatur, &c.* 153.
§. 2. *Quænam ſit cauſalitas cauſæ efficientis.* 154.
Dub.5. *An cauſa ſecunda neceſſaria indigeat concurſu cauſæ primæ vt agat; vbi alia omnino videnda.* 155.
§.1. *An cauſæ neceſſariæ efficientes aliquid efficiant.* ibid.
§. 2. *An cauſæ ſecundæ ita ſuos effectus producant, vt non indigeant actuali concurſu Dei.* 158.
§. 3. *An concurſus Dei non ſolum debeat eſſe ſimultaneus, ſed etiam præuius.* 161.
Dub.6. *De Cauſa inſtrumentali.* 164.
§.1. *An inſtrumentum agat vt motum.* ibid.
§. 2. *An ſit de ratione inſtrumenti habere actionem præuiam ad actionem principalis agentis.* 168.
Dub.7. *De cauſa principali.* 170.
§. 1. *An forma ſit virtus qua cauſa principalis agit.* ibid.
§. 2. *An forma, ſeu ſubſtantia ſit principium immediatum operandi, ſeu producendi aliam ſubſtantiam.* 171.
§. 3. *An potentiæ operatiuæ ſint inſtrumenta ſubſtantiæ ad operationem, ſeu productionem ſubſtantiæ, an ſolum diſponant.* pag. 174.
§. 4. *An ſubſtantia licet non ſit immediatè operatiua, ſeu non influat immediatè in effectum, influat tamen in ſua inſtrumenta, ſeu in ſuas potentias.* 176.
§. 5. *An dimanatio accidentium, ſeu proprietatum ab eſſentia, ſit vera, & propria actio.* 177.
§. 6. *A quo aqua v. g. calefacta reuocetur ad priſtinam frigiditatem.* 178.
§.7. *Quomodo exiſtentia concurrat ad actionem agentis, vbi de fortuna, & fato remiſſiuè.* 180.
Dub.8. *De cauſa finali.* 181.
§.1. *Quid, & quotuplex ſit finis; & an omne agens agat propter finem.* 181.
§. 2. *Quænam ſit ratio cauſandi in fine.*
§.3. *An bonitas, quæ in fine eſt ratio finalizandi, debeat eſſe realis.* 186.
§. 4. *Quænam ſit cauſalitas finis.* 188.
§. 5. *Quos effectus habeat finis.* 190.
Dub. 9. *De cauſis inter ſe collatis* 192.
§.1. *An vnus, idemque effectus poſſit procedere à duabus cauſis totalibus, & eiuſdem ordinis.* 194.
§. 2. *An idem effectus poſſit eſſe à pluribus cauſis*

cauſis totalibus diuiſim. 197.
§. 3. *An cauſæ ſint ſibi inuicem cauſæ.* pag. 201.

DISPVTATIO IV.

In lib. 3. Phyſicorum de motu.

Dub. 1. *De motu in communi.* 202
§. 1. *An ſit recta motus definitio.* ibid.
§. 2. *Quibus motibus conueniat motus definitio.* 205
§. 3. *An motus realiter diſtinguatur à termino ad quem.* 207.
§. 4. *An motus localis ſubiectetur in mobili.* 208
§. 5. *An motus dicat aliquid poſitiuum realiter diſtinctum ab vnione mobilis ad formam ad quam mouetur.* 209
Dub. 2. *De actione, & paſſione tum inter ſe tum cum motu collatis.* 210
§. 1. *An motus ſit quid ſuperius ad actionem & paſſionem.* ibid
§. 2. *An actio, paſſio, & motus diſtinguãtur, & quomodo.* 211
§. 3. *An motus habeat rationem ſubiecti* quo *reſpectu actionis, & paſsionis.* 212.
§. 4. *An actio tranſiens ſubiectetur in agente, an in paſſo.* 213.
Dub. 3. *De infinito.* 216.
§. 1. *An in aeternis ſit idem eſſe, & poſſe.* 216
§. 2. *An pertineat ad phyſicum agere de infinito.* 217.
§. 3. *An darì poſſit infinitum in actu in aliquo genere, naturaliter.* 218.
§. 4. *Proponitur argumentum mathematicum ad probandum infinitum in actu in quantitate.* 221.
§. 5. *An per diuinam potentiam poſſit dari aliquod infinitum in actu.* 222.
§. 6. *Soluuntur alia argumenta grauiora contra noſtram ſententiam.* 228.
§. 7. *Soluuntur aliqua quæſita ſcitu digniſſima pro complemento huius materiæ de infinito.* 229.

DISPVTATIO V.

In librum 4. Phyſicorum, de loco, & tempore.

Dub. 1. *De loco.* 231.
§. 1. *An locus ſit quoddam interuallum.* ibid.
§. 2. *Quid ſit locus.* 233.
§. 3. *An de ratione loci ſit immobilitas.* 235.
§. 4. *An locus naturalis habeat vim conſeruatiuam, & attractiuam locati.* 238.
§. 5. *An poſsit dari aliquid abſque vllo loco, vel præſentia locali.* 241.
§. 6. *An formæ ſubſtantiales, & accidentia ſint in loco.* 242.
§. 7. *An vltima ſphæra ſit in loco, & quomodo.* ibid.
§. 8. *An duo, aut plura corpora poſsint eſſe naturaliter in eodem loco.* 245.
§. 9. *An duo, aut plura corpora poſſint eſſe ſimul ſupernaturaliter in eodem loco.* pag. 246.
§. 10. *An idem corpus poſſit eſſe ſupernaturaliter in pluribus locis circumſcriptiuè.* pag. 248.
Dub. 2. *De vacuo.* 250.
§. 1. *An vacuum de facto detur in natura, aut dari poſſit naturaliter.* 251.
§. 2. *Vnde oriatur quod natura tantum abhorreat vacuum.* 254.
§. 3. *An ſi daretur vacuum poſſet in eo fieri motus, & an inſtanti.* ibid.
§. 4. *An ſi daretur vacuum poſſent in eo fieri alÿ motus.* 257.
Dub. 3. *De tempore.* 258.
§. 1. *An tempus ſit ens reale, an dependens ab anima.* 259.
§. 2. *Quomodo tempus diſtinguatur ab æternitate, & æuo.* ibid.
§. 3. *An tempus realiter diſtinguatur à motu.* 260
§. 4. *An tempus intrinſecum diſtinguatur realiter à duratione rei, ſeu an duratio; quæ eſt quoddam tempus intrinſecum diſtinguatur realiter à re durante.* 262.
§. 5. *An ſit recta definitio termporis, quod*

ſit numerus, motus, &c. 264.
§.6. *An tempus exiſtat tantum per inſtans, an etiam per partes.* 267.
§.7. *Soluuntur aliqua quæſita pro complemento præſentis materiæ.* 268.

DISPVTATIO VI.

In librum 5. Phyſicorum de his ad quæ datur motus.

Dub. 1. *Ad quæ prædicamenta detur per ſe motus.* 271.
§. 1. *Quid ſit dari motum per ſe ad aliquid. ibid.*
§. 2. *An detur per ſe motus ad quantitatem.* 272.
§. 3. *An ad qualitatem detur per ſe motus.* 273.
§. 4. *An ad vbi detur per ſe motus.* *ibid.*
§. 5. *An motus detur per ſe ad alia prædicamenta.* 274.
Dub. 2. *De vnitate motus.* *ibid.*
§. 1. *A quo ſumatur vnitas ſpecifica motus. pag.* 275.
§. 2. *A quo ſumatur vnitas numerica motus.* 277.
§. 3. *Soluuntur duę difficultates curioſæ.* 279
Dub. 3. *De contrarietate motuum.* 280.
§. 1. *Vnde ſumatur motuum contrarietas. ibid.*
§. 2. *An, & quomodo quies contrarietur motui.* 281.
§. 3. *An poſſit aliquid moueri duobus motibus contrarijs.* 282.

DISPVTATIO VII.

In librum 6. Phyſicorum, de compoſitione continui, de modis incipiendi, & de maximo, & minimo.

Dub. 1. *De compoſitione continui.* 283.
§. 1. *An in continuo dentur indiuiſibilia.* *ibid.*
§. 2. *An quantitas componatur ex ſolis indiuiſibilibus, an ex partibus indiuiſibilibus copulatis.* 286.
§. 3. *An partes ex quibus componitur continuum, ſint tales in actu, an ſolum in potentia.* 289.
Dub. 2. *De modo incipiendi, & deſinendi rerum.* 292.
§. 1. *Quomodo incipiat motus, & deſinat, & idem de rebus ſucceſſiuis.* *ibid.*
§. 2. *Quomodo incipiant, & deſinant ſubſtantię generabiles. & corruptibiles.* 293.
§. 3. *Quomodo incipiant, & deſinant ſubſtantię incorruptibiles, & ingenerabiles. ibid.*
§. 4. *Quomodo incipiat, & deſinat quies. pag.* 294.
Dub. 3. *De terminis rerum naturalium, qui ſunt maximus, & minimus.* *ibid.*
§. 1. *An viuentia habeant præfixum terminum magnitudinis, & paruitatis.* 295.
§. 2. *An non viuentia habeant determinatos terminos magnitudinis, & paruitatis. pag.* 297

DISPVTATIO VIII.

In lib. 7. Phyſicorum de conditionibus ad agendum.

Dub. 1. *An omne quod mouetur ab alio moueatur, ſeu An idem poſſit mouere ſe ipſum.* 299.
Dub. 2. *A quo moueantur grauia, & leuia. pag.* 303.
Dub. 3. *A quo moueantur proiecta.* 306.
Dub. 4. *An in puncto reflexionis motus directi detur quies intermedia.* 307.
Dub. 5. *An agens debeat eſſe coniunctum paſſo, vt agat in illud.* 308.
§. 1. *Proponitur argumentū de magnete.* 312.
§. 2. *Ponuntur alia argumenta de hac materia.* 313.
§. 3. *Ponuntur aliqua de ſympathia, & antipathia pro complemento huius materiæ. pag.* 317.
Dub. 6. *Quomodo agens agat.* 318.

I N D E X.

DISPVTATIO IX.

In librum octauum Phyſicorum de Mundo, ſeu de Mundi æternitate, deque primo motore.

Dub. 1. *Præambulum quid ſit creatio, vbi alia curioſa.* 318.

Dub. 2. *An creatio naturali lumine cognoſci poſſit.* 321.

Dub. 3. *An mundus de facto fuerit ab æterno conditus.* 325.

Dub. 4. *An mundus fuerit liberè productus. pag.* 328.

§. *vnicus, quid ſenſerit Ariſtoteles de libertate primæ cauſæ.* 330.

Dub. 5. *Quo tempore mundus fuit conditus, in autumno, an tempore veris, ſeu verno tempore.* 333.

§. *vnicus, ponuntur aliqua curioſa, & ſcitu digna de mundo.* 335

Dub. 6. *An Deus potuerit producere aliquam creaturam permanentem ab æterno.* 338.

§. *vnicus, an creatura ex ſe ſit non ens, ſeu an petat ex ſua natura non eſſe.* 343.

Dub. 7. *An Deus ab æterno potuerit producere aliquid ſucceſſiuum, vt motum, & tempus.* 344.

Dub. 8. *Ab æterno an potuerint eſſe generationes, & corruptiones ſubſtantiales.* 348

Dub. 9. *An mundus prout nunc eſt cum ſolo concurſu Dei ordinario poſſit in æternum durare.* 353.

Dub. 10. *Ponuntur neceſſaria de primo motore.* 355.

§. 1. *An detur vnus primus Motor.* ibid.

§. 2. *Quomodo primus Motor, qui ſecundum Ariſtotelem mouet primum cælum, illud moueat.* 356.

§. 3. *An primus motor ſit vnus, an plures.* 357

§. 4. *An primus motor ſit immobilis, & immutabilis.* 359.

§. 5. *An primus motor ſit æternus tum a parte ante, tum à parte poſt.* 361.

§. 6. *An primus motor ſit vbique, & an ſit intelligens, & volens.* ibid.

§. *vltimus, an primus motor ſit virtutis infinitæ.* 362.

DISPVTATIO X.

De Cœlo.

Dub. 1. *An ſecundum Ariſtotelem cœlum ſit quinta ſubſtantia.* 364.

Dub. 2. *An re ipſa cæli componantur ex materia.* 367.

Dub. 3. *An ſecundum Ariſtotelem cæli componantur ex materia, & forma.* 369.

Dub. 4. *An materia ex qua cæli componuntur, ſit diuerſæ rationis à materia ſublunari.* 370.

Dub. 5. *An cæli ſint animati, vbi de intelligentijs.* 374

Dub. 6. *An cæli ſint incorruptibiles.* 377.

Dub. 7. *An cœli ſint ſolidi, an fluidi.* 380.

Dub. 8. *Quot ſint cæli, quotque planetæ* 382

§. *Incidens de numero ſtellarum fixarum, planetarumque magnitudine.* 385.

Dub. 9. *An cæli, & aſtra differant ſpecie.* 386

Dub. 10. *Quænam ſtellæ habeant lucem à ſe, & quænam à ſole.* 388.

Dub. 11. *Quare Venus, & Mercurius non ecclypſent nobis Solem cum ſint infra ipſum, vbi aliquæ curioſæ difficultates reſoluuntur.* 390.

Dub. 12. *A quo cæli moueantur, vbi aliæ difficultates enodantur.* 12.

Dub. 13. *An motus cælorum ſit naturalis, an violentus, vbi aliquæ difficultates explicantur.* 396.

Dub. 15. *Quomodo fiat motus cæli.* 400.

Dub. 16. *An cæli agant in hæc inferiora, ſeu an cœli influant in hæc inferiora.* 402.

Dub. 17. *Quid in particulari producant aſtra in hoc noſtro mundo.* 406

DISPVTATIO XI.

In libros Meteororum Ariſtotelis.

Dub. 1. *Quænam ſit materia impreſſionum meteorologicarum, vbi alia videnda.* 410.

Dub. 2. *De cauſis extrinſecis meteororum, ſcilicet efficiente, & finali, vbi de modo quo creſcunt calor, & frigus.* 412.

Dub.

I N D E X

Dub. 3. *Quinam ſit locus impreſſiunum meteorologicarum.* 414.
Dub. 4. *De impreſſionibus ignitis.* 416.
Dub. 5. *De Cometis.* 418.
Dub. 6. *De tonitru.* 421.
Dub. 7. *De fulmine.* 424.
Dub. 8. *De Galaxia, ſeu via lactea, voragine, & hiatu, aliiſque.* 426.
Dub. 9. *De ventis.* 427.
Dub. 10. *De quibuſdam tempeſtatibus, ſcilicet Ecnephia, Typhone, & Preſtore.* 431.
Dub. 11. *De Terræmotu.* 432.
Dub. 12. *De impreſſionibus aqueis, & humidis, & primo de nube, pluuia, & nebula.* 435.
Dub. 13. *De niue, & grandine.* 437.
Dub. 14. *De glacie, rore, pruina, melle, manna, & zaccaro.* 439.
Dub. 15. *De iride, ſeu arcu cæleſti.* 440.
Dub. 16. *De fontibus, & fluminibus.* 443.
Dub. 17. *De mari, eiuſque ſalſedine, atque de terra.* 445.
Dub. 18. *De metallis.* 448.

IESVS

Digitized by Google

IESVS ✝ MARIA.

COncedimus R.P.F. Gabrieli à S. Vincentio Priori Noſtri Conuentus Nouocomenſis, vt in lucem edere poſſit opus, cuius titulus eſt. De Iuſtitiâ, & Iure, &c. & alia opera ab ipſo compoſita, vel componenda, dummodò ab vno, vel altero ex noſtris videantur, & digna luce iudicentur, & hoc quantum ad nos attinet. In quorum fidem præſentes dedimus, ſigillo noſtro munitas, ac propria manu ſubſcriptas. Datum Ferrariæ die 13. Martj anno 1652. *Padre Gabriele mio auuerta, che gli comando, che non ſolo ſtampi queſt'opera, mà ancora le altre che hà composte, e per l'auuenire comporrà, e queſto li ſerua per ſempre, ſe da alcuno de'miei ſucceſſori non gli ſarà ordinato l'oppoſto; ſolo deſidero che gli ſignifichi queſto mio comando.*

Fr. Franciſcus à Sanctiſſimo Sacramento
Generalis.

IESVS

Digitized by Google

IESVS + MARIA.

EGo Fr. Philippus à Sanctiſſima Trinitate Præpoſitus Generalis Fratrum Carmelitarum Diſcalceatorum confirmo pręfatam facultatem N. P. Fr. Gabrieli à S. Vincentio conceſſam, vt ſupra imprimendi libros quoſcumque ab eodem compoſitos, & componendos ſeruatis ſeruandis vt ſupra, &c. *Mi rallegro che V.R. proſegua con l'editione de'ſuoi libri: Proſeguiſca à così bene impiegare il tempo per vtilità commune*. Datum Romæ 22. Septembris 1665.

Fr. Philippus à Sanctiſſima Trinitate
Prępoſitus Generalis.

IESVS

Digitized by Google

IESVS ✠ MARIA.

EX commiſſione Adm. R. P. N. Fr. Philippi à Sanctiſſima Trinitate legi primam Partem curſus Philoſophici à R.P. Fr. Gabriele à S. Vincentio compoſitum, nihilque in ea reperi vel bonis moribus, vel ſaniori doctrinæ oppoſitum, & cum difficillimas quæſtiones pulcherrimo ordine diſponat; mira facilitate elucidet, nec minori ſubtilitate reſoluat, opus digniſſimum iudico, vt typis mandetur. In hoc noſtro Collegio S. Mariæ de Victoria hac die 12. Nouembris 1668.

Fr. Philippus Maria à S. Paulo
S. Theologiæ Lector.

IESVS ✠ MARIA.

EX commiſſione Reu. Adm. P. N. Philippi à Sanctiſſima Trinitate Præpoſiti Generalis primam Partem curſus Philoſophici à Reu. P. Fr. Gabriele à S. Vincentio elaborati, ea, qua potui, maturitate perpendi. Nihilque in eo Orthodoxæ veritati, bonis moribus, noſtriſque legibus diſſonum, eum inueni; dignum vt pro communi bono euulgetur cenſeo. Romæ in Collegio Noſtro Sanctæ Mariæ de Victoria 12. Nouembris 1668.

Fr. Antonius Franciſcus à S. Iacobo.

Impri-

Imprimatur,

Si videbitur Reuerendiſſimo Patri Sacri Palatij Apoſtolici Magiſtro,

I. de Angelis Archiepiſcopus Vrbinen. Viceſgerens.

Imprimatur,

Fr. Hyacinthus Libellus Sacri Palatij Apoſtolici Magiſter Ord. Præd.

FR. GA:

Digitized by Google

FRATRIS GABRIELIS
A SANCTO VINCENTIO
CARMELITAE EXCALCEATI
LAVDENSIS
PHYSICA,
TOMVS II.

DISPVTATIO
PRIMA PROOEMIALIS.

1. PHYSICA eſt vna ex tribus ſcientijs ſpeculatiuis, vt conſtat ex ijs, quæ diximus in Logica diſp. vltima, & conſtabit ex dicendis in hac diſput. Solet Phyſica vocari Philoſophia, licet nomine Philoſophiæ veniat non ſolum phyſica, verum etiam tract. de generatione, & corruptione, de anima, de meteoris, de paruis naturalibus, de cœlo, & mundo, &c. de quibus omnibus ſuis locis dicemus vita comite. Vt autem ſcias vnde Philoſophiæ nomen originem traxerit, nota, quod olim rerum magnarum intelligentia, doctrinaque præſtantes, vocabantur ſophi, ideſt ſapientes, ſed cum hoc nomen quandam arrogantiæ ſpeciem præſeferre videretur, auctore Pythagora mutatum eſt, qui ſe non ſophum, ſed philoſophum nominauit. Cum enim apud Leontium Phliaſiorum regem copioſè, & doctè diſſeruiſſet, rogatus quænam eius eſſet profeſſio, & inſtitutio, reſpondit ſe non eſſe ſophum, ſed Philoſophum, ideſt ſapientiæ amatorem. Placuit vocabuli nouitas, vt hic Philoſophiæ, philoſophi nomen increbuerit; vt notant S. P. Aug. 14. *de Trinit. cap.* 1. Clem. Alex. 1. *ſtrom.* Iamblicus 1. *de ſecta Pythagorica*, & alij. Cœterum fit.

DVBIVM I.

Quid, & quotuplex ſit Philoſophia.

2. Ammonius in præfatione Porphyrianæ inſtitutionis quinque tradit ex Porphyrio Phyloſophiæ definitiones. Prima eſt. *Rerum qua res ſunt cognitio*. Ideſt Philoſophia eſt cognitio rerum quatenus conueniunt in communi ratione entis, vt aliqui exponunt. Vel vt exponunt alij. *Eſt cognitio rerum nulla vocum, nationumuè ratione*. Vel vt etiam exponunt alij: *Rerum vniuerſalium cognitio*. Cœterum hæc definitio potius conuenit primæ philoſophiæ, ideſt Metaphyſicæ, quam philoſophię naturali de qua hic eſt ſermo.

3. Secunda definitio Porphyriana, quam etiam tradit Plato, & colligitur ex Ariſt. 1. *metaph.* & alibi eſt. *Philoſophia eſt humanarum, diuinarumque rerum cognitio*, cui conſonat illa, quam tradit Venerabilis Beda *lib. 1. de element. philoſoph. cap. 1.* ſcilicet. *Eſt rerum incorporearum, atque corporearum ſcientia*, incorporearum nomine intelligit diuina, & omnia inſenſibilia, nomine autem corporearum, intelligit omnia ſenſibilia. Verùm & hæc definitio metaphyſicæ eſt, quæ agit de Deo, Angelis, &c. non phyloſophiæ naturalis, quæ tantam non habet latitudinem.

4. Tertia definitio eſt, *Philoſophia eſt ſimilitudo hominis cum Deo inquantum patitur natura humana*. Pro hac definitione intelligenda nota, quod in Deo eſt duplex vis, ſeu ratio; vna qua cuncta cognoſcit, & intuetur, omnia namque ſunt nuda, & apenta oculis eius. Alia, qua cuncta fortiter, ſuauiterque diſponit. Vnde qui per contemplationem philoſophicam cuncta cognoſcit, ſecundum humanam poſſibilitatem; & qui cuncta rectè diſponit, ſiue familiæ, ſiue reipublicæ, benè conſulendo, regendo, &c. Deo aſſimilatur, hoc autem facit philoſophia, ac proinde eſt ſimilitudo cum Deo. Sed hæc eſt potius deſcriptio quam definitio: tum quia hoc eſt potius munus prudentiæ, quam philoſopiæ.

5. Quarta definitio eſt, *philoſophia eſt mortis meditatio*. Colligitur ex Platone. Hæc definitio non eſt ita intelligenda, vt ad rectè philoſophandum ſibi necem inferre oporteat, vt intellexit Cleombrotus, qui cum hanc definitionem legeret in Platone, vt melius philoſopharetur ſibi mortem intulit, ſe ipſum proijciens in quemdam lacum ex alta turri; vnde ſuper illius ſepulchrum ſequentia carmina poſita fuerunt, & leguntur apud Ammonium in præfatione Porphyrij inſtitutionum.

Phœbo vale dixit, deque arce Clombrotus alta.
Se dedit in ſtygios Ambrocieta lacus.
Nullum in morte malum ratus eſt, ſed aurea dicta
Phędonis de anima, non bene notā ſequens.

Pro intelligentia dictæ definitionis ſciendum eſt ex Plotino *in libro de deſcenſu animæ ad corpus*, ex Iamblico *in lib. de myſter: Aegyptior.* ex Macrobio *in ſomn. Scipionis*, ex Ammo. loc. cit. Tolet. ex alijs hoc loco, quod mors eſt ſeparatio animæ à corpore, deſtruens vnionem quā habet cū eo; habet autē anima cum corpore duplicem vnionem, vnam phyſicam, moralem aliam; per vnionem phyſicam, & naturalem confert corpori eſſe, vitam, ſenſum & motum. At per vnionem moralem confert illi inclinationem, & propenſionem ad ſenſibilia, & delectabilia. Hanc duplicem vnionem tollit mors, iuxta illud Legiſtarum, *Mors omnia ſoluit*. Illa ergo definitio nō eſt intelligenda de morte naturali, quaſi oporteat philoſophum in perenni quadam mortis contemplatione, & meditatione verſari, licet hoc optimum ſit, ſed intelligenda eſt de morte morali, vt qui rectè philoſophari cupit debet animum abſtrahere à ſenſibilibus, & delectabilibus, ab omnibuſque illecebris, & corporis perturbationibus, ſic enim facilius ad res diuinas, & ſuperiores contemplandas mentem conuertere poterit. Cœterum hæc definitio ſatis mora-

moralis eſt, & potius philoſophię moralis, quam naturalis.

6. Quinta definitio eſt, quod philoſophia ſit *ars artium, & ſcientia ſcientiarum*. Hæc definitio propriè conuenit metaphyſicæ, ratione ſuæ dignitatis, & vniuerſalitatis. Solet etiam adaptari Logicæ, cum enim deſeruiat omnibus ſcientijs, & etiam actibus, qua ratione dicitur etiam organum ſcientiarum, & artium, poteſt meritò dici ars artium, & ſcientia ſcientiarum. Ad hanc definitionem reuocatur alia, qua philoſophia vocatur *contemplatrix veritatis*, quæ etiam metaphyſicæ potiſſimè conuenit.

7. Alij etiam aſſignant definitionem, ſcilicet philoſophia eſt *ſcientia docens verum cognoſcere, rationi conſona agere, & ad vitam neceſſaria efficere*. Pro quo notant, quod philoſophia inuenta eſt, vt ignorantia quam homo propter peccatū Adami incurrit, quoad fieri poſſet expelleretur. Homo autem per adæ peccatum hæc tria mala ſibi comparauit, præter alia. Primum ignorantiam veritatis. Secundum ignorantiam eorum, quæ ſecundum rationem agere tenetur. Tertium, eorum ignorantiam, quibus indiget ad vitæ ſuſtentationem; & ſic philoſophia, hanc triplicem ignorantiam tollit. Sed neque hæc definitio placet, non enim per eam explicatur philoſophia naturalis, & phyſica de qua agimus, ſed potius definiuntur ſimul tres partes philoſophiæ in lata quadam ſignificatione, ſcilicet philoſophia ſpeculatiua, actiua, ſeu moralis, & factiua, ſeu ars.

8. Vera definitio deſumi debet ex obiecto, aut fine. Ex obiecto vt ſi dicatur, philoſophia *eſt ſcientia entis, aut corporis mobilis, ſeu naturalis*, quæ conſtabit ex aſſignatione obiecti illius, de quo poſtea. Ex fine, vt ſi dicamus philoſophia eſt *per quam Deo aſsimilamur, in contemplatione veritatis naturalis*, quod ſi velis ſimul definire ex fine tam philoſophiam ſpeculatiuam, ſeu naturalem, quam moralem, dicere poteris *eſt ſcientia per quam Deo aſsimilamur in contemplatione veritatis naturalis, & in moribus hominum docendis, regendiſque*.

9. Quantum ad ſecundum in titulo propoſitum quotuplex ſcilicet ſit philoſophia, ſeu quot modis diuidatur. Zeno Chriſippus, Apollodorus, & aliqui Stoici tres in partes ſecarunt Philoſophiam, ſcilicet in Phyſicam, Ethicam, & Logicam. Phyſica vt ſpecularetur rerum naturalium cauſas. Ethica vt doceret hominum mores. Logica quæ doceret modum docendi, diſputandique. Epicurus in tres etiam partes philoſophiam diuidebat, videlicet in Phyſicam, Ethicam, & Canonicam; per Canonicam intelligebat Medicinam practicam, quæ in medendo leges, canonesque, ſeu præcepta Medicinæ ſeruat. Cleantes ſex fecit philoſophiæ partes, Dialecticam, Oratoriam, Moralē, Ciuilem, Naturalem, & Theologicam.

10. Hieronymus Pla hoc loco in tres partes totam ſecat philoſophiam, in philoſophiam actionis, contemplationis, & effectionis. Philoſophiam actionis diuidit in eam, quæ diſputat de actionibus intellectus, & in eam quæ diſputat de actionibus voluntatis. Philoſophia, quæ diſputat de actionibus voluntatis vocatur moralis, & diuiditur in Ethicam quæ hominis dirigit actiones; Oeconomicam quę dirigit, regitque familiam; & Politicam, quæ gubernat Rempublicam. Philoſophiam contemplationis diuidit in Metaphyſicam, quæ eſt de rebus ſecundum ſupremam entis rationem, in purè Mathematicas, quæ diſputant de quantitate à materia ſeparata ſecundum rationem tātum, & in mathematicas medias, quæ agunt de quantitate vt coniuncta cum aliqua materia ſenſibili, vt muſica, quæ conſiderat numerum ſonorum, perſpectiua quæ conſiderat lineam viſualem, & Phyſica, quæ ens naturale conſiderat. Philoſophia effectionis, quæ eſt ars mechanica, diuiditur in neceſſariam, vt Lanificium, Agricultura, & Aratura; & vtilem, vt Nauigatoria, Militaris, Equeſtriſque: & in delectabilem, vt ars ſaltandi, venandi, cantandi, pulſandi inſtrumenta, &c. Diuiditur etiam philoſophia effectiua in præparatoriam, vt ars conficiendi ferrum, coquendi lateres, &c. & compoſiti-

ſtiuam, vt Domificatoria, Fabrilis. Sutoria, &c. & tandem in vſualem, quæ ſcilicet vtitur materia iam compoſita, vt militaris equeſtris, &c.

11. Alij etiam diuidunt philoſophiã in eam quæ tradit modum cognoſcendi, & diſtinguendi verum à falſo, & eſt Logica; in eam quæ docet ſermonis peritiã, & eſt Grammatica; in eam quæ docet ſermonis ornatum, & elegantiam, & eſt Rethorica; in eam quæ per ſermonem delectat, & eſt Poetica; in eam quæ experientiam docet, & prudentiam ex præteritis, & eſt Hiſtorica; & tandem in eam, quæ communicationem ponit cum abſentibus & eſt epiſtolaris. Sed iſtæ potius ancillantur philoſophiæ, quam ſint eius partes.

12. Communis philoſophiæ diuiſio apud Peripateticos eſt in duas tantum partes, ſcilicet in actiuam, & contemplatiuam, actiua eſt Ethica, ſeu moralis. Cõtemplatiua eſt Phyſica, & Metaphyſica: illa vocatur philoſophia naturalis, & hęc vocatur prima philoſophia. Aliqui addunt Logicam, ſed Logica cum non ſit ſcientia realis, ſed rationalis, ſeu de ente rationis, potius dici debet organum, & quaſi inſtrumentum philoſophiæ, quam philoſophia, maximè cum æquè deſeruiat etiam ad alias ſcientias.

13. Hinc reſoluitur dubiũ quod hic ab aliquibus proponitur, quinam ſcilicet debeat eſſe ordo in diſcendis ſcientijs. Aliqui namque volunt prius Ethicam diſci debere, cum facilior videatur, ſic Diogenes. Alij phyſicam, vt Panætius, & Poſidonius. Aliqui apud Ariſt. *2. metaph. cap. 3.* volebant, quod ſimul omnes ſcientiæ diſcerentur, quod reprehendit idem Ariſt. dicens. *Stultum eſt ſimul ſcientiam, & modum ſciendi quærere*, ex quo infertur Logicam, quæ docet modum ſciẽdi, primo loco diſci debere. Maior difficultas eſt quænam ex alijs ſcientijs prius diſci debeat. Magnus Albertus apud Toloſum hoc loco diſtinguit duos ordines, naturæ ſcilicet, & doctrinæ. Ordo naturæ eſt inter ipſas res de quibus eſt ſcientia. Ordo autem doctrinæ eſt inter ipſas ſcientias. Dicit ergo Magnus Albertus, quod ſecundum naturæ ordinem metaphyſica eſt omnium prima, eo quod tractet de communiſſimis rerum omnium principijs. Poſtea eſt Mathematica, quæ tractat de ijs quæ non pendent à ſenſibilibus. Vltimo loco eſt Phyſica quæ tractat de ſenſibilibus, ac proinde eſt poſterior. Cæterum ſecundum ordinem doctrinæ prius diſcenda eſt Phyſica, ſecundò Mathematica, tertiò Metaphyſica; namque doctrinæ ordo incipit à notioribus, ſenſibilia autem ſunt notiora, &c. Hæc Alberti doctrina communiter ſeruatur in ſcholis. Primò enim docetur Logica, poſtea Phyſica, demum Metaphyſica. Quantum ad Mathematicam, & Philoſophiam moralem, ſufficit quod diſcãtur poſt Logicam, vel phyſicam.

DVBIVM II.

De inuentione Philoſophiæ, de illius inuentoribus, deque illius dignitate & vtilitate.

14. Laertius in ſui operis exordio, & alij volunt inuentores philoſophiæ, & artium omnium fuiſſe Græcos, & cæpiſſe ab Emolpo, Orpheo, Muſeo, Lino, Amphione, alijſque à quibus vt à primis fontibus tota philoſophia, omniſque ſapientia ad ſeptem illa Gręcorum lumina, & ſapientia, ſcilicet Bionem, Cleobolum, Chilonem, Periandrum, Solonem, Pitacum, & Taletum deriuata eſt; vnde hos vocarunt bonarum artium reparatores; deinde manaſſe arbitrantur ad Pythagoram, Architam Tarentinum, Timeum, Locrum, Zenophilum, Dioclem, Hiparcum, Socratem, Platonem, & Ariſtotelem, vt ſcribunt Laertius ſupra, Lucianus *in Dialogo fugitiui*, Polydorus Virgilius *lib. 1. de inuent. rer. cap. 16.* & Ludouic. Viues *lib. de initijs, ſectis, & laud. Philoſophiæ.*

15. In particulari tamen ita philoſophiæ inuentores diſtribuebant, vt dicerent, Logicam fuiſſe à Zenone inuentam, à Platone auctam, ab Ariſtotele perfectã.

Philo-

Digitized by Google

Philoſophiam moralem à Socrate dicebant inuentam; naturalem à Talete, à Pythagora auctam. Hinc diſtinguebant duplex genus Philoſophorum, vnum Ionicum, alterum Italicum. Ionicum originem traxit à Talete Mileſio, Italicum verò à Pythagora, qui videns Patriam Samum à tyranno Polycrate occupatam, Crotonem in Italiam venit, in ea parte, quæ Calabria modo dicitur, & olim magna Græcia dicebatur. A Talete deriuati ſunt Anaximander, Anaxagoras, & Socrates, & hucuſque perſeuerat nomen Ionicum. Diſcipuli Socratis fuerunt Plato, & Antiſthenes, qui fuit caput ſcholæ Stoicorum, Zeno enim, Chryſippus, & alij ab hoc ſumpſerunt ſuæ doctrinæ originem; fuerunt autem vocati Stoici, quia Zeno docebat in porticu, nam Stoa porticum ſignificat. Plato fuit caput, & Princeps Academicorum, ſic dicti à loco qui Academia dicebatur, vbi Plato docebat. Diſcipuli Platonis fuerunt præcipuè Zenocrates, & Ariſtoteles, ille nomen Academicum retinuit Ariſtoteles, qui in Liceo docebat deambulando dedit nomen peripateticorum, ſeu deambulantium. Diſcipuli Pythagoræ fuerunt Xenophanes, Parmenides, Xenocrates, Leucipius, & Epicurus à quo originem ducunt Epicurei.

16. Igitur Græci voluerunt philoſophiam ab ipſis fuiſſe deriuatam. Cæterum pro certo tenendum eſt, tum philophiam, tum quaſcunque alias ſcientias ab Adamo originem traxiſſe, & ad poſteros deſcendiſſe, ac proinde ſcientiarum inuentores non fuiſſe Græcos, cum multis annorum centurijs Moſaica ſcripta philoſophiæ, omniumque ſcientiarũ plena præceſſerint. Tene D. Auguſt. Patrũ lumen 18. *de ciuit. cap. 39.* ſic dicentem. *Nulla igitur gens de antiquitate ſapientiæ ſua ſuper Patriarchas, & Prophetas noſtros quibus inerat diuina ſapientia, vlla ſe vanitate iniqua iactauerit; quando nec Aegyptus inuenitur, quæ ſolet falsò, & inaniter de ſuarum doctrinarũ antiquitate gloriari, qualicumque ſapientia ſua Patriarcharum noſtrorum tempore praeueniſſe ſapientiam.* Colligitur hæc veritas ex Eccleſ. 17. vbi ſic legitur. *Cor dedit illis*, ſcilicet primis parentibus, *excogitandi, & diſciplina intellectus repleuit illos, creauit illis ſcientiam ſpiritus, &c.* Vnde docet S. Thom. *1. p. q. 94. art. 3.* quod Deus creauit Adamum in ſtatu perfecto, non tantum quoad corpus, ſed etiam quoad animã, vt eſſet aliorum principium non ſolum quoad corpus per generationem, ſed etiam quoad animam, quoad inſtructionem, & gubernationem.

17. Quantum ad philoſophiæ inuentionem ſciendum eſt quinque eſſe vias, quibus homines per ſe ſcientias inuenire poſſunt, ſcilicet viam ſimilitudinis, ſeparationis, reſolutionis, compoſitionis, & propoſitionis. Via ſimilitudinis in hoc conſiſtit, quod cum homo videret diuerſa, & varia accidentia, quædam communia, quædam propria, cœpit eorum naturas inueſtigare, eas ad inuicem comparando, & ſic paulatim per hanc viam ſimilitudinis ſcientiam acquirere cæpit. Vel dicas, quod via ſimilitudinis in hoc conſiſtat, quod homo videns aliqua v. g. animalia habere vnam figuram, alia aliã, cœpit cognoſcere, quod ea quæ habent eandem figuram ſunt vnius ſpeciei, vt omnes boues eſſe eiuſdem naturæ, & ſpeciei; & quæ habent aliam figuram vt omnes homines, eſſe alterius ſpeciei, &c. cœpit cognoſcere ſpecies, & ratione conuenientiæ cuiuſdam in aliquo accidente, vt in ſenſibilitate, cœpit cognoſcere genus, & ſic eſſentiam rei conſtantis ex genere, & differentia.

18. Via ſeparationis in hoc conſiſtit, quod homo cœpit cognoſcere, & ſeparare accidens ab accidente, & accidens à ſubſtantia, quod fecit videndo quod ſubiectum modo eſt v. g. frigidum, modo calidum, & ſic iudicabat hæc accidentia ſeparari tum ab inuicem, tum à ſubiecto, & ſic cœpit habere ſcientiam quod accidens eſt ſeparabile ab alio, & à ſubiecto, &c. Via reſolutionis eſt, qua rerum principia, & cauſas inueſtigamus, ipſam rem retexendo; ſicut enim vt cognoſcamus ordinem, cauſam, & partes rei, eam reſol-

ſoluimus, vt cum reſoluimus horologiũ, & deſtruimus, in partes ſuas redigendo, artificium cognoſcimus, ita cum rem aliquam cognoſcere volumus in ſuas cauſas, & principia reſoluimus. Via compoſitionis tunc contingit cum res componimus, vt eas cognoſcamus, vt cum effectum coniungimus cum cauſa, paſſionem cum eſſentia, &c. Via proportionis tunc eſt, quando vt rem aliquam cognoſcamus attendimus ad proportionem quã habet ad eam quam cognoſcimus; vt cũ cognoſcere volumus inſenſibilia, attendimus ad proportionem quam habent ad ſenſibilia.

19. Quantum ad dignitatem, & vtilitatem philoſophiæ, maxima eſt tum ad reipublicæ gubernationem, tum ad ſui ipſius reformationem, dummodo tam docentes, quam diſcentes, omnia referant in Dei honorem, & gloriam. Nam ſicut apud medicos, quæ dicitur *logoiatria* multum abeſt, vt ægrotos adiuuet: remedijs enim, & chirurgijs, & dietis, non verbis morbi curantur. Sic & in philoſophia verba tantum quidam venditant, & venantur, vitam tamen morbis refertam curare, nec volunt, nec ſatagunt; nec pudet eos à teneris annis ad vltimam vſque ſenectutem, ſententiolas frigidas oppugnare, propugnareque, tanquam fœlicitas in nominibus, verbiſque, & in immodica, inanique curioſitate ſita ſit, ac non potius in componendis moribus, vt exulent vitia, & virtus reſtituatur.

20. Veluti plantis, quibus propria virtus eſt fructibus pulcherrimis ſcatere, folia nihilominus ramis coniuncta quendam ferunt ornatum. Sic anima cui præcellens veritas fructus eſt, & opus virtutis, non abs re tamen Philoſophia, & naturali ſapientia, veluti folijs ornatur. Quemadmodum enim cœlum, terra, & aer non ideo ſunt contemnenda, quia quidam malè his ſunt abuſi: ita quidquid vtilitatis ex philoſophia percipi poteſt, id omne ad vitæ vſum fructificare debet, & ad Dei gloriam. Qui ingenium ſuum ad philoſophiam conuertit, & Deum non reſpicit, quaſi aureum hamum in aquam lutoſam mittit. Hinc dicebat Bion apud Laertium lib.4.cap.7. *Quemadmodum proci Penelopes, quoniam cum Penelope commiſceri non potuerunt, cum illius ancillis rem habuerunt: ita qui philoſophiam aſſequi non poſſunt, in alijs friuolis diſciplinis ſemen exercent.*

21. In laudem Philoſophiæ refero aliqua egregia dicta aliquorum virorum illuſtrium. Seneca lib.13. cap.1. ſic dicit. *Vt acetum acre quidem guſtu, ſed aduerſus ſerpentium ictus mirè valet. Ita præcepta philoſophiæ auſtera quidem illa, minimèque blanda, ſed contra peſtiferas animi cupiditates remedium adferunt præſentaneum.* Et lib.20.cap.13. ſic fatur. *Sicuti naſturcium ad venerem quidem reddit ſegniorem, ſed animi vim acuit. Ita philoſophiæ ſtudium corporis curam, ac vigorem, ad animi vigorem traducit, vt hoc plus ſapias homo in rebus æternis, quo magis ſtupet ad iſta corporea, craſſaque.*

22. Eraſmus *in ſimil.* hæc ſcribit. *Echinus præſentiens tempeſtatem, aut affigit ſe ſe, aut arena ſuburrat; ita cum imminet fortunæ tumultus, animus eſt philoſophiæ præceptis confirmandus. Vt aqua maris in imo dulcior eſt, quam in ſummo; ita quo altius penetres philoſophiam, minus habet amaritudinis. Hedera pota neruis nocet, eadem foris adhibita prodeſt: ſic philoſophiam ſi penitus imbibas, nocet ad pietatem, ſi leuiter, & veluti foris admoueas, prodeſt ad eruditionem. Vt vino non eſt aliud corporis viribus vtilius ſi rectè vtaris, nec eodem eſt quicquam pernicioſius, ſi modus abſit: ita philoſophia ſalutaris res eſt, ſi modicè adhibeas: peſtilentiſſima ſi eius ſtudio temulentus, & communis vitæ munijs reddaris alienus. Vt quidam gemmas quaſdam ſecum vbique circumferunt aduerſus morbos, maleficia, ebrietatem, tonitrua, ruinas, cæteraque mala. Ita quædam philoſophiæ decreta ſemper ad manus habenda aduerſus curſuros animi morbos, libidinem, iracundiam, ambitionem, auaritiam; & his conſimiles.*

23. Plutarchus in moralibus hæc ſcribit de philoſophia. *Quemadmodum agricola ſylueſtribus ſecurim, aut ignem admouet, ac funditus extirpat, vineas vero, atque*

que oleas amputat cautum, ac circumſpectè, ne fortè ſuperuacua reſecans, lædat, & id, quod ſanum eſt. Sic Philoſophus ex animo iuuenum libidinem, auaritiam, inuidiam penitus reuellet; cæterum pudorem immodicum cautim emendabit, ne ſimul omnẽ euellat verecundiam. Quemadmodum Anacharſis dixit, Athenienſes ad nihil aliud vti nummis niſi ad numerandum; ita quidam vtuntur philoſophiæ præceptis tantum vt oſtentent. Non fodit puteos, qui fontes habet, aut nouit; ſic non petit aliunde qualecumque conſilium, qui didicit philoſophiam. In philoſophia non proficitur, niſi paulatim aliquid decedat de ſtultitia, donec in alium mentis habitum proficiat. Si multi inebrientur vino, non ob id incidendæ vites, vt fecit Lycurgus, ſed propius admouendi fontes; ita ſi multi abvtuntur philoſophia, non protinus abijcienda, ſed adhibenda cautio vt fiat ſalutaris.

24. Pythagoras *apud Strobæũ ſer.* 80. dicebat. *Quemadmodum medicinæ nullus eſt vſus, niſi morbos à corporibus exterminet; ita neque philoſophiæ, niſi animi vitia expellat.* Agreſtes arbores plus nutrimenti attrahunt, propterea non poſſunt concoquere, & fructus ad perfectionem perducere, ob id inſeri debent, vt fructus ſatiuos, & bonos efficiant. Sic Philoſophi agreſtes, qui ſcilicet vitæ perfectionem non habent, inſeri debent, & in viros perfectos mutari, vt operum bonorum dulciſſimos fructus efficiant, quod fiet ſi Philoſophia diſcatur, vt ſoli Deo placeamus, vt eum ſolum quæramus, & amemus.

* * *

DVBIVM III.

An Philoſophia ſit ſcientia.

25. PRima ſententia fuit veterum philoſophorum, vt Heracliti, & Cratilli teſte Ariſt. 1. & 4. *metaphyſ.* qui omnem ſcientiam negarunt. Plato tantum idearum volebat dari ſcientiam, non rerum naturalium, ſicut & Socrates, qui ob hanc rationem cõtempta philoſophia naturali ad moralem ſe ipſum conuertit. Huius etiam ſententiæ fuerunt Academici nouæ Academiæ, cuius Princeps fuit Archiſillas, cui ſucceſſerunt Senſippus, Zenocrates, Palemon, & Crates. Academici namque Academiæ prioris fuit Plato, & ſequaces, quorum præcipuum fundamentum fuit, incertitudo rerum naturalium, earumque fluxus, & perennis quædam mutabilitas.

26. Noſtra ſententia ſeq. concluſione explicatur. *Philoſophia naturalis eſt vera, et propria ſcientia.* Conſtat ex Ariſt. loco cit. & tradunt omnes Peripatetici, & omnes Philoſophi hoc loco. Non eſt tamen iſta cõcluſio ita intelligenda vt procedat de rebus naturalibus in particulari, ſeu in induiduo, hoc enim modo certũ eſt non dari ſcientiam de rebus naturalibus, ſed intelligi debet de rebus naturalibus in communi, quo modo neque per ſe oriuntur, neque per ſe intereunt, nec vllis mutationibus ſubijciũtur. Ens namque mobile, ſeu naturale, aut corpus naturale quod eſt obiectum noſtræ philoſophiæ, nulli ſubiacet mutationi, ac proinde per ordinem ad hoc philoſophia definitur quod ſit ſcientia entis naturalis, ſeu mobilis, &c.

27. Probatur 1. nam vt diximus in Logica *diſp. vlt.* ſcire eſt rem per cauſam cognoſcere, ſed res naturales, modo explicato, poſſunt per cauſas cognoſci, ergo poſſunt ſciri. Maior oſtenditur loco citato. Minor probatur, quoniam philoſophia probat leuitatem ignis, ex materię paucitate; probat terræ grauitatem ob materiæ multitudinem, & denſitatem; pau-

paucitas namque materiæ, eſt cauſa leuitatis, & denſitas eſt cauſa grauitatis. Probat philoſophia quod arbores ſylueſtres non perducunt ſuos fructus ad maturitatem, ex eo quod multum ſuccum producunt quem digerere non poſſunt, & ſic de alijs multis ſimilibus.

28. Probatur 2. quia illa eſt verè, & propriè ſcientia, quæ probat paſſionem de re per ſuam eſſentiam; ſed philoſophia eſt huiuſmodi; ergo, &c. Maior conſtat. Minor probatur, nam de homine probat riſibilitatem per rationalitatem, & admirationem, de equo hinnibilitatem de leone rugibilitatem per ſuas eſſentias, &c.

29. Confirmantur iſta, nam ille propriè ſcit qui reddit rationem ſui dicti, reſoluendo reſponſionem quæſiti in ſuam cauſam, oſtendendo quod illius cauſa ſit, & quod non poſſit aliter ſe habere, ſed philoſophus ita facere poteſt; ergo ſcit, ac proinde philoſophia erit verè ſcientia. Maior nota eſt. Minor probatur, quoniã ſi Philoſophus interrogetur, quare quædam arbores in autumno defrondeſcant? Reſpondebit, quia eo tempore deeſt humor in radicibus foliorum. Quod ſi rurſus interroges, quare in hyeme adeo riget, vt tam homines, & animalia, quam plantæ rigorem ſentiant, & oſtendant? Reſpondebit, quia tunc temporis ſol eſt in oppoſito augis, aut in maiori declinatione, ex quo ſequitur rigor; quanto namque magis ſol eſt in maiori declinatione, minus calefacit, ac proinde alget, & ex algore, rigor oritur.

30. Probatur 3. nam philoſophia pertinet ad intellectum: ergo eſt habitus illius; ſed non eſt ars, neque prudentia, neque intelligentia, neque ſapientia; ergo eſt ſcientia. Antecedens conſtat, philoſophia namque non eſt affectus, ſed cognitio, & in hoc ordine perficit potentiã cognoſcentem. Conſeq. etiam conſtat, nam philoſophia perficit potentiam cognoſcentem, ſcilicet intellectum habitualiter, ipſum facilitando, & promptum reddendo, ergo, &c. Minor ſubſumpta oſtenditur; nam philoſophia non eſt ars, neque prudentia, quia non eſt habitus practicus, ſed ſpeculatiuus, vt dub. ſeq. dicetur. Neque eſt intelligentia, quia hæc verſatur circa prima, & indemonſtrabilia principia, non philoſophia: neque eſt ſapientia, quia non agit de primis & altiſſimis cauſis, quo nomine iuxta Ariſt. 1. *metaph. cap.* 1. *et* 2. ſolum gaudet metaphyſica. Philoſophia namque naturalis in ſolis naturalibus ſiſtit, concludendo proprietates de ſuis ſubiectis per veras & legitimas cauſas, vt quod ignis ſurſum feratur quia eſt leuis, quod terra deſcendat, quia eſt grauis, &c. Soluuntur argum. in contrarium.

31. Primum argum. nam ſcientia debet eſſe de perpetuis, & neceſſarijs; ſed philoſophia non eſt huiuſmodi, ergo non eſt ſcientia. Maior conſtat ex dictis in Logica, & tradit Ariſt. in definitione demonſtrationis, quod ſcilicet debet eſſe ex primis, veris, neceſſarijs, cauſiſque concluſionis. Minorem probant veteres philoſophi, quia res naturales oriuntur, & intereunt, varijſque mutationibus ſubiectæ ſunt; ergo &c. Reſp. negando minorem. Ad probationem conſtat ex dictis, quod res naturales vt tractantur à philoſophia in communi ſunt perpetuæ, & neceſſariæ, quia ſic in communi non habent principium quo intereant, ſolum namque intereunt per accidens, ad indiuiduorum interitum. Igitur vt res naturales ſciri poſſint ſufficit quod ſint perpetuæ, & neceſſariæ ſaltem negatiuè ex D. Tho. 1. *p. q.* 16. *art.* 2. *ad* 2.

32. Secundum argum. nam obiectũ philoſophiæ non eſt neceſſarium neque in indiuiduo, neque in communi; ergo de eo non poteſt dari ſcientia. Antecedens probatur, quoniam neceſſarium eſt illud, quod nõ poteſt aliter ſe habere, ſed obiectum philoſophiæ etiam in communi poteſt aliter ſe habere, ergo non neceſſariũ. Minor probatur, accipiamus roſam, hæc enim neque in particulari, neque in cõmuni ſemper eſt, ſed ſolum vere, non hyeme, & ſic de alijs multis ad obiectum philoſophiæ pertinentibus. Reſp. quod roſa etiam quando non eſt, quantum ad exiſtentiam, eſt quantum ad eſſentiam: imò

imò etiam quando non eſt quãtum ad exiſtentiam conſeruat aptitudinem ad eſſendum ſuo tempore. Et ſic roſa non ſolum eſt neceſſaria quoad eſſentiam, ſed etiam quoad exiſtentiam vt ſic, neceſſitate quadam phyſica, quatenus ſecundum rerum, cauſarumque naturalium ordinem non poteſt non poni ſuo tempore, licet hæc, vel illa poſſit impediri.

33. Tertium argum. nullum corruptibile poteſt per ſe ſciri, quia non ſemper eodem modo ſe habet, ſed omnia naturalia ſunt corruptibilia, cum conſtent materia prima, quæ eſt primum principium corruptionis ex eo quod nunquam ſatietur forma, cum machinetur necem illi quam habet, vt habeat nouam, & ſic habita iſta, incipit etiam illi machinari, &c. Reſp. quod res naturales ſolum ſunt corruptibiles in ſingularibus ob rationem dictam, & ſic de iſtis non datur ſcientia, niſi ſecundariò, prout continentur in naturis vniuerſalibus, & incorruptibilibus ſaltem negatiuè.

34. Quartum argum. de entibus per accidens non datur ſcientia ex Ariſt. *6. metaph. cap. 2.* eo quod non habeant certam, & determinatam cauſam à qua dimanent; ſed entia naturalia, quæ ſunt ſub conſideratione phyſica ſunt entia per accidens; ergo &c. Minor probatur, nam illa ſunt entia per accidens, quæ conſtant ex rebus diuerſorum prædicamentorum ex Ariſt. *5. metaph. cap. 7.* ſed entia naturalia ſunt huiuſmodi, conſtant enim ex materia ſenſibili, quæ componitur ex ſubſtantia, quantitate, qualitate, &c. Reſp. notando quod duobus modis poteſt aliquid componi ex rebus diuerſorum prædicamentorum, primò tanquam ex partibus intrinſecis, & eſſentialibus, vt ſi homo componeretur ex homine, & albedine, & tunc homo albus eſſet ex rebus diuerſorum prædicamentorum, & eſſet ens per accidens ad nullam ſcientiam pertinens. Secundò, vt vna pars ſit intrinſeca, & alia ſit tantum limitatio, vel contractio illius, & talia compoſita non dicuntur entia per accidens, vt linea, & color, qua ratione ſit linea viſualis pertinens ad ſcientiam perſpectiuæ, quia linea viſualis dicit in recto ſolum rationem lineæ, rationem verò coloris ſolum tanquam limitationem, & contractionem illius. Pariformiter licet materia ſenſibilis includat ſubſtantiam, quantitatem, & qualitates, non tamen eſt ens per accidens, quia includit ſubſtantiam tanquam partem intrinſecam, & eſſentialem, at quantitatem, & qualitates tanquam limitationes, & contractiones illius.

35. Quintum argum. intellectus non eſt ſenſus, nec ſenſus eſt intellectus; ergo nec res ſenſibilis eſt intellectibilis, ac proinde res naturales cum ſint ſenſibiles non poſſunt eſſe ſcibiles, cum ſolum res intellectibiles ſint ſcibiles. Reſp. concedendo antecedens, & negando conſeq. res enim ſenſibilis eſt etiam intellectibilis; vnde & ſunt ſenſibiles quatenus dicunt ſuum eſſe repreſentatum per ſpecies ſenſibiles, & ſunt intellectibiles, quatenus repreſentantur per ſpecies intellectuales productę beneficio intellectus agentis.

36. Sextum argum. nam ſcientia non poteſt eſſe, nec inclinare ad falſa; ſed philoſophia inclinat ad multa falſa; ergo non eſt ſcientia. Minor probatur; nam philoſophia tradit, & inclinat ad has propoſitiones. Sæuiente bruma riget tempus: regnante cane feruet calor: dominante leone æſtus pungit: rubeus in ſero indicat mane ſerenum, &c. & tamen iſta & alia philoſophiæ documenta frequenter fallunt. Reſp. quod iſta, & alia ſimilia philoſophiæ documenta non docentur abſolutè à philoſophia, vt ſemper vera, ſed quod communiter contingant; communiter namque ſunt vera; quod ſi aliquando fallant prouenit ex eo quod cauſæ naturales illorum effectuum ab alijs impediantur.

DVBIVM IV.

An Philoſophia ſit ſcientia ſpeculatiua, an practica.

37. NOn defuerunt qui dicerent philoſophiam eſſe ſcientiam practicam, non ſpeculatiuam. Pro intelligentia ſciendum quod ſcientia ſpeculatiua illa eſt, quæ potiſſimè in ſui obiecti contemplatione conſiſtit, licet ſecundariò etiam ad aliquod opus deſcendat, per quod ſpeculata declaret, vt patet in mathematica, quæ licet ſpeculatiua ſit, aliqua tamen conficit inſtrumenta in ordine ad ſuam ſpeculationem. At ſcientia practica eſt illa, quę potiſſimè, & principalius reſpicit aliquid extra, ſeu opus, licet ſecundario poſſit in opere aliquid ſpeculari.

38. His breuiter poſitis. Noſtra, & communis ſententia ſeq. concl. explicatur. *Philoſophia eſt vera, & propriè ſcientia ſpeculatiua.* Sic Ariſt. *6. metaph. cap. 1. & 11. metaph. cap. 6.* quem ſequuntur Themiſtius, Philopponus, & Simplicius *in præfatione philoſophiæ*, D. Thomas *ſuper Boetium de Trinit. q. 5. art. 1.* Auicen. *in princ. metaph.* Ptolomeus in principio Almogeſti, & omnes philoſophi hoc loco.

39. Probatur 1. ratione Ariſt. loc. cit. nam ſi philoſophia eſſet practica, vel eſſet actiua, vel effectiua, ſeu vel eſſet actionis, vel effectionis; neutrum dici poteſt; ergo non eſt practica. Non eſſet effectionis, quia principium effectionis non eſt in opere effecto, ſed in operante efficiente; ſed principium motus naturalis non eſt in operante, ſed in ipſiſmet rebus, vt principium motus animalis producti non eſt in animali producente, ſed in animali producto. Principium motus ſurſum in igne producto, eſt in ipſo igne producto; ergo, &c. Neque eſſet actionis, quia principium motus actionis eſt à voluntate, vt principium ædificationis domus, principium ſaltationis, pulſationis inſtrumenti, &c. ſed neque res naturales, neque earum actiones ſunt à voluntate, ſed à natura, ergo, &c.

40. Probatur 2. quoniam ille habitus eſt ſpeculatiuus cuius finis eſt cognitio veritatis ex Ariſt. *2. metaph. cap. 1.* Sed finis philoſophiæ eſt ſola veritatis cognitio, ergo philoſophia eſt habitus, ſeu ſcientia ſpeculatiua. Minor probatur, nam ille habitus habet pro fine cognitionem veritatis, qui non efficit, non ponit ſuum obiectum, ſed tantum illud conſiderat, & poſitum ſupponit, ſed philoſophia non ponit, ſed ſupponit res naturales, quas conſiderat, & contemplatur. Et licet homo v. g. efficiat hominem quem conſiderat, non tamen fit homo per habitum philoſophię, ſed per generationem. Vnde ad habitum practicum requiritur quod res fiat per habitum, & non ſufficit quod fiat à nobis. Soluuntur argumenta in contrarium.

41. Primum argum. nam medicina eſt ſcientia practica; ergo etiam philoſophia, cum huic illa ſubalternetur. Antecedens docet Ariſt. *11. metaph. cap. 6.* vbi medicinã collocat inter artes factiuas, ſic enim dicit. *Omnis ars, & ſcientia, principia quędam, & cauſas quærit, vt medicina, & vnaquæque reliquarum artium, quarum omne opus eſt in faciendo.* Idem tradit D. Thomas *ſuper Boetium de Trinit. q. 5. art. 1.* Reſp. notando diuiſos eſſe medicos, & philoſophos circa medicinam, an ſcilicet ſit ars, an ſcientia: ſpeculatiua, an practica. Aliqui namque eam faciunt artem, aut ſcientiam tantum practicam. Sic Argentarius *comment. 1. in artem paruam Galleni.* Hippocrates in principio Aphoriſm. dicens de medicina. *Vita breuis, ars verò longa.* Idem tradit Gallenus *lib. de conſtitutione artis*, quod etiam tradunt alij. Porrò alij volunt medicinam eſſe ſcientiam, idem Gallenus *in lib. ſuaſorio ad bonas artes*, vbi non ſolum eam vocat ſcientiam, ſed etiam omnium præſtantiſſimam; & in principio *artis paruę* illam per ſcientiam definit dicens. *Eſſe ſcientiam ſalubrium, & inſalubrium, & neutrorum.* Et Auicen. *lib. 1. Fen. 1. doctr. 1.* ſic medicinam definit. *Eſt ſcientia qua humani corporis diſpoſitiones noſcuntur.* Idem tradunt alij medicorum peritiſſimi. Non deſunt (vt Truſianus Monachus *in artem paruam Galleni*, & Montanus) qui dicunt medicinam & eſſe artem, & ſcientiam, diuerſa

tamen

tamen ratione, nam vt eſt in mente, eſt ſcientia, & doctrina; vt verò ad opus refertur eſt ars.

42. Communior medicorum, & philoſophorum ſententia eſt, quod medicina alia ſit theorica, ſeu ſpeculatiua, & alia practica, ſic Auicenn. ſupra Chriſtoph. à Vega *in præfat. oper. medic.* Argentar.ſupra & alij. Theorica eſt illa quæ diſputat de modis medendi, de elementis,humoribus, de varijs temperamentorum generibus, de partibus ſimilaribus, & diſſimilaribus, ſeu organicis, &c. At practica eſt illa,quæ tota eſt in morbis repellendis, in reparanda ſanitate deperdita, in præſeruando ab infirmitatibus, &c. Quando ergo Ariſtoteles, D. Thomas, & alij dicunt medicinam eſſe practicam, aut artem, loquuntur de hac vltima, quæ eſt factiua ſanitatis, non temere, aut caſu, ſed recta cum ratione; ars enim definitur ab Ariſt.6. metaph. c.6. *habitus recta cum ratione factiuus*. Et qui dicunt medicinam eſſe ſcientiam, ſubalternari phyſicæ, eſſe partem philoſophiæ, &c. intelligi debent de priori quæ cum ratione progreditur, cum veras, & legitimas rei cauſas conſideret.

43. Secundum argum. nam medicus cognitionem ſpeculatiuā reuocat ad opus, ſpeculatur namque medicus, & ſtudet vt morbos repellat, vt ſanitatem inducat, vt ab infirmitatibus præſeruet, &c. ergo medicina eſt ſcientia practica, aut ars, cum nō ſpeculetur vt ibi ſiſtat, ſed ſpeculatur vt operetur, ac proinde refert ſpeculationem ad opus; non opus ad ſpeculationem. Reſp. quod ex hoc quod medicus referat ſtudiū, & ſpeculationem ad opus, non ob id ſequitur quod medicina theorica ſit practica, vt enim aliquid ſit practicum neceſſe eſt, quod ex ſe, ſuaque natura ad opus ordinetur, nec ſufficit quod ordinetur ad opus ex intentione operantis; aliàs etiam philoſophia poſset eſſe practica, ſicut & mathematica, & metaphyſica, cum poſſint ex intentione operantis ordinari ad opus.

44. Sed quæres, an re vera medicina ſit pars philoſophiæ, illique ſubalterneſur? Reſp. affirmatiuè, conſtat ex dictis in Logica de ſubalternatione ſcientiarum, vbi potiſſimam ſubalternationis rationem poſuimus, quod idem ſit obiectum ſubalternantis, & ſubalternatæ, & quod ſubalternata ſolum addat ſupra obiectum ſubalternantis quandam differentiam accidentalem, nam perſpectiua addit ſupra lineam, quæ pertinet ad obiectum Geometriæ viſualitatem, & ſic conſiderat lineam viſualem; cum autem medicina addat ſanitatem ſupra ens mobile, & ſic conſiderat ens, ſeu corpus ſanabile, ſequitur quod ſubalternetur philoſophiæ quæ reſpicit ens, ſeu corpus mobile. Tum quia medicus vtitur concluſionibus philoſophiæ tanquā principijs ad ſuas concluſiones medicas inferendas. Vnde Hypocrates *in lib. de natura* probauit dari in hominibus quatuor humores, ex hac concluſione philoſophica, quod in homine dentur quatuor elementa in virtute; cum enim humores elementis conſentiant, & correſpondeant, ſequitur quod ſi in homine dantur quatuor elementa, debeant etiam dari quatuor humores, &c. Aduerte tamen quod ſolum medicina theorica ſubalternatur philoſophiæ, non practica, vt patet.

45. Tertium argum. nam philoſophia agit de ijs quæ fiunt à nobis; ergo eſt ſcientia practica, aut ars. Conſeq. conſtat, ſcientia namque practica agit de ijs quæ à nobis fiunt. Antecedens oſtenditur, quia philoſophia agit de operibus intellectus, & voluntatis, de ſpecie impreſſa, & expreſſa, &c. ſed iſta fiunt à nobis, ergo, &c. Reſp. quod ad hoc vt aliqua ſit ſcientia practica non ſufficit, quod ſit de rebus quæ fiunt à nobis, ſeu quod ſit de obiecto operabili, ſed rurſus requiritur quod in illud tendat modo operabili, vt operatio fiat per cognitionem, quæ ſit regula, & modus agendi; nam ſi quis tendat in domum definiendo, diuidendo, argumentando, &c. tendit in obiectum operabile, ſed non modo operabili, cum iſte modus non aſſumatur vt regula proxima agendi, & modo operabili, quomodo ſcilicet domus fieri debeat, ſed modo ſpeculabili. Quare licet dictæ operationes, & ſpecies ſint quid operabile, non tamen philoſophia tēdit in illas modo operabili, ſed ſpeculatiuo, quia non docent

qua ratione ſint producendæ, ſed quænam ſit earum natura, proprietates, &c.

46. Quartum argum. nam illa ſcientia eſt practica, quæ refertur ad opus, ſed cognitio philoſophica eſt huiuſmodi, ergo eſt practica. Maior videtur certa. Minor probatur, nam poteſt quis referre ad Dei amorem non ſolum quicquid lumine philoſophico cognoſcit de Deo, vt quod ſit infinitus, ſapiens, immenſus, æternus,&c. ſed etiam quicquid eodem lumine cognoſcit de rebus naturalibus, ergo, &c. Reſp. diſtinguendo maiorem: illa ſciẽtia eſt practica, quæ refertur ad opus per ſe, ſuaque natura, conceditur: ex intentione operantis, negatur. Cognitio ergo philoſophia referri poteſt ad opus ex intentione operantis, non ex ſe, ſuaque natura.

DVBIVM V.

An Philoſophia ſit vna ſcientia vnitate ſpecifica.

47. PRima ſententia eſt Antonij Mirandulani *lib.* 12. *de euerſione ſingularis certaminis cap.*6.*&* 7. Benedictique Peterij *lib.*1.*phil. cap.* 8. qui volunt vnam tantum dari ſcientiam ſecundum ſpeciem, ſcilicet metaphyſicam, alias autem ſcientias ſolum eſſe partes illius. Hanc ſententiam reiecimus in Logica. Secunda ſententia eſt quod philoſophia ſit multiplex ſpecie, vt vna ſit naturalis de qua agitur in 8.*lib.phyſicorum*; alia cæleſtis, de qua agitur in libris de cœlo; alia animaſtica de qua agitur in libris de anima, &c. Sic aliqui moderni in ſuis concluſionibus, & Caiet. Capreol. & Soncinas apud Maſium *num. ſeq. cit.*

48. Noſtra ſententia ſeq. concl. explicatur. *Philoſophia eſt vna ſpecie ſcientia ſecundum omnes ſuas partes.* Sic tradunt communiter Philoſophi hoc loco, pro quo videri poſſunt Maſius *hic q.*3. Lerma *hic q.*1. Hieronymus Pla 9. *hoc loco q.* 2. & alij cõmuniter. Quibus addo Sotum *hic q.*1.*concl.* 4. *& lib.*1. *de demonſtrat. cap.*25. *q. vnica.* Bruxellenſem *hic q.*2. Bannes 1.*de ortu, & inter. q.* 1. *ad* 4. & Marſil. *q.* 2. *prolog. ſent. art.* 4. Pro quo nota nos non loqui de philoſophia ſecundũ quod dicit tum principia, tum concluſiones opinabiles, quæ in ea ſunt, tum concluſiones ſcientificas, hoc enim modo ſunt diuerſi habitus, ſcilicet principiorum, opinionis, & ſcientiæ, cum iſta, & habeant diuerſa media formaliter, diuerſaque lumina, &c. ſed loquimur de philoſophia vt dicit tantum concluſiones ſcitas, ſeu prout eſt ſcientia.

49. Probatur 1. quoniam illa ſcientia eſt vna in ſpecie athoma, quæ licet habeat obiectum multiplex in eſſe rei, formaliter tamen, & in eſſe obiecti eſt vnum tantum; ſed obiectum philoſophiæ eſt vnum tantũ in eſſe obiecti licet materialiter ſit multiplex; ergo philoſophia eſt vna tantum ſcientia formaliter in ſpecie athoma. Maior conſtat ex dictis in Logica de ſpecificatiuo ſcientiarum. Minor probatur, nã illud obiectum eſt vnum tantum formaliter in eſſe obiecti, quod habet vnam tantũ rationem *qua*, & *ſub qua*; ſed huiuſmodi eſt philoſophia; ergo &c. Hanc minorem oſtendo, nam in philoſophia eſt vna ratio *qua*, & eſt ratio entis, ſeu corporis mobilis, vt poſtea videbimus: eſt etiam vna ratio *ſub qua*, & eſt abſtractio à materia ſingulari, & concernens materiam ſenſibilem; ergo, &c.

50. Probatur 2. ratione Ariſt. 1. *de demonſtrat. cap.*23. vbi docet ſcientias diſtingui per obiecta, & principia, vbi per obiecta intelligit rationes formales *qua*, & *ſub qua* obiecta conſiderantur; per principia verò, non intelligit principia eſſendi, ſed cognoſcendi, & eſſendi ſimul, & ſunt media formaliter, quibus vtitur ad demonſtrandas affectiones, & proprietates de obiecto ſub tali abſtractione; ſed philoſophia demonſtrat de ente mobili ſub abſtractione à materia ſingulari, paſſiones illius per principia, ſeu media eiuſdem rationis formalis, quæ ſcilicet ſolum ordinantur ad demonſtrandas paſſiones entis mobilis ſub dicta abſtractione; ergo, etc.

51. Probatur 3. nam illa ſcientia eſt vna in ſpecie athoma, cuius obiectum eſt vnum in genere ſcibili; ergo philoſophia eſt vna in ſpecie athoma. Maior nota eſt; vnitas

vnitas namque ſcientię deſumitur ex vnitate obiecti, non materialiter, ſed formaliter, ac proinde in genere ſcibili. Minor probatur, quia illud obiectum eſt vnum in genere ſcibili,quod vno modo attingitur à ſcientia, ſed ens mobile attingitur vno modo à philoſophia,ſcilicet per principia eſſendi, & cognoſcendi naturæ; per hæc enim cognoſcit attributa,& proprietates entis mobilis; ergo, &c. Soluuntur argum. in contrarium.

52. Primum argum. nam philoſophia diſtinguitur in duos habitus, ſcilicet in illum qui producitur per demonſtrationem *propter quid*, ſeu à priori; & in illum qui producitur per demonſtrationē *quia*, ſeu à poſteriori; ergo non eſt vnus habitus in ſpecie athoma. Antecedens probatur, nam ſcientia *quia*, & *propter quid* eſt multiplex genere; ergo non poſſunt componere vnum, eumdemque habitum in ſpecie athoma.Antecedens probatur; nam ſcientia *quia*, & *propter quid* ſe habent vt ſcientia, & opinio, ſed hæc ſunt multiplicis generis, ergo,& illa.Tum quia diſtinctio ſcientiæ deſumitur etiam à medijs; ſed media à priori, & à poſteriori, ſunt diſtincti generis; ergo etiam ſcientia à priori, & à poſteriori erunt diſtincti generis, & ſic non poterunt conſtituere vnum,eumdemque habitum in ſpecie athoma.

53. Reſp.1. cum Pla loco citato eſſe re ipſa duos habitus philoſophiæ, alterū *propter quid*, & alterum *quia*, quod probant rationes adductæ in argumento. Reſp.2. non eſſe niſi vnum habitum philoſophiæ, qui de eodem obiecto, & ſub eadem abſtractione probat *propter quid* ſui obiecti, & *quia*, licet enim demonſtratio *propter quid*, & *quia* materialiter ſint diuerſæ ſpeciei, tamen formaliter ſunt eiuſdem ſpeciei, & reſpiciuntur ab habitu tanquam ſecundarium,& primarium, ſicut enim charitas reſpicit Deum tanquā obiectum primarium, & creaturam tanquam obiectum ſecundarium, & ob iſtos reſpectus non multiplicatur, quia ſecundarium reſpicitur ſub ratione primarij. Ita quia ſcientia reſpicit primatiò obiectum vt demonſtrabile *propter quid*, & ſecundariò vt demonſtrabile per *quia*, ideo non conſtituuntur diuerſi habitus. Conſtituerentur ſi primariò vtrumque inſpicerentur. Diſtinctio autem ſcientiæ deſumitur à medijs primariò inſpectis,non primariò, & ſecundariò; vt patet.

54. Secundum argum. Obiecta horum librorum habent diuerſas abſtractiones ſpecie; ergo ponunt diuerſos ſpecie habitus. Antecedens probatur, nam magis abſtrahit ens mobile ad vbi tantū, quam ad vbi, quantitatem, & qualitatē, ſed corpora cæleſtia ſunt mobilia ad vbi tantum, & horum conſideratio pertinet ad libros de Cœlo, & iſta corpora inferiora ſunt entia mobilia ad quantitatem, & qualitatem, & de iſtis agitur in iſtis libris, ergo, &c. Nec valet quorumdam reſponſio, quod iſta diuerſitas abſtractionis eſt tantum materialis, cum conueniat in vna abſtractione totali à materia ſingulari, & concernente materiam ſenſibilem ab vno, eodemque habitu philoſophiæ inſpectum. Nam contra eſt, quia intra eandem abſtractionem à materia ſenſibili, conſtituuntur diuerſa ſcibilia, diuerſæque ſcientiæ ſpecie diſtinctæ, vt Mathematica, Geometria, & Atithmetica, omnes namque iſtæ ſcientiæ diſtinguuntur ſpecie, & abſtrahunt à materia ſenſibili, licet ſit diuerſitas ſufficiens pro cauſandis diuerſis ſcibilibus, & ſcientijs, nam mathematica abſtrahit à materia ſenſibili conſiderando quantitatem vt ſic. Geometria conſiderat quantitatem vt menſurabilem, & Arithmetica conſiderat quantitatem vt numerabilem. Ergo etiam intra genus abſtractionis à materia ſingulari dabuntur diuerſæ abſtractiones ſpecificæ conſtituentes diuerſa obiecta ſcibilia, diuerſaſque ſpecie ſcientias.

55. Reſp.ſuſtinendo ſolutionem traditam, ad impugnationem dico eſſe diſparitatem, nam abſtractio tunc diuerſificatur ſpecie cum principia tendendi ſpecie diuerſificantur, in noſtro caſu non diuerſificantur, nam philoſophia quoad omnes partes vtitur eiſdem principijs entis mobilis, imò vtitur vno, eodemque prin-

principio radicali motus quod eſt natura; & ſic cum ſit vnum principium radicale totius philoſophiæ, ſequitur quod principia proxima diuerſarum partium non niſi materialiter diuerſificentur. Cœterum Mathematica, Geometria, & Arithmetica, diuerſis vtuntur principijs tum in eſſendo, tum in cognoſcendo, nam Geometria vtitur quantitate continua ſub ratione menſuræ, quæ eſt indiuiſibilis Aritmetica vtitur quantitate diſcreta, ſcilicet numero, mathematica autem præſcindit, quæ principia ſunt ſpecificè diuerſa, licet conueniant in ratione communi quantitatis.

DVBIVM VI.

Quodnam ſit obiectum philoſophiæ naturalis, ſeu phyſicæ.

56. PEr philoſophiam naturalem intelligimus hăc philoſophiæ partem, quæ phyſica appellitatur, cuius obiectum inquirimus. Pro quo nota 1. quod duobus modis poteſt huius ſcientiæ obiectum aſſignari, ſcilicet in communi, ſeu in confuſo, & diſtinctè, proprioque nomine. Primo modo dicuntur obiectum phyſicæ res omnes ſenſibiles, quas habemus præ oculis, videmuſque nunc moueri, nunc quieſcere, quæ propterea dicuntur naturales, quia in ſe ipſis habent naturam, quæ eſt principium motus, & quietis, qua ratione phyſica, ſeu philoſophia dicitur naturalis; contemplatur namque principia, partes, & accidentia rerum naturalium. Res autem naturales ſunt corpora ſubſtantialia, ſimplicia, vt elementa; vel mixta inanimata vt lapis, & metalla; vel animata ſenſitiua, vel animata vegetatiua, vt ſunt animalia, & plantæ; vel animata animarationali, vt eſt homo, nec præterea dantur aliæ ſubſtantiæ naturales abſtrahentes à materia ſingulari, & concernentes materiam ſenſibilem, quæ tanquam ſubiectum, aut obiectum conſiderentur à noſtra philoſophia.

57. Nota 2. quod ſi loquamur de obiecto philoſophiæ naturalis in confuſò tunc non probatur, neque probari poteſt, neque etiam inquiritur, ſed ſupponitur, eo quod per phyſicam intelligemus ſciētiam rerum naturalium, neque de hoc controuerſia eſſe poteſt; ſed difficultas eſt de obiecto determinatè, & diſtinctè, quod ſcilicet ſit aſſignandum. Aliqui confundunt ſubiectum, & obiectum, quod abſolutè verum non eſt, quia ſubiectum propriè eſt illud de quo paſſiones demonſtrantur, at obiectum eſt illud in quod ſcientia tendit, conſiderando illius affectiones, & proprietates. Tamen quantum ad præſens per ſubiectum, & obiectum illud intelligimus, quod ab Ariſt. vocari ſolet ſcibile, in quo includuntur ratio *qua*, & *ſub qua*, ſeu ratio conſiderata, & modus conſiderandi, vel vt alij dicunt obiectum, ſeu ſubiectum materiale, & formale.

58. In hoc ergo obiecto aſſignando ſententiæ omnes ad duo capita reuocari poſſunt, ſeu ſunt de hac re duæ communes ſententiæ. Prima eſt, quod obiectum phyſicæ ſit corpus naturale, vel mobile, ſiue ſubſtantia corporea, naturalis, aut mobilis, omnia namque iſta in idem recidunt. Hanc ſententiam ſequuntur Magnus Albertus *tract.* 1. *cap.* 3. Auicenna, Algazel, & alij apud Conimb. *hic q.* 4. *cap.* 1. Pererius *hic cap.* 3. Zabarell. *cap.* 2. Picol. *lib.* 1. *cap.* 25. & 28. Bonamicius 1. *de motu*, Achill. *initio* 1. *phyſ.* & alij.

59. Secunda ſententia eſt, quod obiectum phyſicæ ſit ens mobile, non corpus mobile, aut naturale. Sic D.Thom. *initio phyſic.* Caiet. *in quæſito de hac re*. Ferrar. 1. *phyſ. q.* 2. Sot. *ibid. q.* 1. *concl.* 5. Soncin. 4. *metaph. q.* 11. Iauel. 1. *phyſ. init.* Aquar. 1. *metaph. q.* 1. *ad* 4. Flandria 6. *metaph. q.* 2. Gratia Dei 1. *phyſ. q.* 1. Iandun. Tolet. Conimbr. Lerma, & alij cōmuniter hoc loco.

60. Noſtra ſententia ſequenti concl. explicatur. *Si loquamur ſecundum rem, et ens mobile, et corpus mobile ſunt obiectum phyſi-*

phyſica, cum eandem rem ſignificent. Tamen ſi loquamur ſecundum maiorem expreſſionem, melius exprimitur per ens mobile, quam per corpus mobile. Sic tradunt N. Complut. *hic diſp.* 1. *qu.* 1. Et iſta eſt plana mens D. Thomæ, nam per ens mobile nil aliud intellexit niſi corpus mobile, ſeu corpus naturale, vt rectè probat Piccol. loco cit. & patet ex proemio primi libri de cælo, vbi expreſsè docet obiectum phyſicæ eſſe corpus mobile. Idem habet 1. *poſter. lect.* 4. vbi docet ſubſtantiam mobilem eſſe obiectum phyſicæ. Idē tradit 1. *p. q.* 84. *art.* 1. *& de verit. q.* 14. *art.* 8. *ad* 16. *&* 4. *phyſic. tex.* 74. Quod idem ſit ens mobile, & corpus mobile, conſtat, quia quoties differentia inferior additur rationi ſuperiori, illam ita reſtringit, limitat, & coarctat, vt ſtet pro eo cuius talis differentia eſt proximè cōſtitutiua, & ſic cum mobilitas, quæ eſt differentia corporis, additur enti, ita illud reſtringit vt ſtet pro hoc ente, ſcilicet pro corpore, ſed antequam probemus ſecundam partem.

61. Sciendum, quod particula illa *mobile*, quæ ponitur vt differentia contractiua entis, & conſtitutiua corporis mobilis, ſumi poteſt dupliciter, primò aptitudine proxima ad motum, quo modo eſt proprietas corporis naturalis. Secundò pro principio primo ſubſtantiali, cui talis proprietas debetur, ſeu à quo pullulat, & hæc eſt ipſa ſubſtantia naturalis. Cum ergo dicimus ens mobile, aut corpus mobile inquantum mobile eſſe obiectum phyſicæ, non intelligitur primo modo, quia proprietas obiecti, non eſt ratio formalis obiecti, ſed intelligimus ſecundo modo, ſolemus namque quandoque principia explicare per proprietates, quocirca idem eſt dicere corpus naturale, & corpus mobile.

62. Quod autem melius explicetur obiectum phyſicæ per ens mobile, quam per corpus mobile probatur 1. ratione D. Thomæ, quia nulla ſcientia probat ſuum obiectum, ſed illud ſupponit, vt omnes fatentur, & colligitur ex Ariſt. 1. *poſter. tex.* 2. *&* 6. *metaph. tex.* 1. Sed in phyſica demonſtratur corpus eſſe mobile, non ens; ergo, &c. Minor probatur, nam Ariſt. 6. *phy. tex.* 32. probat omne mobile eſſe corpus, non tamen probat quod omne ens ſit mobile.

63. Occurres pro aduerſarijs negando minorem, nihil enim eſt in phyſica notius quam dari corpus mobile, neque hoc eget probatione, ſed tantum vocabulorum explicatione; neque Ariſt. probat dari corpora mobilia, ſed quod ſi aliquod mouetur debet eſſe diuiſibile, imò ſufficeret ad rationem Ariſt. quod eſſet linea, aut ſuperficies, vel etiam corpus mathematicum, id eſt quantitatis trinæ dimenſionis, licet quia non datur quantitas niſi in corpore, inferri poſſet omne corpus eſſe mobile. Sed contra, nam re vera Ariſt. demonſtrat loco citato corpus eſſe mobile, non per motum, quia tunc probaret circulariter, & idem per idem, vel ſolum à poſteriori, & per effectum, ſed probat per diuiſibilitatem, aliàs corpus moueri non poſſet, cum non poſſit idem ſecundum omnes partes eſſe ſimul vel in eodem *nunc*, vel in eadem parte ſpatij, & ſic probat dari corpus mobile, ſeu corpus eſſe mobile, quia eſt diuiſibile, vnde concludit dicens: *Omne autem quod mutatur, diuiſibile neceſſe eſt; nam cum è quodam in quoddam ſit omnis mutatio, cum eſt quidē in eo in quod eſt mutatum, non vlterius, vt patet, mutatur.* Vbi non loquitur ſolum de mutatione, ſeu mobilitate localis, ſed de quacumque quæ eſt ſub conſideratione phyſica. Vide D. Th. & alios expoſitores ibidem.

64. Probatur 2. nam in aſſignando obiecto ſcientiæ nihil debet inuolui quod neceſſariò indigeat probatione in illa ſcientia, ſed qui dicit corpus mobile eſſe obiectum phyſicæ, aliquid inuoluit quod indiget probatione in phyſica, ergo malè aſſignat. Minor probatur, quia qui dicit corpus mobile eſſe obiectum phyſicæ, dicit mobilitatem non reperiri niſi in corporibus, nam obiectum materiale non debet minus latè patere quam formale, & conſequenter dicit omne mobile eſſe corpus: ſed hoc neceſſariò probatur in

phy-

phyſica; ergo i nuoluit aliquid quod eſt probandum. Tum quia obiectum in ſciẽtia eſt illud quod ſupponitur tanquam notiſſimum,& adæquatum fundamentum ſuarum paſſionum, ſed non ſupponitur in phyſica corpus eſſe adæquatum fundamentum motus, ſed probatur; ergo, &c. Tum etiam quia omne quod mouetur eſt corpus, ſeu qui probat omne quod mouetur eſſe corpus, probat mobilitatem eſſe in corpore,& per conſequens probat dari corpus mobile, ſed phyſica ſupponit dari ſuum obiectum; ergo corpus mobile non eſt obiectum phyſicæ, ſaltem ſecundum hanc expreſſionem,

65. Probatur 3. quia obiectum, vel ſubiectum in ſcientia eſt id cui competit præcipua paſſio illius, & quod ponitur in definitione talis paſſionis,ſed hoc in phyſica non eſt corpus, ſed ens; ergo non corpus, ſed ens mobile erit obiectũ phyſicæ. Minor probatur,nam præcipua paſſio phyſica eſt motus, qui diuiditur in quatuor ſpecies, ſcilicet generationem, alterationem, augmentationem, & motum localem; ſed in definitione talis motus non ponitur corpus vt ſubiectum, ſed ens; ita namque definitur 3. phyſ. tex. 6. *motus eſt actus entis in potentia prout in potentia*, ideſt, eſt actus entis mobilis, vt mobile eſt; ergo ens mobile eſt præcipuũ ſubiectum paſſionis phyſicæ, ſcilicet motus.

66. Probatur 4.nam mobile,ſeu naturale latius patet quam corpus, ſed ratio formalis obiecti non debet latius patere quam materialis; ergo malè aſſignatur pro ratione, ſeu pro obiecto materiali corpus. Minor nota eſt. Maior probatur, nam non ſola ſubſtantia eſt naturalis, & mobilis, & multo minus ſolum corpus, quod eſt ſpecies ſubſtantiæ, ſed etiam accidentia dicuntur naturalia, imò dantur etiam priuationes naturales, & etiam accidentia dicuntur entia mobilia, quoniam alterantur, generantur, & deſtruuntur; ergo melius ens mobile quam corpus mobile dicetur eſſe obiectum phyſicæ. Tum quia ſubiectum, ſeu obiectum in ſcientia debet ſignificari terminis notiſſimis; ſed notiores termini ſunt ens mobile quam corpus mobile; ergo,&c.

67. Probatur demum varijs teſtimonijs Ariſt. nam 4. *metaph. tex.* 1. *&* 6. *metaph. tex. item* 1. docet quod ſola metaphyſica conſiderat ens vt ens in communi,reliquæ verò ſcientiæ conſiderant partem entis, id eſt aliquam ſpeciem entis; ergo etiam phyſica conſiderabit partem entis, ſed hæc non poteſt eſſe aliud quam ens mobile, ergo per Ariſtotelem ens mobile erit ſub conſideratione phyſica. Et 12. *metaph. tex.* 19.docet quod in omni prædicamento ſunt tria principia,ſcilicet materia, forma, & priuatio, quæ ſunt principia mutationis, & conſequenter in omni prædicamento eſt aliquid mobile; ſed hoc non poteſt eſſe corpus, quod ſolum eſt in prædicamento ſubſtantiæ;ergo cum omne mobile conſideretur à phyſica, ſequitur quod non corpus mobile,ſed ens mobile pertineat ad conſiderationem phyſicam. Soluuntur argumenta in contrarium.

68. Primum argum. quoniam cum dicitur ens mobile eſſe obiectum phyſicę, vel ens intelligitur eſſe obiectum materiale, & mobile formale, ſicut cum dicimus ferrum vt frænifactibile eſt obiectũ frænifactoriæ: vel certè vt totum hoc aggregatum ex ente, & mobili eſt obiectum materiale, & ratio formalis ſit ipſa mobilitas reduplicatiuè accepta, vt ſenſus ſit quod ens mobile inquantum mobile eſt obiectum phyſicę; neutrum dici poteſt, ergo,&c.Non primum, vt fatentur Thomiſtæ, quia tunc aſſignaretur obiectum materiale valde remotum, quod non ſufficit quando volumus determinatè aſſignare obiectum; vnde cum volumus aſſignare obiectum medicinę non dicimus eſt ens ſanabile, ſed dicimus quod eſt homo ſanabilis, ens autem eſt ſubiectum remotum mobilitatis, non enim omne ens eſt mobile; ergo ſicut committitur vitium cum in definitione proprij ponitur genus remotum relicto proximo teſte Ariſt. 6. *topic. loco* 84.*&* 2. *poſter. tex.* 69. *&* 70. vt ſi quis diceret homo eſt ens rationale, ita vitiũ eſt in aſſignatione obie-

cti

cti ponere pro ſubiecto materiali materiã remotam: Tunc enim obiectum materiale magis latè pateret quam formale. Neque dici poteſt ſecundum, quod ſcilicet totum hoc aggregatum, nempe ens mobile ſit obiectum phyſicæ, ita vt duo iſta vocabula ſignificent vnam rem, ſicut ens per ſe ſignificat ſubſtantiam, & ens in alio ſignifi. at accidens; ita ens mobile ſignificet vnam aliquam rem, quæ reduplicatiuè conſiderata vt mobilis eſt, conſtituat obiectum phyſicæ. Hoc inquiunt, dici non poteſt, nam vel illa vocabula ens mobile ſignificant re ipſa aliquid aliud præter corpus mobile, nempe rationem aliquam communem, vel idem ſignificat quod corpus mobile, non rationem aliquam communem, quia reſtringitur ens per mobilitatem vt ſtet pro re determinatè mobili, quæ eſt corpus. Si ſignificet idem quod corpus, quare non exprimũt obiectum phyſicæ per corpus, cum ſit genus proximum, & magis res exprimatur per genus proximum quam per remotum.

69. Reſp. quod vtrumque dici poteſt, vt ſcilicet ens ſit obiectum materiale, & mobile formale, & licet ens ſecundum ſe magis latè pateat, non tamen prout cõtrahitur per mobile tunc enim reſtringitur vt ſupponat pro corpore, ſeu pro ſubſtantia corporali mobili, ſeu mutabili, modo explicato; & licet ens ſit genus remotum, tamen quandoque melius eſt explicare rem per genus remotum quam per proximum, quando ſcilicet genus remotum eſt notius, vt contingit in noſtro caſu, non ſic quando genus proximum eſt notius, vt in exemplo allato contingit cũ dicitur. Homo eſt ens rationale; animal namque eſt notius, & magis ſenſibile quã ens: non tamen corpus cum explicandũ ſit de quo corpore intelligatur cum dicitur corpus mobile, vt ſcilicet intelligatur de corpore tum ſubſtantiali, tum accidentali propriè & impropriè dicto, quod etiam dicitur de qualitatibus, & quibuſcumque accidentibus mobilibus motu ſiue generationis, ſiue alterationis, &c. qui motus non ita bene explicantur per corpus mobile, quã per ens mobile, quod etiam dicitur de accidentibus. Poteſt etiã dici, quod per ens mobile intelligatur aggregatum ex ente, & mobili, ſeu mobilitate, vt dicit quandam rationem communem ad omnia mobilia naturalia ſiue motu generationis, ſiue alterationis, ſiue augmentationis, ſiue motu locali, cum omnes iſti motus pertineant ad conſiderationem phyſicam.

70. Secundum argument. nam ideo Thomiſtæ, aſſignant pro obiecto phyſicæ ens mobile, & non corpus mobile, quia corpus mobile inuoluit aliquid quod eſt probandum vt ex noſtris rationibus conſtat, ſed hoc idem currit de ente mobili; ergo, &c. Minor probatur, quia per nos idem ſunt ſecundum rem ens mobile, & corpus mobile; ergo quod Thomiſtę dicunt de corpore mobili, idem dici debet de ente mobili. Reſp. quod licet ſecundum rem ſint idem corpus mobile ſecundum modum à nobis explicatum, & ens mobile, & ſic ſecundum rem ſit eadem vtriuſque ratio, tamen ſecundum rationem expreſſam aliquid poteſt probari de vno, quod non probatur de alio, vt ex dictis colligitur. Cæterum iſta magis explicata manebunt ex dicendis dub. ſeq.

DVBIVM VII.

An ſub obiecto phyſicæ comprehendantur ſolæ ſubſtantiæ, & entia materialia, an etiam ſpiritualia vt Angeli.

71. HOc dubium aliqui ſic proponunt: an obiectum phyſicæ ſit aliquid communius corpore naturali, ſeu an ſit quid vniuerſalius, vt etiam comprehendat Angelos, an vero ſit quid minus vniuerſale quam corpus naturale, &c. Prima ſententia eſt Scoti, & Scotiſtarum, vt Antonij Andreæ 1. *met. quæſt.* 1. Trombettæ 6. *metaph. q.* 2. & aliorum tenentium, quod obiectum phyſicæ ſit ſubſtantia naturalis, & mobilis prout includit etiam Angelos. Cuius ſententiæ fundamentum potiſſimum eſt, quia etiam Angeli naturaliter mouentur, vt ex ſacris lit-

litteris colligitur, licet ignotum fuerit Ariſtoteli. Hanc ſententiam tenet etiam Auerſa ex ſuppoſitione quod phyſica eſſet ſciētia diſtincta à metaphyſica, quam ſuppoſitionem negat. Putat ergo Auerſa quod dato, & non concesso quod phyſica diſtinguatur à metaphyſica, eius obiectum erit ſubſtantia mobilis, aut ens mobile, vt eſt commune entibus mobilibus materialibus, & immaterialibus, vt Angelis.

72. Secunda ſentētia dicit obiectum phyſicę eſſe ens mobile prout ſolas comprehendit ſubſtantias materiales mobiles, etiam includendo materiam, & formam. Sic Alphonſ. à Veracruz hoc loco. Antonius Scaymus hic, & alij. Tertia ſententia tenet, quod obiectum phyſicæ ſit ſola ſubſtantia materialis compoſita, & completa, hanc tenet Pontius *hic q.* 1. Quarta ſententia tenet quod nihil mobile vt mobile ſit obiectum phyſicæ, ſed naturale vt naturale, quod eſt corpus, ſeu ſubſtantia naturalis. Quinta ſententia ait, quod obiectum phyſicæ ſit corpus, aut ſubſtantia generabilis, & corruptibilis.

73. Noſtra ſententia ſeq. concluſione explicatur. *Obiectum phyſicæ eſt ens mobile vt eſt quid commune ad omnia mobilia materialia ſiue ſubſtantialia, ſiue accidentalia tantum, & nullo modo, vt eſt commune ad ſpiritualia, vt ſunt Angeli & accidentia ſpiritualia, quæ licet ſint ſuo modo mobilia, non tamen motu qui cadat ſub conſideratione phyſica.* Sic Gratia Dei *qu. 1. phyſicæ.* Ferrar. *q.* 2. & alij Thomiſtæ, qui ita in particulari de obiecto phyſicæ diſceptarunt; multi enim ſolum in communi dixerunt obiectum phyſicæ eſſe ens mobile, non deſcendendo ad magis particularia. Quod obiectum phyſicæ ſit ens mobile, vt eſt quid commune ad omnia mobilia materialia ſiue ſubſtantialia, vt comprehendunt tum ſubſtantias completas, tum incompletas, vt materiam, & formam, conſtat ex dictis dubio præcedenti, phyſica namq; maximè vt cōprehendit libros de generatione, de anima, & de cælo, agit de omnibus motibus, generationis, corruptionis, alterationis, augmentationis, & motu localis, agit de materia, forma, & priuatione, quæ ſunt principia entium naturalium, agit de loco in quo fit motus, agit de tempore ſub quo fit motus, &c.

74. Quod autem ad obiectum phyſicæ non pertineant Angeli, nec accidētia ſpiritualia, niſi quatenus dependent à materia ſenſibili, vt fit in libris de anima, vbi agitur tum de anima, tum de potentijs eius, quatenus anima eſt forma corporis, & potentiæ aliquo modo depēdent à corpore probatur, nam Angeli, & idem eſt de accidentibus ſpiritualibus ſecundum ſe, abſtrahunt non ſolum a materia ſenſibili, ſed etiam intelligibili, ergo non pertinent ad obiectum phyſicæ. Antecedens conſtat. Conſeq. probatur, nam phyſica ſolum abſtrahit à materia ſingulari, vt concernit materiam ſenſibilem; ergo eius conſideratio non poteſt extendi ad materiam inſenſibilem, nulla namq; ſcientia ſicut non poteſt exire extra proprium obiectum, ita neq; extra propriam abſtractionem. Per hęc patet ad fundamentum contrariæ ſentētiæ.

75. Quæres 1. quodnam ſit obiectū horum octo librorum phyſicorum? Reſp. quod obiectum primarium eſt ens mobile ſubſtantiale, ſeu corpus ſubſtantiale. Phyſica namq; auſcultatio primariò agit de ente mobili ſubſtantiali, deq; principijs eius, de cauſis, &c. Cæterum phyſica vt comprehendit omnes ſuas partes, habet pro obiecto ens mobile in ea communitate, & vniuerſalitate dicta.

76. Sed obijcies, nam obiectum ſciētiæ debet eſſe quid vniuocum, ſed ſubſtantiæ, & accidenti nihil dari poteſt cōmune vniuocum, vt diximus in Logica, & tradunt communiter Philoſophi; ergo ens mobile in ea vniuerſalitate dicta *n.* 73 non poteſt eſſe obiectum phyſicæ. Nec valet dicere quod licet à ſubſtantia, & accidente non poſſit abſtrahi vnus conceptus vniuocus entis, poterit tamen abſtrahi conceptus communis vniuocus mobilis, quia mobilitas poteſt concipi vt communis ſubſtantiæ, & accidenti. Sed contra, nam mobilitas accidentis eſt accidēs, & mobilitas ſubſtantiæ, eſt ſubſtantia; ergo ſi ſubſtantiæ, & accidenti nihil dari poteſt commune vniuocum in ratione entis,

tis,

tis,neque dabitur in ratione mobilitatis, cum & hæc ſit ens, &c. Reſp. ergo quod licet obiectum formale debeat eſſe vniuocum, obiectum tamen materiale poteſt eſſe æquiuocum, vt patet in ente, quod eſt obiectum tum metaphyſicæ,tum intellectus, cum tamen non ſit vniuocum reſpectu Dei, & creaturæ,& reſpectu ſubſtantiæ, & accidentis. Bene verum eſt, quod prout ſtat ſub tali modo attingibilitatis dicit vniuocationem, vt alibi explicuimus.

77. Quæres 2. quomodo ens mobile poſſit dici obiectum phyſicæ,cum phyſica in nulla ſui parte agat de ente mobili? Reſp. quod ſcientiæ non tractant de ſuo obiecto formali, ſed tantum de obiecto materiali, quod ſub tali ratione formali continetur, patet autem quod ſub ente mobili continentur omnia quę traduntur in phyſica; nam in 1. lib. agitur de principijs rerum naturalium, ſcilicet materia prima, & forma quæ ſunt entia mobilia; illa ad formam, iſta ad materiã. In 2. lib. agitur de natura, quæ eſt principium motus, & quietis. In 3. lib.agitur de motu, qui eſt actus entis in potentia, &c. In 4. lib. agitur de loco qui eſt vltima ſuperficies continentis,&c. in quo locatum moueri poteſt. In 5. lib. agitur de ijs ad quæ datur motus,&c. In 6. lib.agitur de compoſitione continui, quæ non niſi per motum fieri poteſt. In 7. lib.agitur de principijs motus, à quo ſcilicet moueantur grauia, & leuia, &c. In 8.lib. agitur de æternitate mundi,an ſcilicet ab æterno potuerit eſſe motus generationis, &c.

78. Quæres 3. quomodo intelligatur id quod communiter dicitur, quod ſcilicet ſcientiæ debent ſupponere ſuum obiectum? Reſp. quod hoc intelligi non poteſt quoad exiſtẽtiam, cum certum ſit, quod poſſit dari ſcientia de obiecto non exiſtente. Sed intelligi debet in hoc ſenſu, quod obiectum ſcientiæ de quo ipſa ſcientia demonſtrat aliquam paſſionem, debet ſupponi paſſioni, nec poteſt eſſe paſſio alterius de quo demonſtretur, ſed ſi ſit paſſio, demonſtrari non poteſt, ſed ſupponi debet. Et ſic ſi ſcientia componat demonſtrationem v. g. in prima figura,maior debet eſſe nota, & ſupponi,non probari.

79. Quæres 4. quænam ſit ratio formalis ſub qua obiecti phyſicæ? Reſ. quod ratio formalis *ſub qua*, alia ſe tenet ex parte obiecti, & hæc in phyſica eſt abſtractio non actiua, ſed paſſiua, qua obiectum abſtrahit à materia ſingulari, & cõcernit ſenſibilitatem, ſeu eſt ſenſibilitas ſecundum ſe. Et alia ſe tenet ex parte potentiæ, & eſt modus tendendi ipſius potentiæ, vel habitus in tale obiectum, qui modus eſt tale, vel tale medium, ſeu principium,quod in noſtro caſu erit ratio mobilitatis ſupra explicata, non quidem formalis, & proxima, ſed radicalis, ſeu naturæ, quatenus ſcilicet phyſica attingit ſuum obiectum ſub ratione naturæ, quę eſt principium radicale, & primum cuiuſuis motus.

80. Quæres 5. an omne ens mobile, ſeu an omne ens naturale, ant corpus naturale pertineat ad obiectum phyſicæ? Prima eſt aliquorum ſententia, quod non omne corpus naturale, ſeu mobile ſit obiectum phyſicæ, ſed tantum corpus generabile, & corruptibile, & ſic per hanc ſententiam excluduntur cæli, qui ſunt corpora ingenerabilia, & incorruptibilia. Cum verò inter corpora incorruptibilia ſint aliqua ſimplicia, quæ dicuntur elementa, ignis aqua, aer, & terra, & alia ex his mixta,qualia ſunt reliqua corpora, ideo nonnulli etiam exiſtimant ſola mixta pertinere ad obiectum phyſicæ, & elementa ſolum conſiderari, vt principia intrinſeca mixtorum, & cælos conſiderari ſolum vt principia extrinſeca, pro hac ſententia Piccolominus citat Marcũ Anton. Genua, & Olimpiodorum.

81. Vera,& communis ſententia eſt, quod omne ens mobile,ſeu omne corpus mobile pertineat ad obiectum phyſicæ. Ratio eſt,quia id omne pertinet ad obiectum phyſicæ quod habet in ſe principiũ ſui motus, ſed omne corpus naturale, etiam cælum,& elementum eſt huiuſmodi; ergo &c. Maior conſtat, ideo namq; ali-

aliquod corpus conſideratur à phyſica, quia habet in ſe principium ſui motus. Minor probatur quantum ad cælum ex Ariſt. 3. *de cælo tex.* 1. & 8. *metaph. tex.* 17. & 12. *metaph. tex.* 5. & 1. *de part. animal.* & alibi, vbi docet ſubſtantiam mobilem ſiue corruptibilem, ſiue incorruptibilem habere in ſe principium alicuius motus, ac proinde pertinere ad obiectum phyſicæ. Tum quia ſi cœlum, & elementa conſiderarentur ſolum vt principia, ſequeretur quod nullo modo pertineret vt ſpecies obiecti, quod falſum eſt, nam in phyſica demonſtrantur proprietates communes omnibus corporibus, vt eſt motus, locus, quantitas, finitas, &c. Tum etiam quia in libris de cælo conſiderantur proprietates particulares cęlorum, & elementorum, eorumque accidentia, ſicut in alijs libris conſiderantur proprietates aliorum corporum.

82. Sed obijcies 1. quia principia in aliqua ſcientia, non ſunt obiectum illius; ſed cælum, & elementa ſunt principia rerum naturalium, quæ conſiderantur à phyſica; ergo non pertinet ad obiectum phyſicæ. Reſp. diſtinguendo maiorem: principia adæquata obiecti adæquati ſcientiæ non pertinent ad obiectum illius, conceditur: principia obiecti inadæquati, negatur. Cęlum autem, & elementa ita ſunt principia alicuius partis, vt poſſint eſſe pars totius obiecti adæquati phyſicæ, & ſic obiectum phyſicæ continet tum principia rerum inferiorum, tum ipſas res inferiores.

83. Obijcies 2. nam illud corpus eſt obiectum adæquatũ phyſicæ cuius principia inueſtigantur in hoc libro primo, & colligi poteſt ex tex. 1. Sed hic inueſtigãtur principia ſolius corporis generabilis, & ſunt materia, forma, & priuatio; ergo, &c. Reſp. diſtinguendo maiorem, illud corpus eſt obiectum, &c. cuius principia primò, & per ſe inueſtigantur, negatur; Ariſtoteles namque in hoc 1. libro tantum primò, & per ſe inueſtigauit principia corporis generabilis, & corruptibilis. Illud corpus eſt obiectum, &c. cuius principia ſiue primò, & per ſe, ſiue ſecundariò conſiderantur in hoc 1. lib. conceditur; nam in hoc primo libro Ariſtot. primò agit de principijs corporis corruptibilis, tamen ſecundariò, & per quandam analogiam agit etiam de principijs corporis incorruptibilis, ſcilicet de materia, & forma ex quibus etiam cœli componuntur. Ratio autem cur Ariſt. hoc loco agit ſolum primò, & per ſe de principijs corporis corruptibilis eſt, tum quia de cælo nondum erat certum, & determinatum an eſſet incorruptibile, & multi ex antiquis putant cælos eſſe corruptibiles; tum quia erat de hoc controuerſia apud antiquos, dirimenda in tractatu de cælo; vnde hoc loco abſtinuit Ariſt. ab illa difficultate aſſignando ſolum principia corporis corruptibilis.

84. Quæres 6. quotuplex ſit corpus, & quodnam pertineat ad obiectum phyſicæ? D. Thomas *in* 1. *diſt.* 25. *q.* 1. *art.* 1. Magnus Albert. 1. *phyſic. tract.* 1. *cap.* 3. Gandan. *quodlib.* 4. Piccolom. ſupra, & alij diuidunt corpus in mathematicum, phyſicum, & metaphyſicum. Corpus mathematicum eſt quantitas trinæ dimẽſionis. Corpus metaphyſicum eſt genus quoddam in prædicamento ſubſtantiæ, ſeu eſt ſubſtantia completa apta vt à quantitate extendatur, quam aliqui vocant ſubſtantiam completam, & compoſitam ex materia, & forma, quæ ſubſtantia dupliciter conſiderari poteſt. Primò abſolutè prout antecedit motum, quantitatem, & reliqua accidentia ſenſibilia, & hoc modo dicitur corpus metaphyſicum. Secundò cum quodam ordine ad motum, & quantitatem, & hoc modo dicitur corpus naturale, ſeu phyſicum. Corpus ergo phyſicum, & metaphyſicum non diſtinguuntur re ipſa, ſed ſolum quoad modum conſiderandi. Non diſplicet aliquorum ſententia, quod corpus potius diuidi deberet ſecundum duplicem conſiderationem qua conſiderari poteſt corpus phyſicum, ſcilicet mathematicè, & phyſicè, ratio namque corporis metaphyſicè non diſtinguitur à ratione corporis phyſicè, ſed eſt idem gradus abſtractus. Quare cum dicimus corpus

pus phyſicum, ſeu naturale eſſe ſecundũ rem obiectum phyſicæ, ponitur illa particula *naturale* ad excludendum corpus tum mathematicum, tum metaphyſicum. Ponitur etiam illa particula vt intelligatur quod corpus mathematicum eſt paſſio corporis phyſici, trina namq; dimenſio pullulat à corpore naturali. Ponitur etiam illa particula ad excludenda corpora artificialia, quæ vt talia non pertinent ad ſcientias cum non habeant vnam naturam, ſed ſint aggregata per accidens. Et quando dicimus quod ens mobile eſt obiectum phyſicæ per *mobile* intelligimus quod eſt principium motus naturalis, qui motus eſt prima, & præcipua paſſio entis naturalis in ordine ad quam omnes aliæ paſſiones conſiderantur, vt quantitas, quies, locus, & reliqua accidentia, quæ omnia conſiderantur à phyſica, vt aliquo modo connexa cum motu, & per motum intelligimus omnes paſſiones phyſicas.

85. Quæres 7. an Deus, & intelligentiæ pertineant ad phyſicam conſiderationem? Reſp. affirmatiuè pertinent vt principia extrinſeca motus, quæ ex Ariſt. 2. *phyſic. tex.* 73. dicuntur mouentia phyſica. Per mouens autem phyſicum extrinſecum Ariſt. intelligit id quod cauſat motum phyſicum, ideſt ſenſibilem in corporibus, ſicut faciunt Deus, & intelligentiæ. At per mouens phyſicum intrinſecum intelligit omne id quod ita mouet, vt etiam moueatur, vt ſunt entia, & corpora naturalia. An autem Deus, & intelligentiæ pertineant ad phyſicam vt finis, dico quod non, hoc enim pacto pertinent ad metaphyſicam; finis namq; phyſicæ eſt natura, & conſideratio rerum naturalium.

86. Quæres 8. quomodo Aſtrologia diſtinguatur à phyſica, cum & iſta conſideret cœlorum motus? Reſpond. quod Aſtrologia non conſiderat motus cœlorum, & quantitatem eorum vt ſunt paſſiones entis, aut corporis naturalis, qua ratione conſiderantur à phyſica; ſed conſiderat vt ſunt quædam res menſurabiles, atque ita prout abſtrahunt a materia ſenſibili. Subſtantiam autem cœlorum nullo pacto conſiderat Aſtrologia. At phyſica eam conſiderat, vt componitur ex materia, & forma, vt eſt radix quantitatis, motus, &c.

DISPV-

DISPVTATIO SECVNDA.

In primum librum Ariſtotelis de phyſico auditu, vbi poſitis quibuſdam præambulis agitur de rerum principijs.

1. LIBER primus de phyſico auditu nouem continet capita. In 1. tradit ordinem, & modum cognoſcendi quodlibet. In 2. & 3. refert opinionem Parmenidis, & Meliſſi, quod omnia ſint immobilia, & vnum, eamque reijcit. In 4. varias refert ſententias de rerum naturalium principijs, eaſque confutat. In 5. docet rerum principia eſſe inter ſe ſe contraria. In 6. deducit ex hoc eſſe tria, ſcilicet duo contraria, & ſubiectum circa quod contrarietas verſatur. In 7. determinatè docet principia eſſe materiam, formam, & priuationem. In 8. refert veterum phyloſophorum opinionem, qua negabant ortum, & interitum, eamque impugnat. In 9. refert fundamentum Platonis ob quod materiam non diſtinguebat à priuatione, illudque reijcit, oſtenditque materiam eſſe ingenerabilem, & incorruptibilem, vt autem ea quæ Ariſtoteles docet in hoc primo libro maneant explicata ſit.

DVBIVM I.

An ad perfectam rei cognitionem ſit neceſſe omnes illius cauſas cognoſcere.

2. ARiſtoteles vt oſtenderet, quod philoſophia ſit vera ſcientia ſic dicit *tex. 1. Tunc enim putamus cognoſcere vnumquodque cum cauſas primas cognouerimus, & principia prima, & vſque ad elementa*. Vult dicere quòd tunc nos ſcire arbitramur, cum non modo proximas, & propinquas rei cauſas cognouerimus, ſed etiam cum peruenerimus ad prima principia, primaſque cauſas, atq; elementa; ſed ſcientia naturalis habet prima principia, primas cauſas, & elementa, ex quibus ea conſtant, quæ naturæ rationem participant; ergo, &c. Quare ſcientia naturalis tunc exactè percipietur per philoſophum cum perfectam rerum naturaliũ internorum, ac primorum principiorum cognitionem habuerimus. Ex his ſumitur dubium vniuerſale an ad perfectam rei cognitionem neceſſum ſit cognoſcere omnes illius cauſas.

3. Pro intelligentia difficultatis notandum 1. duplicem eſſe rei cognitioné, vnam confuſam, aliam verò diſtinctam. Cognitio confuſa contingit dupliciter, primo quando non omnia rei attributa, & proprietates cognoſcuntur, ſed ſolum aliquæ. Secundò quando cognoſcuntur

qui-

Digitized by Google

quidem omnia rei attributa, & proprietates non tamen clarè, perſpicuè, & diſtinctè, ſed tantum confusè. At cognitio diſtincta ea eſt, qua omnia rei attributa, & proprietates clarè,& perſpicuè cognoſcimus. Vt cum rem ita cognoſcimus, vt à potentia vſque ad vltimum actum; à primo attributo, aut prædicato vſque ad vltimū clara cognitione peruenimus. Cognitio diſtincta ſubdiuiditur in diſtinctam abſolutè, & in omni genere, & in aliquo tantum genere. Cognitio diſtincta abſolutè, & in omni genere tunc eſt cum omnia rei prædicata,quæ de illa cognoſci poſſunt intelligimus. At cognitio diſtincta in aliquo genere eſt illa, in qua vnum, aut alterum prædicatum cognoſcimus clarè, non alia, vt cum cognoſcimus hominem eſſe ens, non tamen cognoſcimus eſſe ſubſtantiam, ſecus ſi cognoſceremus eſſe ens, ſubſtantiam,corpus viuens, animal rationale, &c.

4. Notandum 2. quod nulla ſcientia cognoſcit omnia rei prædicata, & attributa; nam metaphyſica non conſiderat omnia hominis prædicata, ſed ſolùm quæ cõſequuntur ad ens, quæ ſunt bonū, verum, res, aliquid vnum, non enim metaphyſicus demonſtrat de homine quod ſit ſubſtãtia compoſita ex materia,& forma, &c. Similiter mathematica conſiderat ſolum de homine rationem corporis mathematici, quod dicit trinam dimenſionem. Item phyſica cognoſcit de homine quod eſt compoſitus, ex materia, & forma, cognoſcit mobilitatem, &c. non omnia illius prædicata, &c.

5. His poſitis eſt prima ſententia Sueſſani *in comment. huius cap.* Pererij *lib. 3. cap.5.* & aliorum dicentium,quod ad cognoſcendam perfectè rem non exiſtentē ſufficiat duo cauſarum genera cognoſcere, ſcilicet materiam, & formam, ſi hoc fiat media definitione, ſiue media demõſtratione. Cæterum ad cognoſcendam rem quæ eſt, ſeu rem exiſtentem, neceſſe eſt, vt clarè cognoſcatur, quod omnia cauſarum genera cognoſcantur. Rationē primi aſſignant,quoniam res quæ non eſt, ſolum eſt ſecundum eſſentiam, ac proinde ſufficiet cognoſcere materiam, & formam ex quibus rei eſſentia componitur. Cæterum res, quæ iam ſunt extra cauſas conſiderantur ſecundum eſſentiam, & ſecundum exiſtentiam; eſſentia pendet à materia,& forma, exiſtentia verò ab efficiente, & fine, ac proinde vt perfectè cognoſcantur debent omnes iſtæ cauſæ cognoſci.

6. Secunda ſententia eſt Didaci Aſtudillo *q.1. huius capitis,* qui duo dicit, primum quod ad cognoſcendam aliquam rem perfectè, conſumatè, & in omni genere debeant cognoſci omnia illius attributa, ſecundum id quod dicunt tam eſſentialiter,quam accidentaliter, præterea cognoſci debent omnes cauſæ illius tam per ſe, quam per accidens; item cognoſci debent omnes reſpectus, & omnes habitudines, ex quo infert, quod ſolus Deus perfectè,& conſumatè res cognoſcit, quia ſolus Deus poteſt perfectè cognoſcere omnia attributa eſſentialia,& accidentalia, omnes cauſas per ſe, & per accidens, omneſque reſpectus, & habitudines. Secundum quod dicit eſt, quod ad cognoſcendam rem aliquam perfectè in aliquo genere, ſufficit cognoſcere attributa, & cauſas, & habitudines illius generis. Vnde vt cognoſcatur quod homo poteſt interire ſufficit quod cognoſcatur, quod conſtat ex materia prima, quæ eſt prima radix interitus.

7. Antequam promamus, quid de hac re ſentiamus, ſupponenda ſunt prius ea in quibus ferè omnes cõueniunt. Conueniunt 1. omnes ferè hoc loco,vt videre eſt apud Iauell. *q.2.* Iandun. *q. 3.* Burleum *in commen. huius cap.* Burden. *q.2.* Sot. *q.2.*alioſque quod ad cognoſcendam rem aliquam cognitione confuſa, non eſt neceſſe omnia illius attributa, cauſas, & habitudines cognoſcere, aliàs ſi deberent omnia iſta cognoſci, clarè cognoſceretur. Vnde ſicuti cognoſcimus tunc rem confusè, ita ſufficiet cognoſcere vnam, vel alteram cauſam confusè.

8. Conueniunt 2. Philoſophi hoc loco, quod ad cognoſcendum perfectè aliquem effectum ſiuè abſolutè, ſiue in aliquo

quo genere, non ſit neceſſe cognoſcere omnes cauſas per accidens illius, imò neque aliquam. Ratio clara eſt, nam ad hoc vt aliquis effectus perfectè cognoſcatur in ratione effectus, ſufficit quod cognoſcantur cauſæ illius à quibus per ſe dependet, quia eadem ſunt principia eſſendi, & cognoſcendi, ſed effectus non dependet ſaltem per ſe à cauſis per accidens, ergo ad hoc vt perfectè cognoſcatur, non eſt neceſsè vt cognoſcantur cauſæ per accidens. Tum quia cauſæ per accidens ſunt propemodum infinitæ; ſed hæc cognoſci non poſſunt, ergo.

9. Conueniunt 3. quod ad cognoſcendum perfectè aliquem effectum in aliquo genere ſufficit cognoſcere cauſas illius generis. Vnde vt quis cognoſcat quod dentes anteriores ſunt acutiores molaribus, non eſt neceſſe vt cognoſcat eſſe candidos, duros, & ſiccos, ſed ſufficit, quod cognoſcat eos eſſe à natura datos ad incidendos cibos, valet enim: dentes anteriores ſunt inciſorij non molares, ergo ſunt acutiores molaribus, ad quod perinde eſt, quod ſint candidiores, duriores, & ſicciores. Ex quo infertur quod ad hoc vt aliquid perfectè cognoſcatur in aliqua ſcientia non eſt neceſſe quod cognoſcantur omnes cauſæ illius rei, ſed ſufficit quod cognoſcantur cauſæ attributorum, quę in ea ſcientia cognoſcuntur.

10. His poſitis ſit prima concluſio: *Ad cognoſcendum aliquem effectum ſimpliciter, & perfectè ſiue exiſtat, ſiue non, ſufficit cognoſcere cauſas illius intrinſecas, nec eſt neceſſe cognoſcere cauſam efficientem, & finalem. Si tamen deberet cognoſci perfectiſſimè, deberent omnes cauſæ illius cognoſci tum proximæ, tum remotæ, vt ſic fiat reſolutio vſque ad prima principia, primaſque cauſas.* Eſt ſententia communis. Ratio primi eſt, quia ad hoc vt habeamus cognitionem perfectã alicuius effectus ſufficit quod illum cognoſcamus per eius definitionem eſſentialem; ſed hæc traditur per cauſas intrinſecas; ergo, &c. Tum quia definitio eſſentialis, vel traditur per partes phyſicas, quæ ſunt materia, & forma; vel per partes metaphyſicas quæ ſunt genus, quod radicaliter ſumitur à materia, & differentia, quæ radicaliter ſumitur à forma; ergo ad habendam definitionem eſſentialem requiretur, & ſufficiet cognitio cauſarum intrinſecarum.

11. Ratio ſecundi eſt, quoniam ad habendam cognitionem perfectiſſimam non ſufficit habere definitionem eſſentialem, ſed vlterius requiritur definitio per omnes cauſas; vnde nullus cenſetur perfectiſſimè cognoſcere hominem, qui ſolũ cognoſcit eum conſtare materia, & forma, ſed etiam debet cognoſcere eius cauſam efficientem, & finem propter quem eſt à Deo conditus, vt ſi hoc modo definiatur. *Homo eſt animal conſtans anima, et corpore, à Deo creatum ad beatitudinem conſequendam, ſeu propter beatitudinem.* Qui enim hoc modo cognoſcit hominem, perfectius cognoſcit, quam qui illum ſolum cognoſcit per definitionem phyſicã, quod conſtat anima, & corpore; aut per definitionem metaphyſicam, quod ſit animal rationale, cum adhuc reſtet cognoſcendum illius principium effectiuum, & finis propter quem eſt conditus.

12. Secunda concluſio. *Ad habendam cognitionem, et ſcientiam alicuius rei, non ſufficit eam cognoſcere per cauſam proximam, ſed etiam cognoſci debet per remotã.* Vnde vt quis cenſeatur habere ſcientiam alicuius concluſionis, non ſufficit quod cognoſcat cauſam proximam illius, ſed debet eam ſcire reſoluere vſque in prima principia, continentia primam cauſam illius in illo genere. Sit exemplum vt quis dicatur habere perfectam ſcientiam, quod homo eſt riſibilis, non ſufficit quod cognoſcat hoc eſſe quia eſt admiratiuus, ſed debet ſine hoc modo ſcire reſoluere. Omnis homo eſt riſibilis, quia eſt admiratiuus; & ideo eſt admiratiuus, quia eſt diſcurſiuus; & ideo eſt diſcurſiuus quia eſt rationalis. Tunc enim ſcientiam habemus cum cognoſcimus rem per cauſam, reſoluendo illam vſque ad primam, & primum principium, & hoc eſt quod vult Ariſt. in tex. relato n. 2. & ita ſignificant illa verba *vſque ad elementa.* Vt autem habea-

habeamus cognitionem rei abſolutè cõprehenſiuam, non ſufficit reſoluere rem in ſuas cauſas illius generis, ſed in omnes, cognoſcendo omnes,& quaſcumque vt nihil lateat cognoſcentem, hanc autẽ viribus naturæ habere non poſſumus, cũ naturaliter nec omnes cauſas per ſe, nec per accidens, nec omnes habitudines cognoſcere poſſimus. Solum ergo naturaliter habere poſſumus ſcientiam, quæ ſolum requirit cognitionem cauſarum illius ordinis, non comprehenſionem, quæ requirit omnium cognitionem, vt nihil lateat cognoſcentem.

13. Ex quibus infertur 1. quod philoſophus naturalis, poteſt res naturales demonſtrare per omnes cauſas naturales. Ens namque mobile, ſeu naturale, de quo philoſophus diſputat habet omne genus cauſæ, ſcilicet materialis, formalis, efficientis, & finalis, ac proinde poterit per omnes illas demonſtrari: habet enim ens mobile materiam, & formam ex quibus componitur; habet efficientem quia omnis forma eſt ab efficiente; habet finalem quia finis eſt cuius gratia efficiens, ſeu agens operatur. Phyſicus ergo vtitur quatuor generibus cauſarum, licet non per quatuor has cauſas, ſingulæ cõcluſiones probentur; aliquando enim id fieri poteſt, ſed opus non eſt, ſufficit ſi quaſdam per hanc, quaſdam per illam cauſam probet.

14. Infertur 2. quod metaphyſica non conſiderat cauſas efficientes, nec per illas probat ſuas concluſiones, conſiderat tamen cauſas agentes; eſt enim differentia inter cauſas agentes, & efficientes, quod efficiens eſt illa quæ agit per motũ, at agens eſt illa quæ agit ſine motu: primum conſideratur à phyſica, cum ſit quid ſenſibile. Secundum à metaphyſica; hæc enim conſiderat Deum, vt cauſam primã diſponentem omnia, agentem, ſed non vt mouentem, & producentem cuncta motu cœli, hoc enim eſt phyſicæ. Conſiderat etiam metaphyſica materiam primam vt potentia eſt, & formam vt actum, ſed nõ vt cauſas intrinſecas, & vt motui ſubiectas, hoc enim pertinet ad phyſicam. Res mathematicæ habent quatuor cauſas, nõ tamen vt mathematicæ ſunt. Conſiderat namque mathematicas ſuas figuras in facto eſſe, & non ſecundum quod fiunt, aut fieri poſſunt; ob id abſtrahit ab efficiente, & fine, ſi enim illarum productionem non conſiderat, nec efficientem, nec finem conſiderabit. Quod ſi conſiderat materiam intelligibilem, non tamen vt alicuius mutationis principium, ſed vt in tali materia illius figuræ ſuſtentantur. Igitur phyſica conſiderat quatuor cauſarum genera, vt ſunt alicuius mutationis principium. Metaphyſica etiam conſiderat quatuor cauſarum genera præſcindẽdo à quocumque mutationis principio. Mathematica non progreditur per efficiẽtem, & finem, ſed per materiam, & formam, per materiam tanquam per ſubiectum ſuarum figurarum, non vt ſenſibilis eſt, & mutationis principium; & per formam probando eſſentiam ſuarum figurarum per illarum proprietates tanquam per formas.

DVBIVM II.

Quænam ſint notiora nobis, & ſecundum ſe, ſeu natura.

15. HVius dubij occaſionem nobis præbet Ariſt. hoc cap. 1. tex. 2. dicens. *Innata autem eſt ex notioribus, nobis via, et manifeſtioribus ad manifeſtiora natura, et notiora.* Equidem via cognoſcendi quam inditam, innatamque à natura habemus, ea eſt vt incipiamus ab ijs quæ nobis notiora, & manifeſtiora ſunt, & noſtram cognitionem ad ea, quæ ſuaptè natura ſunt notiora, terminemus. Noſter namque intellectus cum ſenſibus ſit inuolutus, & ipſis in rerum cognitione quaſi ducibus, ac facem præbentibus vtatur, ea primum in rebus ſenſibilibus percipit, quæ maximè, ac vehementer mouent ſenſus, iiſque obuia, & familiaria ſunt, & ad ea cognoſcenda procedit, quæ ſecundum propriam naturam, & noſtræ minimè accomodata cognitioni, ſunt intelligibilia.

16. Vt autem iſta intelligantur notandum 1. quod licet apud Theologos *1. p. q. 32. art. 2. et 3.* notio ſit ratio cognoſcendi; vnde notio in diuinis definitur quod ſit *ratio cognoſcendi perſonas Diuinas*; tamen in hoc ſenſu non loquimur hoc loco, non enim quærimus quænam ſit ratio cognoſcendi res, ſed quærimus quænam ſint notiora nobis, & ſecundum ſe. Neque hoc loco per notionem intelligimus ipſam cognitionem prout intellexit Cicero 1. de leg. dicens. *Inter cętera animalia ſoli homini eſt notio diuinitatis*, ideſt cognitio; quo modo Boet. *lib. 3. comment. in top. Cicer.* notionem definit dicens eſſe, *Quendam intellectum, et ſimplicem mentis cognitionem, qua intellectus in res multum diuerſas fertur*. Sed intelligimus quandam claritatem rei, & proportionem vt cognoſcatur ab intellectu, vt illud dicatur notius, quod eſt clarius, & magis intellectui proportionatum. Hoc autem contingit dupliciter, primo in ſe, ſeu ſecundum propriam naturam, quando ſcilicet res eſt talis naturæ, quod habeat prædicata eſſentialia notiſſima, ſeu maximè intelligibilia, qua ratione Deus eſt ſecundum ſe notiſſimus, cum ſit infinitè intelligibilis, licet reſpectu noſtri intellectus qui pro hoc ſtatu ſequitur ſenſibilia, niſi eleuet ſe ſupra ſe, non ſit talis. Secundò quoad nos, quando ſcilicet res eſt maximè proportionata noſtro intellectui.

17. Notandum 2. quod cum modus cognoſcendi ſequatur modum eſſendi, ſequitur quod ex modo eſſendi, ſeu ex entitate ſumatur maior, aut minor cognoſcibilitas. Cum autem forma ſit actus, ex ea ſumetur maior entitas, maior actualitas, maior cognoſcibilitas, & maior ratio cognitionis; & quo magis aliquid de actu participabit, magis participabit de cognoſcibilitate; & ſic cum Deus ſit puriſſimus actus, erit ſummè cognoſcibilis. E contra cum materia prima ſit pura potentia erit minimæ entitatis, & minimæ cognoſcibilitatis; quare quantò aliquid erit elungatum, & à materiæ legibus ſeparatum erit magis cognoſcibile, & magis intelligibile, & quantò magis aliquid erit immerſum in materia, erit minus intelligibile, minuſque cognoſcibile.

18. Notandum 3. quod in omnium ſententia illa ſunt nobis notiora, quæ ſunt magis ſenſibilia, ſeu quæ ſunt noſtris ſenſibus viciniora, & noſtro modo intelligẽdi pro hoc ſtatu affiniora. Sic tradit Ariſt. lib. 1. de demonſtr. cap. 3. dicens. *At nobis quidem illa priora, et notiora appello, quæ noſtris ſenſibus magis obiecta ſunt*. Cum enim omnis noſtra cognitio ortum ducat à ſenſibus, illa erunt nobis notiora, quæ erunt ſenſibus viciniora. Hinc compoſita ſunt magis nobis nota partibus, quia compoſita ſunt magis ſenſibilia; vnde prius etiam cognitione confuſa apprehẽdimus totum quam partes. Quocirca nulla eſt controuerſia inter Philoſophos quænam ſint notiora nobis, ſed quænam ſint notiora natura.

19. Notandum 4. quod quantum ad ea quæ ſunt notiora natura, in hoc etiã debent omnes conuenire non ex eo aliqua eſſe notiora natura, quia ſunt ſimpliciora, plura namque dantur ſimpliciora, quæ ſunt ignotiſſima, vt patet de modis, & relationibus; imò etiam patet de accidentibus abſolutis vt quantitate, qualitate, &c. quæ ſunt ſimpliciora ſubſtantia compoſita, & tamen ſubſtantia eſt notior ſecundum ſe, & illa vt magis ſenſibilia ſunt notiora nobis. Præterea ſpecies nõ ſunt notiores ſecundum ſe, ſeu natura, & tamen ſunt ſimpliciſſimæ. Demum materia prima eſt ſimplicior toto compoſito, & tamen non eſt notior natura, ſed ignotiſſima.

20. His poſitis. Prima ſententia eſt, quod illa dicantur notiora natura, quæ talia ſunt, quod ſi natura eſſet cognoſcitiua prius, perfectiuſque cognoſceret, ſic Auer. Paulus Venetus, Iandunus, & alij Aueroiſtæ. Secunda ſententia abſolutè docet, quod illa ſint notiora natura, quę ſunt nobiliora, & perfectiora. Sic M. Soto, Iauellus, & alij hoc loco. Tertia ſententia dicit, quod quatuor modis poteſt aliquid dici notius natura, ſcilicet nobilitate, inſtituto, ortu, & cauſalitate. Illa ſunt

ſunt notiora nobilitate, quæ ſunt perfectiora, vt homo eſt notior formica nobilitate. Inſtituto illa ſunt nobiliora, quæ ſunt aliorum finis, qua ratione ſpecies eſt notior indiuiduis, quia ſpecies eſt à natura inſtituta, non indiuidua, niſi ob ſpeciei conſeruationem. Generatione, vt ſunt ſuperiora, nam ratio animalis eſt ſuperior ratione hominis, priuſquc intelligitur generari, ac proinde eſt hoc modo notior. Ea autem ſunt cauſalitate noriora, quæ ſunt aliorum cauſæ. Quarta ſententia tenet quod illa tantum ſunt notiora natura à quibus alia pendent, & quia à principijs, & cauſis alia pendent, ideo ſola principia, & cauſæ ſunt natura priora. Sic Pererius *hic lib. 3. cap. 7.* Valleſius *controuerſia 3. ad tyrones*, & alij.

21. Noſtra ſententia ſeq. concluſionibus explicatur. Prima concl. *Si conſideremus res ſecundum ſe, præſcindendo à ratione princip ÿ, cauſæ, vel effectus; totius, aut partis, illæ ſunt notiores natura, quę ſunt perfectiores, ſeu quæ ſunt magis ens, magiſque in actu.* Eſt expreſſa ſententia Ariſt. & D. Thomæ, vt teſtatur Maſius hoc loco. Ratio perſpicua eſt, nam illa ſunt notiora natura, ſeu ſecundum ſe, quæ ſunt magis intelligibilia, ſed perfectiora, ſeu quæ ſunt magis ens, & magis in actu ſunt intelligibiliora; ergo ſunt notiora. Maior conſtat; minor probatur, nam intelligibilitas ſequitur entitatem, & actualitatem, qua ratione Deus cum ſit actualiſsimus, eſt ſecundum ſe notiſſimus. Vnde dicit Ariſt. *2. metaph. cap. 2.* quod ſubſtantiæ ſeparatæ, & alia entia nobiliſſima, ſunt natura clariſſima. Tum quia ſicut illa ſunt magis nota nobis, quæ ſunt magis ſenſibilia, & magis accedunt ad ſenſus, ita illa ſunt magis intelligibilia, ac proinde magis nota ſecundum ſe, quæ magis accedunt ad noſtrum intellectum; illa autẽ magis accedunt ad noſtrum intellectum, quæ ſunt magis in actu; hæc autem ſunt, quæ ſunt magis immaterialia.

22. Sed obijcies 1. nam ex hoc ſequeretur, quod Deus eſſet notiſſimus natura, ſeu ſecundum ſe; ſed hoc eſt falſum; ergo, &c. Maior conſtat eſt dictis, quia Deus eſt maximè ens, eſt perfectiſſimus, eſt puriſſimus actus, &c. ac proinde maximè intelligibilis. Minor probatur 1. quoniam Deus eſt infinitus, ſed infinitum non eſt cognoſcibile, quod enim cognoſcitur, cognitione finitur, & quod eſt cognoſcibile, cognitione finiri poteſt; infinitum autem, ſeu infinitè cognoſcibile, ſolùm cognoſci poteſt ab intellectu infinito, &c. & ſic ſolum Deus erit notior natura reſpectu proprij intellectus, non reſpectu cuiuſcumque. 2. Quoniam Deus non poteſt naturaliter cognoſci in ſe, & quidditatiuè ab intellectu creato, ſed ſolum ſupernaturaliter; ergo Deus ſolùm erit notior natura in ordine ad cognitionem ſupernaturalem, non naturalem.

23. Reſp. concedendo maiorem, & negando minorem. Ad 1. probationem dico quod licet infinitum ſecundum materiam, vt ſecundum quantitatem, non ſit cognoſcibile, tamen infinitum ſecundum formam, ſeu ſecundum actum eſt cognoſcibile; cum enim cognoſcibilitas ſequatur actualitatẽ, ſequitur quod quantò magis aliquid habet de actualitate, tantò magis habet de cognoſcibilitate. Quod autem Deus ab intellectu creato non cognoſcatur modo infinito non prouenit ex defectu cognoſcibilitatis obiecti ſed ex defectu potentiæ creatæ, & finitę, de quo diximus *p. p. q. 12. per totam.* Ad 2. probationem dicas ſufficere pro præſenti inſtituto, quod Deus naturaliter cognoſcatur, quoad an eſt, & etiam quoad quid eſt abſtractiuè, non tamen intuitiuè ex defectu ſpeciei creatæ, quæ non poteſt dari. Diuina autem eſſentia ſolùm in ordine ad cognitionem beatam, & ſupernaturalem poteſt fungi officio ſpeciei, vt loco citato dicitur.

24. Obijcies 2. quia non valet ratio quæ communiter affertur, quod illud ſit notius natura, quod eſt magis ens; ex eo quod cognitio ſequitur ens, ac proinde quod erit magis ens, erit magis cognoſcibile, ac ſubinde magis natura notum; hoc inquam non valet; ſicut enim non valet. Numerus poteſt numerari; ergo maior numerus poteſt magis numerari;

ita non valet. Ens poteſt cognoſc i, ergo magis ens poteſt magis cognoſci. Reſp. negando antecedens. Ad probationem de numero conceditur nō valere,quia numerus non ſuſcipit magis, & minus. At ens ſuſcipit magis, & minus, & ſic valet illa illatio; ſicut etiam valet iſta,eſſe viſibile ſequitur lumen, aut colorem; ergo magis luminoſum, & magis coloratum erit magis viſibile.

25. Sed quæres an idem poſſit eſſe magis notum nobis, & magis notum natura, ſeu ſecundum ſe? Certum videtur, quod quandoque vnum, & idem poſſit eſſe notius & nobis, & natura, nam vniuerſalia ſunt notiora natura minus vniuerſalibus cum ſint cauſæ illorum, & ab illis minus vniuerſalia pendeant, ſintque illa, horum principia. Sunt etiam notiora nobis quatenus vniuerſalia ſunt quædam tota, & minus vniuerſalia ſint partes. Vnde homo eſt notior ſecundum ſe, cum ſit ratio indiuiduorum; & eſt notior nobis cum ſit quoddam totum, & indiuidua ſint partes illius. Similiter prima principia,vt omne totum eſt maius ſua parte. Si ab æqualibus, æqualia demas, quæ ſuperſunt remanent æqualia, & ſimilia, ſunt notiora natura, quia ſunt cauſæ concluſionum; & ſunt notiora nobis, quia ſine difficultate cognoſcuntur. Præterea obiecta ſenſuum,vt color,ſapor, ſonus, &c. ſunt notiora natura ſpeciebus quas cauſant,& quibus medijs ſenſantur; & ſunt notiora nobis,cum eorum ſpecies difficillimè cognoſcantur. Aduertendum tamen eſt,quod vnum & idem non eſt notius natura, & nobis ſecundum eandem rationem, ſed ſecundum diuerſam, vt ex dictis exemplis patet, & hoc modo concordari poſſunt Ariſtoteles, & alij, quod idem non poſſit eſſe notius natura, & nobis, ſcilicet formaliter, & ſecundum eandem rationem.

26. Difficultas eſt, an omnia, quæ ſunt notiora natura, ſint etiam notiora nobis, & è contra? Reſp. relictis varijs dicendi modis, pro quibus videri poſſunt expoſitores hoc loco, quod non omnia quæ ſunt notiora natura ſunt etiam notiora nobis, multa namque vt paſſim videmus, ſunt nobis notiſſima, quæ ſunt ignota natura; nam dantur plures effectus naturales nobis notiſſimi, vt ſunt fructus arborum, herbarum,&c.& tamen nos latent. Plures etiam dantur cauſæ, quæ ſunt natura notiſſimæ, & tamen nos latent. Item Deus, & intelligentiæ ſunt natura notiſſimæ, non tamen nobis.

DVBIVM III.

An vniuerſaliora ſint nobis notiora, an natura.

27. PRo intelligentia dicendorum, præter ea, quæ præcedenti dubio dicta ſunt. Sciendum 1. quod naturæ nomine intelligitur cuiuſcumque rei eſſentia,vnde idem eſt eſſe natura notius, & eſſe notius ſecundum eſſentiam, eſt ex ſe ſufficiens ad terminandam intellectionem diſtinctam, de cognitione namque diſtincta intelligimus, de confuſa autem poſtea dicemus. Sciendum 2. quod id quod eſt prius ens,& etiam prius natura, vt colligitur ex Ariſt. pluribus in locis,in quibus quando diſtinguit notiora, diſtinguit etiam eodem modo priora. Et ratio eſt,quoniam ens eſt obiectum intellectus; ergo quo aliquid natura ſua prius eſt ens, erit natura ſua notius, & ſecũdum ſe magis cognoſcibile. Id namque quod eſt natura poſterius non poteſt cognoſci, niſi cognoſcatur id quod eſt prius natura, à quo poſterius pendet.

28. Ex his infertur 1. quod res ſpirituales ſunt notiores natura rebus corporalibus: cauſæ ſunt notiores effectibus, partes toto, quia ſunt priores. Infertur 2. quod eadem cauſa poteſt eſſe notior,& ignotior, quia poteſt eſſe prior, & poſterior natura. v. g. finis eſt prior ordine intentionis,& poſterior ordine executionis, & ſic qua poſterior, & ignotior, & qua prior, notior. Item potentia eſt prior via generationis, & poſterior actu via perfectionis. Infertur 3. quod omnia prædicata ſuperiora ſunt notiora natura rebus inferioribus, quoniam ſunt illarum partes,

tes, omnis autem pars eſt notior natura toto. Vnde cum ens ſit prædicatum cõmuniſſimum, licet vt eſt quoddam totum actuale ſit nobis notius, & primum cognitum, vt poſtea dicetur, tamen vt eſt quædam pars inferiorum eſt notius natura. Ex his habetur reſolutio dubij, quod ſcilicet vniuerſaliora poſſunt dici & priora natura, & poſteriora: & notiora & ignotiora. Sunt notiora quatenus ſunt partes inferiorum. Sunt ignotiora quatenus inferiora ſunt tota, & totum eſt notius nobis.

29. Difficultas potiſſima huius dubij eſt intelligentia Ariſt. nam ex vna parte Ariſt. hoc loco docet, quod vniuerſalibus ad ſingularia procedendum eſt, quod etiã docet 1. *de partibus cap*.4. 1. *phy. tex*. 57. 3. *phyſ. tex*. 2. 2. *de generat. tex*. 51. & alibi. Ex alia 2. *poſter. tex*. 82. contrarium docet. Hæc ratio Ariſt. quod ſcilicet vniuerſalia ſint magis nota ſecundum nos, ſubſiſtit, cum ſæpe doceat, quod vniuerſalia ſint remotiſſima à ſenſu, & minus nobis nota 1. *poſter. tex*. 12. *&* 182. & 1. *metaph. cap*. 1.

30. Ad huius rei ſolutionem notandum eſt Ariſt. in illis locis loqui de ordine doctrinæ, qui eſt vt quacumque re propoſita à facilioribus incipiamus, niſi quid obſtet, vt docet 5. *metaph. initio*. Sed quia in diuerſis materijs aliquando ſunt faciliora magis vniuerſalia, aliquando minus vniuerſalia, iuxta varios modos, quibus accipi poteſt vniuerſale, hinc eſt vt vario modo loquutus videatur Ariſtoteles. Pro quo ſciendum, quod vniuerſale tripliciter accipitur apud Ariſt. Primò in prædicando, vt eſt animal reſpectu hominis, equi, &c. Secundò accipitur pro vniuerſali complexo, vt eſt propoſitio de omni, per ſe, & ſecundum quod ipſum, vt omnis homo eſt riſibilis. 3. Pro vniuerſali in cauſando, vt Deus intelligentiæ motrices cęlorum, &c. quibus accedunt vniuerſalia abſtracta ab omni materia, quæ vt dicunt ſecundam intentionem dicuntur vniuerſalia Logica; vt verò dicunt gradum metaphyſicum, dicuntur vniuerſalia metaphyſica. His poſitis.

31. Dico, quod de hoc vniuerſali metaphyſica loquutus eſt Ariſt. dum dixit eſſe remotiſſimum à ſenſu, & conſequenter ſecundum nos ignotiſſimum. In lib. poſter. loquutus eſt de vniuerſali cõplexo. Alibi locutus eſt de reliquo vniuerſali. Quod autem Deus, & intelligentiæ ſint à ſenſu remotiſſima, nõ eſt neceſſe probare 1. *de part. cap*. 5. Quod autem vniuerſale complexum ſit etiam ſecundũ nos ignotum, optimè probat Ariſt. ijſdem locis, eſt enim propoſitio continens cauſam adæquatam ſui prædicati, vt patet ex *tex*. 165. *et* 182. v. g. quod omne materiale ſit corruptibile; hoc enim inueſtigare difficillimum eſt, & remotiſſimum nobis, qui progredimur per ſenſum, & inductionem, & ita prius cognoſcimus ſingularia, namque quod hoc materiale ſit corruptibile, & ſic progredimur vſque ad vniuerſale. Vnde rectè docuit Ariſt. quod ad inueſtiganda hæc vniuerſalia, debemus incipere à ſingularibus, vt nobis notioribus. Si verò loquamur de vniuerſali incomplexo in hac, vel illa materia determinata eius inueſtigatio dicitur nobis facilior.

32. Ex quibus colligitur 1. quod ſi conferamus ſingulare cum vniuerſali, & minus vniuerſale cum magis vniuerſali, ſingulare prius à nobis cognoſcitur; ratio eſt, quia ſenſus eſt prior intellectu, & cognitio ſenſitiua eſt prior cognitione intellectiua, ergo cum ſingulare ſit obiectum ſenſus, prius cognoſcetur quam vniuerſale, quod eſt obiectum intellectus. Colligitur ſecundò quod in ſingulari prius cognoſcimus attributa communiora, quã minus cõmunia, prius namque viſu cernimus Petrum eſſe ens, quam eſſe animal. Ratio eſt, quia potentia prius exit in actum imperfectum, quam perfectum, quæ autem communiora ſunt, ſunt imperfectiora. Non eſt tamen hoc ita intelligendum, quod ſenſus v. g. viſus attingat attributa communiora in ſua communitate, hoc enim proprium eſt intellectus, ſed ſenſus eſt, quod illa attingat in ſuis indiuiduis vagis, vt prius feratur in indiuiduum vagum attributi ſuperioris,

quam

quam inferioris, ſub ratione ſcilicet luminoſi, aut colorati. Colligitur 3. quod magis vniuerſalia ſunt nobis magis nota, quam minus vniuerſale, quia intellectus incipit ab imperfectioribus, & tendit ad perfectiora, ſed de his magis infra.

33. Sed obijcies 1. illud eſt notius ſecundum nos quod habet plura accidētia ſenſibilia per quæ dignoſci poſſit, ſed ſpecies habet plura accidentia quam genus, ergo ſpecies quæ eſt minus vniuerſale, eſt magis nota quoad nos quam genus, quod eſt magis vniuerſale. Maior nota eſt; minor probatur, nam ſpecies habet omnia accidentia generis, & alia multa, quæ ſunt ipſius propria. Reſp. diſtinguendo minorem: ſpecies habet plura accidentia ipſam indicantia quam genus, negatur. Habet plura non indicantia, conceditur. Cum enim genus neceſſario includatur in ſpecie, ſequitur quod omnia accidentia indicantia ſpeciem, indicent etiam genus, & non è contra, & ſic genus habet plura accidentia ipſum indicantia, quam ſpecies, v. g. quæ indicant hoc præſens corpus eſſe hominem, indicant etiam eſſe animal, quia omnis homo eſt animal; at illa accidentia quæ indicant eſſe animal, non neceſſariò indicant eſſe hominem. Vnde ſi videamus aliquod corpus moueri à ſe, ſtatim cognoſcimus eſſe animal, nec ſtatim cognoſcimus eſſe hominem, aut equum. Hinc oritur quod facilius de aliquo corpore cognoſcimus rationes vniuerſales, quam particulares, quia habemus plura iudicia ad primas, quam ad ſecundas, & accidentia generica ſolent eſſe magis communia. Quare rectè dicitur genus ſecundum ſenſum eſſe notius quam ſpecies. Sed attende quod non loquimur de genere logico, ſeu vt eſt ens rationis, quia hoc à ſolis ſapientibus cognoſcitur, ſed de genere ſpecificatiuè, ideſt de gradu metaphyſico; ſeu de illa natura, quam genus appellamus, hæc enim prout cognoſci poteſt per hæc, aut illa accidentia, &c.

34. Obijcies 2. nam aliqua genera ſunt ignota, & ſpecies illius ſunt notæ; ergo falſum eſt, quod magis vniuerſalia ſint notiora nobis, quam minus vniuerſalia. Conſeq. conſtat. Antecedens probatur ex Ariſt. 7. *metaph. tex.* 28. vbi docet quod Aſinus, & Equus conueniunt in aliquo genere proximo innominato, quod vt plurimum eſt ignotum. Reſp. nos loqui de generibus, quæ communiter ponuntur in diuiſionibus prædicamentorū, quæ habent accidentia, & proprietates facilè diſtinguibiles à proprietatibus aliorum, de quibus ſufficit ſi verificetur doctrina Ariſt. quamuis verificari etiam poſſit aliquo modo de quocumque genere etiam innominato, vt in exemplo poſito, facilius eſt iudicare de aliquo animali diſtinctè, quod ſit vel equus, vel aſinus, quam ſit determinatè hoc, aut illud; in quo caſu cognoſcimus in confuſo rationem illam genericam innominatā; ſicuti etiam faciunt ruſtici in quacumque natura generica, ipſi enim non cognoſcunt hoc eſſe genus, vel ſpeciem, licet facilius cognoſcant rem illam, quam nos vocamus genus, quam illam quam vocamus ſpeciem.

35. Obijcies 3. nam ſi vniuerſalia ſunt magis nota ſecundum nos, & ab illis eſſet incipiendum, ſequeretur, quod metaphyſica prius eſſet addiſcenda, quā phyſica, quia conſiderat res magis vniuerſales, quam phyſica. Reſp. negando ſequelam: metaphyſica namque conſiderat illa vniuerſalia vt abſtrahunt ab omni materia, & vt ſunt communia etiam Deo, & intelligentijs, quo modo ſicuti ſunt à ſenſibus remota, ita etiam vltimo loco ſunt addiſcenda, & propterea metaphyſica dicitur quaſi poſt phyſicam.

36. Obijcies 3. Illa quæ facilius definiuntur ſunt notiora nobis; ſed minus vniuerſalia, & ſingularia facilius definiūtur, quam magis vniuerſalia, ergo minus vniuerſalia ſunt notiora nobis, &c. Maior conſtat, quoniam definitio eſt inſtrumentum deſeruiens intellectui ad rerum eſſentias facilè percipiendas. Minor ex Ariſt. 2. *poſter. cap.* 15. Reſp. negando maiorem, non enim idem eſt eſſe notius, & facilè definiri. Ad hoc vt aliquid facilius

lius definiatur ſufficit, quod duæ illius partes aſſignentur ſcilicet genus, & differentia; at vt aliquid ſit notius debent omnes partes cognoſci. At quia vniuerſaliora habent minores partes, quam minus vniuerſalia, cum in minus vniuerſalibus contineantur magis vniuerſalia, ſequitur quod magis vniuerſalia ſint nobis magis nota.

37. Obijcies 4. Compoſitiora ſunt nobis notiora ſimplicibus; ſed minus vniuerſalia ſunt compoſitiora, ergo ſunt magis nota. Maior conſtat, nam compoſitiora habent plura accidentia indicantia, ac proinde ſunt notiora nobis. Minor probatur, nam compoſitiora continent plura attributa: ergo ſunt compoſitiora. Reſp. concedendo maiorem, & negando minorem, patet enim quod magis vniuerſalia valde plura continent; licet enim inferius contineat ſuperius; tamen ſuperius non continet ſolum vnum inferius, ſed omnia, ac proinde quantum ad hoc eſt in ſe confuſiſſimum, & ſic magis nobis notum.

38. Obijcies 5. nam totum definitũ eſt minus vniuerſale partibus definientibus, nam animal, quod ponitur in definitione hominis dicitur etiam de bruto, & eſſe rationis participem dicitur etiam de intelligentijs, non ipſum definitum; ſed totum definitum prius cognoſcitur, quam partes definientes; ergo etiã erit magis notum natura. Reſp. quod ſi partes definientes ſumantur vt partes nõ ſunt vniuerſaliores definito, ac proinde definitum prius cognoſcetur, vt quid notius nobis, quod ſi ſumantur non vt partes, ſed ſecundum ſe, ſunt vniuerſaliores, confuſiores, & nobis notiores.

39. Obijcies 6. Ariſtotelem 1. *metaphyſ. cap.* 2. dicentem vniuerſaliora eſſe difficiliora ad intelligendum, *quia ſunt*, inquit, *ſenſibus noſtris multum remota*; ergo falſum eſt, quod vniuerſaliora ſint nobis notiora. Reſp. Ariſtotelem fuiſſe locutũ de cognitione diſtincta, hac enim cognitione quo aliquid eſt vniuerſalius eo eſt cognitu difficilius; cognitione tamen confuſa vniuerſaliora, ſunt cognitu faciliora. Vel dices Ariſt. fuiſſe locutum de vniuerſali in cauſando, vt ſunt Deus, & intelligentiæ non de vniuerſali in eſſendo & prædicando, vt ſunt rerum naturæ, & eſſentiæ; vniuerſale namque in cauſando eſt difficilius ad intelligendum, maximè cognitione diſtincta, ſed de iſtis dubio ſequenti magis dicetur.

DVBIVM IV.

An vniuerſale ſit nobis notius quacumque cognitione, an ſolum aliqua.

40. PRo huius dubij intelligentia notandum eſt, quod vniuerſale de quo loquimur, dupliciter accipi poteſt. Primò prout eſt quoddam totum eſſentiale, ex ſuis intrinſecis prædicatis compoſitum quo modo dici ſolet totum actu, ſeu totum actuale. Secundò, vt eſt quoddam totum potentiale, ſeu poteſtatiuũ, quatenus refertur ad ſuas ſpecies, & vt in illis includitur; quando autem cognoſcitur vniuerſale primo modo non eſt neceſſe vt actu cognoſcantur ſpecies; quando verò cognoſcitur ſecundo modo neceſſe eſt vt cognoſcantur ſpecies; & de vtroque vniuerſali poteſt eſſe difficultas. Item dupliciter cognoſci poteſt vniuerſale à noſtro intellectu, ſcilicet cognitione diſtincta, & confuſa. Confuſa tunc eſt, quando ita cognoſcitur, vt partes ipſius non diſtinguantur, ſicut dicitur imago cognoſci in confuſo quando non diſtinguuntur partes illius, vt cum colorum varietas non diſtinguitur, &c. cui cognitioni confuſæ correſpondere ſolet nomen proprium illius generis, vt animal, corpus, &c. Cognitio diſtincta eſt quando vniuerſale ita cognoſcitur, vt partes ipſius diſtinguantur, cui cognitioni correſpondere ſolet definitio, quę cognitio diſtincta poteſt eſſe magis, & minus, prout plura, vel pauciora prædicata, aut partes diſtinguuntur in illo toto, quod ſi omnia diſtinguerentur perfectiſſimè, vt nihil cognoſcendum remaneret, diceretur cognitio comprehenſiua, & abſolutiſſima. Quod ſi diſtinguantur vltimum genus, & vlti-

vltima differentia, dicetur cognitio definitiua.

41. His poſitis rem totam ſequentibus concluſionibus explicabimus. Prima concl. *Loquendo de vniuerſali, vt eſt totum quoddam poteſtatiuum, ideſt quatenus cognoſcitur vt incluſum in ſuis ſpeciebus, vel in ordine ad illas, & loquendo de cognitione diſtincta, facilius eſt cognoſcere diſtinctè minus vniuerſale, quam magis vniuerſale, in eadem ſerie prædicamentali; vnde facilius eſt cognoſcere diſtinctè animal, quam corpus.* Probatur euidenter, nam vt diſtinctè cognoſcatur aliquod totum, vt totum eſt, debent diſtinctè cognoſci eius partes; ergo vt cognoſcatur diſtinctè vniuerſale quatenus eſt totum poteſtatiuum debent diſtinctè cognoſci, & diſtingui eius partes, ſed minus vniuerſale vt animal habet pauciores partes, ſeu ſpecies, quam magis vniuerſale vt corpus; omnes enim ſpecies animalis ſunt ſpecies corporis; & non è contra; ergo facilius eſt diſtinctè cognoſcere animal, quam corpus; neque de hoc genere cognitionis locutus eſt Ariſt. ſed de cognitione confuſa.

42. Cognitione namque confuſa facilius eſt cognoſcere magis vniuerſale poteſtatiuum, quam minus vniuerſale, & ratio eſt clara, quia vt cognoſcatur aliquod totum in confuſo non eſt neceſſe diſtinguere eius partes, ſed ſufficit ſi cognoſcantur indiſtinctè; plures autem partes facilius cognoſcuntur in confuſo, ſicut magis totum, magis mouet quoad ſenſum; ergo facilius eſt in confuſo cognoſcere magis vniuerſale, quod eſt veluti totum maius, quam minus vniuerſale, quod eſt pars illius. Hoc ſequentibus exemplis poteſt manifeſtari, nam difficilius eſt percipere diſtinctè harmoniam plurium vocum quam pauciorum; quando enim ſunt plures voces auditus difficilius aduertit ad ſingulas; at quando ſunt pauciores, vt duæ, vel tres tantum, facilius ad ſingulas attendit. Cœterum in confuſo facilius percipitur harmonia plurium vocum, quam pauciorum, quia plures magis mouent ſenſum, quam paucæ. Præterea facilius eſt videre diſtinctè numerum paucorum hominum quam plurium, è contra verò in confuſo, ita & in noſtro caſu.

43. Secunda concl. *Loquendo de vniuerſali, vt eſt quoddam totum eſſentiale actu, facilius eſt cognoſcere cognitione quadam comprehenſiua magis vniuerſale, quam minus.* Eſt ſententia communis, & ratio eſt manifeſta, quia vt comprehendatur ſpecies debet comprehendi genus, cum ſit prædicatum eſſentiale ſpeciei; at vt comprehendatur genus non eſt neceſſe cognoſcere ſpecies, cum genus ſecundū ſe abſtrahat à ſpecie. Eodem modo ſi loquamur de cognitione cōfuſa facilius eſt cognoſcere magis vniuerſale, quam minus, vt dubio præcedenti viſum eſt. Maior difficultas eſt de cognitione definitiua, quæ fit per genus, & differentiam vltimam, an ſit difficilius cognoſcere diſtinctè genus, an ſpeciem, quod eſt idem ac dicere, an ſit facilius definire genus, an ſpeciem.

44. Pro huius difficultatis intelligentia ſciendum eſt, quod Ariſt. duplicem tradidit viam inueſtigandi definitionem rei, ac ſubindè cognoſcendi diſtinctè, & definitiuè rei eſſentiam. Vna dicitur definitiua, & eſt illa in qua procedimus à diuiſione ſuperiorum ad inferiora, ſeu in quo vtimur methodo diuiſiua, qua ratione dicitur etiam via diuiſiua, quamuis re vera non diuidamus, ſed potius componamus dum definimus, vnde dici poſſet methodus compoſitiua. Alia dicitur reſolutiua in qua non procedimus à diuiſione ſuperiorum, ſed à re definienda; vt cum eſt inueſtiganda hominis definitio, videmus cum quibus rebus maximè, & vltimo homo conueniat, & aduertimus conuenire cum animalibus. Deinde notamus in quo maximè conueniat, & in quo non conueniat, & videmus eſſe ſenſibilitatem, ſeu principium ſentiendi. Poſtea quærimus in quo homo diſcrepet ab animalibus, & videmus eſſe rationalitatem. Illud in quo homo conuenit cum animalibus, ponimus pro genere, & illud in quo diſcrepat, ponimus pro differentia,

tia, & ſic definimus hominem. *Homo eſt animal rationale*, cum principium ſentiẽdi ſit animal, & iſta vocatur via reſolutiua, quoniam reſoluimus definitum in ſua prædicata, quæ via ab aliquibus vocari ſolet diuiſiua. His poſitis ſit.

45. Tertia concluſio. *Via compoſitiua facilius eſt habere cognitionem diſtinctã definitiuam ſuperioris quam inferioris, è contra via reſolutiua, ſeu via compoſitiua facilius eſt definire ſuperiora, quam inferiora, è contra via reſolutiua*. Ratio clara eſt, quia cum procedimus via compoſitiua incipimus à ſummo, & tranſcendendo per media deuenimus ad vltimum, vnde prius peruenimus v. g. ad animal, quam ad hominem, & conſequenter facilius definimus animal quam hominem. Cæterum via reſolutiua accidit oppoſitum, incipimus enim ab infimo, & tendimus ad ſummum, vt in exemplo allato videre licet. Si hominis definitione inuenta progredi volumus ad definitionem animalis, debemus videre cum quanam re proximè, & vltimo conueniant animalia, & videbimus conuenire cum plantis in ratione vitæ, poſtea videndum eſt in quanam re differant, & videbimus differre in principio ſentiendi, & ſic definietur animal, quod ſit viuens ſenſibile; ſemper autẽ aſcendendo res erit difficilior propter multitudinem ſpecierum, quæ ad inuicem comparari debent. Hinc Ariſt. 2.*poſter. tex.* 82. poſtquam tradidit viam reſolutiuam, dicit facilius eſſe hoc modo definire ſingulare, quam vniuerſale. Sciendum tamen eſt, quod hic nos loquimur de generibus, & ſpeciebus vt paſſim ponuntur in prædicamentis; non de rationibus ignotis, & vniuerſaliſſimis, quæ abſtrahunt ab omni materia, quæ propriè definiri non poſſunt, ſed ſolum deſcribi; vnde diſtincta iſtorum definitio difficillima eſt, vt patet.

46. Sed dices 1. nam vt cognoſcatur homo diſtinctè, debent eius partes diſtinctè cognoſci, ſcilicet genus, & differentia; at vt cognoſcatur genus diſtinctè non eſt neceſſe cognoſcere ſpecies, vt dicebamus, quia genus abſtrahit à ſpeciebus; ergo erit ſemper facilius cognoſcere diſtinctè genus, quam ſpeciem. Reſp. diſtinguendo antecedens: facilius eſt cognoſcere genus, quam ſpecies via compoſitiua, conceditur; via reſolutiua nagatur. Etiam cognitione cõprehenſiua facilius eſt cognoſcere genus, quam ſpecies, quia ad has cognoſcendas neceſſe ſit cognoſcere genus: & in cognitione generis non eſt neceſſe cognoſcere ſpecies, vt ex dictis conſtat.

47. Dices 2. nam ſpecies eſt quoddam totum reſpectu generis, quia componitur ex genere, & differentia; ergo ſpecies eſt notior genere etiam cognitione confuſa. Antecedens conſtat. Conſeq. eſt Ariſt. qui vult quod totum eſt notius cognitione confuſa, quam partes. Reſp. ex dictis, quod ſi genus accipiatur, vt eſt totum quoddam poteſtatiuum eſt notius ſuis ſpeciebus, at vt eſt pars contenta in ſuis ſpeciebus, tunc ſpecies v. g. erit notior genere conſtat ex dictis.

48. Aduerte tamen nos hic non diſputare an ſemper prius actu cognoſcatur cognitione confuſa magis uniuerſale, quam minus. Saltem enim prius tempore hoc non eſt neceſſe, cum aliquando in confuſo ſimul cognoſcamus homiuem & animal, ſed ſolum uolumus, quod magis uniuerſale ſecundum nos ſit prius, & facilius cognoſcibile cognitione confuſa. Ad quod ſignificandum diximus ſupra vniuerſale eſſe ſecundum nos prius cognitum cognitione confuſa, habituali ſcilicet, ſeu potentiali, vt intelligatur, quod id quod eſt prius ſit prius ſecundum ſe cognoſcibile, non quod ſemper prius cogno- ſcatur.

DVBIVM V.

Quodnam ſit primum cognitum à noſtro intellectu.

49. Ratio huius dubij eſt, quia cum noſter intellectus pro hoc ſtatu dependeat à ſenſibus in ſua cognitione, videtur quod illud prius cognoſcat quod prius ſibi repreſentatur in ſpecie deducta ex phantaſmate. Species autem ex phantaſmate deducta cum ſapiat naturam ipſius phantaſmatis, id prius obijciet intellectui, quod prius in ſe continet, & à phantaſmate participabit. Cum ergo in phantaſmate v. g. Petri plura appareant prædicata, & quaſi attributa, vt entis, ſubſtantiæ, corporis, viuentis, animalis, hominis, & Petri, videndum eſt quid prius repreſentet, & ſic quid prius cognoſcatur, ſeu quid ſit primum cognitum, an ſcilicet ratio indiuidui, an ratio ſpeciei, an ratio entis, ſubſtantiæ, corporis, &c. Et non procedit dubium de primo cognito cognitione diſtincta, quia in hoc conueniunt communiter philoſophi, quod ſit quidditas materialis, quæ eſt obiectum proportionatum intellectus noſtri pro hoc ſtatu, hoc enim eſt quod primò intendit intellectus, & in quo clarè, & diſtinctè ſiſtit; cum enim alia cognoſcantur ab intellectu, vt claram, diſtinctamque habeat ſui obiecti cognitionẽ ſequitur quod alijs vtatur, vt quibuſdam medijs vt ſuum finem conſequatur, & ſic non curabit de illorum cognitione diſtincta.

50. Pro quo notandum 1. ex Ariſt. hoc loco, connaturale eſſe nobis à notioribus nobis ad minus nobis nota in rei cognitione procedere; cum autem magis vniuerſalia ſint nobis magis nota, vt conſtat ex dictis in dubijs prioribus, ſequitur quod ab vniuerſalioribus, ad minus vniuerſalia ſit nobis procedendum; tum quia vt ſupra diximus, magis confuſa ſunt nobis magis nota, vniuerſaliora autem ſunt nobis magis confuſa, ac proinde ab iſtis incipiendum eſt.

51. Notandum 2. quod in duplici ſtatu conſiderare poſſumus noſtrum intellectum in ordine ad quodcumque obiectum. Primò prout eſt in quodam ſtatu perfecto, quando ſcilicet de aliquo obiecto iam habet habitum, vel cognitionem perfectam. Secundò prout eſt in ſuo eſſe naturali tantum abſque eo quod intelligatur fuiſſe in actu, ſeu cogitaſſe de aliquo obiecto. De intellectu in ſtatu perfecto non eſt nunc controuerſia, in hoc enim ſtatu poteſt intellectus cognoſcere tam perfectè, quam imperfectè iuxta determinationem, vel voluntatis, vel ratione alterius conditionis oblatæ. Quare ſi quis habeat ſcientiam de homine, & illi obijciatur homo, poterit de illo cognoſci quod voluntas imperauerit vtendo ſpecie repreſentante hoc, aut illud prædicatum, ſiue remotum confusũ, ſiue proximum clare cognitum, &c. Quod ſi intellectus cõſideretur cum ſolo habitu, præciſo imperio voluntatis, præciſiſque quibuſcumque conditionibus, ſemper tendet primo, & per ſe in cognitionem clarã, & diſtinctam quam ex habitu habet, namque habitus ad perfectiorem operationem habet inclinationem, eſt enim habitus determinatio potentiæ ad ſuum perfectiuum. Vnde ſi Deus crearet hominem cum intellectu in habitu circa res naturales, vt creatus fuit Adam, tunc prima illius operatio eſſet perfectiſſima, nec inciperet tunc ab vniuerſalioribus, & imperfectioribus, vt ſic perueniret ad perfectiora, ſed immediatè tenderet in cognitionem perfectiſſimam, cum tunc temporis non indigeret illo proceſſu, ſicut non indigent Angeli. Difficultas ergo præſens procedit de intellectu in ſtatu imperfecto, ſecundum ſe, abſque vllo habitu, & abſque præuia cognitione alia intellectiua, qua prius cognouerit obiectum, & cum modo operandi quem habet dependenter à ſenſibus, & phantaſia, qui tunc eſſet primum cognitum prout præciſè determinatur à ſenſibus. Vt ſi nobis modo obijceretur res aliqua, nunquam cognita, quid prius cogitaremus de illa. Non quærimus quid primo intellectui obijciatur, an aqua, vel terra, vel homo, &c. hoc enim eſt per accidens, & non pertinet ad ſcientiam, ſed quod quærimus eſt, poſito

quod

quod aliquid obijciatur, quid ſit illud quod de eo prius cognoſcat intellectus, an prædicata ſuperiora, an inferiora, cognitione quadam confuſa, & rudi, qualis neceſſe eſt quod illa prima ſit. Neque loquimur de cognitione complexa qua intellectus cognoſcit, vnum alteri attribuendo, ſed loquimur de cognitione ſimplici, qualis eſt illa prima; cognitio namque complexa ſupponit ſimplicem, &c.

52. De hac re tres ſunt valde communes ſententiæ. Prima eſt, quod primum cognitum noſtri intellectus, ſint ſingularia, ſeu indiuidua. Hanc tenent Durand. *in 2. diſt. 3. q. 7.* Gregor. ab Arimino *in 1. diſt. 3. q. 3.* Ocham *diſt. 3. q. 1.* Ricard. *in 2. diſt. 24. q. 4.* Burleus *in comment. huius capitis.* Pererius *lib. 3. per multa capita*, Tolet. Fonſeca, & alij apud Maſium *in comment. huius cap. q. 6.* quorum potiſſimum fundamẽtum eſt, quoniam illud eſt primum cognitum ad quod cognoſcendum intellectus determinatur per ſenſum, medio phantaſmate; ſed ſenſus per phantaſma determinat ad cognoſcendum ſingulare, quod repreſentat; ergo, &c.

53. Secunda ſententia eſt, quod primum cognitum ſit ſpecies athoma, ſeu infima, loquendo de cognitione confuſa, nã loquendo de cognitione diſtincta primum cognitum erit conceptus entis, & deinde inferiorum prædicatorum. Hanc tenent Scotus *in 1. diſt. 3. q. 2.* Lichetus ibid. Antonius Trombeta *1. metaph. q. 10.* Antonius Andreas, & vniuerſim omnes Scoti diſcipuli, notantes, quod non ſemper obiectũ ſenſui propoſitum in quacumque diſtantia & circumſtantijs eſt aptum vt percipiatur à ſenſu diſtinctè, & ſecundum vltimam ſui rationem, ſed aliquando ſolum in confuſo, & ſecundum communia accidentia. Vnde videmus quod ſi in aliqua magna diſtantia oculo obijciatur aliquis homo lentè deambulans, oculus tunc non percipiet hominẽ diſtinctè ſecundum propria accidentia, ſed ſolum in confuſo ſecundum accidentia cõmunia omnibus corporibus, ac proinde nõ diſcernet an ſit homo, an lapis; quod ſi propius accedat, vt appareat moueri, cognoſcet illud tanquam animal, & demum cognoſcet eſſe hominem, percipiendo propria hominis accidentia. Id quod ſenſui accidit, proportionaliter accidet intellectui determinato ad cognoſcendum per ſenſum; poteſt namque contingere vt prius cognoſcat aliquam rationem ſuperiorem, poſtea minus, & minus vniuerſalem. Dicunt ergo huius ſententiæ defenſores, quod habita ratione determinationis quam habet intellectus à ſenſu in his, vel illis circunſtantijs ſemper intellectus cognoſcet ſpeciem infimam, vt ſi homo obijciatur ſenſui in propria diſtãtia, vt percipiat ſenſus propria hominis accidentia; tunc enim primo intelliget rationem hominis, quæ eſt ſpecies infima. Quod ſi homo obijciatur in tali diſtantia, vt ſenſus non percipiat niſi rationem animalis; per accidentia animalis, intellectus hanc tunc rationem intelliget, quæ in illo caſu habet vim ſpeciei infimę, quatenus tunc intellectus non poteſt infra illam deſcendere, & ſic intellectus ſemper primò tendit in ſpeciem infimam.

54. Tertia ſententia eſt, quod primum cognitum noſtri intellectus cognitione confuſa ſit ratio vniuerſaliſſima entis, & ſic intellectus in intelligendo procedit ab vniuerſalioribus ad minus vniuerſalia. Sic tradit S. Doctor *1. p. q. 86. art. 1. & 85. art. 3.* quem eius diſcipuli ſequuntur, & plerique alij, pro quo videri poſſunt Maſius hoc loco, Lerma, & alij, iſtæ ſententiæ ſunt communes.

55. Quarta ſententia non ita communis, & quorumdam modernorum, qui dictas tres communes ſententias concordare conantur. Pro quo notant, quod in obiecto intellecto intellectus aliud eſt id quod cognoſcitur, quod ipſi vocant ſubiectum cognitionis: aliud eſt ratio ſub qua cognoſcitur, & hanc vocant obiectum *quo*, ſeu rationẽ formalẽ *ſub qua*, aut obiectum cognitum *vt quo*. Sic rem exemplificant; ſi quis videat Petrum à longè venientem, & non diſcernat eſſe Petrum, quia propria illius accidentia non diſcernit, ſed ſolum accidentia hominis venientis, tunc Petrus dicetur videri vt ſubiectum, & vt id quod videtur. At accidentia illa communia erunt ratio formalis *ſub qua* videtur, &

quæ videntur *vt quo*; atque ita dici poteſt quod aliquo modo videtur Petrus, & aliquo modo non videtur; videtur, nam re vera id quod videtur eſt Petrus, & hoc eſt videri vt ſubiectum; non videtur, quia non diſcernuntur accidentia Petri, & ſic non videtur vt obiectũ, ſed homo veniens videtur vt obiectum. Patiformiter non eſt neceſſe, quod quoties intellectus intelligit aliquod obiectum ſiue vniuerſale, ſiue particulare, intelligat illud ſub omni ratione, ſed ſufficit ſi ſub aliqua, vnde illud quod intelligitur dicitur ſubiectum, ratio ſub qua intelligitur, dicitur obiect um *quo*, ſeu ratio formalis *ſub qua*.

56. Hoc poſito dicunt, quod dum quæritur quodnam ſit ptimum cognitum, vel procedit quæſitum de primo cognito vt ſubiectum, & hoc inquiunt, eſt ſingulare ſenſibile, in quo ſenſu procedit prima ſententia. Rationem aſſignant, quia noſter intellectus cum primo incipit agere naturaliter, illud intelligere debet vt ſubiectum, quod obijcitur per ſenſum, non enim intelligere poteſt independenter à ſenſu, ſeuſus autem non obijcit niſi ſingulare. Vel procedit quæſitum de primo cognito vt obiecto, & tunc reſpondent cum diſtinctione, quod ſcilicet ordine executionis, aut in genere cauſæ materialis, ſeu via originis primum cognitum eſt magis vniuerſale, deſcendendo vſque ad infimum. At ordine intentionis, ſeu perfectionis, aut in genere cauſæ formalis, vel finalis, primum cognitum ſemper erit gradus infimus, & aſcendendo vſque ad ſummum. Et hoc modo concordantur ſententia D. Thomæ, & Scoti, vt illa intelligatur via executionis, & iſta via intentionis, & perfectionis, ſic aliqui moderni.

57. Cœterum iſta modetnorum concordia maximè diſcordat; nam in primis falſum eſt, quod ſingulare ſit ſubiectum primæ cognitionis. Cum enim ſingulare non cognoſcatur directè, ſed ſolùm ſecundariò per quandam conuerſionem intellectus ad phantaſma à quo ſpecies qua primò intellectus cognoſcit deducta eſt, non poteſt eſſe pro tunc ſubiectum cognitionis, ſed debet expectare, quod natura abſtracta cognoſcatur, qua cognita intellectus eam conferat cum ſuo ſingulari. Quod ſi loquamur de ea cognitione qua ſingulare cognoſcitur per propriam ſpeciem, quam intellectus format media illa cognitione, qua naturam comparauit ad ſingulare, quod fuit denudatum per intellectũ agentem à conditionibus indiuiduantibus, minus eſt ad rem cum iam totus cognitionis proceſſus vſque ad completam, & expreſſam naturæ abſtractæ cognitionem ſit abſolutus; & ſic reſpectu huius cognitionis proceſſus, ſingulate non eſt ſubiectum, niſi fortè remotum, tanquam id à quo ſpecies naturæ abſtractæ fuit deſumpta, quod non eſt ad rem. Deinde diſcordia inter Scotum, & D. Thomam quoad primum cognitum, non eſt ratione vię intentionis, & perfectionis; nam certum eſt, quod via intentionis intellectus, ſicut & quælibet potentia, aut agens, ſemper intendit quod perfectius eſt; ſed tota diſcordia eſt de via executionis, an ſcilicet id quod primò occurrit intellectui ſit gradus vniuerſalior, ſiue ratio entis, an natura ſpecifica. D. Thomas vult illud primum, Scotus hoc ſecundum. D. Thomas vult quod prius, quod cognoſcitur cognitione confuſa ſit gradus ſuperior, & deſcendendo cognoſcatur diſtinctè gratus inferior, ſeu ſpecificus. At per oppoſitum Scotus vult, quod prius cognitione confuſa cognoſcatur gradus ſpecificus, & deinde aſcendendo, diſtinctè cognoſcatur gradus vniuerſaliſſimus entis.

✝

S.1.Po-

§. 1. *Ponitur vera ſententia, & probatur.*

58. VEra ergo ſententia eſt illa D. Thomæ quam *n.* 54. poſuimus, & ſequenti concluſione explicamus. *Primum cognitum noſtri intellectus cognitione confuſa, eſt ratio vniuerſaliſſima entis.* Hęc eſt expreſſa Ariſt. ſententia pluribus in locis, & maximè hic *cap.* 1. *tex.* 2. vbi ſic habet. *Innata autem eſt ex notioribus nobis via, & manifeſtioribus, ad manifeſtiora natura, & notiora; non enim ſunt eadem & nobis nota, & ſimpliciter. Quapropter neceſſe eſt ad hunc modum procedere, ex immanifeſtioribus quidem natura, nobis autem manifeſtioribus, ad manifeſtiora natura, & notiora. Sunt autem primum nobis dilucida, ac manifeſta confuſa magis.* Patet autem quod vniuerſaliora ſunt magis nota nobis cognitione confuſa, & indiſtincta, vt conſtat ex dictis *n.* 53. ex doctrina Scoti, ſuorumque diſcipulorũ. Sed agamus rationibus.

59. Prima ratio, nam intellectus quãdo agit naturaliter imitatur modum naturæ, procedendo de potentia ad actum, ſed natura in ſuis operationibus incipit ab imperfectionibus, paulatim illa perficiendo, vt manifeſtum eſt maximè in generationibus animalium; ergo etiam intellectus incipiet ab imperfectioribus; conceptus autẽ vniuerſales ſunt imperfectiores, & magis confuſi, ergo ab illis incipiet intellectus, ac proinde maximè vniuerſale erit primum cognitum ſecundum nos.

60. Sed dices, nam ſol eſt agens naturale procedens de potentia ad actum circa paſſum approximatum, & debitè diſpoſitum, & tamen non prius producit illuminationem imperfectam, & poſtea perfectã, ſed ſtatim perfectè illuminat; ergo etiam intellectus ſtatim producet perfectam intellectionem. Vnde videmus quod etiam intellectus prius producit aſſenſum præmiſſarum poſtea concluſionis, & tamen aſſenſus præmiſſarum perfectior eſt cum pertineat ad lumen primorum principiorũ. Reſp. quod ſol non procedit de potentia in actum per actionem ſed per reſultantiam; nam lumen à principio reſultauit à ſole, & ſemper illuminat, ſemperque eſt in actu perfectiſsimo illuminationis, licet non ſemper ſubiectum recipiat lumen ob aliquod impedimentum; at intellectio non eſt emanatio, ſed actio, ac proinde tranſire debet ab ſtatu imperfecto ad perfectũ. Ad inſtantiam de cognitione præmiſſarum, conſtat ex dictis, quia non loquimur niſi de prima cognitione, quando intellectus primò incipit cognoſcere rem; cognitio autem præmiſſarum alias cognitiones ſupponit, &c.

61. Secunda ratio, quoniam illud primò cognoſcit intellectus quando incipit cognoſcere aliquid, quod tunc fortius mouet ſenſum; ſed non indiuiduum vagũ ſpeciei infimæ, vt vult Scotus, ſed indiuiduũ vagum entis hoc habet; ergo hoc primò cognoſcit intellectus. Maiorem admittit Scotus; minorem probo, nam illud fortius mouet ſenſum, quod habet maiorem actiuitatem ad illum mouendum, ſed maiorem actiuitatem ad mouendum ſenſum habet indiuiduum vagum entis; quod probo, nã illa cauſa habet maiorem actiuitatem ad aliquem effectum cauſandum, quæ poteſt illum cauſare etiam in maxima diſtantia, ſicut ille ignis habet maiorem actiuitatem ad calefaciendum, qui poteſt calefacere in maiori diſtantia; ſed indiuiduum vagũ entis in maiori, imò in maxima diſtantia poteſt ſuum effectum cauſare, qui eſt mouere ſenſum; ergo, &c. experientia namque docet, quod dum videmus aliquid in maxima diſtantia, cognoſcimus eſſe ens, & nõ cognoſcimus eſſe hominem. Tum quia accidentia indiuidui vagi entis ſunt communiſſima, vniuerſaliſſima, & fortiſſima ad mouendum ſenſum, quantò enim cauſa eſt vniuerſalior in eſſendo, tantò etiam eſt vniuerſalior in cauſando, vt patet de Deo, Sole, &c.

62. Tertia ratio, quia illud primò cognoſcitur ab intellectu per quod primò intellectus diſtinguitur à ſenſu, ſed intellectus primò diſtinguitur à ſenſu per magis vniuerſale, ergo hoc primo cognoſcit intellectus. Maior nota eſt, ſenſus enim eſt ſingularium, & intellectus vniuerſaliũ, vt do-

Digitized by Google

vt docet Ariſt. 3. *de anima*, & omnes philoſophi cum eo. Minor probatur, nam cum intellectus diſtinguatur à ſenſu, quia ille eſt vniuerſalium, & iſte ſingularium, ſequitur, quod quo magis intellectus recedet à ſingulari, magis à ſenſu diſtinguetur; ergo, &c.

63. Quarta ratio, omnis potentia prius tendit in ſuum obiectum adęquatum, & ſpecificatiuum, quam in obiecta partialia, inadæquata, & materialia; ſed ratio formaliſſima entis eſt obiectum ſpecificatiuũ intellectus, adæquatum, & formale; ergo ratio ſpecificatiua, ſcilicet ratio entis debet eſſe illa in quam primo tendat intellectus. Minor nota eſt, omnes namque volunt quod obiectum adæquatum, & ſpecificatiuum noſtri intellectus ſit ens in ſua vniuerſalitate, modo infra dicendo. Maior conſtat exemplo aliarum potentiarũ, nam potentia viſiua tendit primò, & per ſe in colorem, quam in hunc colorem determinatum, imò in hunc ideo tendit, quia continetur ſub colore, &c.

64. Quinta ratio, nam inter intellectũ & ſenſum debet eſſe aliqua ſimilitudo, & proportio, ſeu quædam affinitas in cognoſcendo, ſed, vt experimur, ſenſus tendit prius in vniuerſaliora, vt conſtat, cum rem à longè videmus; ergo &c. Hinc docet rectè Ariſt. quod pueri prius vocant omnes homines patres, & omnes fœminas matres, poſtea temporis progreſſu incipiunt diſtinguere parentes ab alijs.

65. Sexta ratio, ex analogia inter cognitionem complexam, quæ habetur per demonſtrationem, & ſimplicem quæ habetur per ſimplicem cognitionem, nam intellectus in cognitione complexa incipit à cognitione principiorum complexorum magis communium, principia namque prius cognoſcuntur, quam concluſiones; ergo etiam in cognitione ſimplici debet incipere à primis principijs ſimplicibus; ſed huiuſmodi ſunt principia, ſeu prædicata entis; ergo, &c. Vnde videmus quod etiã in definitione intellectus incipit à genere, & tendit ad differentiam, cum tamen definitio ſit quid complexum.

§. 2. *Satisfit argum. primæ ſententiæ, quod primum cognitum ſit ſingulare.*

66. PRimum argum. quia illud debet eſſe primum cognitum ab intellectu cognitione confuſa, & naturali, quod primò cognoſcitur per ſenſum; ſed ſenſus non cognoſcit niſi ſingulare ſenſibile; ergo hoc erit primum cognitum, Minor nota eſt. Maior probatur, nam intellectus non determinatur primò niſi per ſenſum, ſed ſenſus eſt ſingularis, ergo non determinatur niſi per ſingulare. Reſp. negando maiorem, inter ſingulare autem, & intellectũ nulla eſt proportio; intellectus namque cum ſit immaterialis, debet habere obiectũ denudatum ab immaterialitate; tum quia eſt ſub limitibus temporis, loci, & exiſtentiæ; à quibus recedit intellectus, cum abſtrahat ab iſtis, & alijs conditionibus indiuiduantibus. Illa ergo propoſitio quod intellectus determinatur per ſenſum intelligi debet, quod determinetur non ad cognoſcendum ſingulare, quod in ſenſu relucet, ſed ad intelligenda prędicata, quæ relucent in ſpecie abſtracta ordine quodam, vt ſcilicet prius intelligat magis communia, & deinde minus. Si namque intellectus immediatè cognoſceret ſingulare materiale, fruſtra daretur intellectus agens ad denudanda phantaſmata à ſingularitate, materialitate, & cęteris conditionibus indiuiduantibus.

67. Secundũ argum. quoniam ad hoc vt cognoſcatur quodlibet vniuerſale debet fieri abſtractio ab aliquo ſingulari prius cognito; ergo prius cognoſcitur ſingulare, quam quodlibet vniuerſale. Antecedens probatur, nam implicat quod abſtrahatur vniuerſale à ſingulari incognito; ergo debet abſtrahi à ſingulari prius cognito. Reſp. diſtinguendo antecedens: à ſingulari prius cognito per intellectum, negatur: per ſenſum, conceditur. Intellectus namque agens dum abſtrahit non cognoſcit, cum non ſit cognoſcitiuus, & intellectus poſſibilis nõ cognoſcit, niſi poſtquam intellectus agens abſtraxit.

68. Ter-

68. Tertium argum. quia etiam prima principia, quæ naturæ lumine cognoſcuntur, dependent à cognitione ſingularium; ergo, &c. Antecedens probatur, tum quia oſtenduntur eſſe vera in ſingularibus; tum quia vt intelligantur non alio opus eſt quam explicatione terminorum, vt enim cognoſcatur hoc principium, Omne totum eſt maius ſua parte, ſufficit quod cognoſcatur quid ſit totum, & quid ſit pars. Reſp. quod cum prima principia ſint complexa ſupponunt cognitionem incomplexorum, in qua prius incipitur ab vniuerſalioribus; deinde formatur propoſitio complexa, & primum principium, quod vt intelligatur, ſufficit, quod termini cognoſcantur, nec eſt neceſſe quod cognoſcantur alia principia ex quibus deducantur, vt opus habent concluſiones.

69. Quartum argum. nam ſubſtantia non cognoſcitur niſi per accidentia, ergo prius cognoſcuntur accidẽtia; ſed inter accidentia maximè nota nobis ſunt ſingularia; ergo primum cognitum eſt accidens ſingulare. Reſp. diſtinguendo antecedens: ſubſtantia non cognoſcitur à ſenſu niſi per accidentia, conceditur: ab intellectu, negatur. Pro quo nota quod in phantaſmate Petri, v.g. non ſolum ſunt accidentia Petri, ſed etiam ſubſtantia, & omnes gradus illius; intellectus agens à phantaſmate Petri poteſt abſtrahere tum ſpeciẽ ſubſtantiæ, tum ſpeciem accidentis, hæc repræſentabit naturam accidentis, cum omnibus gradibus illius; illa repræſentabit naturam ſubſtantiæ cum omnibus ſuis gradibus. Poteſt etiam intellectus agens, ſecundum aliquos, abſtrahere à phantaſmate ſpeciem quæ repreſentet tum naturam ſubſtantialẽ, tum accidentalem, illam vt ens ſimpliciter, hanc vt ens ſecundum quid, & vt entis ens, & quouis modo id fiat, intellectus cognoſcet primò naturam, & ſecundariò, & per quandam reflexionem, ſeu conuerſionem ad phantaſma à quo ſpecies extracta eſt, cognoſcet ſingularia, tum ſubſtantiæ, tum accidentis.

§.3. *Soluuntur argumenta ſecundæ ſententiæ, quod primum cognitum ſit natura ſpecifica.*

70. PRimum argum. agens naturale producit effectum perfectiſſimũ quantum poteſt; ſed ea quæ concurrunt ad intellectionem ſcilicet intellectus poſſibilis, intellectus agens, & phantaſma, ſunt agentia naturalia, ergo producent intellectionem perfectiſſimam quantum poſſunt; ſed intellectio ſpeciei atomæ eſt perfectior intellectione, & conceptu entis; ergo prius ponetur intellectio ſpeciei atomæ, quam entis, ac proinde primum cognitũ erit ſpecies atoma, non ratio vniuerſaliſsima entis. Reſp. diſtinguendo maiorem, agens naturale producit effectũ perfectiſſimum quando agit actione emanatiua, aut vnica actione, & maximè quando agit in inſtanti, vt eſt illuminatio, conceditur; quando agit pluribus actionibus, ſucceſſiuis, aut quaſi ſucceſſiuis, vt vna ſit diſpoſitio ad aliam, negatur; exemplo generationis ſubſtantialis, quæ prius producit embrionem, poſtea introducit animam vegetatiuam, &c.

71. Secundum argum. deſumunt ex nota experientia, quia videmus quod quãdo nobis obijcitur aliquis homo in debita diſtantia, vt diſcernatur clarè, non prius cognoſcimus in illo eſſe ens, poſtea eſſe ſubſtantiam, corpus, & animal, & poſtea eſſe hominem, ſed primò cognoſcimus eſſe hominem; vt neque quidem dubitemus de gradibus ſuperioribus, niſi quatenus in cõfuſo continentur in homine, ergo ſaltem in hoc caſu primum cognitum erit ſpecies infima. Reſp. negando antecedens; vnde dato quod tunc homo vnica cognitione cognoſcatur, & non pluribus, illa vnica cognitio prius tendet in rationem ſuperiorem entis, deinde deſcendendo cognoſcet rationem hominis, licet intellectus non aduertat ad illas confuſas rationes.

72. Tertium argum. per quod confirmant præcedens eſt, quia quando oculus videt rem albam, ita vt rectè diſcernat eſſe albam, tunc primum quod oculus diſcernit

nit in illa re eſt albedo,ſeu eſſe album,non autem eſſe coloratum, quod eſt ſuperius ad album;ergo eodem modo ſe habebit intellectus quando præſertim agit naturaliter. Reſp.1. negando antecedens, nam etiam oculus primò cognoſcit rationem colorati, quam albi, cum enim coloratum ſit obiectum viſus, & album ſit ſolum ſpecies illius, & omnis potentia prius tendat & cognoſcat obiectum, quam ſpeciem obiecti, cum hanc attingat ſub ratione illius, ſequitur quod etiam viſus prius ſaltem in confuſo cognoſcer coloratum, quā album. Reſp.2.negando conſeq. quidquid ſit de antecedente, nam cum obiectum intellectus ſit ens, debet prius cognoſcere in re obiecta rationem ſui obiecti, quam rationem particularem.

73. Quartum argum.nam ea prius intelligi debent quæ ſunt magis intelligibilia, ſed ratio atoma eſt magis intelligibilis; ergo hæc prius intelligi debet.Maior nota eſt. Minor probatur, quia ea ſunt magis intelligibilia, quæ ſunt magis entia,intelligibilitas namque ſequitur rationem entis ;ſed ſpecies ſunt magis entia, cum contineant omnes gradus entis ; ergo, &c. Reſp. negando maiorem, nam ea prius intelligi debent, quæ ſunt magis vniuerſalia intellectione confuſa, licet intellectione diſtincta prius intelligantur minus vniuerſalia. Deinde ea prius intelliguntur, quæ magis exprimunt rationem obiecti, quam ea quæ minus ; ens autem magis exprimit rationem obiecti intellectus, quam ſpecies infima. Species eſt magis intelligibilis, vt eſt totum quoddam actuale;at ens eſt magis intelligibile, vt eſt totum quoddam potentiale, quod ſub ſe plures continet intelligibilitates, quam ſpecies, vt patet.

74. Quintum argum. nam illud prius intellectus cognoſcet, quod eſt facilioris abſtractionis, ſed ſpecies infima eſt facilioris abſtractionis quam ens; ergo ſpecies infima prius cognoſcetur. Maior nota eſt, cum enim noſter intellectus non intelligat niſi per abſtractionem à ſingularibus,illud facilius cognoſcetur, quod facilioris erit abſtractionis. Minor probatur, nam homo ſolum abſtrahitur ab indiuiduis naturæ humanæ, at ens abſtrahitur etiam ab indiuiduis aliarum ſpecierum, cum ſit cum omnibus coniunctum. Tum quia facilior eſt abſtractio à magis ſimilibus, quā à minus ; ſed indiuidua naturæ humanæ ſunt magis ſimilia, quam ſint indiuidua ſpeciei ſuperioris,& entis;ergo,&c. Reſp.negando minorem, quo enim natura eſt in pluribus, eo facilius abſtrahitur ; plura namque occurrere poſſunt à quibus abſtrahi valet; & ſic ratio entis à quacumque re abſtrahi poteſt non ratio, ſeu natura hominis. Deinde dico, quod ratio entis abſtrahitur dum ratio, ſeu natura hominis abſtrahitur, & ſic ſpecies repreſentans naturam humanam repreſentat etiam omnes gradus ſuperiores illius, vt prius repreſentet vniuerſaliores, deinde minus vniuerſales.

75. Sextum argum. nam illud prius cognoſcitur, quod prius imprimit ſuam ſpeciem ; ſed natura infima, ſeu ſpecifica prius imprimit ſuam ſpeciem; ergo prius cognoſcitur.Minor probatur, quia id quod producit ſpeciem eſt phantaſma illuminatum ab intellectu agente ; ſed phantaſma cum ſit indiuidui prius producit ſpeciem gradus immediatiris, ſpeciei ſcilicet infimæ, quam remotioris ; ergo, &c. Reſp. ex dictis nu. præcedenti, quod phantaſma producit vnam, & eandem ſpeciem repreſentantem naturam cum omnibus gradibus ſuperioribus ,& quia gradus vniuerſalior & ſuperior eſt nobis notior,ideo intellectus prius illum cognoſcit.

76. Septimum argum. quoniam omnis noſtra cognitio ortum habet à ſenſu ; ergo id prius cognoſcetur,cuius indiuiduū prius, & efficacius mouet ſenſum;ſed indiuiduum ſpeciei infimæ prius, & efficacius mouet ſenſum ; ergo, &c. Minor ſubſumpta probatur, nam indiuiduum mouet ſenſum; ergo magis indiuiduum magis mouet ſenſum; ſed indiuiduum ſpeciei ſpecialiſſimæ eſt magis indiuiduum quam indiuiduū entis; ergo, &c. Reſp. quod prius, & efficacius mouet ſenſum ratio obiecti adæquati, quam ratio alicuius obiecti partialis; vnde ſenſus v.g. magis,prius,& efficacius mouetur à colorato, quam ab albo, vt

ex di-

ex dictis patet. Et ſic etiam intellectus prius, & efficacius mouebitur à ratione entis, quæ eſt ratio ſui obiecti adęquati, quam ratio ſpeciei ſpecialiſsimæ, quæ eſt ſolum obiectum partiale intellectus; vnde licet indiuiduum ſpeciei infimimæ ſit magis indiuiduum, non tamen magis mouet, &c.

77. Octauum argum. nam metaphyſica ordine ſcientiæ eſt vltimo loco addiſcenda, vt ſupra vidimus; ergo ens quod eſt eius obiectum, eſt vltimo loco cognoſcendum. Reſp. concedendo antecedens, & negando conſeq. nam licet ordine ſcientifico ens vt eſt obiectũ metaphyſicæ debeat poſtremo loco cognoſci, non tamen ordine ſimplicis cognitionis; cognitione namqne ſimplici prius cognoſcitur ens vt ſic, quam tale ens, licet cognitione ſcientifica prius cognoſci debeat tale ens, quã ens vt ſic; quia cognitio talis entis eſt via, & quaſi medium ad cognitionem entis, vt ſic.

78. Nonum argum. Obiectnm noſtri intellectus pro hoc ſtatu eſt quidditas rei materialis, ſeu natura ſpecifica, ergo non ens erit primum cognitum, ſed natura ſpecifica, nomine namque quidditatis materialis, quam philoſophi aſſignant pro obiecto proportionato noſtri intellectus intelligunt naturam ſpecificam, quam intellectus agens immediatè extrahit à phantaſmate, quæque immediatè deſcendit ad indiuidua, cum illiſque immediatè connectitur. Reſp. quod dum philoſophi dicunt, quod primum cognitum eſt quidditas materialis, & quod obiectum proportionatũ noſtri intellectus pro hoc ſtatu ſit quidditas materialis per quidditatem materialem non intelligunt naturam ſpecificam, ſed intelligunt ens, vt eſt quid commune rebus ſenſibilibus, hoc enim volunt eſſe primum cognitum, & obiectum intellectus, de quo §. ſequenti.

§. 4. *Quodnam ens, & ſub qua ratione ſit primum cognitum, & obiectum noſtri intellectus pro hoc ſtatu.*

79. OMnes conueniunt ens eſſe obiectum noſtri intellectus, & primum cognitum ex ijs qui noſtram ſententiam ſequuntur §§. præcedentibus explicatam, non tamen omnes eodem modo explicant. Et relictis illis qui volunt quod primum cognitum ſint indiuidua, non ſub ratione indiuidui, & ſingularis, hoc enim eſt proprium ſenſus, ſed ſub ratione entis, quod à ſolo intellectu attingi poteſt; contra namque iſtos pugnant ea omnia, quæ toto dubio præſenti dicta ſunt.

80. Duæ celebres ſententiæ ſunt inter Thomiſtas. Prima eſt, quod primum cognitum, & obiectum connaturale noſtri intellectus pro hoc ſtatu ſit ratio entis vniuerſaliſſima, vt eſt quid commune tum ad entia materialia, & ſenſibilia, tum ad ſpiritualia, & inſenſibilia, comprehendendo etiã Deum, & intelligentias, & quidquid eſt, vel habere poteſt eſſe extra Deum. Hanc ſequitur Maſius hoc loco, citans Sotum, & Aſtridillum, quibus addo Lermam *hic lib. 1 q. 3*. Quod ſi illis obijciatur communis ſententia, quod obiectum connaturale noſtri intellectus pro hoc ſtatu eſt quidditas materialis, ſeu ens concretum quidditati materiali, reſpondent cum Maſio, quod quidditas materialis eſt obiectum motiuum, quidditas autẽ entis in illa communiſsima ratione eſt obiectum terminatiuum.

81. Noſtra ſententia ſequenti concluſione explicatur. *Obiectum connaturale noſtri intellectus pro hoc ſtatu, ac ſubinde primum cognitum modo ſupra explicato, eſt quidditas materialis, ſeu eſt ens concretum quidditati materiali, aut, & in idem recidit, eſt ens materiale ſenſibile*. Hanc ſententiam ſequitur Caiet. *q. 1. de ente, & eſſentia*. Petrus Martinez *3. de anima cap. 3. q. vltima*, & alij quamplures, vt teſtatur Maſius hoc loco, quam probabilem vocat Lerma loco citato, colligitur ex N. Complut. *3. de anima*.

82. Probatur 1. nam intellectus noſter pro hoc ſtatu dependet à ſenſibus, ergo eius obiectū debet aliquo modo reperiri in ſenſu, iuxta illud. *Nihil eſt in intellectu, quod prius non fuerit in ſenſu*, ſed ſolū ens materiale, ſeu quidditas materialis reperitur in ſenſu, & per ſenſum tranſire poteſt ad intellectum; ergo ſolum ens materiale, aut quidditas materialis erit obiectū connaturale intellectus pro hoc ſtatu, non ens præſcindens à materiali, & immateriali. Antecedens conſtat, ſenſus namque ſunt partes per quas res tranſeunt ad intellectum. Conſeq. probatur, nam res nō tranſeunt ad intellectum niſi medio phantaſmate, quatenus natura, quę in illo relucet denudatur à conditionibus indiuidualibus; vnde in ſpecie intelligibili, quæ ex phantaſmate, & intellectu agente producitur in intellectu poſſibili, non relucet aliud ens, niſi illud quod relucebat in phantaſmate, ſolùm differentia eſt, quod in phantaſmate erat veſtitum conditionibus indiuiduantibus, ſcilicet ſingularitate, ſeu ecceitate, at in ſpecie intelligibili relucet eadem ratio entis ſine illis conditionibus indiuidualibus, ſed in phantaſmate nullo modo relucet ratio entis, vt comprehendit Deum, & intelligentias, ſed tantum vt eſt ens concretum cum materialitate; ergo hoc ſolùm erit obiectum intellectus, & primum cognitum pro hoc ſtatu.

83. Probatur 2. nam ens vt abſtrahit à ſenſibilibus, & inſenſibilibus non eſt obiectum connaturale noſtri intellectus, ſed eſt obiectum ſpecificatiuum, comprehendens etiam Deum clarè viſum, ergo non poteſt eſſe obiectum connaturale pro hoc ſtatu, & primum cognitum. Antecedens conſtat, ex hoc enim Theologi 1. *p.* *q.* 12. probant quod Deus poteſt eleuare intellectum creatum ad ſui claram viſionem, quia Deus clarè viſus continetur intra obiectū ſpecificatiuum intellectus, ac proinde eleuari poterit ad eum videndum. Conſeq. probatur, nam ſi ens vt continens Deum, & intelligentias eſſet obiectum connaturale, & primum cognitum poſſet intellectus connaturaliter videre Deum, ſed hoc eſt falſum; ergo, &c. Minor nota eſt. Maior probatur, nam in ente in tota ſua latitudine continetur etiam Deus clarè viſus; ergo ſi ſemel ens in tota ſua latitudine eſt obiectum connaturale noſtri intellectus, & primum cognitum, Deus clarè viſus pertinebit ad obiectum connaturale intellectus, & ſic non indigebit eleuatione ad hoc vt videat Deum.

84. Probatur 3. Ens in tota ſua latitudine, ſeu vt præſcindit à ſenſibilibus, & inſenſibilibus à naturali, & ſupernaturali eſt res valdè metaphyſica, & difficillima cognitu; ergo non poteſt eſſe primum cognitum. Antecedens conſtat; ens namque in ea latitudine dicit ſummam præciſionem, & ſummam abſtractionem, quæ omnia ſenſibilia tranſcendit, ac proinde non poteſt eſſe primum cognitum intellectus dependentis in ſua cognitione à ſenſibus, ac ſubinde ad eam rationem ſic abſtractum non pertinget niſi poſt longum diſcurſum, & laborem.

85. Ad has noſtras rationes occurres ex doctrina Maſij, ſolum probare, quod ens materiale, ſeu quidditas materialis ſit obiectum motiuum, cum omnis noſtra cognitio pro hoc ſtatu hauriatur à ſenſibus, & phantaſmatibus, quæ ſolum repræſentant quidditatem materialem; non tamen probant quod obiectum terminatiuum, ſit dicta quidditas materialis, ſed erit ens in tota ſua latitudine, neque enim eſt nouum, quod aliud moueat intellectum, & aliud magis amplum terminet. Nam ens reale mouet, & excitat ad cognoſcendum ens rationis, & tamen cognitionem non terminat ad ſolum ens reale, ſed etiam ens rationis. Creaturæ excitant mentem ad cognoſcendum creatorem, non tamen cognitio terminatur ad ſolas creaturas, ſed etiam tendit in creatorem. Sic ens concretum quidditati ſenſibili mouet ad cognoſcendū ens in communi, & in tota latitudine, non tamen ſola quidditas materialis terminat cognitionem, ſed ens in tota ſua latitudine.

86. Cœterum hæc reſponſio nō eneruat noſtras rationes, nam aliud eſt loqui de obiecto terminatiuo immediato, & connaturali, & aliud eſt loqui de obiecto vltimo

mo terminatiuo, quod cognoſcitur vel per eleuationem, vel coniecturaliter, & paulatim aſcendendo. Si loquantur de hoc ſecundo obiecto mediatè, & per aſcenſum cognito, admittimus poſſe obiectum terminatiuum magis latè patere quam motiuũ, vt in exemplis allatis conſtat, nam ex cognitione entis realis mediatè aſcendimus ad cognitionem entis rationis, quod ad illius ſimilitudinem formatur, non tamen ens reale, quod immediatè mouet ad ſui cognitionem, mouet etiam immediatè ad cognitionem entis rationis, ſed poſtquam intellectus ab ente reali mouetur, & illud cognoſcit, excitatur ad cognitionem entis rationis, formando illud ad ſimilitudinem entis realis iam cogniti, ſeu quod iam cognitionem terminauit. Similiter quando creaturæ excitant ad cognitionem creatoris, prius iam functæ ſunt officio motiui, & terminatiui ſui ipſarum, ex quo poſtea intellectus excitatur ad vlteriorem cognitionem. Quod ſi hoc ipſum dicunt de ente, quod ſcilicet quidditas materialis prius mouet, & terminat cognitionem, & ex hoc excitatur intellectus ad cognitionẽ entis in tota ſua latitudine, non ſunt contra nos, non tamen tunc ens in communi erit primum cognitum, ſed quidditas materialis, ex cuius cognitione conſurgit intellectus ad cognitionem entis in communi. Ex quo patet non poſſe loqui de obiecto terminatiuo immediato, hoc enim debet correſpondere obiecto motiuo, nec poteſt illud excedere, cum non poſſit cognitio immediatè mota ab aliquo obiecto, terminari immediatè ad aliquid à quo immediatè nõ mouetur. Soluuntur argumenta in contrarium.

87. Primum argum. eſt, quoniam quod eſt imperfectiſſimum eſt primum cognitum ab intellectu, prioritate ſaltem naturæ, & originis; ſed ens in ampla ſignificatione eſt imperfectiſſimum, cum ſit quid communiſſimum; ergo ens in ampla ſignificatione erit primum cognitum intellectus. Aliter proponit hoc argum. Lerma, quia cum intellectus ſit agens procedens de potentia ad actum, debet primò elicere actum magis imperfectum, cum intellectus non dependeat in ſui cognitione, à cognitione magis perfecta; ſed cognitio entis in communi eſt magis imperfecta; ergo ab iſta debet intellectus incipere. Reſp. diſtinguendo maiorem; debet elicere actũ magis imperfectum circa obiectum, quod primo mouet; conceditur: circa obiectum quod primò non mouet, negatur. Patet autem ex dictis nu. præcedenti, & concedunt aduerſarij, quod obiectum quod primò mouet, eſt quidditas materialis denudata ab intellectu agente à conditionibus indiuiduantibus: quod autem primò mouet, etiam primò terminat, cum non poſſit primò terminare, niſi quod primò mouet.

88. Secundum argum. Quod eſt confuſum primò terminat actum intelligendi, quia eſt maximè potentiale, & indeterminatum; ſed ens in ampla ſignificatione, eſt confuſiſſimũ, non illud quod eſt concretum quidditati ſenſibili, & materiali; ergo non hoc, ſed illud primò terminabit actum intelligendi. Minor probatur, nam illud eſt magis confuſum, quod plura continet, cum ex maiori continentia, maior ſequatur confuſio, ſed ens quo magis eſt vniuerſale, plura continet; ergo, &c. Reſp. diſtinguendo maiorem: quod eſt confuſum primò terminat actum intelligendi, dummodo etiam primo moueat, conceditur; ſi primò non moueat, negatur, patet autem quod ens in tota ſua latitudine non primò mouet intellectum, cum non ſit primum repreſentatum in ſpecie intelligibili, ſed quidditas materialis denudata per intellectum agentem à ſuis conditionibus indiuiduantibus.

89. Tertium argum. Illud ens primò terminat actum intelligendi, ex quo primũ principium complexum conflatur, ſed hoc eſt ens in tota ſua latitudine; ergo hoc primò terminat; Minor probatur, nam primũ principium complexum eſt. *Quod eſt*, vel *impoſſibile eſt ſimul idem eſſe, & non eſſe*; ſed hoc conflatur ex communiſſima ratione entis; ergo, &c. Reſp. negando maiorem; illud enim eſt primò terminans actum cognoſcendi, quod primò repræſentatur in ſpecie, hoc autem non eſt *quod eſt*, nec *impoſſibile eſt idem ſimul eſſe, & non eſſe*,

eſſe, ſed quidditas materialis, vt patet ex dictis.

§.5. *Incidens, vnde oriatur difficultas intelligendi.*

90. Prima ſententia eſt, quod tota difficultas intelligendi oriatur ex rebus. Sic Heraclitus, & Cratillus; cum enim viderent omnia caducitati, & fragilitati, interrituvè ſubiecta; nihilque eſſe in rebus ſtabile, & nihil fixum cernerent, & contemplarentur, opinati ſunt totam intelligendi difficultatem in ipſis rebus ſitam eſſe. Secunda ſententia conſtituit totam intelligendi difficultatem in ipſo intellectu nullamve in rebus. Sic tenent Scotus, Antonius Trombeta, Antonius Andreas,& alij Scoti diſcipuli 2.*metaph.* eo quod res ex ſe ſint maximè cognoſcibiles, quod verò difficile cognoſcantur prouenit ab intellectu, ratione ſuæ imbecillitatis.

91. Noſtra ſententia ſequenti concl. explicatur. *Difficultas cognoſcendi partim oritur ab intellectu, & partim à rebus ipſis.* Sic D. Thom. Auer. Alex. 2. *metaph.* Iandun. *ibid. q.*3. Sueſſanus *diſp.* 2. Iauellus, & Aquarius *q.*2. Maſius *hoc loco q.*9. *in cap.*1. 1. *phyſ.* qui teſtatur de communi opinione Latinorum. Pro quo ſciendum eſt, quod ex rebus quædam ſunt immateriales, vt Deus, & Angeli, quædam materiales, vt elementa, & elementata. Difficultas cognoſcendi res immateriales, tota oritur ex noſtri intellectus imbecillitate; cum enim res iſtæ ſint ex ſe immateriales, ac proinde intelligibiles, cum immaterialitas ſit ratio intelligibilitatis, ſequitur, quod cum ſint maximè immateriales,debent eſſe maximè intelligibiles, ac proinde difficultas intellectionis non poteſt oriri ex ipſis rebus, ſed ex imbecillitate ipſius intellectus qui cum pro hoc ſtatu ſit aliquo modo immerſus in materia,ac proinde ab ea dependens medijs ſcilicet ſẽſibus, ſequitur quod non ſit proportionatus cum rebus ſpiritualibus, & omnino à materia ſeparatis, & ſic ratione huius improportionis difficulter eas intelligit. Cœterum difficultas intelligendi res materiales, oritur ex ipſis rebus; nam etiam cum iſtis eſt quædam improportio ſe tenens ex parte rerum, quæ cum non ſint adeò immateriales vt eſt intellectus, nec ſint adeo actuales, ſed magis potentiales,oportet quod vt intelligantur, proportionentur, & eleuentur ad conditionem intellectus, & in hoc ſtat difficultas. Quare cum noſter intellectus, nec pertingat ad perfectionem ſubſtantiarum ſeparatarum, nec pertingat ad imperfectionem rerum materialium, ſed mediam quandam teneat viam, hinc eſt, quod vt illas intelligat, debet eleuare ſe ſupra ſe, & vt intelligat iſtas debet deſcendere infra ſe, & hoc opus hic labor eſt. Et ſic vt intellectus intelligat immaterialia, quæ ſunt maximè in actu, & valde intelligibilia, debet perfici, & ſic difficultas intelligendi illa prouenit ex imperfectione,ac proinde ex imbecillitate noſtri intellectus. Et difficultas intelligẽdi materialia prouenit ex imperfectione illorum, & ſic vel debet intellectus deſcendere,vel debent iſta eleuari, vt proportionetur eidem intellectui.

92. Hinc probatur concluſio, quod difficultas cognoſcendi partim proueniat ab intellectu; nam in rebus immaterialibus prouenit difficultas intelligendi ex imbecillitate ipſius intellectus, cum enim illæ res ſint maximè in actu,ſunt maximè intelligibiles, ergo difficultas intelligendi non poteſt oriri ab ipſis rebus, cum iſtæ ſecundum ſe ſint maximè intelligibiles, ſed ab ipſo intellectu non potente pertingere ad illam ſummam intelligibilitatem,ſicut difficultas videndi ſolem nõ prouenit ab ipſo ſole, cum ſit maximè viſibilis, ſed ab ipſa potentia viſiua, v.g. noctuæ, quæ non eſt rectè diſpoſita ad videndam talem lucem, adeo claram.

93. In rebus autem materialibus, difficultas oritur ab ipſis rebus, cum enim, vt dicebamus, intellectus noſter nec pertingat ad perfectionem rerum ſeparatarum, nec pertingat ad imperfectionem rerum materialium,ac proinde medium quendam teneat locum, ſequitur quod reſpectu illarum ſit inferior, & reſpectu iſtarum ſuperior,ac proinde ſicut difficultas intelligendi ſuperiora oritur ab ipſo inferiori, ita diffi-

difficultas intelligendi inferiora, oritur ab ab ipſis inferioribus, ſeu ex improportione illorum. Vnde ſicut difficultas combuſtionis oritur aliquando ex paucitate ignis, ſeu potẽtiæ combuſtiuæ, & aliquando oritur ex re combuſtibili, quæ habet tantam humiditatem, quæ facile ſuperari non poteſt, vt contingit in Salamandra; ita difficultas intellectionis oritur aliquãdo ex debili potentia intellectiua, & hoc contingit reſpectu rerum ſuperiorum. Et aliquando ex nimia materialitate, quæ haud faciliter ſuperari poteſt. Soluuntur argum. in contrarium.

94. Primum argum pro prima ſententia eſt, quoniam noſter intellectus in rebus intelligendis ſe habet vt materia prima in formis recipiendis, Ariſt. 2. *de anima c.* 4. ſed materia prima ſine vlla difficultate ex parte ſui recipit formas; ergo etiam intellectus abſque ſui difficultate intelliget res; atque adeo tota difficultas erit in rebus ipſis non in intellectu. Reſp. diſtinguendo maiorem; intellectus in rebus intelligendis ſe habet vt materia prima, quatenus ſicut iſta poteſt recipere omnes formas naturales, cum ſecundum ſe ſit pura potentia, æquè reſpiciens communes, ita intellectus eſt veluti pura potentia (cum à principio ſit tanquam tabula raſa) potens recipere omnes formas intentionales, conceditur: ſe habet vt materia prima, quatenus in vſu dictarum formarum, nullam patitur difficultatem, negatur. Cum enim intellectus non ſolum ſit potentia paſsiua, vt materia, ſed etiam actiua, quod materię non conuenit, in ſua actione pati poteſt difficultatem, ſicut & cœteræ potentiæ.

95. Secundum argum. quoniam ſi aliqua difficultas oriretur etiam ex parte intellectus in rebus intelligendis, maximè ob dictum Ariſt. 2. *metaph. cap.* 1. quod ſcilicet ita ſe habet intellectus ad res immateriales ſicut oculi Veſpertilionum ad lucem meridianam; ſed hoc dictum non eſt verum; ergo, &c. Minor probatur, nam potentia viſiua Veſpertilionis, cum ſit debilis læditur, & corrumpitur à vehementi luce, vt eſt lux meridiana, & intellectus à nullo intelligibili lædi, aut corrumpi poteſt; imò quo magis circa immaterialia verſatur, magis perficitur; ergo, &c. Reſp. concedendo maiorem, & negando minorem; illud namque dictum in ſenſu Ariſtotelis veriſſimum eſt, quæ veritas non conſiſtit in hoc, quod ſicut oculi Veſpertilionis læduntur à vehementi ſenſibili, ſeu luce, ita intellectus lædatur à maximo, & ſummo intelligibili, vt eſt Deus; ſed conſiſtit in hoc, quod ſicut lux meridiana eſt obiectum improportionatum oculorum Veſpertilionis, ita ſummum immateriale, ſcilicet Deus, eſt obiectum improportionatum, & non connaturale noſtri intellectus.

96. Primum argum. ſecundæ ſententiæ eſt, quia Ariſt. 2. *metaph. cap.* 1. dicit *Forta ſſis difficultas intelligendi non eſt in rebus, ſed in intellectu*; ergo per Ariſt. difficultas intelligendi non prouenit ex ipſis rebus, ſed ab ipſo intellectu. Reſp. Ariſtotelem loqui de rebus ſpiritualibus, immaterialibus, & maximè in actu, vt ſunt Deus & intelligentiæ, cum noſter intellectus horum reſpectu ratione maximæ inferioritatis, ſit improportionatus, ac proinde debet horum reſpectu eleuari, & proportionari. Vſus autem fuit Ariſt. illa particula dubitatiua, modeſtiæ gratia.

97. Secundum argum. nam ſi difficultas intelligendi procederet ex ipſis rebus, ſequeretur quod hæc difficultas reperiretur etiam reſpectu intellectus Diuini, & Angelici, hoc eſt abſurdum; ergo, &c. Sequela probatur, quia quod ſecundum ſe eſt tale, reſpectu cuiuſcumque eſt tale; ergo ſi difficultas intelligendi res materiales eſt ratione ipſarum, ſemper, & reſpectu cuiuſcumque intellectus eam difficultatem habebunt. Reſp. negando ſequelam. Ad probationem dico, quod id quod conuenit alicui abſolutè, reſpectu omnium conuenit, vt quia eſſe rationale conuenit homini abſolutè, hoc ſibi omnium reſpectu conuenit. At id quod conuenit alicui ſolum reſpectiuè, ſeu per habitudinem ad aliquid particulare, non conuenit reſpectu omnium, ſed ſolum reſpectu illius particularis, & ſic cũ in noſtro caſu difficultas cognitionis non conueniat abſolutè rei materiali, ſed tantũ reſpectu noſtri intellectus; qui cognoſcit

res

res per dependentiam à ſenſibus, non per propriam eſſentiam omnia repreſentantem vt Deus; aut per ſpecies infuſas, vt Angeli, ſequitur, quod res materiales ſint difficile cognoſcibiles ſolum reſpectu intellectus creati.

DVBIVM VI.

Quid ſint principia rerum naturalium, quot, &c.

§. 1. *Referuntur antiquorum opiniones, de primis rerum principijs.*

98. Veterum Philoſophorum ſententias de rerum naturalium principijs, multi, grauiſſimique auctores referunt, vt Plato *in Thecteto, & Sophiſta*, Ariſt. hoc loco 1. *phyſic.* 3. *de cælo.* 2. *de ortu*, & *inter.* & 1. *metaph.* Plutarch. *lib.* 1. *de placitis.* Euſeb. *lib.* 10. *præparat.* Clemens Alexand. 1. *ſtromat.* Theodoret. *lib.* 1. *diuinor. decret.* Et Philoſophi hoc loco. Hæ omnes ſententiæ ad hanc diuiſionem poſſunt reuocari. Aliqui namque nullum poſuerunt rerum naturalium principium, ſed omnia eſſe vnum, ſic tenuerunt Parmenides, & Meliſſus, viſi ſuo tempore famoſi. Parmenides fuit patria Eleates, Filius Pyretis, Xenophanis auditor teſte Ariſt. 1. *metaph.* 5. & Laertio 9. *in Parmenide*; vel auditor Anaximandri ex Theophraſte in epitome, & eodem Laertio. Iſte cum eſſet genere, & opibus illuſtris, adiunxit ſe Amenio Pythagorico, viro genere, & diuitijs contempto honeſto tamen, & probo, vt cum iſto vitam quietam, & tranquillam duceret; multa ſcripſit tam carmine, tam ſoluta oratione in Philoſophia, præſertim quod omnia ſint vnum finitum, & immobile.

99. Meliſſus teſte Laertio *lib.* 9. fuit patria Samius, Ithegenis filius, Parmenidis auditor, & Heracliti familiaris, fuit vrbanitate, & morum ciuilitate maximè ornatus, ex quo effectum eſt, vt eſſet ſuis ciuibus maximè charus, atque acceptus. Hic ſui magiſtri ſententiam ſecutus eſt, docens omnia eſſe vnum infinitum tamen, & immobile; vt illis obijcit Ariſtoteles, licet multi putent eum non rectè horum philoſophorum mentem retuliſſe; vnde Simplicius *in comment. huius ſecundi cap.* longa digreſſione conatur eos Ariſt. impoſtura liberare; neque credendum eſt hos viros doctiſſimos ita ſtupidos fuiſſe vt crederent nullam dari rerum multitudinem, neque motum, cum iſta ſenſibus pateant. Aliqui ergo, vt Eudemus apud eumdem ſimplicium cenſet, quod per vnum ens, & immobile intellexerunt cælum, aut totum vniuerſum, ſeu mundum. Vniuerſum namque vnum eſt, cum omnia contineat, & cuncta in eo retineant vnitatem, dicitur immobile, quia licet ſecundum partes moueatur, non tamen ſecundum ſe totum; finitum ſecundum Parmenidem, quia certã, determinatamque habet naturam. Infinitum verò ſecundum Meliſſum, quia principio, fineque caret, cum conſtet figura ſphærica in qua neque principium, neque finis reperiuntur. Hinc Laertius ita de Meliſſo ſcribit. *Placuit autem ei vniuerſum infinitum eſſe, & immutabile, atque immobile, & vnum, ſibi ipſi ſimile, ac plenum, motumque non eſſe, verum videri eſſe.* Galenus *in tex. Videntur autem non rectè, &c. de natura hominis*, putat hos philoſophos nomine vnius, & immobilis, intellexiſſe materiam primam, quæ ſit omnium rerum principium, cum ex ea omnia fiant, & tamen eſt vna numero; hanc vocant immobilem, quia neque oritur, neque interit, neque vllis ſubeſt mutationibus, vocatur finita, ex definita eſſentia: vocatur infinita, ob immenſam illius potentiam, quoniam innumeras formas apta eſt recipere.

100. Alij vt Philopponus *in comment. huius cap.* Plotinus *Aeneades lib.* 1. *cap.* 8. & alij plures altius hos philoſophos interpretantes putant quod his inferioribus neglectis ad ſuperiora, & æterna ſe conuerterint, nomineque vnius, Deum O.M. intellexiſſe, in quo tanquam in omnium rerum conditore, cuncta ſunt vnita, & vnum, licet in ſe ipſis ſint multiplicata; iuxta doctrinam Theologorum, quod in Deo ſint rerum omnium ideæ, quæ realiter, & formaliter ſunt ipſa diuina eſſentia, & ſic volebant

Digitized by Google

Deum eſſe omnium rerum principium, immobile, licet det cuncta moueri. Hoc principium volebat Parmenides eſſe finitum, ob naturam finitam,& infinitam volebat Meliſſus, ob naturam infinitam; ſed quicquid ſit de horum Philoſophorum ſenſu, dato quod fuerit ille, quem eis Ariſtoteles inſcribit, tunc verè, & fortiter eos impugnat. Vnde relicta ſententia Parmenidis, & Meliſſi, pono alias aliorum Philoſophorum ſententias.

101. Secunda ſententia in ordine fuit Thaletis, vt colligitur ex 1. *metaph.* qui aquam ponebat omnium rerum principium, eo fundamento ductus, quia videmus omnia viuentia humido conſtare, quam ſententiam ſecuti ſunt ſex Sapientes Græciæ, vt notat Cicero *lib.4. q. Academ*. Tertia ſententia fuit Diogenis, & Anaximenis, qui aerem omnium rerũ principium fecerunt. Quarta fuit Heracliti, qui ignem volebat eſſe omnium rerum principium. Quinta fuit Heſiodi aientis terram eſſe rerum omnium principium. Sexta fuit aliorum, qui ponebant rerum omnium principium vaporẽ, qui neque eſt aer, neque aqua,ſed mediũ quid inter vtrumque. Hæ omnes ſententiæ in hoc conueniebant,quod vnum tantum eſſet rerum omnium principium.

102. Sexta ſententia ponit infinita rerum principia, & ſunt illæ particulæ indiuiſibiles,ex quibus res componuntur, quæ particulæ vocantur atomi. Sic tenebat Anaxagoras. Hos autem atomos diuidebat in varias ſpecies, nam aliquos volebat eſſe duros ex quibus oſſa componerentur,alios molles ex quibus caro, & reliqui humores conſtarent; alios calidos ex quibus fierent partes, & res calidæ, vt ignis;alios frigidos,ex quibus partes frigidæ,& res frigidæ conſtãt,vt aqua. Ex his infinitis atomis volebat, quod prius fuerit quoddam compoſitum confuſum quod vocabat *Chaos*, & ab hoc mens, ſcilicet Deus ſeparauit, & diſtinxit rerum ſpecies. Dicebat præterea, quod in ſingulis indiuiduis contineantur atomi omnium ſpecierum, licet nonniſi proprij appareant, & hoc modo fiunt generationes, quatenus atomi occulti, manifeſtantur. Vocabat hos atomos indiuiſibiles. Non quia eſſent ſicut puncta, ſed quod vltra actuali diuiſione diuidi non poſſint.

103. Septima ſententia fuit Anaximandri, qui non ex atomis Chaos factũ dicebat, vt Anaxagoras,ſed ex chao atomos fuiſſe factos, & inde cœtera. Octaua ſententia fuit Democrati, qui dicebat omnia eſſe facta ex atomis eiuſdem rationis, & eſſentialiter non differentibus, ſed tantum figuris,vt quidam eſſent triangulares quidam quadrangulares,& aliarum figurarum, item quidam habebant vnum ſitum, alij alium, & ratione diuerſorum ſituum, quidam calidi, quidam frigidi, &c. In hoc iſti conueniebant, quod principia ponerent infinita.

104. Alij poſuerunt principia finita, ſed pluſquam vnum; nam de Parmenide dicitur, quod licet in vno opere poſuerit vnum tantum principium, tamen in alio poſuit duo, ſcilicet ignem, & terram, licet aliqui velint fuiſſe duo ſecundum apparentiam,at vnum ſecundum exiſtentiã. Alij poſuerunt tria elementa, vt terram, ignem, & aquam. Alij omnia quatuor, vt Empedocles, & Hippocrates. Plato dicebat principia eſſe magnum, paruum, & ideam, per magnum, & paruum intelligebat materiam primam, quæ magna eſt ratione capacitatis ad recipiendas omnes formas,& parua eſt ratione entitatis, quæ eſt debiliſſima. Per ideam intelligebat formam quandam ſeparatam, vt plerique volunt cum Ariſtotele. Pythagoras volebat rerum principia eſſe par, & impar. Per par intelligebat materiam, quæ quoad ſe æquè recipit formas. Per impar intelligebat formam, quæ eſt ratio diuerſitatis, & differentiæ.

105. Sed quæres 1. quinam philoſophi dicerentur naturales apud antiquos & quinam non naturales? Reſp. quod illi dicebantur naturales, qui ponebant principia mobilia,ſeu motum in natura, cum enim motus ſit paſſio naturæ, qui hanc paſſionem ponebant, naturales dicebantur. Qui verò ponebant principiũ immo-

Digitized by Google

immotum,ſeu naturam immotam,& motum negabant, vt Parmenides, & Meliſſus, dicebantur innaturales, ſeu non naturales. Iſti innaturales nullam ſubſtantiæ generationem ponebant de nouo, ſed dicebant quod mutationes aut eſſent ſecundum apparentiam, vt Anaxagoras, aut ſecundum accidentia tantum, vt reliqui, ex varia ſcilicet denſatione, rarefactione, aut elementorum compoſitione.

106. Quæres 2. quinam Philoſophi poſuerint mundum ab æterno? Reſp. quod omnes illi, qui negarunt motum, iſti nãque ſaltem materiam poſuerunt ab æternon, non vt eſſet ſubiectum tranſmutationis accidentalis, quia hanc negabant, ſed vt eſſet ſubiectum, vel tranſmutationis apparentis, vel accidentalis.

§. 2. *Quid ſit principium in genere.*

107. NOn poſſumus rectè principia entis naturalis explicare niſi prius explicemus naturam, & eſſentiam principij in genere, Ariſtoteles ergo 5. *metaph. tex.* 1. definit principium vniuerſaliſſimè, nam explicatis varijs modis principiorum, ſic concludit. *Omnibus autem principijs commune eſt eſſe primum, vnde aliquid aut eſt, aut ſit, aut cognoſcitur.* Ex quibus verbis deſumitur hæc principij definitio in communi. *Principium eſt primum vnde aliquid aut eſt, aut ſit, aut cognoſcitur.* Hanc definitionem recipiunt communiter omnes, quam explicare oportet.

108. Dicitur *principium* in latiſſima quadam acceptione, ſiue ſignificet verũ ens ſiue phyſicum, ſiue metaphyſicum, aut non ens, vt negationem, qua in ſignificatione, etiam nihil poteſt dici principium, ex Ariſt. 4. *metaph. tex.* 2. Item finis propter quem aliquis operatur poteſt dici principium in ſuo genere, licet aliàs ſit impoſſibilis; quare ad rationem principij non requiritur quod ſit verum ens. Illa particula *vnde* intelligi debet latè nõ ſolùm, vt denotat cauſam efficientem, quę dicitur *principium vnde motus*, ſeu *vnde incipit motus*; ſed etiam vt ſignificat terminum *à quo*, quo ſenſu particula *vnde* aliquando accipitur. Imò etiam accipitur vt ſignificat non ſolum quamcumque dependentiam, aut influxum, aut deriuationem, qua ratione materia dicitur principium formæ materialis, cum ſit id vnde eſt forma, ſeu id vnde forma educitur; & punctum dicitur principium lineæ, cum ex eo linea deducatur, aut educatur, ſeu exorditur; ſed etiam vt dicit originẽ puram ſine dependentia, qua ratione in diuinis Pater dicitur principium Filij.

109. Dicitur *primum*, vt detur intelligi quod principium abſolutè non debet habere aliud prius ſe in eo genere in quo eſt principium; non eſt tamen neceſſe vt ſit primum in omni genere, & ſic materia prima eſt principium in ſuo genere, quia ante ſe non habet aliam materiam. Sicuti autem principium accipitur aliquando abſolutè, & ſimpliciter; ita etiam interdum accipitur ſecundum quid, & in ordine ad aliqua, vt cum dicimus hæc hora eſt principium huius diei, & hæc dies eſt principium huius anni. Ita etiam particula *primum* aliquando accipitur abſolutè, & ſic ſignificat id quod non habet aliud ſupra ſe in illo genere. Aliquando ſecundum quid, & ſignificat id quod ſaltem in ordine ad aliqua eſt primum.

110. Dicitur *aut eſt, aut ſit, aut cognoſcitur*, vt ſignificetur quod quælibet res in triplici ſtatu conſiderari poteſt. Primò abſolutè in ſuo eſſe: ſecundò in ſuo fieri; tertiò in ſuo cognoſci, ſeu in ordine ad intellectum. v. g. homo conſiderari poteſt in ſuo eſſe, quo modo conſtat anima, & corpore, & hoc modo iſtæ duæ partes ſunt eius principium. Poteſt etiam conſiderari in fieri, & hoc modo tam materia, quam forma, & priuatio, poſſunt dici hominis principium; poteſt etiam conſiderari in ordine ad intellectum, quo etiam modo poteſt dici principium ſuæ cognoſcibilitatis; ex quo colligitur dictã definitionem eſſe vniuerſaliſſimam, cum complectatur res non ſolùm vt ſunt extra animam, vel in fieri, vel in facto eſſe, ſed etiam vt ſunt in anima.

111. Ex quibus infertur quod nomen

men principij ſic explicati magis latè patet, quam nomen cauſæ propriè dictæ. Cauſa nãque propriè dicta non eſt quodcumque principium, ſed tale quod ex eo effectus habeat veram dependentiam, & diſtinctam entitatem ſaltẽ numero, quod maximè verum eſt cum cauſa eſt extrinſeca, vt patet inter ignem genitum, & generantem, vt rectè docet S.Doctor *1.p. q.33. art.* 1. At principium in genere eſt illud à quo aliquid quomodocumque procedit, aut ſecundum ordinem, aut ſecundum locum, aut ſecundum generationem, aut ſecundum proceſſionem, &c. Et ita punctum eſt principium lineæ; Pater eſt principium generationis; non eſſe eſt principium mutationis, cum tamen non ſit vera cauſa. Sic Pater in diuinis eſt principium filij, non tamen eſt cauſa, quia Pater, & Filius ſunt vna, & indiuidua ſubſtantia: quod ſi aliquando Græci Patres appellarunt Patrẽ cauſam filij, vſi ſunt nomine cauſæ latius prout coincidit cum principio, quo ſenſu interdum vtitur Ariſt. vt 4. *metaph. tex.3.* vbi docet principium, & cauſam dici ad conuertentiam.

§.3. *De quibus principijs hic diſputet Ariſtoteles.*

112. PRo intelligentia difficultatis ſciendum eſt 1. ex alibi dictis quod principia in ſcientijs ſunt in duplici differentia, alia enim ſunt complexa, & ſunt quædam propoſitiones indemonſtrabiles, quæ in ſcientia ſupponuntur, vt *omne totum eſt maius ſua parte, ſi ab æqualibus æqualia demas, quæ remanent ſunt æqualia*, &c. Alia ſunt incomplexa, qualia vt plurimum ſunt cauſæ conſtituentes ſubiectum vnde fluunt proprietates, vt ſunt in homine anima, & corpus, & in quocumque compoſito ſubſtantiali materia, & forma. Huiuſmodi autem cauſæ ſubiecti ſunt duplicis generis, aliæ ſunt externæ, quæ non componunt intrinſecè ipſum ſubiectum, qua ratione cœlum eſt cauſa animalium, & ſanitas eſt cauſa ſumptionis medicinæ. Aliæ ſunt cauſæ internæ, ſeu intrinſecæ, & dicebantur ab antiquis elementa, ſeu principia, & ſunt illæ, ex quibus intrinſecè aliquid conſtituitur, vt homo ex materia, & forma; vnde ad hunc ſenſũ litteræ dicuntur elemẽta ſyllabarum. Item principia alia ſunt per ſe, alia per accidens. Per ſe illa ſunt ex quibus neceſſariò aliquid originem habet; ſic efficiens eſt per ſe principium mutationis. Per accidens ſunt illa ex quibus contingenter, & non per ſe aliud eſt, vt ſi muſicus ædificet, ædificatio per accidens eſt à muſico, vt muſicus eſt. Quantum pertinet ad ſcientiam naturalẽ, ſeu ad phyſicam in illa aliqua dicuntur principia communitatis, alia cauſalitatis, pro quo.

113. Sciendum eſt 2. quod in omni mutatione naturali intrinſecè, & neceſſariò tria requiruntur, vt infra oſtendetur, ſcilicet materia, quæ eſt ſubiectum mutationis forma, & priuatio, quæ ſunt termini, illa *ad quem*, hæc *à quo*; omne enim quod mutatur tranſire debet de aliquo non eſſe, ad aliquod eſſe, vel è contra; ſi enim res ſemper in eodem eſſe maneret, vel in eodem non eſſe, nunquam mutaretur. Tria ergo requiruntur ad mutationem ſubiecti, terminus à quo, terminus ad quem, & ſubiectum ipſum quod tranſit, ſeu tranſitus. Et quia iſta ſunt communiſſima omni mutationi, ideo dicuntur principia communitatis. Cœterum principia cauſalitatis ſunt principia intrinſeca ſubſtantiæ, videlicet materia, & forma ſubſtantialis, quæ dicuntur principia cauſalitatis, quia ſunt cauſæ non ſolum compoſiti, ſed etiam omnium accidentium ad phyſicam conſiderationem pertinentium.

114. Quærimus ergo de quibus principijs loquatur Ariſtoteles, & diſputet; de qua re certum eſt non diſputare de principijs complexis phyſicæ, hæc enim ſupponuntur à phyſica, cum vnaquæque ſcientia ſua ſupponat principia cõplexa. Eſt etiam certum quod Ariſt. non diſputat de principijs externis ſubiecti phyſicę neque enim phyſicus diſputat de cauſa efficiente: aut finali entis mobilis, ſed ex quo-

ex quonam principio interno, vel ex quibus elementis conſtet ens mobile, & totus mundus. Et multò minus non diſputat de principijs per accidens, cum iſta per ſe non pertineant ad ſcientiæ conſiderationem. Vnde ſolum reſtat difficultas an Ariſtoteles diſputet hoc loco ſolum de principijs internis, ſeu intrinſecis, de qua re pono ſequentem concluſionem.

115. *Ariſtoteles hic primò, & per ſe ſolum diſputat de principijs intrinſecis, ſeu internis ſubſtantiæ naturalis generabilis, ſeu ſolum diſputat de principijs cauſalitatis, & in ordine ad iſta diſputat etiam de principijs communitatis*. Eſt communis ſententia, pro qua videri poſſunt Themiſt. *tex.* 50. Zabarella hoc loco. Piccol. *in lib. de placit. philoſ. cap.* 1. & alij paſſim. Ratio colligitur ex toto *cap.* 2. & 3. vbi clarè inueſtigat prima principia intrinſeca rerum naturalium, ſeu inueſtigat quænam ſint rerum naturalium prima elementa, cum de ijs eſſet controuerſia inter antiquos; ſed huiuſmodi principia, ſeu elementa, debent eſſe ſubſtantialia, accidentia námque neque componunt ſubſtantiam, neque poſſunt eſſe prima principia, cum ſubſtantiam ſupponant, & principia ſubſtantialia; ergo de huiuſmodi principijs ſubſtantialibus primò, & per ſe diſputat hoc loco Ariſtoteles. Ad hæc autem inueſtiganda opus fuit dicere aliqua de mutatione naturali in communi, eiuſque principijs, vt ex analogia, & proportione ad reliquas mutationes, maximè ad valdè notas, principia mutationis ſubſtantialis faciliùs inueſtigarentur, quæ ſunt nobis magnis ignota.

116. Sed obijcies 1. nam Ariſt. hic *tex.* 57. dicit ſe velle agere de omni generatione, ſic enim habet. *Sic igitur dicamus, primum de omni generatione aggredientes, eſt enim ſecundum naturam communia primum dicentes, ſic circa vnumquodque propria ſpeculari*, vbi videtur dicere, quod antequam agat de tribus principijs ſubſtantialibus, vult prius agere de generatione ſecundum quandam confuſam rationem, quæ illi communis eſt, cum alijs mutationibus accidentalibus, vt ibi docent expoſitores. Reſp. concedendo totum, vt enim dicebamus primò, & per ſe agit Ariſtoteles de principijs intrinſecis, & ſubſtantialibus, ſecundariò autem etiã de alijs, vt ex his, illa facilius cognoſcerentur; ordine namque doctrinæ à communioribus, & facilioribus eſt incipiendum.

117. Obijcies 2. quoniam Ariſt. nullibi egit de principijs communitatis niſi hoc loco; ergo per ſe hic egit de illis. Reſp. tranſeat antecedens, & diſtinguitur conſequens; ergo per ſe egit de illis, ideſt nõ in ordine ad aliud, negatur conſequentia, per ſe ideſt non omnino per accidens, conceditur, & hoc non eſt contra nos.

§. 4 *An ad phyſicum ſpectet inueſtigare, & probare ſua principia.*

118. Diximus §. præcedenti, mentẽ Ariſtotelis hoc loco eſſe inueſtigare primò, & per ſe principia prima & intrinſeca, ſubſtantiam naturalem conſtituentia, & in ordine ad hæc inueſtigari prima principia omnis mutationis, nunc quæritur an hoc faciat Ariſtoteles; vt phyſicus, & per media phyſica, an vt metaphyſicus, & per media metaphyſica.

119. Pro clara difficultatis intelligentia ſciendum eſt, quod principia prima incomplexa ſcientiæ, de quibus hoc loco quærimus, ſunt in duplici differentia, nã alia dicuntur principia doctrinæ, & vocari ſolent principia cognoſcendi; & alia dicuntur principia materiæ, & alio nomine dicuntur principia eſſendi. Principia cognoſcendi dicuntur illa, quæ in ſcientia ſupponuntur, vt nota ſecundum nos, quamuis ſint alij effectus, vel aliqua accidentia; omnis enim cognitio diſcurſiua fit ex aliqua cognitione præexiſtente ac proinde hæc vocãtur principia doctrinæ tantum, quia tantum ſunt nota ſecundum nos. Principia verò eſſendi, ſeu materiæ ſunt cauſæ, quæ licet natura ſua ſint notiores, quam effectus, tamen ſecundum nos ſæpè ſunt ignotiores, propter quod non dicuntur principia doctrinæ, eo quod

via

viâ doctrinæ eſt à notioribus nobis, quatenus ex nobis notioribus inferimus notiora naturæ. His poſitis rem totam tribus concluſionibus explicamus.

120. Prima concl. *Principia cognoſcendi, ſeu prima principia doctrinæ in phyſica, vt ſunt motus, multitudo rerum ſenſibilium, qualitates ſenſibus manifeſtæ, & ſimilia, ſi negentur, ita vt negetur ſenſus, & experientia, non poſſunt probari à phyſico per media phyſica, & propria*. Hoc idem dicendum eſt de quacumque alia ſcientia particulari. Ita Ariſt. hoc loco *tex.* 8. dicens. *Itaque ſi vnum, atque immobile ſit id quod eſt, conſiderare, non eſt de natura ſpeculare*; Ideſt non eſt diſputandum contra eos, qui dicunt vnum, atque immobile rerum eſſe principium, hoc enim minimè conuenit philoſopho naturali. Et hoc confirmat ſubdens. *Vt enim & Geometræ non amplius eſt ratio ad eum, qui deſtruit principia, ſed aut alterius eſt ſcientiæ, aut omnium communis*. Quorum verborũ ſenſus eſt, vt ibi tradunt expoſitores, quod ſi quis negauerit principia Geometriæ, nullam habet rationem Geometra, quam contra negantem afferat, ſic enim propria demonſtraret principia, cum tamen eorum probatio, vel ad metaphyſicam pertineat, quæ omnia ſcientiarum principia probat, vel ad Dialecticam, quę de omnibus rebus diſputare conſueuit. Vnde ſi quis rerum naturalium principia neget, contra eum philoſophus naturalis diſputare non poteſt. Et ratio eſt manifeſta, nam omne quod probatur in aliqua ſcientia, debet probari ex aliquo prius noto; ſed prima principia doctrinæ nihil habent prius notum in ſua ſcientia, ergo ſi negẽtur non poſſunt probari; probari tamen poſſunt à metaphyſico, deducendo negantem ad impoſſibile; quod ſi aliquis negaret etiam principia metaphyſicæ, contra hunc nullatenus eſſet argumentandum, niſi fortè ad hominem ex aliquibus principijs ab ipſo conceſſis, vt colligitur ex Ariſt. 4. *metaph. ſumma ſecunda*.

121. Secunda concl. *Principia doctrinæ, ſeu cognoſcendi ſi ſupponantur vt nota ſecundum ſenſum, poſſunt à phyſicò demõſtrari à priori per regreſſum demonſtratiuũ, in demonſtratione propter quid*. Hæc concluſ. nota eſt, nam principia cognoſcendi ſæpe ſunt paſſiones, & effectus per quos inuenta cauſa poſſumus deinde regrediẽdo ad intellectiuam notitiam, eos probare, & à priori demonſtare. Vnde bene dicunt aliqui, quod huiuſmodi paſſiones, vel effectus probari poſſunt in regreſſu quoad eſſentiam, quoniam in tali regreſſu ſcimus propter quid ipſarum paſſionũ, vel ipſorum effectuum, cum prius tantum ſciremus quod eſt vel quia eſt. Item in regreſſu, paſſiones demonſtrari poſſunt quantum ad eſſe poſſibile, nam ex eo, quod omne corpus v.g. habet naturam, non infero quod actu moueatur, ſed quod ſit mobile, & ſic de alijs.

122. Tertia concl. *Principia eſſendi, quę in phyſica ſunt principia naturæ, poſſunt à phyſico probari per propria media*. Hæc etiam concl. nota eſt. Principia namque naturæ poſſunt inueſtigari, & probari per principia doctrinæ; vnde per motum, & mutationem inueſtigare, & probare poſſumus principia intrinſeca corporis naturalis. Ex quo infertur quod diſputatio de principijs contra antiquos partim eſt metaphyſica, & partim phyſica, iuxta id quod magis, aut minus antiqui concedebant, aut negabant de principijs doctrinæ Phyſicæ. Videantur Iauellus, Iandunus, & alij hoc loco.

123. Sed dices, quod ſicut res ſe habet ad eſſe, ita ad cognoſci, ergo ſunt eadem principia eſſendi, & cognoſcendi. Reſp. quod illud commune dictum dupliciter intelligi poteſt. Primò de cognitione ſimplici ſine vllo diſcurſu, & ſic vniuerſaliter verum eſt, quod ſcilicet cognitio ſi vera eſt debet eſſe conformis rei, hoc enim ſignificat illud commune dictũ; debet autem eſſe conformis, vel adæquatè, vel inadæquatè; ideſt debet cognitio conformari rei ſecundum illum modum quo circa illam verſatur; ita vt ſi totam rem cognoſcere velimus, toti rei cognitio adæquari debet, vel diſtinctè, vel cõfusè, & ſi partem, aut aliquam perfectio-

nem, debet illi parti, aut perfectioni conformari, prout res illa apta eſt concipi. Quod ſi loquamur de cognitione illatiua tunc iterum diſtinguendũ eſt antecedens, nam natura ſua quidem res ita ſe habet ad eſſe, & ad cognoſci; non tamen ſemper ſecundum nos; cum enim natura ſua poſterius deberet cognoſci per prius, & effectus per cauſam, tamen ſecundum nos prius cognoſcitur poſterius, & cauſa per effectum, qua propter diximus, quod in phyſica alia ſunt principia doctrinæ, alia naturæ.

§.5. *Quid ſenſerit Ariſtoteles de rerum naturalium principijs, & an illa rectè inueſtigauerit.*

124. De hac re hoc loco tractant expoſitores, vt D. Thomas, Iandunus, Zabarella, Pendaſius, Iauellus, & alij, qui omnes à *tex.* 41. *vſque ad* 56. quærunt, & inueſtigant an rectè Ariſtoteles rerum naturalium principia inueſtigauerit, contra diuerſas antiquorum ſententias §. 1. relatas. Pro quo nota, quod Ariſt. primò vel ſupponit, vel certè probat ex communi loquendi modo, quod in generatione duplicem mutationem, ſeu duplex fieri diſtinguere poſſumus; ſicut omnia vel ſunt ſubſtantia, vel accidens, ita duplex fieri datur, aliud ſcilicet ſubſtantiæ, & aliud accidentium, quæ duo fieri explicari ſolent per hos modos loquendi, nam aliquando abſolutè, & ſimpliciter dicitur aliquid fieri, vt homo fit, quo ſignificamus generationem ſubſtantialem. Aliquando dicitur aliquid fieri tale, ſeu ſecundum quid, vt lignum fit calidum, quo ſignificamus generationem accidentalem, in qua ſubiectum non fit abſolutè, ſed fit tale, vel tale. Hæc autem accidentalis generatio, ſeu mutatio eſt duplex, vna artificialis nobis notiſſima, & alia naturalis; artificialis eſt vt cũ ex aliquo lapide, vel ligno per ſubtractionem aliquarum partium, vel additionem aliarum fit cathedra, vel ſtatua, &c. Naturalis eſt cum per actionem cauſarum naturalium aliquid ex frigido fit calidũ, & è contra, de quibus multa docet Ariſtoteles.

125. Poſtea incipit Ariſt. probare quod in omni mutatione accidentali debent dari tria principia neceſſaria, & intrinſeca. Primò namque datur ſubiectũ in quo motus, ſeu mutatio recipiatur, & dicitur id in quo, vel ex quo fit id quod fit, ex nihilo enim nihil fieri poteſt, vt cũ omnibus antiquis ſupponit Ariſt. *tex.* 34. quod principium loquendo de agente quolibet creato, veriſſimum eſt, tum ratione, tum experientia; videmus enim quod id quod fit, ex aliquo fit tanquam ex prinnipio præexiſtente, & inhærente in re ipſa quæ fit, & hoc appellatur ſubiectum, vnde ſi homo fiat calidus ipſe eſt ſubiectum in quo recipitur calor, & ex cuius potentia educitur. Secundo præter ſubiectum in omni mutatione reperiuntur duo alia principia contraria, vnũ vt terminus *a quo*, alterum vt terminus *ad quem*, cuius ratio nota eſt, nam omnis mutatio debet eſſe ex aliquo non eſſe, ad aliquod eſſe, vel è cõtra; illud enim quod per mutationem producitur, non poteſt prius fuiſſe actu, aliàs non produceretur; id namque quod eſt, dum eſt nõ fit, quod ſi fit, prius non fuit. Id è contra quod corrumpitur debet prius fuiſſe, ſi enim non fuiſſet, nunc non corrumperetur. Igitur omnis mutatio eſt ex aliquo non eſſe, in aliquod eſſe, vel è contra. Cœterum quia non ex quolibet non eſſe fit quodlibet eſſe, vt multis probat Ariſt. *tex.* 43. *cum ſeq.* ſed ex determinato non eſſe fit determinatum eſſe; v.g: non dicitur quod ex non albo fiat muſicum, *ſed muſicum* fit ex non muſico, neque dicitur quod ex muſico fiat nigrum, niſi per accidens, ſed quod ex muſico fiat non muſicum, ſeu immuſicum. Hinc eſt vt hoc determinatum eſſe, & hoc determinatum non eſſe, quæ in quauis mutatione requiruntur, dicantur principia contraria, quoniam vnũ expellit aliud. Illud autem quod eſt ſubiectum vtriuſque, quod ſcilicet nunc eſt ſub vno, nunc ſub alio, dicitur materia, quod manifeſtè patet in mutatione artificiali; cum enim ex ligno fit ſtatua, lignum

gnum prius erat rude, & informe poſtea formatum. Informitas autem illa, & forma habent ſe vt contraria, & lignum quod nunc eſt ſub vna, nunc ſub alia, ſe habet vt ſubiectum. Et ſic in omni mutatione accidentali, tria reperiuntur principia, ſcilicet materia, & duo contraria, quæ ſunt priuatio, & forma.

126. Quod dicimus de mutatione accidentali probat Ariſtoteles per quamdam analogiam, & proportionem reperiri in mutatione ſubſtantiali; nam ſicut in illa requiritur aliquod ſubiectum commune, quod ſit ſub vtroque contrario, ita etiam in hac, ex quo fiat id quod fit, quod ſubiectum prius fuerit ſub termino *à quo*, & poſtea ſub termino *ad quem*; hoc autem eſt materia prima quæ prius erat v. g. ſub forma ligni, & habebat priuationem formæ ignis, poſtea per mutationem ſubſtantialem relinquit formam ligni, & accipit formam ignis. Vnde concludit Ariſtoteles tria eſſe principia cuiuſcumque mutationis ſcilicet materiam, formã, & priuationem, tamen in facto eſſe duo tantum eſſe principia rei quæ fit, videlicet materiam, & formam, priuatio namque non poteſt eſſe in eodem ſubiecto cum forma; omne enim quod fit actione productiua eſt compoſitũ ex ſubiecto, & forma. Tria ergo ſunt principia rei in fieri, materia, forma, & priuatio, & duo in facto eſſe, materia ſcilicet, & forma; hæc ergo eſt Ariſt. ſententia de principijs ſubſtantiæ generabilis, eſt ingenioſa, & vera, quæ rem breuiter, & clarè concludit.

127. Hoc poſito Ariſtoteles à *tex.* 71. incipit ſoluere maximam dubitationem antiquorum negantium aliquid generari, & corrumpi. Dicebant namque id quod generatur, vel fit ex eo quod eſt, vel ex eo quod non eſt, ſi primum ergo non fit, quia iam eſt: ſi ſecundum, neque fit, quia ex nihilo nihil fit. Huius argumenti vis ſic explicari poteſt. Accipiamus v.g. hoc lignum quod ponimus eſſe de nouo factum, tunc ſic formatur argumentum. Vel nihil huius ligni prius erat, vel totum lignum erat, vel aliquid erat, & aliquid non erat; nec aliud dici poteſt; ſi nihil erat, ergo creatum eſt ex nihilo: ſi totum erat; ergo non eſt factum de nouo; ſi pars erat, & pars non erat, ſequitur idem, nam parũ quæ erat non eſt facta de nouo; illa autem quæ non erat, facta eſt ex nihilo. Ad hoc argum, ſic occurrit Ariſt. quod lignum factum eſt ex materia prima, quæ prius erat in potentia ad formam, ſeu eſſe ligni, & quia prius habebat priuationem ligni, quæ formaliter eſt non ens, hinc dici poteſt, quod formaliter factum eſt ex non ente, & aliquo modo ex ente. Ex ente quidem in potentia ad eſſe ligni, per accidens autem ex non ente quatenus factum eſt ex materia, cui accidit eſſe non lignum, nempè priuatio ligni. Nihil ergo, inquit Ariſt. fit ſimpliciter ex ente, aut ſimpliciter ex non ente, ſed medio quodam modo, ſcilicet ex ente quidem in potentia, ex non ente autẽ per accidens; in qua ſolutione oſtendit naturam materiæ primæ, quæ eſſentialiter eſt potentia ad omnes formas. Hinc in forma ad argum. reſpondetur, quod illud lignũ neque totum præfuit, neque totum non præfuit, ſed pars illius præfuit nempè materia, quæ erat in potentia ad eſſe ligni, altera verò, nempè forma non actu præfuit, ſed in potentia, ſicuti, effectus dicitur præcedere in ſua cauſa; atque ita neque hæc pars facta eſt ex nihilo, quia facta eſt ex illa potentia, & materia in qua præfuit, & hoc voluit Ariſt. in ſua ſolutione.

128. Sed obijcies 1. contra Ariſtotelem, nam intelligi poteſt generatio ſubſtantialis ſine materia, & forma, ergo Ariſt. non fuit ſufficienter philoſophatus; antecedens patet ſi dicamus ſubſtantiam ignis eſſe ſimplicem ſine compoſitione ex materia, & forma; ſimiliter ſubſtantiam ligni, ex quo ignis fieri debet, ac proinde poſtquam lignum diſpoſitum eſt per alterationem, vt fiat ignis, in vltimo inſtanti diſpoſitionis perfectæ, tota ſubſtantia ligni mutatur in ſubſtantiam ignis, ita quod nihil ſubſtantiæ ligni maneat in igne, eo modo quo ſecundum fidem dicimus de Sacroſancto Euchariſtiæ Sacramento, quod per cõſecrationem tota ſubſtantia panis tranſit in ſubſtantiam corporis Chriſti D. vt nihil panis maneat niſi accidentia. Reſp. negando ante-

antecedens. Ad probationem dico implicare, quod fiat naturaliter illa ſubſtantiarũ totalium ſucceſſio. In illo namque inſtanti in quo generatio perficeretur, & inciperet eſſe ignis, verè perficeretur ex nihilo ſubiecti, atque adeo eſſet ex nihilo ſimpliciter, quoniam in illo inſtanti in quo inciperet eſſe ignis, non eſſet lignum, quia ſimul eſſe non poſſunt, atque ita in hoc inſtanti nullum haberent ſubiectum circa quod agens eſſet; ignis namque non poteſt eſſe ſubiectum ſui ipſius. Cum ergo omne agens naturale exigat aliquod ſubiectũ, vt incipiat actionem, ita vt perficiat, & abſoluat; ita vt in quocumque inſtanti intelligatur deſtrui ſubiectum, deſinat operari, propterea quia impoſſibile eſt aliquid fieri naturaliter ex nullo ſuppoſito ſubiecto.

129. Alia etiam ſolutio adhiberi poteſt præcedenti argum. quoniam diſpoſitiones requiſitæ ad formam ignis v. g. non ſolum debent dari ante inſtans generationis quando diſponitur lignum, ſed etiam in ipſomet inſtanti generationis, tanquam quid neceſſarium ad ſubſtantiam ignis; iſtæ autem diſpoſitiones vel exiſtunt per ſe ſine ſubiecto, & ſic nõ eſſent accidentia, vel exiſtunt in ſubſtantia ligni tanquam in ſubiecto, & hoc non, cum in eo inſtanti nõ ſit, vel exiſtunt in ſubſtantia ignis, & neque hoc, cum adhuc non ſit, debet ergo dari cõmune ſubiectum in quo ſaltem in virtute maneant, vt determinent ad formam ſubſequentem.

130. Obijcies 2. nam generatio ſubſtantialis intelligi poteſt ſine materia, vt ſi dicamus dari multa corpuſcula patua cuiuſcumque ſpeciei entis, vt ligni, ignis, carnis, oſſis &c. quæ ſint inter ſe diuiſa, quæ poſtea permixta cum alijs fiat generatio, vt tunc generetur ignis cum multa huius ſpeciei corpuſcula, ſeu atomi vniuntur; & tunc generetur caro, cũ multa corpuſcula carnis vniuntur, &c. & ſic deinceps. Reſp. negatur antecedens, nam datis illis corpuſculis adhuc non ſequeretur generatio, nullus enim dicit, quod fiat ligni generatio, cum multa ligna, aut ligni corpuſcula vniuntur, ſimulque ponuntur, nullus dicit gigni carnem, aut os, cum multæ carnes, aut oſſa ſimul ponuntur. Tum quia in rebus animatis, vt fieret generatio deberent dari corpuſcula, ſeu atomi animati, vt fieret animati generatio, quod ridiculũ eſt.

§. 6. *An re ipſa prima rerum naturalium principia ſint tantum tria.*

131. Præcedenti §. explicuimus quid ſenſerit Ariſt. circa prima rerum naturalium principia, reſtat vt videamus an re vera ſint illa tria ab Ariſtotele recenſita, ſcilicet tria quantum ad fieri, materia, forma, & priuatio, & duo quoad factum eſſe, ſcilicet materia, & forma, ſed quia ex dictis res clara eſt, & omnes ſequũtur Ariſtotelem, tam ex Græcis, quam ex Latinis, vt videre eſt in expoſitoribus hoc loco, ideo ſolum referemus argumenta, quæ in contrarium fieri ſolent.

132. Primum argum. nam motus cęli eſt verè, & propriè motus, & tamen ſecundum Ariſtotelem, neque habet terminum *à quo*, quia nunquam incæpit per eundem Ariſt. neque *ad quem*, quia nunquam per eundem abſoluetur; ergo datur aliquis motus, ſeu mutatio ſine dictis principijs. Reſp. quod ſecundum Ariſt. ſufficit vt motus habeat illos terminos, ſeu principia ſecundum quamcumque partem determinatam. Quęlibet namque pars, vt quælibet hora, quælibet dies incipit, & deſinit. Id autem vnde incipit eſt terminus *à quo*, & id in quod deſinit, eſt terminus *ad quem*, ſiue hi termini diſtinguantur realiter à motu, ſiue non. Cœterum totus motus ſecundum Ariſt. neque habet terminum *à quo*, neque *ad quem*, quia non poteſt accipi totus cum ſit quid indeterminatum; nos autem cum Ariſt. loquimur de principijs cuiuſuis mutationis determinatæ.

133. Secundum argum. principia, & cauſæ debẽt eſſe natura ſua notiores quam principiata ex Ariſt. hic *tex. 2. & 3.* ſed priuatio, & materia non ſunt notiora ſua toto compoſito, neque ipſa mutatione; ergo priuatio, & materia non ſunt principia. Minor probatur, nam priuatio eſt non ens, compoſitum, & mutatio eſt ens; non ens autem nõ poteſt eſſe natura ſua notius ente; item

te; item materia prima eſt pura potentia, eſt minimæ entitatis, ac proinde minimæ intelligibilitatis. Reſp. quod in primis priuatio non eſt principium in facto eſſe, ſed tantum in fieri, & ſic loquendo de priuatione in ordine ad compoſitum, quod non principiat, non debet eſſe natura ſua notior. Cæterum loquendo de priuatione vt eſt principium in fieri mutationis, & compoſiti, eſt notior, licet enim ſit non ens, poteſt tamen dici natura ſua notior cognoſcibilitate independentiæ, & quaſi cauſæ, quod genus cognoſcibilitatis nõ deſumitur à perfectione, & entitate, ſed ab independentia, vel dependentia. Maximè quia priuatio non principiat ſola, ſed cum materia, ac proinde ſimul ſunt notiora natura. Per quæ patet ad illud, quod dicitur de materia prima; nam eſt notior etiã compoſito, vt eſt principium, & cauſa, notoreitate independentiæ, licet compoſitũ ſit notius notoreitate perfectionis, & entitatis, de quo non diſputamus cum de principijs loquimur.

134. Tertium argum. Terminus *ad quem* omnis mutationis per ſe debet eſſe aliquod compoſitum, ex Ariſt. hic *tex.64.* & alibi, ſed terminus *ad quem* eſt principiũ mutationis; ergo compoſitum eſt principium mutationis, & ſic non erunt tantum tria principia. Præterea ſicut priuatio formæ eſt principium *à quo* mutationis, ita priuatio compoſiti erit aliud principium, & ſic erunt quinque principia rerum naturalium. Reſp. quod terminus *ad quem* mutationis proximus, & immediatus non eſt terminus *qui* ideſt compoſitum, ſed eſt forma, quæ eſt terminus quo, proximus, & immediatus; vnde compoſitum non poteſt dici terminus niſi ratione formæ, ac ſubinde nec principium niſi ratione formæ, in ſe enim eſt principiatum, non principium. Ad illud de priuatione compoſiti, patet ex modo dictis, ſicut enim compoſitum non eſt principium niſi ratione formæ, ita eius priuatio non erit principium niſi ratione priuationis formæ.

135. Quartum argum. in vnoquoque prædicamento eſt vna prima contrarietas ex Ariſt. hoc loco *tex.50.* vt in prædicamento ſubſtantiæ eſt eſſe, & non eſſe ſubſtantiæ, in prædicamento quantitatis eſſe, & non eſſe quantitatis; & ſic de alijs; ergo erunt viginti prima contraria, ac ſubinde viginti prima principia. Reſp. ex eodem Ariſt. concedendo antecedens, & diſtinguendo conſequens, erunt 20. prima contraria, & prima principia illorum generum ſeu prædicamentorum, conceditur: erunt 20. prima contraria, &c. abſolutè, & omnino prima, negatur.

136. Quintum argum. nã Ariſt. *tex.51* docet prima principia ſemper manere; ſed priuatio non ſemper manet, ſed deſinit per aduentum formæ, vt patet ex *tex.59.* ergo priuatio per Ariſtotelem non eſt principium. Reſp. Ariſtotelem loqui de principijs in facto eſſe, non de principijs in fieri. Vel dicas ſenſum Ariſt. eſſe quod principia ſemper manẽt, ideſt reperiuntur in omni mutatione, aliàs non eſſent principia omnium rerum contra Anaxagoram ponentem infinita principia priora, & poſteriora, quæ non omnia in quauis mutatione reperiebantur.

157. Sextum argum. nam Ariſt. hic *tex.43.* videtur dicere, quod terminus à quo mutationis ſit aliquid poſitiuum, ſic enim dicit. *Sed album quidem fit ex non albo, & hoc non ex omni, ſed ex nigro, aut medijs,* ſcilicet coloribus. Vnde *tex.47.* dicit quod quidquid fit, ex contrario fit, contraria autem ſunt poſitiua; verba Ariſt. ſunt. *Si ergo hoc verum eſt, omne vtique quod fit, fiet, & corrumpetur, quod corrumpitur, aut ex contrarijs, aut in contraria, & horum media; media autem ex contrarijs ſunt, vt colores ex albo, & nigro. Quare omnia vtique erunt, quæ natura fiunt, aut contraria, aut ex contrarijs.*

138. Reſp. quod terminus à quo mutationis productiuæ, ſiue generationis nunquam eſt aliquid poſitiuum, ſed eſt priuatio licet ſignificetur per terminos poſitiuos cum ipſa coniũctos; non enim omne quod fit, ex quacumque priuatione fit, ſed ex priuatione determinatè ſibi oppoſita; cum enim dicimus quod ex non albo fit album, poſſet aliquis petere quod albũ fiat ex quocumque non albo, atque ita cum cælũ

Digitized by Google

ſit non album poſſet inferre quod ex cælo fiat album, quod eſt falſum; vt ergo Ariſtoteles ſignificaret priuationem proximā, & determinatam poſuit illos terminos poſitiuos dicens quidem album fieri ex non albo, ſed non quocumque, ſed ex nigro, aut viridi, volens per hanc deſcriptionem explicare determinatam priuationem.

139. Septimum argum. priuatio eſt principium per accidens, vt ſæpè docet Ariſt. ſed principia per accidens poſſunt eſſe multa, vt docet idem Ariſt. *tex.*43. ergo vel priuatio non eſt numeranda inter principia, vel principia erant plura quam tria. Item priuatio eſt non ens, ergo non poteſt eſſe principium entis. Reſp. diſtinguendo antecedens. Priuatio eſt principium per accidens rei in facto eſſe, conceditur: in fieri, negatur. Nos autem diximus priuationem eſſe principium in fieri, non in facto eſſe. Et licet verum ſit quod non ens non poſſit eſſe principium entis in facto eſſe, bene tamen in fieri, & tanquā terminus *à quo*.

140. Octauum argum. nam non eſt vna tantum materia in omnibus, alia namque eſt cęlorum, alia elementorum, cæteratumque rerum ſublunarium. Neque eſt vna rerum omnium forma, ac proinde neque vna omnium priuatio; ergo principia rerum non ſunt tantum tria. Reſp. quod Ariſt. dum conſtituit rerum principia prima, non loquitur de eorum numero collectiuè, hoc enim ſciri non poteſt, ſicut neque ſciri poteſt rerum omnium numerus, ſed loquitur de rerum principijs diſtributiuè, & ſic dicit quod in qualibet mutatione diſtributiuè accepta tria reperiantur principia in fieri, & duo in facto eſſe, modo ſupra dicto. An autem cuiuſuis mutationis principia conueniant vniuocè, an analogicè, poſtea dicetur.

141. Nonum argum. in omni mutatione per ſe requiritur cauſa efficiens, & finalis, omne enim quod fit, ab aliquo fit, & propter aliquem finem. Vnde Ariſt. 1. *de generat.* ponit efficiens inter principia generationis, quod etiam facit 12. *metaph. tex.*23. *&* 2. *phyſ. ex tex.*75. finis numeratur inter cauſas generationis. Reſp. ex dictis ſupra quod principia generationis alia ſunt extrinſeca, & inter iſta numerantur efficiens, & finis. Et alia ſunt intrinſeca, quæ dici ſolent elementa generationis, ſeu mutationis, ſine quibus nec eſſe, nec intelligi poteſt mutatio, vt eſt quidam tranſitus; omnis enim mutatio eſſentialiter eſt tranſitus alicuius, de aliquo non eſſe ad eſſe, vel è contra, neque aliud requiritur ad conceptum eſſentialem mutationis. Cęterum efficiens eſt principium extrinſecum mutationis, ſicut & finis, loquendo de fine extrinſeco operantis, nā terminus *ad quem* mutationis poteſt etiam dici finis intrinſecus mutationis, & hic finis eſt principium. Quocirca efficiens, & finis poſſunt dici principium aliquo modo mutationis, ſed non elementa, ideſt principia intrinſeca, quia ſine efficiente, & ſine intelligi poteſt mutatio formaliter vt eſt quidam tranſitus ex vno in aliud, quo pacto hic conſideratur mutatio; non enim hic conſideratur, vt eſt actio, aut effectio quo pacto dicit ordinem ad agens, ſed ſolum, vt eſt tranſitus. Eadem ratione quidam excludunt cauſam exemplarem à principijs mutationis, quia non eſt principium intrinſecum. Quomodo autem tria illa principia dicantur elementa infra dicemus.

§. 7. *An principia rerum naturalium ſint contraria.*

142. Docet Ariſtoteles hic *tex.* 48. quod omnes antiqui philoſophi licet errauerint in aſſignandis rerum naturalium principijs, tamen omnes conueniebant in hoc quod eſſent aliqua ratione contraria, vt enim ex dictis §. 1. conſtat, & docet idem Ariſt. loco citato, aliqui ponebant calidum, & frigidum, alij humidū, & ſiccum, alij par, & impar, alij litem, & amicitiam, alij eſſe, & non eſſe, &c. Hæc autem principiorum contrarietas non eſt poſitiua, vt ex dictis §. præcedenti conſtat, ſed eſt priuatiua, inter formam, & eius priuationem; vnde hæc contrarietas eſt ſolum in fieri non in facto eſſe, cum principia in facto eſſe non ſe mutuo expellant, materia ſcilicet, & forma, ſicut ſe expellunt

ſunt priuatio,& forma; vt autem hæc res clarior maneat aliqua argumenta in contrarium proponenda, & ſoluenda ſunt.

143. Primum argum. nam ſi priuatio, & forma eſſent contraria, deberent eſſe primò contraria, ſed hoc non competit formæ; ergo, &c. Minor probatur, nam forma eſt terminus generationis; ſed terminus nec eſt principium, nec primum contrarium; ergo, &c. Tum quia hoc modo etiam priuatio formæ corruptæ, contrariaretur formæ corruptæ, & eſt huius terminus ad quem; ita enim ſe habet priuatio formæ genitæ ad formam genitam, ſicut forma corrupta ad eius priuationem quæ eſt terminus ad quem corruptionis; ergo &c. Reſp. negando minorem. Ad probationem dico formam, & eſſe terminum generationis, & eſſe principium, cum ipſum principiet in intentione naturæ, quod enim eſt vltimum in executione,eſt primum in intentione. Ad aliam probationem dico quod cum corruptio non ſit per ſe intenta à natura ſequitur quod neque terminus *à quo* illius, neque terminus *ad quem* poſſunt eſſe principia rerum naturalium, ac proinde licet forma corrupta, & eius priuatio ſint contraria, & prima contraria,non tamen per ſe intenta à natura. Hinc ſolui poteſt inſtantia quę hic fieri poterat de forma cadaueris, quæ ſit ex forma viuentis, quæ ad inuicem contrariantur, & mutuo ſe expellunt à ſubiecto, & tamen non ſunt prima principia, cum natura non intendat corruptionem. Aduerte tamen quod forma cadaueris cum ſit ignobiliſſima non poteſt per ſe fieri ex forma viuentis, ſed fit per accidens,quatenus diſpoſitiones deſtruentes formam viuentem, non ſufficiunt ad introducendam formam elementarem, & cum materia nequeat manere ſine forma, prouiſum fuit à natura de forma cadaueris, vt introduci poſſint diſpoſitiones v.g. ad formam terræ.

144. Secundum argum. nam ſubſtãtiæ nihil eſt contrarium ex Ariſt.*cap. de ſubſtan.* 5. *phyſic.* & alibi; ergo neq; principia ſubſtantiæ poſſunt eſſe contraria, cum maximè ſint ſubſtantia. Reſp. quod cum dicimus principia eſſe contraria, loquimur de principijs in fieri, quæ per ſe ſolum ſunt contraria ex *tex.* 47. quando autem dicitur quod ſubſtantiæ nihil eſt contrarium, intelligi debet de contrarietate propriè dicta quæ ſit circa ſubiectũ, non de contrarietate priuatiua, cum etiam formæ ſubſtantiali ſua opponatur priuatio.

145. Tertium argum. nam Ariſto. 5. *phyſ. tex.*9. & alibi ſæpè docet quod generatio ſubſtantialis eſt inter terminos contradictorios; ergo non eſt inter contrarios priuatiuè. Reſp. quod Ariſt. per terminos contradictorios intellexit terminos oppoſitos priuatiuè, cum oppoſitio priuatiua ſit quædam oppoſitio contradictoria latè prout ſignificat eſſe, & non eſſe circa aliquod ſubiectum quod non eſt ens ſimpliciter, & perfectum, ſed imperfectum,& potentiale vt eſt materia prima quæ eſt ſubiectum generationis. Pro quo nota quod ſecundum Ariſtot. ſubiectum eſt duplex, vnum quod eſt propriè tale,& eſt ſubſtantia completa quæ eſt hoc aliquid, forma autem, & priuatio quæ circa hoc ſubiectum eſſe poſſunt dicuntur ab Ariſt. opponi priuatiuè, atque ideo oppoſitio priuatiua propriè ſolum eſt inter accidentia, ſola namque accidentia habent pro ſubiecto ſubſtantiam completam. Alterum ſubiectũ eſt materia prima, quæ non eſt hoc aliquid per ſe, neque eſt ſubſtantia per ſe completa, in ipſa tamen recipitur forma ſubſtantialis; vnde eſſe, & non eſſe formæ ſubſtantialis circa hoc ſubiectum diſcedit à vera, & propria oppoſitione priuatiua ob quam cauſam Ariſtoteles vt diſtingueret hanc oppoſitionem ab oppoſitione propriè priuatiua, vocauit contradictoriam; quatenus eſt inter ens, & non ens, ſcilicet inter formam, & priuationem.

146. Quartum argument. nam ideo principia debent eſſe contraria,quia omne quod fit, debet fieri à ſuo contrario,vt docet Ariſt. ſed conſequens eſt falſum;

ergo & antecedens. Minorem probo nam ſi vnum contrarium fieret ex alio, malè diceret Ariſt. *tex.* 42. quod prima contraria non fiunt ab inuicem, quia ſunt contraria. Reſp. quod vnum contrarium fit ex alio tanquam ex termino *à quo*, non autem tanquam ex parte componente, & vult Ariſt. dum vult quod prima contraria non fiant ad inuicem tanquam ex parte componente.

147. Quintum argumentum prima principia debent eſſe prima contraria; ſed prima contrarietas non eſt priuatiua, ſed contradictoria per Ariſt. 10. *metaph. tex.* 15. ergo prima principia debent eſſe contradictoria. Reſp. quod re vera prima oppoſitio debet eſſe contradictoria, quia termini ipſius abſolutè, & maximè inter ſe diſtant, & repugnant, vt eſt eſſe, & non eſſe. Cæterum nos non loquimur de illa omnino prima oppoſitione, ſed de requiſita ad mutationem naturalem, & hæc non poteſt eſſe contradictoria, ſed priuatiua, nam oppoſitio contradictoria non connotat ſubiectum aliquod aptum ad vtrumque extremum, vt homo, & negatio hominis. At mutatio naturalis non poteſt eſſe ſine ſubiecto, & ſic contrarietas ad mutationem requiſita debet eſſe priuatiua, non contradictoria; vnde contradictio reperitur etiam inter terminos creationis, vt cum ex nihilo aliquid producitur, non oppoſitio priuatiua, non enim creatio eſt mutatio.

148. Sextum argumentum quia prima contraria debent eſſe in aliquo ſubiecto, vt multis probat Ariſt. hoc loco; ergo prima contraria non ſunt prima principia. Conſeq. probatur, nam ſubiectum eſt prius ijs quæ ſunt in illo ex Ariſt. *tex.* 52. ſed nihil debet eſſe prius primis principijs; ergo, &c. Reſp. quod ſi accipiamus prima contraria primitate communitatis non eſt inconueniens quod ſint in ſubiecto ratione multarum ſpecierum, ſcilicet omnium accidentium, quia non ſunt prima principia abſolutè. Si autem accipiantur prima principia cauſalitatis, quæ ſunt prima ſimpliciter, ſicut ſubſtātia eſt primum ens ſimpliciter, non ſunt verè, & propriè in ſubiecto, nam forma ſubſtantialis non eſt in materia propriè tanquam in ſubiecto, ſed tanquam in comparte eum qua conſtituit vnum ſimpliciter, & cum priuatio imitetur naturā ſuę formę, neque ipſa erit in materia propriè vt in ſubiecto, qua ratione diximus quod oppoſitio priuatiua fuit vocata ab Ariſtot. contradictoria latè ſumpto vocabulo, quia non habet verè, & propriè ſubiectum: & licet materia ſit aliquo modo prior forma, non eſt tamen prior niſi in genere cauſæ materialis, & forma eſt prior materia in genere cauſę formalis; nulla autem eſt repugnantia, quod principia ſint ſibi inuicem prioria in diuerſo genere cauſæ, dummodo vnumquodque ſit prius in ſuo genere principiandi. Per quæ patet ad formam argumenti.

§. 8. *An prima principia rectè definiantur.*

149. Ariſtoteles hoc loco *tex.* 42. loquens de rerum naturaliū principiis ſic ea definit. *Oportet enim principia neque ex alterutris, neque ex alijs, & ex his omnia. Contrarijs autem primis inſunt hæc, ob id quidem quod prima ſunt, non ſunt ex alijs, ob id vero quod ſunt contraria, non ſunt ex alterutris*, quorum verborum ſenſus eſt ex D. Thoma, Zabarella, Iandumo, & alijs expoſitoribus ibidem, quod principia ſunt illa, quæ neque ex alijs, neque ex ſe inuicem in ea ratione ſecundum quam principiant, ſed ex ipſis, tanquam ex elementis, ſiue per ſe, ſiue per accidens, omnia fiunt. Hæ conditiones inquit Ariſt. competunt primis contrarijs, quia enim prima ſunt ab alio non pendent in ſuo genere principiandi, & ex alijs non fiunt, quia prima contraria ſunt; vnde infertur, quod prima principia ſunt etiam prima contraria vt conſtat ex dictis §. pręcedenti. Igitur *principia ſunt quæ neque ex alijs, neque ex alterutris*, id eſt ad inuicem, *ſed ex ipſis omnia fiunt*. Circa hanc definitionem occurrunt aliquæ difficultates examinandæ.

150. Prima difficultas eſt, an hæc definitio conueniat omnibus primis principijs explicatis, ſcilicet materiæ, formæ, & priuationi? Reſp. affirmatiuè, licet enim Ariſt. videatur explicare, & applicare ſolis contrarijs, vt ex verbis relatis conſtat, quia adhuc non erat inuenta materia, tamen abſolutè omnibus conuenit, tum quia nullibi aliam habemus communem omnium principiorum definitionem, tum quia nihil obeſt quominus omnibus adaptetur, vt ex dicendis conſtabit. Quare illa ratio Ariſt. quod ideo prima principia non fiunt ex alterutris, quia ſunt contraria, eſt ratio particularis, concludens tantum in principijs contrarijs, nec valet inter materiam, & formam; quomodo autem hæc duo non fiant ex alterutris, dicetur poſtea.

151. Sed dices 1. quoniam non omnia fiunt ex his principijs; ergo eorum definitio non eſt bona. Conſeq. conſtat. Antecedens probatur, nam cœlum non fit ex priuatione, cum non fuerit eius materia præſuppoſita, ſed ſimul cum forma creata; ergo, &c. Reſp. quod Ariſtoteles per illam particulam *omnia* non intellexit quæcumque abſolutè, ſed omnia quæ fiunt, vt illa ſint prima principia ex quibus primò fiunt omnia quæ fiunt.

152. Dices 2. quod omnia infra lunam fiunt ex elementis; ergo elementa erunt prima principia omnium quæ fiunt infra lunam: Reſp. quod licet omnia infra lunam fiant ex elementis, non tamen elementa ſunt prima principia, cum & ipſa elementa fiant ex alijs prioribus elementis, ſcilicet ex materia, forma, & priuatione. Poſſunt tamen elementa dici prima corpora, quia non fiunt ex alijs corporibus.

153. Secunda difficultas eſt, an dicta definitio, conueniat ſolum illis tribus principijs, an etiam alijs? Videtur enim conuenire Deo vt primo efficienti, & vltimo fini; Deus namq; neque fit ex alijs, neque ex alterutris, ſed ex ipſo fiunt omnia. Item conuenire videtur primis generibus, & primis differentijs, omnia nãque fiunt ex primo genere, & prima differentia, cum tamen non fiant ex alijs, neque ex alterutris, ſeu ad inuicem. Reſp. dictam definitionem intelligi debere, vt ſolum conuenit primis dictis principijs; vnde & Deus, & prima genera, primæq. differentiæ excluduntur per particulam *ex*. Pro quo nota, quod hæc particula poteſt ſumi dupliciter. Primò vt dicit habitudinem principij intrinſeci mutationis, ſecundò, vt latè accipitur prout ſcilicet dicit habitudinem cuiuſcumque principij etiam extrinſeci. Hic accipitur primo modo, non ſecundo modo, hoc enim ſecundo modo impropriè ſumitur, licet enim dicatur propriè quod cœlum ſit cauſa, ſeu principium leonis, non tamẽ propriè dicimus quod leo fiat ex cœlo. Et licet propriè dicamus quod deambulatio ſit propter ſanitatem tanquam propter finem, non tamen propriè dicimus deambulationem fieri ex ſanitate. Genus autem, & differentia non ſunt principia phyſica, neque ſunt principia mutationis rerum in fieri, illa autem particula *ex* nõ denotat hoc loco principia metaphyſica, ſed phyſica.

154. Tertia difficultas eſt, quomodo intelligatur illa particula *ex*, nam licet communis ſententia ſit quod accipiatur. vt denotat rationem principij intrinſeci, vt numero præcedenti dictum eſt, tamen quia principium intrinſecum non eſt vnius generis, cum omnia dicta tria principia ſint intrinſeca, ideo quæritur præſſius quomodo dicta particula intelligatur, maximè quia videntur ipſa principia eſſe ex inuicem, vt forma ex priuatione materia ex forma ſaltem quoad actum entitatiuum, & forma ex materia tanquam ex prima potentia, vnde quæritur potiſſimè in quo genere principij illa particula *ex* intelligatur.

155. Prima ſententia eſt, quod illa particula non ſemper eodem modo intelligatur nam in primis duabus particulis accipienda eſt vt dicit habitudinem partis componentis, addunt aliqui quod dicat habitudinem ſubiecti, vel cauſæ efficientis. At in vltima parte accipitur vt dicit habitudinem vel partis componen-

ris, vel termini *à quo*, vt ſit ſenſus. Principia non fiunt ex alijs tanquam ex partibus componentibus, vel tanquam ex termino *à quo*, hoc autem ob priuationem, cum res ex ea non fiant tanquam ex parte componente, ſed ſolùm tanquã ex termino *à quo* ſic tenent Simplic. Philop. Ammon. Butleus, & alij hoc loco. Cœterum hæc explicatio non placet, ponit enim quod Ariſtoteles ea vtatur in vna, eademque definitione æquiuocè, & in diuerſo ſenſu, quod vitium ſæpe Ariſt. damnat, aliàs nihil eſſet certum in definitionibus. Nec valet dicere cum Iauello *q.23.* quod Ariſtoteles non loquatur in propria ſententia in ea definitione, omnes enim Peripatetici eam definitionem admittunt, vt Ariſtotelicam.

156. Secunda ſententia eſt quod illa particula *ex* ſemper eodem modo ſumatur, vt ſemper ſignificet partem componentem, & quia difficultas eſt quomodo priuatio ſit pars componens, ideo res hęc varijs modis explicatur. Primus eſt Zabarellæ, Vicomercati ad *tex.* 42. Veneti *cap.6. ad* 4. & aliorum quod re ipſa omnia illa tria principia componant, non quia in omni compoſito reperiantur, ſed quia omne quod fit, ſaltem fit ex duobus principijs. Dicunt enim duo eſſe compoſitorum genera, vnum poſitiuum, & eſt terminus mutationis poſitiuæ, quæ eſt de non eſſe ad eſſe. Et aliud eſt priuatiuum, & eſt terminus mutationis priuatiuæ, quæ eſt de eſſe ad non eſſe. Et ſic compoſita poſitiua componuntur ex materia, & forma; at compoſita priuatiua componuntur ex materia, & priuatione. Sed iſte modus dicendi omnino reijciendus eſt, ex eo enim ſequitur, quod ſola materia ſit rerum omnium principium, cum hæc ſola reperiretur in omnibus, non forma, & priuatio, cum forma ſolùm reperiretur in mutatione productiua, & priuatio in corruptiua.

157. Secundus dicendi modus eſt eorum, qui dicunt particulam illam *ex* ſumi ſemper vt dicit habitudinem partis componentis, & ad difficultatem in contrarium dicunt, quod etiam omnia fiunt ex priuatione tanquam ex parte componente non quidem per ſe, ſed per accidẽs; quatenus omnia fiunt ex materia, accidit autem materiæ priuatio, ac proinde omnia hoc modo fiunt ex priuatione per accidens tanquam ex parte componente, ſicuti ſi quis dicat *Muſicus ædificat*, licet non ſit eadem omnino paritas. Sed neque iſte modus dicendi placet, quia ex eo ſequitur, quod priuatio non ſit niſi principium per accidens, contra Ariſtotelem pluribus hoc loco probantem omnia fieri per ſe, ex ſuo contrario in aliquo genere principiandi. Vnde licet priuatio ſit aliquo modo principium per accidens, non tamen dicta definitio illi conuenit, vt eſt tantum principium per accidens, aliàs non definiretur priuatio ſecundum propriam rationem principiandi, ſecundum quam non eſt principium per accidens.

158. Præterea quoniam eo modo conuenit dicta definitio priuationi, quomodo Ariſtoteles probat à *tex.* 43. conuenire primis contrarijs, ſed Ariſt. non putat conuenire primis contrarijs vt partibus componentibus; imo oſtendit hoc eſſe impoſſibile; ergo per Ariſtotelem ea definitio non conuenit priuationi, quæ eſt vnum ex primis contrarijs, vt parti componenti. Demum quando materia actu componit, priuatio non eſt in re cõpoſita; ergo non poteſt dici pars componens, neque per accidens. Nam de ratione partis componentis eſt vt reperiatur in re compoſita, in eaque maneat, etiamſi per ſe non componat, aliàs forma ligni poſſet dici componere ignem per accidens, quia eius materia componit ignem.

159. Tertius dicendi modus eſt quod illa particula *ex* ſemper dicat habitudinẽ partis componentis non quidem in facto eſſe, propter argumenta facta contra ſecundum modum præcedentem, ſed in fieri, quia ipſa mutatio, ſeu fieri rerum componitur ex priuatione. Sed neque iſte modus dicendi eſt verus, nam priuatio eſt non ens, & fieri rei eſt verum ens; ergo priuatio non poteſt dici pars componens fieri; neque poteſt dici compo-

nere

nere mutationem, quia terminus à quo motus, vel mutationis, non componit mutationem, ſed priuatio eſt ſolum terminus à quo mutationis, ſeu generationis, ergo, &c.

160. Quartus modus dicendi eſt, quod particula *ex* ſemper accipiatur eodem modo, non prout determinatè denotat habitudinem termini *à quo*, vel partis componẽtis, ſed prout abſtrahit ab vtraque, ſeu vt dicit ſuam adæquatam ſignificationem, vt ſenſus definitionis ſit. *Principia ſunt quæ nec fiunt ex alijs, neque ex ſe inuicem, vel tanquam ex parte intrinſeca, vel tanquam ex termino à quo, omnia tamen ex ipſis fiunt, vel tanquam ex partibus intrinſecis, vel tanquam ex termino à quo.* Sic tenent N. Complut. *hic diſp. 2. q. 1. fin.* Fonſec. 5. *metaph. cap. 1. qu. 2. ſect. 1.* Conimbric. hoc loco, & alij.

161. Sed dices, quod ſequeretur ex iſto modo dicendi quod principia fierent ex alterutris, forma namque fit ex priuatione tanquam ex termino *à quo*, ergo, &c. Reſpondent aliqui, quod forma propriè non fiat, ſed compoſitum, & ſic nō poteſt dici quod principia fiant ex inuicem. Sed hæc reſponſio poſſet impugnari. nam negari non poteſt, quod forma ſaltem vt quo non fiat, & materia, & priuatio ſunt illius principia, nam materia eſt ſubiectum formæ, ac proinde eſt vera cauſa, ſeu principium materiale illius, etiam forma fit à priuatione tanquam ex termino *à quo*. Tum quia Ariſtoteles dixit, quod principia non fiunt ex inuicem, quia ſunt contraria, non quia abſolutè non poſſint dici fieri, quia fieri eſt compoſiti, &c.

162. Placet modus explicandi quem ſequitur Piccolominus *in tex. 42.* quod particula *ex* ſemper ſumatur eodem modo, prout dicit habitudinem principij in communi, vt ſit ſenſus. Principia ſunt quæ non ſunt ex alijs in eo genere principiandi in quo ipſa ſunt principia prima; neque ex inuicem in eodem genere in quo ſunt principia, & omnia fiunt ex illis, in eodem genere in quo ſunt principia, quæ definitio hoc modo intellecta verè conuenit tribus dictis principijs; nã materia non fit ex alia materia; forma non fit ex alia forma, & priuatio non fit ex alia priuatione, & omnia fiunt ex h s in eodem genere principiandi in quo ipſa ſunt principia. Ratio huius expoſitionis eſſe poteſt, quoniam hic definiuntur omnia principia in communi; ſeu ſecundum communem rationem principij, ergo illa particula *ex* non debet reſtringi ad aliquam particularem ſignificationem, ſed debet ſignificare rationem principij, quæ poſtea deſcendit ad propriam cuiuſque principij rationem, quod rectè fit ſecundum traditam explicationem. Tum quia ad rationem principij in quocumque genere, ſiue intrinſeci, ſiue extrinſeci hoc ſufficit vt non habeat aliud prius in eodẽ genere, licet habeat aliud prius in diuerſo genere, vt patebit inductione, ergo ad rationem principij, vt ſic ſufficit, vt non habeat aliud prius in eodem genere principiandi.

163. Sed contra obijcies 1. nam definitio principij hoc modo intellecta conueniret quatuor elementis, hoc non eſt verum ex Ariſtotele; ergo ea explicatio non eſt bona. Sequela probatur, nam elementa non fiunt ex alijs in genere elementi, & maximè in ſuo genere; nam aqua non fit ex alia aqua; neque fiunt ad inuicem, aqua enim non fit ex igne tanquam ex aqua, & ex ipſis fiunt omnia elementata. Reſp. negando ſequelam, ad probationem dico quod elementa non ſunt principia niſi in genere cauſæ materialis, in quo ipſa fiunt, cum fiant ex materia. Cum ergo dicimus prima principia non fieri ex alijs in ſuo genere, accipimus nomen generis latiſſimè, ita vt ſi aliquid ſit principium in genere cauſæ materialis, non debet habere aliud principium materiale.

164. Obijcies 2. nam priuatio eſt principium in ratione termini *à quo*, & tamen ipſa fit ex forma tanquam ex termino *à quo*; ergo fit ex forma in eodem genere in quo ipſa eſt principium. Minor probatur, nam in omni mutatione corruptiua, vt cum ex luminoſo fit tenebroſũ, ter-

terminus *à quo* eſt lumen, ſeu forma, & terminus *ad quem* eſt priuatio; ergo, &c. Reſp. primò nos loqui hoc loco de principijs mutationis per ſe intentæ à natura, non autem de principijs mutationis per accidens intentæ à natura, vt eſt mutatio corruptiua, in qua priuatio quæ eſt terminus *ad quem*, aliquo modo fit ex forma tanquam ex termino *à quo*. Reſp. 2. quod priuatio eſt principium vt eſt terminus *à quo* priuatiuus, non tamen vt eſt terminus poſitiuus, vnde priuatio fit ex forma in mutatione corruptiua tanquam ex termino poſitiuo, non priuatio. Eſſe namque terminum *à quo* conuenit tam formæ quam priuationi reſpectu diuerſorũ mutationum; in mutatione enim corruptiua priuatio non eſt terminus *à quo*, benè tamen in mutatione productiua, ſufficit ergo quod priuatio in eo genere quo principiat mutationem productiuam non habeat aliud principium, licet in alio genere habeat illud.

§. 9. *Quomodo principia inter ſe ſe conueniant.*

165. CErtum eſt nomen principij nõ eſſe purè æquiuocum, aliàs definiri non potuiſſet; tum quia omnia principia conueniunt in ratione principij, vt cum Ariſtotele fatetur Philoſophi hoc loco. Mihi etiam certum videtur contra quoſdam modernos, quod nomen principij non poteſt eſſe vniuocum, cum inter principia aliqua ſint non entia, & aliqua entia, enti autem, & non enti nihil poteſt dari commune vniuocum. Vnde reſtat nomen principij eſſe analogum, cum analogia attributionis quatenus ratio principij in materia, & forma eſt ratio intrinſeca entis, at in priuatione cum ſit non ens, ratio entis eſt extrinſeca. Tum analogia proportionalitatis, quatenus ratio principij eſt intrinſeca proportionaliter in omnibus; ita enim ſe habet priuatio in ſua ratione principiandi tanquam terminus *à quo*, ſicut ſe habent materia, & forma in propria ratione principiandi.

166. Difficultas eſt circa modum explicandi hanc analogiam, nam illa ratio communis principij, & analoga accepta ſpecificatiuè, vel eſt ens reale, vel nõ eſt ens reale, accipiendo propriè nomen entis realis, vel eſt vtrumque ſimul, aut neutrum ſimul; hæc duo vltima videntur impoſſibilia, quod ſcilicet ſit ſimul ens reale, & ſimul non ſit, nam ad hoc verificandum illa ratio communis deberet cõponi ex duabus partibus, quarum altera eſſet ens reale, & altera non, & ſic illa ratio non poſſet eſſe vna niſi per quandã aggregationem rationum valde diuerſarum, imò eſſet aggregatum per accidens. Neque dici poteſt quod vna, & eadem ratio ſecundum idem ſimul ſit ens reale, & non ſit, vel neutrum ſit, quia hæc implicant contradictionem, vt patet; debet ergo dici quod ſit ens reale, vel non ens reale; Si dicas illam rationem eſſe ens reale, tunc prædicari non poterit ſaltem in recto de priuatione, cum propriè non ſit ens reale, cum tamen dicamus, quod priuatio eſt principium. Si dicas quod non eſt ens reale, non poterit prædicari de materia, & forma, cum tamen ſint principia. Rem duobus dictis reſoluo.

167. Dico 1. illam rationem cõmunem principij non eſſe vnum quid, ſeu nõ eſſe vnum conceptum, ſed duos, entis ſcilicet, & non entis; analoga namque non afferunt vnum conceptum, vt faciunt vniuoca, ſed ſunt plures conceptus, facientes vnum ſecundum analogiam, de qua re videri poſſunt, quæ trado in Logica de conceptu entis.

168. Dico 2. rationem illam communem omnibus principijs eſſe ens reale, & conuenire omnibus analogicè, non tamen eſſe vnam rationem analogã intrinſecam, ſed extrinſecam ipſis, & ſic principium in communi definitur per aliquid ſibi extrinſecum, quod eſt dependentia, ſeu deriuatio, aut origo alterius ex ipſo, quæ ratio eſt principio extrinſeca, eo modo quo efficiens definitur per extrinſecũ, ſcilicet per actionem, & motum, quæ nõ ſunt in agente, ſed in paſſo. Pro quo nota, quod in definitione principij aliqua ponuntur vocabula per ſe vt integrantia defini-

definitum; aliqua per accidens; & primò quidem cum dicitur. *Principium eſt*: vbi illa particula *eſt*, non ponitur vt pars definitionis, cum enim definitio pertineat ad primam operationem, neceſſariò excludet illud *eſt*, quæ cum ſit affirmatio pertinet ad ſecundam operationem. Vnde illa particula ponitur ſolum ad oſtendendam connexionem definitionis cum definito, vt etiam conſtat in alijs definitionibus; tota namque hominis definitio continetur in illis particulis *animal rationale*, ponimus autem illam particulam *eſt*, quando volumus prædicare definitionem de definito, vt cum dicimus. *Homo eſt animal rationale*. Tota ergo principij definitio conſiſtit in illis verbis. *Id vnde aliquid vel eſt, vel ſit, vel cognoſcitur*. Similiter particula illa *id* ponitur per accidens, non enim requiritur ad principium, vt ſit verè *id*, vel *aliquid*; poteſt enim eſſe principium etiam ſi nihil ſit; at quia nos etiam ipſum nihil, dicimus eſſe id quod, ideo in definitione principij ponitur illa particula *id* non tanquam pars definitionis, ſed per accidens, & noſtro modo intelligendi, & ſignificandi; quocirca nota quod principij definitio continetur in illis verbis. *Vnde aliquid vel eſt, vel ſit, vel cognoſcitur*.

169. Præterea nota quod illa particula *vnde* cũ ſit veluti media inter principium, & principiatum, vtrumque connectens, duo importat. Primò dependentiam, ſeu deriuationem ipſius principiati, quæ eſt in ipſo principiato, & ſe tenet ex parte ipſius, quæ magis explicatur per ſequentes particulas, ſcilicet aliquid eſt, vel ſit, vel cognoſcitur. Secundò importat terminum huius dependentiæ, qui eſt ipſum principium. Si accipiatur ſecundo modo, non ſe tenet ex parte definitionis, ſed ex parte definiti, neque importat aliquam rationem communem, ſed in confuſo dicit ipſa principia definita. Si accipiatur ſecundo modo ſe tenet ex parte definitionis, & dicit rationem aliquam communem in qua conſiſtit tota definitio principij in communi, quæ ratio explicatur reliquis particulis ſequentibus, quæ non eſt intrinſeca, ſed extrinſeca ipſis principijs, dependentia enim ſeu deriuatio principiati à principio ſiue quoad eſſe, ſiue quoad fieri, ſiue quoad cognoſci, eſt aliquid extra ipſum principium, & veluti forma quædam extrinſeca denominans ipſum, & ita poteſt eſſe communis tam enti reali, quam non enti, poteſt enim aliquid aliquo modo dependere, etiam ex non ente.

170. Explicatur, & ſimul probatur explicatio præcedens, nam impoſſibile eſt, quod ens, & non ens habeant vnam, & intrinſecam rationem communem maximè ſi accipiatur nõ ens ſimpliciter, cæterum rationem communem extrinſecam ſine dubio habere poſſunt, ita vt ens reale, & rationis, vel non ens habeant hoc commune quod cognoſcantur, aut amentur; &c. quæ non ſunt aliquid illis intrinſecum, ſed extrinſecum, vt cognitio extrinſeca, &c. Similiter poſſe cognoſci, vt eſt commune enti reali, & non enti, non eſt aliquid intrinſecum, ſed denominatio extrinſeca à potentia cognoſcente; quod autem principium definiatur per aliquã rationem extrinſecam patet, nam interroganti, quare materia ſit principium, nõ reſpondemus per aliquid intrinſecum, ſed extrinſecum, quia ſcilicet aliud eſt ex ipſa & ſic de forma, & priuatione. Igitur ratio communis, quæ definitur in definitione principiorum eſt ens reale, definiuntur enim ab Ariſtotele principia, quæ ratio prædicatur etiam de non ente, ſed extrinſecè, ſicuti cognitio prædicatur de nihilo, de ente rationis etiam chymerico.

171. Sed quæres 1. an principium quocumque modo conſideratum ſemper dicatur tale per denominationem extrinſecam, & non intrinſeam? Reſp. quod ſi definiatur principium aliquod particulare poteſt ſaltem aliqua pars definitionis conuenire illi intrinſecè, vt ſi dicamus. Principium materiale eſt id vnde eſt aliquid tanquam ex ſubiecto. Similiter ſi dicamus. Priuatio eſt id vnde aliquid eſt tanquam ex termino *à quo*, vltimæ namque particulæ conueniunt intrinſecè, atque ita quodlibet principium habet aliquid

quid intrinſecè per quod eſt tale in ſuo genere; hoc autem non ponitur in definitione communi, quia in iſto non poſſunt conuenire ens reale, & non ens.

172. Quæres 2. an principium in communi, vt eſt quid commune tam ad verum ens, quam ad ens fictum, aut non ens (nam etiam inter entia ficta poſſumus intelligere aliquid vt principium, & aliquid vt principiatum) poſſit definiri vnica definitione? Reſp. negatiuè, ita vt illa definitio ſit verè vna, poſſet tamen definiri definitione quæ ſit vna per aggregationem, vt ſi dicamus. Principium eſt id vnde aliquid ſiue ſit verum, ſiue fictũ, aut non ens, eſt, ſiue verè, ſiue fictè, aut abuſiuè, quo pacto definitio non eſſet vna niſi per aggregationem. Atque hęc quidem de illa communi deſcriptione principiorum. Ex quibus patet quid dicendũ ſit de illa alia definitione ab Ariſtotele tradita, ſcilicet. *Principia dicuntur, quæ neque ex alÿs, neque ex inuicem ſunt, ſed ex his omnia*. Hæc enim definitio continet duas primas partes negatiuas, ſeu remotiuas quæ poſſunt eſſe communes tam enti quam non enti, cum nihil dicant poſitiuum commune, ſicut non eſſe album dicitur tam de ligno, quam de chymera. Vltima particula eſt poſitiua, & nihil cõtinet niſi extrinſecum principijs, vt conſideranti patebit. Notandum tamen quod dicta definitio nõ conuenit ſingulis principijs diſtributiuè, & ſeparatim acceptis niſi mutentur aliquæ particulæ, ſed conuenit collectiuè, non enim congruè diceretur in ſingulari Principium eſt id quod non ſit ex alijs, neque ex inuicem, quia hæc vltima particula denotat multitudinem principiorum, ſed dici deberet. Principium eſt id quod non ſit ex alio ſuperiori, neque ex alio comprincipio, & hoc modo poteſt adaptari ſingulis principijs in particulari.

†

DVBIVM VII.

De primo rerum naturalium principio, ſcilicet de priuatione.

173. Licet forma ſit primum rerum naturalium principium via perfectionis, & poſt hanc materia, quæ licet ſit imperfectiſſima, & pura potentia, eſt tamen ens reale poſitiuum, quod non conuenit priuationi. Tamen via imperfectionis priuatio eſt prior cum ſit nõ ens. Aliqua ergo de priuatione dicemus, quæ ad pręſens faciunt inſtitutum. Sit ergo.

§. 1. *An priuatio ſit principium reale ſeu ens reale.*

174. Non deſunt qui putent priuationem eſſe ens reale, non tamen omnes eodem modo loquuntur, nam aliqui volunt priuationem eſſe idem cum potentia materiæ. Pro hac ſententia citãt Maſium *in cap.9. 1. phyſic. ſect.4. q.1.* Platonem, illiuſque ſectatores. Plotinum *Aeneade 2. lib.4. cap.13. & 14.* Alcinoum, Apoleum, & Sotum. Secunda ſententia dicit priuationem eſſe formam poſitiuã oppoſitam, v. g. priuatio caloris eſt frigus, &c. citatur pro hac ſententia Magnus Albertus à Iauello *7.metap. q.13 & 10. metaph. q.11.* citatur Thomas Anglicus à Ioan. Canonico *1.phyſ. q.4.* citatur etiam Aegidius *in 2. diſt. 34. q.1. art.3. ad 4.* Tertia ſententia eſt quod priuatio ſit relatio diſtinctionis inter materiam; & formam, quæ omnes ſententiæ in hoc conueniũt quod priuatio ſit quid poſitiuum.

175. Pro intelligentia veritatis, & veræ ſententiæ peripateticæ, ſciendum eſt, quod priuatio in ſuo conceptu dicit duo, vnum in recto, & hoc eſt carentia, ſeu abſentia, ſeu non eſſe alicuius formæ. Aliud in obliquo, & hoc eſt ſubiectum aptum habere talem formam, quæ duo deducuntur ex illa communi definitione. *Priuatio eſt carentia formæ in ſubiecto apto.* Dicitur *in ſubiecto apto*, ad diſtinctionem nega-

negationis, quæ eſt *carentia formæ in ſubiecto non apto*, vt eſt priuatio, ſeu carentia viſus in lapide. Sufficit autem quod ea aptitudo ſit ſecundum genus, licet non ſit ſecundum ſpeciem, vt patet de talpa, quæ dicitur priuata viſu, quia licet viſus ſibi repugnet ſecundum gradũ ſpecificũ; non tamen ſibi repugnat ſecundum gradum animalis. His poſitis ſit.

176. Prima concluſio. *Si priuatio accipiatur ſecundum id quod dicit in obliquo, ſine dubio eſt ens reale; ſi autẽ accipiatur ſecundum id quod dicit in recto, nullo modo eſt ens reale*. De prima parte concluſionis nulla eſt difficultas, cum enim ſubiectum quod connotat priuatio ſit reale, priuatio ratione illius dicetur realis. Quod autẽ priuatio ſecundum id quod importat in recto non ſit ens reale, ſed tantum realis formæ abſentia, docet Ariſt. *hic tex.* 75. *&* 79. vocans priuationem non eſt, & 5. *metaph. tex.* 27. explicat priuationem per hoc quod eſt ſubiectum non habere formam, & *cap. de oppoſitis* dicit oppoſitionem priuatiuam non differre à contradictoria, niſi quod priuatiua eſt circa aliquod ſubiectum non contradictoria.

177. Secunda concluſio. *Priuatio diſtinguitur realiter à materia, vel eius potentia, non tanquam res à re, ſed tanquam ens, & non ens, priuatio namque cum ſit abſentia formæ, eſt non ens*. Eſt communis ſententia peripateticorum. Ratio clara eſt, nam neque materia, neque eius potentia corrumpuntur in mutatione ſubſtantiali, ſed remanent, cum materia, & eius potentia ſint ingenerabiles, & incorruptibiles, ſed priuatio corrumpitur, & deſinit eſſe adueniente forma ſibi contraria; ergo, &c. Sic Ariſt. *tex.* 60. Confirmatur ex *tex.* 81. quia materia, eiuſque potentia appetit formam, non priuatio, cum forma ſit ſibi contraria, & deſtructiua, nihil autem appetit ſui deſtructiuum. Tum quia implicat priuationem, & formam eſſe ſimul in eodem ſubiecto; ergo, &c.

178. Tertia concl. *Priuatio non eſt forma poſitiua oppoſita, neque aliud poſitiuũ vt relatio, aut quicquam aliud*. Quod non ſit forma poſitiua oppoſita probatur, nam oppoſitio contraria diſtinguitur ab oppoſitione priuatiua, ſed calor, & frigus opponuntur contrariè; ergo non priuatiuè, & conſequenter frigus non eſt priuatio caloris. Quod autem priuatio non ſit relatio, nec quicquam aliud poſitiuum probatur, quoniam eo ipſo quod intelligimus aliquod ſubiectum potens recipere aliquam formam, & non habens illã, non intelligendo quicquam poſitiuum per ſe in recto, ſed ſolam formæ abſentiam, intelligimus illud priuatum, vt patet ex definitione priuationis; ergo priuatio formaliter non eſt aliquid poſitiuum, ſed potius negatio, ſeu abſentia poſitiui.

179. Quarta concl. *Priuatio licet non ſit ens reale, non eſt tamen ens rationis, ſed vera carentia realis, quæ verè datur à parte rei, nemine cogitante*. Hæc concl. eſt cõtra quoſdam volentes priuationem eſſe ens rationis. Eſt tamen noſtra concluſio communis, & conſtat ex dictis in 1. 2. agentes de peccato, quod vel conſiſtit in priuatiuo, vel ſaltem infert priuationem. Ratio cõcluſionis eſt, quia oppoſitio priuatiua datur à parte rei nemine cogitante, ergo & termini illius, ſcilicet forma eiuſque priuatio. Tum quia termini realis mutationis dantur nemine cogitante, ſed priuatio eſt terminus *a quo* realis mutationis, ergo datur nemine cogitante. Tum demum quia etiamſi nemo cogitet, quod noctu non eſt lux, reipſa non eſt lux in aere; ergo eſt realis illius abſentia, ſeu priuatio; idem enim eſt non eſſe lucẽ, & eſſe illius priuationem. Soluuntur argum. in contrarium.

180. Primum argum. nam id quod ſenſu percipitur debet eſſe ens reale poſitiuum; ſed priuationes percipiuntur ſenſu ex Ariſt. 2. *de anima tex.* 138. vbi dicit quod tenebræ viſu percipiantur; ergo priuationes ſunt ens poſitiuũ. Reſp. negando minorem, tenebræ namq; non percipiũtur à viſu per actum ad ipſas tenebras terminatum, ſic enim eſſent aliquid poſitiuũ; ſed dicitur ſenſus iudicare de tenebris, quatenus non percipit lucem quando non eſt.

181. Secundũ argum. nam ex Ariſt. hic *tex.* 6. *&* 66. priuatio eſt idem cum mate-

materia; ſed materia eſt ens reale poſitiuum; ergo etiam priuatio. Reſp. quod priuatio dicitur vnum cum materia non quia cum ea identificetur; ſed quia eſt vnum ſubiecto. Dupliciter autem aliqua dici poſſunt vnum ſubiecto, vel quia vtrumque eſt in eodem ſubiecto, ſicut quantitas,& frigus ſunt in eadem manu, v. g. vel quia vnum eſt in alio tanquam in ſubiecto, quo modo ſubſtantia ligni,& eius quantitas dicuntur eſſe vnum ſubiecto, & in hoc ſecundo ſenſu intelligitur Ariſt. cum dixit, quod materia,& priuatio ſunt vnum ſubiecto; alij dicunt quod Ariſt. dixit materiam, & priuationem eſſe vnum ſubiecto quatenus ſunt vnum per aggregationem, ſubiectum enim, & eius accidens dicuntur vnum per accidens, & per quandam aggregationem.

182. Tertium argum. quoniam vt docet Ariſt. 2. *phyſ.* priuatio eſt quodamodo forma, & natura; ergo & aliquid poſituum. Reſp. relictis varijs interpretationibus illius loci, quod Ariſtoteles vocauit priuationem formam, & naturam, non quia reipſa ſit forma, & natura, ſed quia eſt determinatè coniuncta cum forma, & natura; priuatio namque formæ generandæ de qua ibi loquitur Ariſt. ſemper eſt coniuncta cum aliqua forma ſubſtantiali quæ eſt natura quædam de quo infra.

183. Quartum argum. nam Ariſt. hoc loco vocat priuationem maleficam; ergo debet eſſe ens poſitiuum, vt poſſit cauſare maleficium. Reſp. quod Ariſt. vocat priuationem maleficam, non quia efficiat aliquod malum, ſed quia formaliter eſt malum, ſicut enim eſt maximum naturæ bonum eſſe, ita eſt maximum malum nō eſſe, ob quam rationem dicit idem Ariſtoteles, quod Plato ſpreuit priuationem, & noluit inter principia collocare, quia eſt mala, & malefica. Aduerte tamen quod licet priuatio non ſit ens poſitiuum tamen quia re vera eſt à parte rei, modo dicto, ideo ab aliquibus non incongruè vocatur ens poſitiuum abuſiuè.

§. 2. *Quomodo priuationes multiplicentur.*

184. Ratio præſentis difficultatis deſumitur ex eo, quod cum materia v. g. huius ligni ſit capax infinitarum formarum ſucceſſiuè introducendarum per totam æternitatem, ſi mundus in æternum duraret, erunt nunc in ea priuationes omnium illarum formarum, ac proinde infinitæ; licet enim formæ nō niſi ſucceſſiuè ſint introducendæ, priuationes tamen ſunt ſimul. Omnes conueniunt, quod dictæ priuationes ſecundum id quod dicunt in recto non multiplicantur cum ſubiectum ſit vnum. Sunt etiam vnū numero per aggregationem, vt ſunt vnum ſubiecto vt diximus *n.* 181. Item conueniunt omnes, quod priuationes in ratione terminorum, quibus priuant ſint infinitæ, quatenus ſunt infinitæ formæ poſſibiles ſucceſſiuè. Difficultas eſt an præciſè ſecundū id quod dicunt in recto, quod eſt nō eſſe formæ, ſint vna, aut plures eo modo quo in materia eſſe poſſunt.

185. Pro quo notandum eſt 1. quod materia; quæ eſt ſubiectum priuationum, poteſt dupliciter conſiderari in ordine ad formas. Primò quod nec eſt forma, nec ex forma, aut illius parte componitur, & hoc modo non eſſe formæ in materia non eſt priuatio, ſed negatio, quia materia neque eſt forma, neque poteſt eſſe forma, & de hac negatione non loquimur, hæc enim ſemper manet in materia, & eſt vna numero in vna materia. Secundò materia conſiderari poteſt quatenus non habet formas quas eſt apta recipere, & hoc nō eſſe formę eſt priuatio, vel proxima quādo materia eſt proximè diſpoſita ad formam, vel remota, quando non eſt proximè diſpoſita, quæ remotio poteſt eſſe maior, vel minor, vt patet.

186. Notandum 2. quod formæ cōſiderari poſſunt in genere, in ſpecie, & in indiuiduo. Certū videtur quod in materia non datur pura priuatio formæ in genere, & in ſpecie, ſed prout conſideratur, & attenditur in indiuiduo. Ratio eſt, quia

quia ſicut de facto nunquam ponitur forma in materia,vt eſt in genere,vel ſpecie, ſed in indiuiduo, ita non ponetur priuatio niſi in indiuiduo,ſeu niſi prout eſt priuatio formæ in indiuiduo primo, & per ſe. Dixi primò, & per ſe, quia eo ipſo, quod forma eſt in materia in indiuiduo, eſt etiam ſecundario in ſpecie, & in genere. Tum quia aliàs non poſſent poni ſucceſſiuè in eadem materia plures formæ ſolo numero diſtinctæ, ſi ponerentur ſolum ſecundum rationem ſpecificam, aut genericam.

187. Notandum 3. quod priuatio proxima, & remota eiuſdem formæ non diſtinguuntur ſecundum id quod dicunt in recto, ſed dumtaxat ſecundum id quod dicunt in obliquo. V.g. materia huius ligni quatenus eſt apta nata recipere formam equi, habet illius priuationem, ſed remotam cum adhuc nō intelligatur, nec ſit diſpoſita ad formam equi, vt autem ſit proximè diſpoſita ad recipiendam formã equi, debet à forma ligni tranſire ad formam herbæ, & ſic diſpoſita intelligitur habere priuationẽ proximã formæ equi. De his ergo priuationibus remota, & proxima eiuſdem formæ dico quod differunt, & ſecundum id quod dicunt in recto, ſeu prout dicunt non eſſe formæ, & ſecundum id quod dicunt in obliquo, ſcilicet ſecundum rationem ſubiecti magis, & minus apti; magis, & minus diſpoſiti, vt ex ſe liquet.

188. His poſitis. Prima ſententia eſt quod priuationes in vnica materia multiplicantur numero ad multiplicationem formarum numero diſtinctarum, quibus priuant, & cum iſtæ ſint infinitæ, ſequitur quod in quacumque materia vna numero dentur actu infinitæ priuationes numero diſtinctæ. Hanc ſententiam tueri debent omnes illi, qui putant quod in eadem materia, ſeu in eodem ſubiecto poni poſſunt plures formæ, ſeu plura accidentia ſolo numero diſtincta. Aliqui etiam ex illis, qui putant, quod in eadem materia non poſſint eſſe plures numero formæ ſimul, ſed tantum ſucceſſiuè, admittunt ſimultatem priuationum, quatenus ſimultas priuationum non deſumitur ex ſimultate formarum, cum hæ ſimul eſſe non poſſint, ſed ex ſimultate temporis in quo ſunt omnes earum formarum priuationes ad quas ſiue proximè, ſiue remotè materia eſt diſpoſita. Secunda ſententia eſt, quod in vnica materia tantùm detur vnica priuatio,illius ſcilicet formæ ad quam eſt proximè diſpoſita; vnde dicunt quod quandiu materia ligni manet ſub forma ligni, & ſic non eſt proximè diſpoſita ad formam equi, non intelligitur in ea priuatio formæ equi.

189. Noſtra ſententia ſequentibus concl. explicatur. Prima concl. *In materia dantur priuationes omnium illarũ formarũ,quas apta nata eſt recipere, ſeu omniũ illarũ formarũ ad quas habet virtualẽ quãdã ſigillationẽ, ſeu quæ ſunt in ſua collectione; qualibet enim materiæ portio a principio ſuæ creationis habuit ſuã collectionẽ formarũ ab Auctore naturæ,ad quas fuit virtute,& remotè ſigillata, vt ſuo loco dicetur.* Probatur concl. quia negari non poteſt quod in materia non dentur omnium illarum formarum priuationes, quas apta eſt recipere, priuatio namque definitur quod ſit *carentia formæ in ſubiecto apto*, nec dicitur quod ſit aptum proximè, vel remotè, ſed materia huius ligni eſt apta recipere formam equi etiam, antequam ſit diſpoſita ad formam equi, ergo etiam tunc habet priuationem formæ equi, & idem argumẽtũ fieri poteſt de quibuſcumq; formis.

190. Secunda concl. *Priuationes formarum numero tãtum diſtinctarum non diſtinguũtur ſolum numero, ſed vel ſunt vnica tantum numero priuatio,vel plures ſpecie.* Pro quo nota, quod eodem modo proportionaliter loqui debemus de diſtinctione numerica, & ſpecifica priuationũ, ac de diſtinctione numerica,& ſpecifica formarum, quod ſicut diſtinctio numerica formarum deſumitur à ſubiecto, & ſpecifica à differentia diuidente, & contrahente genus, ita diſtinctio numerica priuationum deſumi debet à ſubiecto; ſcilicet à materia, & ſpecifica à differentia qua priuat. Hoc poſito probatur concluſio, nam ſubiectum numero vnum nõ

Digitized by Google

poteſt tribuere ſimul niſi vnicam vnitatẽ; ergo in eadem numero materia non poteſt eſſe ſimul niſi vnica numero priuatio, ac proinde vna, & eadem priuatio numero, ſecundum id quod affert in recto ſolum poterit eſſe in materia, licet illa priuatio habeat aliquam diuerſitatem ratione maioris, aut minoris diſpoſitionis. Hinc colligitur quod reſpectu vnius ſpeciei, vel datur in materia reſpectu omniũ formarum poſſibilium ſub eadem ſpecie vna tãtum priuatio numero diſtincta, vel plures ſpecie; item dantur tot priuationes ſpecie diſtinctæ, quot ſunt poſſibiles ſpecies, quæ in ea recipi poſſunt, quod ſi eſſent infinitæ, darentur in materia actu infinitæ priuationes ſpecie, & numero diſtinctæ, nõ quidem cathegorematicè, ſed ſyncategorematicè. Soluuntur argum. in contrarium.

191. Primum argum. nam priuatio ad formas poſſibiles non poteſt eſſe vna numero ſecundum id quod in recto importat in vna, eademque materia: ergo plures; non finitæ, ergo infinitæ. Prima cõſeq. conſtat. Minor ſubſumpta etiã cõſtat, nã ſi ſemel poſſunt eſſe plures, tot erunt quot ſunt poſſibiles formę, hę autem ſunt infinitæ, vt patet. Antecedens probatur, nam in materia huius ligni eſt priuatio ignis, & omnium igniũ poſſibilium, quorum illa materia eſt capax: item eſt priuatio equi, & omnium equorum, &c. ſed iſtæ priuationes non poſſunt eſſe tantum vna, cum forma non ſit tantum vna, ergo erunt plures.

192. Confirmatur 1. nam priuatio ſuam habet limitationẽ à forma, ſeu per ordinem ad formam oppoſitã, ſicuti habet eſſe, & cognoſcibilitatem in ordine ad illam, ergo quoties formæ ſunt realiter diuerſæ etiam priuationes erunt tales, patet autem formas, quibus priuant priuationes, quæ ſunt in ligno eſſe realiter diuerſas. Confirmatur 2. nam quando aduenit forma ignis in ligno, vel aliqua priuatio deſinit, vel nulla, ſi primum ergo ſunt plures: ſi ſecundum ergo remanet priuatio cum forma, quod eſt falſum.

193. Reſp. hoc argumentum cum ſuis confirmationibus ſolùm probare, quod in materia v. g. ligni dentur plures priuationes tum numero, tum ſpecie diſtinctæ, non tamen ſolo numero, vt plures numero priuationes plurium ignium ſolo numero diſtinctorum. Vnde in forma ad argumentum conceditur antecedens. Ad illius probationem dico, quod vna, eademque priuatio numero, priuat omnibus ignibus numero diſtinctis, non tamen omnibus ſpeciebus. Vel dicas, quod in materia ligni dentur tot priuationes quot ſunt ignes, ita tamen vt non diſtinguantur ſolo numero, ſed etiã ſpecie, quatenus ita eſt priuatio huius ignis, vt non ſit alterius. Exemplo ſpeciei Petri, & Pauli in oculo, phantaſia, aut etiã intellectu, quæ nõ diſtinguuntur ſolo numero, ſed etiam ſpecie, quatenus repreſentant illa indiuidua vt talia, vt ſint ita huius vt non ſint alterius; ſic illæ priuationes ita ſunt talium formarum, vt non ſint aliarum, & ſic à ſuis formis hoc modo determinantur. Et hoc probat 1. cõfirmatio. Ad 2. dico, quod ſi priuationes diuerſorum igniũ diſtinguuntur ſpecie perit ſua forma adueniente. Si autem ſit vna tantum numero, non perit adæquatè, & ſecundum quod correſpondet omnibus, ſed tantum inadæquatè, & prout correſpondet huic formæ, quæ aduenit & prout dicit quandam diuerſitatem ratione maioris, aut minoris diſpoſitionis.

194. Secundum argum. nam eſſe priuationem in materia eſt non eſſe formam oppoſitam; ergo eſſe plures priuationes eſt non eſſe plures formas; ſed verè in hac materia ligni non ſunt plures formæ, ſeu non ſunt infinitæ formæ, quæ per totam æternitatem eſſe poſſent; ergo verè in hac materia ſunt infinitæ priuationes. Reſp. concedendo totum, non tamen ex hoc ſequitur quod dentur plures priuationes ſolo numero diſtinctæ, ſed etiam ſpecie, vt ex dictis conſtat.

195. Tertium argum. nam valet hoc argumentum. In hac materia non ſunt priuationes omnium formarũ ignis poſſibilium; ergo in hac materia ſunt omnes formæ ignis poſſibiles; ergo etiam valet

hæc

hæc oppoſita conſequentia. In hac materia nulla eſt forma ignis poſſibilis; ergo ſunt omnes priuationes illarum, ac proinde in quacumque materia exiſtente à parte rei erunt infinitæ priuationes. Reſp. concedendo totum, dummodo non inferatur quod ſint plures priuationes ſolo numero diſtinctæ. Bene autem ſpecie, & numero. Nullo tamen modo admitti debent infinitæ priuationes, imò neque vna infinita extenſiuè, ſeu quoad extenſionẽ quaſi ſubſtantiam, hæc enim requireret ſubiectum infinitè extenſum, quod dari non poteſt; neque dari poteſt vna priuatio infinitè intenſa, cum non detur forma infinitæ intenſionis, & perfectionis.

196. Sed quæres an detur in materia v.g. ligni priuatio priuationis? Affirmant aliqui dicentes, quod non eſſe priuationis, ſit priuatio. Communis ſententia negat, quod ſcilicet à parte rei non detur priuatio priuationis, quia id quod priuationi opponitur non eſt priuatio, ſed forma poſitiua. Tum quia ſi vna priuatio fundaret aliam, & hæc alia fundaret aliã, & ſic in infinitum, quod eſt falſum, & reprobauimus in materia relationis in Logica.

§. 3. *Quomodo priuatio ſit principium rerum naturalium.*

197. Supra vidimus priuationem eſſe principium rerum naturaliũ modo quærimus modum huius principij, an ſcilicet ſit principium per ſe, an tantũ per accidens. Prima ſententia eſt, quod priuatio ſit abſolutè principium per accidens, ſic tenebant illi antiqui qui apud Ariſt. hic *tex.* 80. dicebant priuationem eſſe maleficam, & deſtructiuam rerum materialium, non principium, niſi quatenus ſuo maleficio res deſtruebat, ex qua deſtructione per accidens ſequebatur generatio. Ex modernis aliqui dicunt, quod priuatio eſt principium per accidens reſpectu rei in facto eſſe, eſt tamen principium per ſe rei in fieri. Potius dici deberet quod priuatio eſt principium rei in facto eſſe per aliud, ideſt per mutationem cuius eſt principium per ſe *à quo*, ſeu tanquam terminus *à quo*.

198. Noſtra ſententia ſequenti concluſ. explicatur. *Priuatio eſt principium per ſe rerum in fieri, quatenus eſt terminus à quo mutationis, ſeu generationis.* Sic apertè colligitur ex Ariſt. *tex.* 43. *&* 44. vbi expreſsè docet, quod quodlibet non fit ex quolibet, niſi ſecundum accidens, non enim album fit ex quocumque non albo nic fortè per accidens, ſed ex non albo determinato. Docet etiam Ariſt. quod principia ſunt contraria, ſunt autem contraria per ſe, vt priuatio, & forma.

199. Pro ſolutione autem aliquorũ locorum Ariſtotelis, quæ in contrarium obijci poſſunt, notanda eſt illa particula *ex*, quæ aliquando ſignificat habitudinem termini *à quo*, vt in hac propoſitione *ens fit ex non ente*, & aliquando ſignificat habitudinem ſubiecti præexiſtenti, & prærequiſiti, vt ex eo fiat aliquid, quod ex ipſo loquendi modo colligendum eſt, & ipſius Ariſtotelis intentione, vt cum dicimus *lignum fit ex non ligno*, ly enim particula *ex* poteſt ſignificare terminum *à quo*, & tunc propoſitio eſt neceſſaria, per ſe, & ſecundum quod ipſum in eo genere, & in hoc ſenſu Ariſt. vult priuationem eſſe principium per ſe. Quod ſi illa particula ſignificet, ſeu accipiatur vt ſignificat ſubiectum præexiſtens, quatenus ſubiectum ex quo fit lignum, eſt non lignum, tunc illa propoſitio *lignum fit ex non ligno* eſt per accidens, ſubiectum enim præexiſtens ex quo fit lignum eſt ſola materia, cui accidit priuatio formæ ligni & per quam priuationem illa materia dicitur non lignum, atque ita per accidens lignum fit ex non ligno. Illud autem per ſe eſt ſubiectum in quauis mutatione, quod in illa remanet, ſubiectum enim definitur id ex quo inexiſtente fit aliquid, at quia priuatio non manet, ideo non eſt ſubiectum, ſed ſubiecto accidit. Et in hoc ſenſu aliquãdo Ariſtoteles dicit priuationem eſſe principium per accidens. Soluuntur argum. in contrarium.

200. Primum argum. nam ſi priuatio eſſet per ſe principium, vel principiaret

ret quando eſt, vel quando non eſt; neutrum dici poteſt;ergo non eſt principium per ſe. Minor probatur, nam non principiat quando eſt, quia quando eſt, neque eſt mutatio, neque forma, cum priuatio pereat adueniente mutatione, ac proinde non principiat quando eſt. Neque principiat quando non eſt, quia quãdo non eſt, non poteſt eſſe principium per ſe; ergo ſolùm erit principium per aliud. Reſp. quod priuatio principiat quando non eſt, dummodo immediatè antea fuerit, quia principiat vt terminus *à quo*, & recedendo, & iſte eſt modus propius principiandi priuationis. Quocirca licet id quod non eſt nõ poſſit principiare vt ſubiectum, aut vt terminus *ad quem*, poteſt tamen id quod non eſt principiare vt terminus *à quo* per ſe in hoc ordine.

201. Secundum argum. Si Deus in hoc inſtanti crearet aliquam aeris partẽ in hoc loco, in eodem inſtanti ſuæ creationis illuminaretur à Sole ablato quouis impedimento, & tamen tunc temporis non præfuiſset priuatio luminis;ergo priuatio non eſt principiũ per ſe omnis mutationis, ſi enim eſſet principium per ſe, ad omnem mutationẽ requireretur. Reſp. quod mutatio poteſt ſumi dupliciter. Primò latè prout ſignificat quamcumque productionem, vel operationem de nouo ſiue hæc habeat ſubiectum præexiſtens, ſiue non; & ad hanc mutationem in hoc ſenſu lato non requiritur priuatio tanquã terminus *à quo*, ſed ſufficit quod non fuerit id quod producitur. Secundò ſtrictè, & ſecundum propriam ſignificationem, prout ſcilicet ſignificat tranſitum ſubiecti ab aliquo in aliquid, hoc enim ſignificat propriè mutari, & huiuſmodi ſunt omnes naturales mutationes, & de his loquitur Ariſtoteles, cum tria illa principia ponit. Illo ergo in caſu creationis aeris, & illuminationis illius non contingeret mutatio propriè hoc ſecundo modo de primo autem non loquimur.

DVBIVM VIII.

De 2. rerum naturalium principio, ſcilicet materia prima.

202. Materia in lata quadã ſignificatione alia eſt *ex qua* aliquid fit, quomodo lignum eſt materia ex qua fit ſcamnum. Alia eſt materia *in qua*, qua ratione lapis eſt materia in qua formatur ſtatua,& alia eſt *circa quam* potentiæ, actus, & habitus verſantur. In minus lata ſignificatione materia eſt triplex, ſcilicet alterationis tantum; compoſitionis tantum, & alterationis, & compoſitionis ſimul. Materia alterationis tantum eſt illa quæ alteratur, cum tamen non componat, quia corrumpitur antequam ex illa fiat aliquid, vt alimentum quod alteratur,& corrumpitur antequam in aliti ſubſtantiam conuertatur. Materia cõpoſitionis tantum eſt illa, quæ rem componit abſque eo quod alteretur,vt lignum ex quo componitur ſcamnum; ſyllabæ ex quibus dictiones componuntur; lapides ex quibus cõponitur domus, &c. Materia alterationis, & compoſitionis ſimul; eſt illa quæ & alteratur, & componit. Et hæc eſt duplex, alia eſt prima,& alia ſecunda. Materia prima eſt illa ex qua res primò fiunt,de qua hoc loco agemus. Materia ſecunda eſt ſubiectum ſecundarium in quo ſecundario res recipiũtur, & eſt totum compoſitum.

203. Materia prima appellatur etiã ſubiectum quatenus recipit formas ſubſtantiales; vnde non eſt verum quod dicit Pererius hoc loco, quod materia dicatur materia reſpectu formarum ſubſtantialiũ, & dicatur ſubiectum reſpectu accidentiũ, cum accidentia non recipiantur immediatè in materia, vt ſuo loco dicemus. Appellatur etiam elementum quatenus eſt pars intrinſecè componens res naturales. Aduerte quod cum dicimus materiam primam eſſe alterationis, & compoſitionis ſimul, non eſt ſenſus quod ipſa alteratio immediatè recipiatur in materia

ria prima, ſed mediatè tantum, vt ſuo loco dicetur.

204. Materia prima apud veteres varia habet nomina, nam ab Heſiodo, Orpheo, & Anaxagora vocatur *Chaos*, eo quod rerum omnium formas, confuſa quadam ratione complectatur. Ab alijs vocatur *Sylua*, quia ſicut ex ſyluæ arboribus plura conficiuntur, ita ex materia; aut quia ſicut ſylua plura confuſa continet ita materia. Arabes, & Hebræi eam vocarunt nomine græco *Hyle*, quod ſignificat rem rudem, impolitam, & vacuam omni forma. Vocata etiam fuit *mater*, eo quod ſit principium paſſiuum generationis. Hinc etiam *matrix* vocata eſt, quoniam ſicut matrix prolem, ſic materia formam in ſe ſuſcipit, & fouet; ob quam rationem *locus*, ſeu *ſuſceptaculum formarũ* nuncupatur. Vocatur *turpis* eo quod omni pulchritudine, & decore careat, cum careat forma, quæ eſt venuſtatis fons, & radix. Dicitur *malefica*, quia interitum molitur formæ quam habet, vt aliam recipiat eo modo quo mulier machinatur mortem ſui viri, vt cum alio copuletur. Dicitur præterea per ſe *ignota*, quia non niſi per formam cognoſcitur. Ob eandẽ rationem vocatur tenebræ, quia ex ſe nulla exornatur luce. Dicitur *prope nihil* quia eſt tota potentialis, & à Deo inter res creatas maximè diſtans. Demum vocatur *fundamentum naturæ*, quia omni agenti ſupponitur, & quaſi omni ſtructuræ naturali ſubſternitur. Cœterum quæ de materia prima ſciri debent habeantur ſequentes §§. ponuntur.

§. 1. *An detur materia prima.*

205. PRima ſententia negat dari materiam primam. Sic tenuerunt D. Iuſtinus Martyr *in confutatione dogmatum Ariſtotelis*. Lactãtius Firmianus *lib. 2. diuinarum inſtit.* Theodoretus *in lib. de origine decret. diuin.* & alij. Hanc ſententiam defendebat Pater Glauaronus Societ. Ieſu Mediolani in Collegio Braidenſi circa annum 1626. dum ibi ſtuderem, & volebat quod officium materiæ exerceret quantitas molis. Eandem ſententiam tenuerunt paucis ab hinc annis quidam doctores Galli, qui ob hoc à Parlamento Pariſienſi proſcripti fuerunt, vt notat Camerarius *p. 2. q. 1.* ipſe autem Camerarius aliam non agnoſcit materiam, quam quatuor elementa, ac proinde & ipſe proſcribi deberet, cum neget materiam in ſenſu communi Philoſophorum, & Theologorum, vt aduertit Pontius *diſp. 3. q. 1.*

206. Noſtra ſententia ſequenti concluſ. explicatur. *Datur materia prima.* Hæc concl. eſt communiſſima, & receptiſſima inter omnes Philoſophos, & Theologos. Eam docuerunt antiqui Philoſophi, vt teſtatur Maſius hic, qui licet in multis diſcordarent, in hoc tamen conueniebant vt daretur materia ex qua res cunctæ naturales conflarentur, vt Parmenides, Meliſſus, Thales, Anaxagoras, Anaximander, Democritus, &c. alij, vt colligitur ex Ariſt. *hoc loco, & ex 1. metaph.* ex Plutarcho *lib. 1. de placitis cap. 3.* & alijs, licet diſcordarent in nomine, nam alij vocabant materiam, aerem, alij ignem, alij terram, &c. Pro hac ſententia citat Maſius Hippocratem, Gallenum, Platonem, Plotinum, Ciceronem, Porphyrium, Oſcellum, Plutarchum, & ex Sanctis Patribus Baſilium, Ambroſium, Auguſtinũ, Chryſoſtomum, Bedam, Strabonem, Athanaſium, D. Thomam, Magiſtrum, &c. omnes materiam admittentes.

207. Probatur 1. ratione qua vtuntur N. Complut. *diſp. 3. n. 2.* nam in qualibet mutatione neceſſariò debet dari ſubiectum quod tranſeat de priuatione ad formam, ſeu quod maneat ſub vtroque termino, ergo etiam dari debet in mutatione ſubſtantiali; ſed primum ſubiectum in mutatione ſubſtantiali eſt materia prima; ergo datur materia prima. Per materiam namque primam nil aliud intelligimus niſi primum ſubiectum mutationis ſubſtantialis.

208. Hæc ratio diſplicet Pontio loco citato, eo quod ſupponat illud quod eſſet probandum, nimirum dari mutationem ſubſtantialem; licet enim ab omni-

bus

bus ſupponi debeat produci ſubſtantiam, tamen qui negaret materiam primam, meritò etiam negaret, ſubſtantias produci per mutationem. Sed contra, nam ratio Complut. eſt Ariſtotelis, ergo Pontio diſplicet ratio Ariſtotelis, & Complut. ſupponunt, quod vt euidens ſupponit Ariſt. Teneat Pontius verba Ariſt. hic *tex.* 82. vbi ſic loquitur. *Si enim fiat*, ſcilicet aliquid per generationem, *ſubyci aliquid oportet primum, ex quo inexiſtente fiat*, vbi ſupponit dari generationem ſubſtantialem per quam aliquid fiat, & illi debet ſubeſſe materia tanquam primum ſubiectum, aliàs ſi materia non eſſet primum ſubiectum deberet poſſe generari, quod implicat, quia tunc eſſet antequam generaretur, vnde ſubdit. *Quare erit antequam fiat*, quod eſt abſurdum. Ex qua doctrina infert materiæ definitionem dicens. *Dico enim materiam primum ſubiectum vniuſcuiſque*, ſcilicet mutationis, *ex quo fit aliquid, cum inſit, non ſecundum accidens*, de qua definitione dicemus §. ſeq.

209. Probatur 2. nam non datur virtute agentis naturalis creatio, ſeu nullum agens naturale creare poteſt, ſeu producere rem ex nihilo, ſeu ex nullo præſuppoſito ſubiecto, hoc enim eſt ſolius Dei proprium; ſed hoc ſubiectum quod præſupponitur nil eſt aliud quam materia prima, ergo datur materia prima. Minor probatur, nam ſubiectum quod præſupponere debet agens naturale ad productionem rei non poteſt eſſe accidens v. g. quantitas, vt dicebat P. Glauaronus, quia ex accidenti non poteſt fieri res naturalis ſubſtantialis, v. g. Neque poteſt eſſe forma, quia forma non eſt ſubiectum formæ, cum ſit actus, actus autem informat, ſeu actuat, non informatur, ſeu actuatur; neque poteſt eſſe compoſitum, quia cõpoſitum eſt ſolum ſubiectum accidentiũ, non formarum ſubſtantialium, aliàs non eſſet ens per ſe, ſed per accidens, & quoddam aggregatum; ergo debet eſſe materia prima.

210. Occurret aliquis, quod ad hoc vt agens naturale agat, & aliquid de nouo producat abſque eo quod detur materia prima, non eſt neceſſe quod creet, ſeu agat in nihilum, ſed ſufficit quod deſtruat vnam ſubſtantiam, & ex ea aliam producat abſque eo quod aliquid maneat ſub vtroque termino, vt patet in Sacramento Euchariſtiæ, vbi tota ſubſtantia panis, & vini conuertitur in ſubſtantiam corporis, & ſanguinis Chriſti D. Nec valet dicere, quod actio tranſubſtantiatiua ſubſtantiæ panis, & vini in corpus, & ſanguinem Chriſti D. eſt miraculoſa, ac propterea non poteſt fieri virtute agentis naturalis; nam contra eſt quia licet ſit miraculum, quod virtute verborum conſecrationis fiat tranſubſtantiatio totius ſubſtãtiæ panis, & vini in totam ſubſtantiam Corporis, & Sanguinis Chriſti D. non tamen erit miraculum, quod virtute agentis naturalis paulatim vna totalis ſubſtantia diſponatur vt deſinat eſſe, & alia illi ſimilis producatur. Tum quia ex ſpeciebus conſecratis fit naturaliter generatio vermium; ignis, cum ſpecies comburuntur; aceti cum ſpecies vini corrumpuntur; ergo poteſt etiam hoc contingere in omni alia productione, vt ſcilicet aliquid de nouo producatur abſque materia prima præexiſtente, vt contingit cum ex ſpeciebus conſecratis fiunt dictæ generationes.

211. Reſp. nullo modo poſſe agens naturale facere illam ſubſtantiarũ tranſmutationem ſine miraculo, cum agens naturale debeat habere ſuæ actionis ſubiectum, quod non contingeret in eo caſu, nam vel actio reciperetur in ſubſtantia quæ deſinit eſſe, & hæc cum tota deſinat, deſinet etiam tota actio, eiuſque virtus, ac proinde naturaliter non ponetur alia ſubſtantia in virtute illius; in ſubſtantia producta recipi non poteſt, cum non ſit quando agens incipit operari. Vnde ſine miraculo nulla dari poteſt tranſubſtantiatio; nec illæ generationes ſunt naturales, tum quia præſupponunt miraculum conuerſionis; tum quia tunc vel Deus conuertit quantitatem in materiã primã in qua ponitur forma v. g. vermis; vel noua materiæ portio creatur de qua ago in meo tract. de Euchariſtia.

213. Probatur 3. multa fiunt in rerũ natura, quæ ſunt compoſita in materia, & forma, & tamen non fiunt ſecundum vtramque partem, ergo ſecundum vnam non fiunt, & præexiſtunt, hæc eſt materia; ergo præexiſtunt ſecundum materiã, ac ſubinde datur materia. Maior conſtat experientia, nam in morte viuentium, & animalium perit forma, & manet materia, ergo euidens ſignum eſt conſtare materia, & forma, quæ tribuit eidem materiæ vitam, quam ex ſe non habet, aliàs per mortem, & formæ deſitionem non amitteret vitam. Minor etiam conſtat, nam ſi res fierent ſecundum vtramque partem etiam deſinerent ſecundum vtrãque partem, & tamen videmus, quod in morte deſinunt ſolum ſecundum eam partem, quæ vitam confert, vt patet, & hæc eſt forma, ac proinde deſinunt, & fiunt res ſecundũ formam, & permanent ſecundum materiam.

214. Probatur 4. ex quotidiano experimento alimenti, nam euidens eſt hominem, & quodlibet viuens nutriri ex alimento, ergo aliquid alimenti debet in homine manere, non manet forma; ergo materia. Antecedens eſt notum experiẽtia quotidiana. Conſeq. conſtat, ſi enim nihil alimenti maneret, non poſſet animal nutriri, & augeri. Quod autem non maneat forma, notum eſt; nam ſi forma maneret, deberet ſub ea forma alimenti manere, vt ſub forma panis, patet autem quod alimentum non maneat ſub forma alimenti, cum hæc corrumpatur, ergo, &c:

215. Probatur 5. quoniam videmus dari in rebus naturalibus mutuam tranſmutationem, nam ex aere generatur ignis ex igne generatur aer; vel ergo quando ex aere generatur ignis, vel perit totus aer, vel aliquid aeris manet in igne genito; ſi dicatur quod totus aer perit, ſequitur quod annihiletur, & quod ignis genitus creetur, creatio autem eſt ex nullo præſuppoſito ſubiecto, & annihilatio eſt deſitio in nullum ſubiectum, vtrumque autem implicat viribus naturæ. Soluuntur argum: in contrarium.

216. Primum argum. Si daretur materia deberet eſſe affecta quantitate, qualitate, &c. ſed materia non eſt huiuſmodi, dicente Ariſt. 7. *metaph.* quod materia neque eſt quid, neque quantum, neque quale, &c. ergo non datur. Reſp. quod materia ſecundum ſuam eſſentiam nulla habet accidentia, tamen vt exiſtit à parte rei ea habet, non tamen ſubiectantur immediatè in ea, ſed tantum mediatè, vt ſuo loco dicetur.

217. Secundum argum. Si daretur re ipſa materia à parte rei, deberet eſſe alicubi, & deberet poſſe apprehendi ab intellectu, vel à ſenſu; ſed materia prima non eſt alicubi cum non ſit corpus, nec apprehendi poteſt ab intellectu cum ſit pura potentia, & nihil intelligitur niſi ſit actus, aut habeat modum actus; neque apprehendi poteſt à ſenſu, cum non ſit quanta, nec colorata, &c. ergo non datur. Reſp. quod materia prima vt eſt à parte rei eſt in loco circumſcriptiuè ratione quantitatis, ſecundum ſe tamen eſt ſolùm in loco negatiuè, quatenus ſecundum ſe nullum ſibi determinat locum de quo ſuo loco. Apprehenditur etiam à ſenſu ratione quantitatis, & per accidens, ſeu per aliud; & ab intellectu ratione formæ, qua ratione quidam vocant formam vultum materiæ, vel quia in forma cognoſcitur materia, vel per habitudinem ad illam.

218. Sed quæres 1. an Deus ab ipſo mundi exordio molitus fuerit res ex materia? Reſp. affirmatiuè non quidem tanquam ex aliquo præexiſtente, aliàs Deus non creaſſet res, ſed tantum produxiſſet, ſed tanquam ex aliquo inexiſtente, ſeu tanquam ex parte materiali, & intrinſeca & ſic materia fuit cum rebus ipſis concreata. Dices Sap. 11. dicitur. *Non enim impoſſibile erat omnipotens manus tua, qua creauit orbem terrarum ex materia inuiſa, &c.* Vbi videtur quod materia non fuerit creata, aut concreata, ſed quod ex ea omnia creata ſint. Reſp. aliquos velle quod Deus prius creauit materiam aut ſolam, aut cum aliqua forma rudi, & deinde ex iſta omnia produxerit. Cœterum

rum certum eſt, quod materia fuerit cum rebus concreata, & in illo loco dicitur inuiſa, quatenus ſecundum ſe eſt ſine forma; ſine pulchritudine, &c. vnde ly *ex* non dicit præexiſtentiam realem, ſed prioritatem quandam naturæ, quatenus Deus intelligitur prius creare ſubiectum quam formam.

219. Quæres 2. quando materia prima fuit à Deo creata? Prima de hac re ſententia eſt, quod materia prima non fuit à Deo creata in tempore, ſed fuit ab æterno. Sic tenuit Plato teſte Plutarcho *lib. 1. de placitis cap. 3.* Socrates, & alij ſic enim dicit. *Socrates, Sophroniſci Athenienſes, Platoque, Ariſtonis item Athenienſis principia tria poſuerunt, Deum, Materiam, Ideam*. Vnde vt teſtatur D. Athanaſius *lib. de Verbi incarnat.* Plato conſtituebat materiam æternam, & improductã. Quam opinionem ſecutus eſt Cicero *de nat. Deorum*. Hanc ſententiam, ſeu potius errorem ſecuti ſunt quidam hæretici, vt Seleuciani, Herminiani, & alij quos refert S. P. Aug. *lib. de hæreſ. cap. 59.*

220. Veritas catholica ſequenti concluſ. explicatur. *Materia prima fuit à Deo creata Gen. 1. cum dicitur. In principio creauit Deus cælum, & terram*, ſub quibus verbis comprehenditur materia prima, vt ibi tradunt expoſitores, & colligitur ex alijs Sacræ Scripturę locis, vt pſal. 145. dicitur. *Qui fecit cælum, & terram, mare, & omnia quæ in eis ſunt*, ſed materia eſt in cœlo, & in terra; ergo à Deo facta eſt, cum illa fecit; qui enim dicit omnia, nihil excludit, Et Ioann. 1. habetur. *Omnia per ipsũ facta ſunt, & ſine ipſo factum eſt nihil*, ideſt nulla res reperitur, quæ à Deo per eius verbum non ſit producta. Colligitur hæc veritas ex Concil. Lateran. & refertur *cap. firmiter, de ſumm. Trin. & de Fide Catholica*, quatenus decernitur quod Deus in principio vtramque creaturam, corporeã ſcilicet, & Angelicam ex nihilo condidit. Sub natura autem corporea materia prima comprehenditur.

§. 2. *Quid ſit materia prima.*

221. Tres materiæ definitiones afferri ſolent ex Ariſtotele prima habetur 1. *metaph. tex. 8.* ſcilicet *materia neque eſt quid, neque quantum, neque quale, neque aliquid eorum, quibus ens determinatur*. Cuius definitionis ſenſus eſt ex D. Thom. ibidem quod materia eſt primum ſubiectum, & pura potentia, de cuius ratione eſt quod non ſit quid, ideſt actus, ſiue forma, vt ſit receptiuum formæ, neque quantum, neque quale, neque aliquid eorum ex quibus ens determinatur, vt ſit horum receptiua, primumue ſubiectum.

222. Secunda Ariſtotelis definitio eſt in hoc primo libro. *Scilicet materia prima eſt ſubſtantia, quæ ita ſe habet ad formas ſubſtantiales, ſicut æs, vel lignum ad artificiales*. Cuius definitionis ſenſus eſt, quod materia eſt potentia ad formas ſubſtantiales, ſicut æs, vel lignum eſt potentia ad formas artificiales, quatenus ſicut æs nullam ex ſe habet formam orbis, ita materia ex ſe nullam habet formam ſubſtantialem, Per hoc quod materia dicatur ſubſtantia excluditur eorum philoſophorum error, qui dicebant materiam eſſe ens infinitum, vt teſtatur Plotinus Aeneade 2. *lib. cap. 1.* Et Magnus Albertus hoc loco hunc errorem tribuit cuidam Alexandro Epicureo; quem etiam defendebat quidam hæreticus nomine Dauid tempore Innoc. III. vt teſtatur D. Thom. 1. *contra Gent. cap. 17.* & alibi, cum nulla ſubſtantia extra Deum ſit infinita, vt infra *lib. 8.* dicemus. Item per hoc quod dicatur *ſubſtantia* excluditur illorum error, qui dixerunt materiam primam eſſe ens priuatiuum, ſeu eſſe priuationem actus, & formæ. Horum ſententiam refert Ioann. Baſolis *in 2. diſt. 12. q. 1. art. 1.* Conſtat ex dictis ſupra, nam aliàs non eſſet primum ſubiectum generationis, nec poſſet facere vnum per ſe cum forma. Patet ergo ex dicta definitione materiam primam eſſe ſubſtantiam non completam alioquin non poſſet facere vnum per ſe

cum

cum forma, ſed incompletam, potentialem, & contrahibilem per formam.

223. Per hanc etiam definitionem excluditur opinio quorumdam, quæ etiã tribuitur Ricardo, qui exiſtimabant materiam, & formam non diſtingui, ſed eſse vnam, eandemque entitatem, quæ ſecundum diuerſos reſpectus vocatur materia, & forma. Excluditur etiam opinio Aureoli *in 2. diſt.22.p.4.q.1.* qui dicit quod materia, & forma in fieri, ſeu antequam vniantur diſtinguuntur realiter, ſecus in facto eſſe, ſeu poſt vnionem. Nam ſubiectum generationis diſtinguitur per ſe à termino illius ſiue in fieri, ſiue in facto eſſe, aliàs forma ſemel vnita materiæ nõ poſſet amplius ab ea ſeparari. Tum quia videmus materiam tranſire ab vna in aliam formam, ab ea ſeparari per corruptionem, ergo materia à forma ſemper diſtinguitur.

224. Tertia, & communior definitio, quam omnes tradunt ex Ariſt. hoc loco *tex.82.* eſt. *Materia eſt primum ſubiectum vniuſcuiuſque, ex quo fit aliquid, cum inſit & non ſecundum accidens.* Materia dicitur *primum ſubiectum*, vt excludantur omnes aliæ cauſæ, ſeu ſubiecta, aut materiæ, quæ dicuntur ſecundæ, nam lignum eſt ſubiectum ſtatuæ, ſed non primum, nec prima materia, cum in ipſo ligno ſit alia materia prior ex qua factum eſt, & ſic de alijs dicitur *ex quo aliquid fit*, tum quia in phyſica cauſæ conſiderantur in ordine ad motum; tum vt oſtendatur materiam eſſe principium mutationis per quam aliquid fit. Dicitur *cum inſit*, ad excludendam priuationem de qua diximus ſupra quod non ineſt, ſeu non remanet in re facta. Dicitur *non ſecundum accidens* hoc eſt non ineſt ſecundum accidens; vnde hæ particulæ *non ſecundum accidens* coniunguntur cum iſta particula *cum inſit*, nõ cum illis *ex quo aliquid fit*, & ſic excludũtur omnes diſpoſitiones, quæ remanent in materia poſt generationem. V.g. homo fit ex materia quãta, & ita dicitur fieri ex quanto tanquam ex ſubiecto, & quantũ ineſt in homine; ſed tamen quia quantitas non ineſt vt ſubſtantia, ſed vt accidens, ideo excluditur per illas particulas, *& nõ ſecundum accidens*; ſubiectum namque primum non poteſt eſſe accidens; ſic exponit Alexander apud Simplicium, licet idem Simplicius putet illas particulas *cum inſit, & non ſecundum accidens* ſignificare idem, & poni ſolum maioris claritatis gratia ad excludendam priuationẽ. Alexandri tamen expoſitio videtur congruentior, maximè ſecundum illos, qui ponunt quantitatem ingenerabilem, & incorruptibilem.

225. Addit præterea Ariſtoteles prędictæ definitioni has particulas. *Et ſi corrumpatur in hoc abibit vltimum*; id eſt, quando aliquid corrumpitur, licet cætera deſtruantur, tamen hoc vltimũ nempè materia debet manere, ſeu omnia corrumpuntur, & abeunt in materiam, ſeu deſinunt in materiam, tanquam in quid vltimum, cum materia ſit incorruptibilis; & ex omnibus rebus præteritis ſola materia adhuc manet.

§. 3. *An materia prima ita ſit pura potentia vt neque actum phyſicum, neque metaphyſicum habeat.*

226. Aliqui hanc difficultatem ità proponunt, an materia habeat actum entitatiuũ, per actum entitatiuum non intelligunt formam ſubſtantialem, iam enim conſtat ex dictis materiam ex ſe non habere formam ſubſtantialem, ſeu actum phyſicum; neque intelligunt exiſtentiam, aut ſubſiſtentiam, nam de his poſtea dicetur; ſed intelligunt quemdam actum vniuerſalem, & tranſcẽdentalem conſequentem cuiuſcumque rei entitatem, ſeu actualitatem; eo namque ipſo quod aliquid eſt ens, habet imbibitam aliquam rationem actus, quæ vocari poteſt actualitas, ſeu actus metaphyſicus.

227. Prima ſententia eſt materiam primam habere ex ſe actum entitatiuum modo explicato. Sic Scotus *in 2. diſt.12 q.1.* quem eius diſcipuli ſequuntur, vt teſtatur Pontius hic *diſp.3. q.3.n.14.* citans Suarez, & dicens ita tenere omnes recentiores.

228. Noſtra ſententia ſequenti concl. explicatur . *Materia prima ex ſe nullum habet actum entitatiuum* . Hæc eſt ſententia Ariſt. hic *tex. 69.* vbi ſic habet . *Vt enim ad ſtatuam æs, aut ad lectum lignum , aut ad aliud aliquid habendum formam, materia,& informe ſe habet, priuſque accipiat formam* ; quorum verborum planus ſenſus eſt, quod materia ita ſe habeat ad formas antequam habeat illas,ſicut æs,aut lignum ad ſtatuã, aut lectum ; ſed æs , aut lignum nullum in ſe includunt actum artificialem , ergo neque materia prima vllum in ſe habebit actũ naturalem , actus autem entitatiuus eſt naturalis,vt patet, ergo, &c. Pro hac ſententia citat Maſius Alexandrum Aphrodiſeum , D.Thomam, D. Bonau. Durand. Argentinam ; N.Bauonium , Aegidium , Capreol. Soncin. Aequar. Iauell. Valleſium, Banneſium, Gratiam Dei,Fonſecam, Villalp.Iandun. Sueſan. Zimarram,Archangel.Mercenarium, Zabarellam,alioſque . Videantur N. Complut. hoc loco .

229. Probatur 1. nam materia prima nullum habet actum phyſicum , vt etiam aduerſarij fatentur; ergo neque habet actũ metaphyſicum , ſeu entitatiuum . Conſeq. probatur ; nam ideo materia nullum habet actum phyſicum, quia eſt pura potentia , primumque ſubiectum in ordine phyſico; ſed etiam in ordine metaphyſico eſt pura potentia, primumque ſubiectum, ergo etiã in ordine metaphyſico nullũ habebit actũ. Hæc minor probatur , nam actus phyſicus eſt fundamentum actus metaphyſici , ac proinde vbi non datur actus phyſicus, neque metaphyſicus dari poteſt , ergo ſi ſemel actus phyſicus non datur in materia , neque actus metaphyſicus dari poterit. Tũ quia actus metaphyſicus non poteſt eſſe niſi aliquis gradus , aut prædicatum metaphyſicum; ſed gradus , aut prædicata metaphyſica fundantur in phyſicis,ergo ſi ſemel in materia non datur gradus, ſeu actus phyſicus , neque metaphyſicus dabitur.

230. Probatur 2. nam materia prima tam phyſicè , quam metaphyſicè conſiderata, eſt vna eademque entitas realis , quatenus gradus metaphyſicus identificatur cum gradu phyſico ; ſed materia prima phyſicè conſiderata nullum habet actum phyſicum cum phyſicè ſit pura, & prima potentia, purum , primumque ſubiectum , ergo etiam metaphyſicè conſiderata nullũ habebit actum , cum etiam metaphyſicè conſiderata ſit pura potentia, primumque ſubiectum .

231. Occurrunt aduerſarij, quod licet materia phyſicè nullum includat actum,illum tamen includit metaphyſicè,cum enim ſit ens , primum ſubiectum, pars compoſiti , &c. debet eſſe actus quidam metaphyſicus, qui imbibitur , & tranſcendit quamcumque entitatem , & potentialitatem phyſicam, & ſic optimè ſtat quod materia ſit pura potentia phyſica , & metaphyſicè ſit actus . Sed contra, quoniam, vt docent metaphyſici, tranſcendens eſt tale , iuxta talitatem rei quam tranſcendit, ergo non poteſt dari actus metaphyſicus tranſcendens potentiam phyſicam . Conſeq. probatur , nam ſi daretur actus tranſcendens potentiam phyſicam, vel remanet actus,& hoc non, quia tunc vna, eademque entitas, eſſet actus, & potentia , reciperet , & reciperetur , tum quia ſi remaneret actus , non tranſcenderet potentiam ; cum de ratione tranſcendentis ſit quod induat conditionem, & naturam rei quam tranſcendit. Vel ille actus non remaneret actus , ſed fieret potentia, tranſeundo in naturam, & conditionem potentiæ, & hoc eſt quod volumus nos. Tum quia actus,& potentia tam phyſicè, quam metaphyſicè diuidunt ens;ergo ſicut phyſicè datur aliquid quod in hoc ordine eſt pura potentia , & aliquid quod reſpectu huius puræ potentiæ eſt purus actus, ſeu tantum actus ; ita in ordine metaphyſico debet dari aliquid quod ſit tantum potentia, & aliquid quod ſit tantum actus .

232. Probatur 3. quia materia prima ita eſt eſſentialiter prima potentia, primũque ſubiectũ reſpectu cuiuſcumque actus, ſicut forma reſpectu materiæ eſt eſſentialiter actus; ſed forma ſubſtantialis eſt reſpectu materiæ eſſentialiter actus , vt nihil reſpectu materiæ contineat potentiæ; ergo materia reſpectu formæ ſubſtantialis erit eſſentialiter potentia , vt nihil reſpectu

formæ

formæ contineat actus, ſed tota erit potentia, & tantum potentia. Maior eſt Ariſtotelis 2. *de anima cap.*1. vbi poſtquam diuiſit ſubſtantiam in materiam, formam, & compoſitum; ita loquitur. *Eſt autem materia poteſtas, ſpecies*, ideſt forma, vt ibi obſeruant expoſitores, *actus, & perfectio, &c.* vbi Ariſtoteles vult materiam eſſe eſſentialiter potentiam, ſicut forma eſt eſſentialiter actus, & perfectio. Tum quia ſi materia haberet aliquem actum entitatiuum, haberet aliquam perfectionem, ſed Ariſtoteles in verbis citatis totam perfectionem tribuit formæ, non materiæ; materia namque in linea ſubſtantiæ perficitur, non perficit, & forma perficit, non perficitur à materia; ergo, &c. Minor conſtat, nam ſi materia haberet aliquam rationem actus entitatiui deberet eſſe per ordinem ad formam, & deberet habere rationem potentiæ receptiuæ reſpectu eiuſdem formæ, ſed hoc eſt contra rationem actus; actus namque non recipit actum, ſed potentiam; ergo, &c. Hinc Ariſtoteles 8. *metaph. cap.*6. ait quod ex materia, & forma fit vnum per ſe, quia materia eſt eſſentialiter potentia, & forma eſt eſſentialiter actus, ex actu autem, & potentia fit vnum per ſe, quod ſi materia ante actum reciperet, vel haberet actum entitatiuum, cum hoc faceret vnum per ſe, & cum forma poſtea ſuperueniente, faceret vnum per accidens.

233. Probatur 4. & confirmatur præcedens argum. nam id quod eſt eſſentialiter potentia nullum poteſt includere actũ; ſed materia prima eſt eſſentialiter potentia, ergo nullum in ſua eſſentia poteſt includere actum. Maior nota eſt, quod enim eſt eſſentialiter potentia, excludit in ſua eſſentia quamcumque rationem actus, etiã per modum tranſcendentis, quod enim tranſcendit potentiam, debet eſſe potentia non actus, cum actus, & potentia opponantur, & vnum excludat aliud. Minorem probo, nam ſi materia prima no eſſet eſsẽtialiter potentia poſſet ſine ea & intelligi, & eſſe, ſed materia prima non poteſt intelligi ſine potentia, ergo eſt eſſentialiter potentia. Tum quia ſi materia prima non eſſet eſſentialiter potentia, & poſſet ſine ea intelligi, potentia eſſet accidens illius, ac proinde vnio materiæ cum forma, eſſet accidentalis, & ex illis non fieret vnum per ſe, ſed tantũ per accidens. Tum quia ſequeretur quod ens per accidens eſſet prius ente per ſe, ex materia namque, & eius potentia fieret ens per accidens quod eſſet prius compoſito, quod eſt ens per ſe. Tum etiam quia actus, & potentia pertinent ad eandem categoriam, ac proinde ſi actus eſt ſubſtantialis, etiam potentia debet eſſe ſubſtantialis. Soluuntur argum. in contrarium.

234. Primum argum. nam materia prima eſt actu ens, ſubſtantia, ſubiectum, principium entis naturalis, vera pars compoſiti, & elementum illius, ergo non eſt pura potentia metaphyſicè, ſed dicit actum metaphyſicum. Antecedens eſt certum, implicat enim quod vera pars compoſiti naturalis non ſit ens, non ſit ſubſtantia partialis, &c. Conſeq. probatur, quoniam ſi materia eſſet pura potentia, eſſet ſolum poteſtate, ſeu potentia ens, ſubſtantia, &c. ſicut quod eſt potentia calidum aut album, non continet actu calorem, aut albedinem; ſed abſurdum eſt dicere quod materia ſit tantum poteſtate ens, ſubſtantia, &c. ergo, &c. Reſp. diſtinguendo antecedens. Materia prima eſt actu ens, ideſt eſt ens extra cauſas, in rerum natura, eſt ſubſtantia creata, incompleta, &c. conceditur, eſt actu ens, ideſt ens in actu, &c. negatur: ad hoc vt ſit ens actu ſufficit quod ſit pura potentia, quoniam ens actu diuiditur in potentiam, & actum. Cæterum vt ſit ens in actu, requiritur quod ſit vel actus, vel includat actum.

235. Secundum argum. quo vtuntur communiter Scotiſtæ eſt, quoniam materia prima includit gradum entis incompleti, ſubſtantiæ incompletæ, &c. non minus ad compoſitum includit gradum entis cõpleti, ſed gradus entis incompleti ſunt inter ſe diſtincti non minus, ac gradus entis completi; ergo ſicuti gradus entis completi conſtituuntur per differentias, ſeu actus completos, ita gradus entis incompleti conſtitui debent per differentias, ſeu actus incompletos; idem namque eſt conſtitu-

ſtitu-

ſtitutiuum, & diſtinctiuum, & ſic cum diſtinctiuum gradus entis incõpleti ſit actus incompletus, ita conſtitutiuum eiuſdem gradus entis incompleti qui eſt in materia debet eſſe actus incompletus. Reſp. concedendo maiorem,& minorem, & negando conſequentiam, nam gradus entis incompleti, qui eſt in materia non conſtituitur, nec diſtinguitur per differentiam quæ ſit actus,ſed per differentiam, quæ eſt potentia. Cum enim ens diuidatur in actum, & potentiam, oportet quod ſicut ens quod eſt actus conſtituitur per differentiam,quę eſt talis actus, ita gradus entis, ſeu ens, quod eſt potentia, debet conſtitui, & diſtingui per differentiam, quæ ſit talis potentia, ſcilicet pura potentia, hæc enim eſt ratio conſtitutiua, & diſtinctiua materiæ, ab actu, & ab alijs quæ non ſunt puræ potentiæ.

236. Tertium argum. proponit Pontius hoc modo. Homo includit actum metaphyſicum, quia includit rationalitatem, quæ eſt actus metaphyſicus actuans,& determinans animal ad eſſe hominis; ſed materia prima includit ſuſceptiuitatem, quæ eſt differentia contrahens rationem ſubſtãtiæ incompletæ ad eſſe materiæ primæ, ergo includit eſſentialiter actum metaphyſicum. Reſp.quod hoc argumentum concludit oppoſitum eius quod intendit Pontius, ſic enim concludit: homo includit actum metaphyſicum, quia includit rationalitatem, quæ eſt actus metaphyſicus actuans,& determinans animal ad eſſe hominis,quod eſt actus:homo enim eſt quoddam eſſe actuale dicens actũ, & includens actum, & etiam animal includit actum, vt patet; ſed materia includit ſuſceptibilitatẽ, quæ non eſt actus,ſed potentia;& differentia eſt potentia contrahens rationẽ ſubſtantiæ ad eſſe potentiæ; ergo materia includit eſſentialiter potentialitatem: differentia namque conſtitutiua potentiæ, & contractiua ſubſtantiæ, & entis ad eſſe potentiam ſuſceptiuam, non poteſt eſſe actus, ſed neceſſariò debet eſſe potentia.

237. Quartum argum. quod eſt eiuſdem Pontij eſt,quoniam ideo homo includit actum metaphyſicum, quia includit plures formas, in quarum vna conuenit cũ alijs rebus diſtinctæ naturæ ab ipſo,nempè in animalitate; ſed materia prima conuenit cum forma ſubſtantiali in ratione entis incompleti, & diſconuenit in ratione partis ſuſceptiuæ, & primi ſubiecti; ergo includit actum metaphyſicum, ſcilicet illam differentiam, per quam diſtinguitur à forma, & alijs. Reſp. negando conſeq. oppoſitum enim deberet concludi, quod ſcilicet cum materia conueniat cum forma in ratione entis incompleti, & differat in ratione potentiæ ſuſceptiuæ, oportet quod differentia conſtitutiua materiæ in ratione potentiæ, & in hac ratione diſtinctiua eiuſdem à forma, ſit potentia non actus, cum actus non poſſit conſtituere potentiam, nec eam diſtinguere ab actu, vt patet.

238. Quintum argum. nam materia prima omnium ſublunarium eſt eiuſdem ſpeciei,& diuerſæ ſpeciei à materia cæleſti; ergo omnes materiæ ſublunares conueniũt in vna differẽtia ſpecifica per quam diſtinguantur à materia. Dices cum Complut. inquit Pontius, quod materia prima ſublunarium eſt eiuſdem ſpeciei negatiuè, non poſitiuè. Contra inquit quia hæc reſponſio eſt gratiſſima, & eodem modo poſſet quis dicere, quod humana natura eſſet eiuſdem ſpeciei negatiuè tantum, & non poſitiuè. Deinde materiæ primæ ſublunares habent poſitiuam formalitatem ſecundum quam conueniunt inter ſe, & diſconueniunt ab alijs rebus; ergo ſunt poſitiuè eiuſdem ſpeciei. Reſp. ſuſtinendo ſolutionem N.Complut. quod ſcilicet materia prima ſublunarium ſit ſecundum ſe vna ſpecie tantum negatiuè, ſeu quod ſit vna negatiuè, & ita eſt, nam ſi materia prima ſublunarium eſſet vna ſpecie poſitiuè,quomodo poſſet per varias formas multiplicari poſitiuè ſpecie? quod enim eſt vnum ſpecie poſitiuè, & eſſentialiter ſemper remanet huiuſmodi. Sicuti quia forma eſt vna ſpecie poſitiuè licet incompletè, ſemper remanet in ſua ſpecie, & quantumuis vniatur cum varijs materijs ſemper ſuam conſeruat ſpeciem, imò trahit materiam ad ſuam ſpeciem, per quod conſtituitur compoſitum, & ſpecies formæ, quæ erat incom-

incompleta ſit completa. Quare omnes materiæ ſublunares ſecundum ſe ſunt vna numero materia negatiuè,non poſitiuè per differentiam aliquam quæ ſit actus, licet habeant ſuam differentiam conſtitutiuam, & diſtinctiuam à materia cœleſti, quæ eſt potentia, nam materia ſublunaris conſtituitur per potentiam reſpicientem formam amiſſibiliter; at materia cæleſtis conſtituitur per potentiam reſpicientem formas inamiſſibiliter. Quod autem ſic philoſophandum ſit conſtat ex dictis, quod ſcilicet ens diuidatur in actum, & potentiam, ac proinde ſicut actus conſtituitur per differentiã quæ eſt actus, ita potentia conſtitui debet per differentiam, quæ eſt potentia; differentia namque conſtitutiua potentiæ vt talis, non poteſt eſſe actus, ſed debet eſſe potentia. Hinc colliges non benè dicere Pontium, quod noſtra fundamenta ſint leuiſſima.

§.4. *An materia prima habeat propriam exiſtentiam.*

239. PRima ſententia tenet, quod materia prima habeat propriã exiſtentiam ex ſe, & non à forma, vel à compoſito. Pro hac ſententia citant N. Complutenſes, Henricum, Scotum, Gregor. Gabrielem, Fonſecam, Suarez, Pererium, Toletum, & Ruuium, & dicunt eam ſequi omnes Scriptores Societatis. Quibus addo Pontium hoc loco. Pro quo nota quod per exiſtentiã nil aliud intelligimus niſi id per quod res eſt extra cauſas, ſeu intelligimus quendam modũ, aut quandam actualitatem per quam res vltimò terminat ſui productionem, ob quam rationem dicitur vltimus rei actus, proprius Dei. De qua re tracto de Incarnatione, vbi etiam explico an diſtinguatur à ſubſiſtentia, &c. à quibus modo abſtinemus;

240. Noſtra ſententia ſeq. concluſione explicatur. *Materia prima ex ſe non habet propriam exiſtentiam, ſed exiſtit per exiſtentiam compoſiti*. Pro hac ſententia citant N. Complut. Boetium, D. Bonau. Capreol. Caiet. Ferrar. Soncin. Iauel. & dicunt hanc eſſe perpetuam, & conſtantem D. Thomæ ſententiam pro qua videri poſſunt Thomiſtæ hoc loco, vt Lerma. Solùm refero duo D. Thomæ teſtimonia. Primum habetur 1. *p. q.* 7. *art.* 2. *ad* 3. vbi ſic habet. *Materia non exiſtit in rerum natura per ſe ipſam cum non ſit ens in actu, ſed potentia tantum; vnde magis eſt aliquid concreatum, quam creatum*. Secundum habetur *q.* 4. *de potentia art.* 1. *in corpore*, vbi hæc ſcribit. *Quidquid in rerum natura inuenitur, actu exiſtit, quod quidem non habet materia niſi per formam, quæ eſt actus eius*. Nec valet dicere D. Thomam ſolùm velle quod materia nõ habet ex ſe exiſtentiam per quam exiſtat ſine forma, ſed per quam exiſtat ſimul cum forma, quoniam mens D. Thomæ eſt quod materia nullo modo habeat exiſtentiam niſi à forma, & compoſito, vt ſe explicat 1. 2. *q.* 94. *art.* 5. *ad* 2. dicens. *Idem eſt eſſe formæ, & materiæ, & hoc quidem eſt eſſe compoſiti*. Sed agamus rationibus.

241. Prima ratio, quoniam ſi materia haberet propriam exiſtentiam eſſet ens in actu; ergo non poſſet facere vnum per ſe cum forma. Antecedens eſt certum; cum enim exiſtentia ſit actus, & non cauſet niſi per dationem ſui, debet ſuum effectum tribuere materiæ, ac proinde debet illam conſtituere ens in actu. Conſeq. probatur ex illo communi proloquio, quod ex duobus, aut pluribus entibus in actu non poteſt fieri vnum per ſe, & ratio huius proloquij eſt, quia ad hoc vt duo faciant vnum per ſe, oportet quod ad inuicem comparentur per modum potentiæ, & actus, aliàs non aliàm haberent vnitatem niſi per accidens, quatenus ſcilicet ſunt in eodem ſubiecto, quo modo albedo, & color non faciunt vnum per ſe, quia non comparantur ad inuicem per modum potentiæ, & actus, ſed ſolum vniuntur in eodẽ ſubiecto. Cum ergo exiſtentia materiæ ſi illam haberet, ſit actus, & exiſtentia formæ ſit actus, non poſſunt ad inuicem comparari per modum actus, & potentiæ.

242. Occurrit Pontius hic *diſp.* 3. *n.* 1. quod ſi hoc argum. valeret probaret etiã quod materia non poſſet exiſtere per exiſtentiam formæ, quia ſic exiſtens eſſet ens in actu

in actu tam bene, ac ſi exiſteret propria exiſtentia, vnde de materia, & forma verũ eſſet dicere, quod eſſent duo entia in actu. Deinde reſpondet ſecundo diſtinguendo antecedens: eſſet ens in actu, idest ens actu exiſtens, concedit: eſſet ens in actu, ideſt ens actuatum forma phyſica actu informãte, aut ens actuale completum, negat. Quãdo autem dicitur, quod ex duobus entibus in actu non poteſt fieri vnum per ſe, debet intelligi de duobus entibus in actu per formas phyſicas. ſeu de duobus entibus completis.

243. Sed contra, nam neutra ſolutio eſt ſufficiens, non prima, quia ſi materia exiſtit per exiſtentiam formæ, & compoſiti, prius vnitur cum forma, & cum ea facit vnum per ſe antequam adueniat exiſtentia, quæ tunc actuat compoſitum iam conſtitutum, at in caſu quo materia haberet propriam exiſtẽtiam, prius intelligeretur exiſtens, antequam formam reciperet, & cum tunc temporis tam materia, quam forma haberent propriam exiſtentiam, conflatum ex illis eſſet ex pluribus exiſtentibus, ſeu entibus in actu. Neque ſecunda ſolutio videtur ſufficiens; nam neque ex pluribus entibus in actu phyſicè, neque metaphyſicè poteſt fieri vnum per ſe, quod probo 1. quia ideo ex pluribus entibus in actu phyſicè non poteſt per aduerſarios fieri vnum per ſe, quia non comparantur ad inuicem per modum actus, & potentiæ; ſed etiam plura entia in actu metaphyſicè non comparantur ad inuicem per modum actus, & potentiæ metaphyſicè; ergo ſi ſemel materia, & forma habent proprias exiſtentias, quæ ſunt formæ, ſeu actus metaphyſici nõ poterunt facere vnum per ſe metaphyſicè, & ſic quodlibet compoſitum per aduerſarios eſſet vnum per ſe phyſicè, & vnum per accidens metaphyſicè, quod eſt abſurdum. Probo 2. nam exiſtentia eſt vltima actualitas, & id quo res vltimò eſt extra ſuas cauſas, & licet ſi ſemel daretur in materia, poſſet eam vltimò actuare, non tamen poſſet ab alia exiſtentia formæ actuari, ac proinde non poſſet ex illis fieri vnum per ſe.

244. Secunda ratio, quoniam ſi materia haberet propriam exiſtentiam partialẽ, etiam forma eam haberet, ſed hoc eſt falſum; ergo, &c. Maiorem concedunt aduerſarij, volunt enim, quod ex exiſtentia materiæ, & formæ coaleſcat integra exiſtentia compoſiti, ſicut ex materia, & forma coaleſcit ipſum compoſitum. Minorem probo, nam ex ea ſequeretur, quod omnes formæ etiam materiales eſſent incorruptibiles, non minus ac anima rationalis, hoc eſt falſum; ergo, &c. ſequela probatur, nam ideo anima rationalis eſt incorruptibilis, & poteſt naturaliter manere ſeparata à materia, quia habet propriam exiſtentiam qua eſt ſemi ſuppoſitum, ſeu compoſitum, ergo, ſi ſemel cœteræ formæ materiales habent propriam exiſtentiam, poterunt naturaliter manere ſeparatæ à materia.

245. Tertia ratio, nam exiſtentia eſt vltimus actus, & vltimum complementum eſſendi in genere ſubſtantiæ; ergo materia prima non poteſt illam recipere antequam recipiat formam, & conſtituatur compoſitum, ſi enim prius materia reciperet exiſtentiam, quam formam recipiat, exiſtentia non eſſet vltima actualitas in genere ſubſtantiali. Hoc argumentum fusè proſequuntur Noſtri Complut. in ſecunda ratione, quod poteſt ſic breuiter efformari; nam exiſtere eſt eſſe extra cauſas; ergo nihil poteſt exiſtere antequam cauſæ ſuas exerceant cauſalitates, ſed antequam ſit totum cauſalitates non ſunt exercitæ; ergo ante poſitionem compoſiti, ſeu totius, materia non habent exiſtentiam. Ad hoc enim vt effectus exiſtat non ſufficit, vt vna cauſalitas exerceatur, ſed debent exerceri omnes; in illo autem priori in quo intelligitur materia, & nondum intelligitur compoſitum, non intelliguntur exercitæ omnes cauſalitates; ergo.

246. Occurrit Pontius quod exiſtentia eſt vltimus actus rei quæ cauſatur, non cuiuſcumque, & ſic cum forma cauſatur, exiſtentia eſt vltimus actus illius, & cum cauſatur materia, exiſtentia eſt vltimus actus illius. Et ad argum. Complutenſiũ, dicit quod exiſtentia non ponitur antequã exerceantur omnes cauſalitates illius rei, quæ ponitur, v.g. materiæ, non omnes cauſalita-

Digitized by Google

ſalitates pertinentes ad alias res v.g.ad formam, & compoſitum. Sed contra, nam exiſtentia non eſt quouis modo vltimus actus, vltimumve complementum, ſed eſt vltimum complementum in ordine ſubſtantiali, ac proinde debet ſupponere actũ ſimpliciter ſubſtantialem, cum prius ſit rẽ eſſe ſimpliciter, quam tali modo; aliàs ſi materia haberet prius eſſe exiſtentiæ, quam eſſe formæ ſubſtantialis prius deberet eſſe commune, quam proprium; exiſtentia namque eſt communis omnibus rebus, & vltimò aduenit, forma verò non ſic, cum tribuat materiæ complementum eſſe ſubſtantialis, ac proinde quandiu non intelligũtur exercitæ cauſalitates eſſe ſubſtantialis, non poteſt intelligi cauſalitas eſſe exiſtentialis, cum eſſe eſſentiale præcedat eſſe exiſtentiale.

247. Quarta ratio, datur in rerum natura purus actus, qui nullam inuoluit potentialitatem, ergo etiam dari debet pura potentia, quæ nullum inuoluat actum, ſed omnem rationem actus habeat à forma, à qua in genere ſubſtantiæ perficitur, completur, & actuatur. Occurrcs pro aduerſarijs, quod purus actus, & pura potentia ſolum opponuntur ſecundum quid, neque poteſt aliquid ſimpliciter opponi puro actui niſi nihil, quod enim eſt à parte rei neceſſe eſt vt ſit aliquid in ſe,& conſequẽter non poteſt excludere omnem rationem actus. Deus ergo, & materia dici debent opponi maximè, quatenus ſicut Deus nullam habet potentiam, ita materia nullum habet actum eorum ad quos eſt pura potentia, ideſt nullum actum phyſicum, non tamen nullum actum ſubſtantialem. Sed contra, nam nulla eſt repugnantia quod ita materia prima ſit pura potentia, abſque vllo prorſus actu etiam exiſtentiæ, ſicut Deus eſt purus actus; hoc enim maximè deſeruit ad cognitionem Dei; ergo ita de facto factum eſſe exiſtimandum eſt. Tum quia ex eo quod materia prima nullum habet actum exiſtentiæ, non ſequitur quod ſit nihil, cum ſit ens eſſentiæ, licet per ſe, & ratione ſui non ſit ens exiſtentiæ; ergo, &c. Soluuntur argum. in contrarium.

248. Primum argum. quoniam materia prima habet propriam entitatem diſtinctam ab entitate formæ; ergo etiam habet propriam exiſtentiam diſtinctam ab exiſtentia formæ. Antecedens notum eſt, materia namque in entitate ſua eſt independens ab entitate formæ, aliàs non eſſet in rerum natura niſi quando eſt forma, & ſic non tranſiret de forma in formã. Conſeq. probatur, nam materia ſi non haberet propriam exiſtentiam ſicut habet propriam entitatem, iam entitas materiæ eſſet depẽdens ab entitate formæ, quod ſic oſtenditur. Nam ſi materia exiſteret exiſtentia formæ, eſſet effectus formalis exiſtentiæ formæ, ſicut eſſe album eſt effectus formalis albedinis; ſed hoc eſt falſum; nam effectus formalis neque eſſe, neque intelligi poteſt exiſtere prius ſua cauſa formali in nullo genere cauſæ; ſed materia prius exiſtit forma, vel exiſtentia formæ; ergo materia exiſtens non poteſt eſſe effectus formalis exiſtentiæ formæ. Hæc minor probatur, tum ex Ariſtotele hoc loco *tex.* 51. vbi docet quod ſubiectũ eſt prius ijs, quæ ſunt in ſubiecto, tum ratione, quia materia eſt vera cauſa formæ, & exiſtentiæ illius; ergo in aliquo genere cauſæ eſt prior natura forma. Si ergo prius natura exiſtit quã forma, impoſſibile eſt vt exiſtat formaliter per exiſtentiam formæ, quandoquidem exiſtentia formæ eſt poſterior ad materiã exiſtentem.

249. Nec valet reſpondere 1. cum aliquibus Thomiſtis nullum eſſe inconueniẽs quod aliquid ſit prius, & poſterius in diuerſo genere cauſæ, nam cum generatio ſubſtantialis fiat in inſtanti, & illud inſtans reale poſſit diuidi in plura inſtantia naturæ & vnumquodque horum inſtantium ſit prius in ſuo genere, ſequitur quod materia erit prior forma in genere cauſę materialis, & poſterior illa in genere cauſæ formalis. Nam contra, inquiunt, quia non diſputamus an aliqua duo poſſint eſſe ad inuicem priora in aliquo genere cauſæ, ſed an effectus formalis, vt ſic poſſit intelligi pręexiſtere ante cauſam ſuã formalem in quocumque genere, hoc enim implicat in terminis; cum enim album vt album dicat albedinem, ſequeretur quod albedo præexiſteret

ſteret ante ſe ipſam, quod implicat.

250. Reſp. ſuſtinendo traditam ſolutionem. Ad impugnationem dico, quod licet hoc loco non diſputemus an cauſæ ſint ſibi inuicem cauſæ, tamen hoc præſuppoſito tanquã certo, de quo infra ſuo loco, per hoc ſoluimus dictum argumentum; cũ enim vnaquęq; cauſa ſit prior in ſuo genere ſequitur quod licet in genere cauſæ formalis, forma ſit prior materia, materia tamẽ eſt prior forma in genere cauſæ materialis, & in hoc genere cum ſit prior forma, & eius exiſtentia, intelligetur materia ſecundum ſuam entitatem, & adhuc non intelligetur exiſtere; licet ſi attendamus ad genus cauſæ formalis forma ſit prior, & materia poſterior, & ſic licet materia ſit poſterior forma, vt recipit effectum formalem illius, eſt tamen prior illa vt tribuit formæ proprium effectum. Ad quod facit exemplum de albedine, & albo adductum ab aduerſarijs, nam albedo vt tribuit ſuum effectum formalem albificandi, eſt prior albo, at album vt ſuſtentat albedinem eſt prius ipſa albedine in hoc genere cauſæ.

251. Nec valet reſpondere 2. cum alijs Thomiſtis, notando quod materia poteſt conſiderari in duplici ſtatu, primò antequam fiat forma per generationem, & tunc non intelligitur exiſtere per hanc formam, ſed per præcedentem, aut negatiuè, & quaſi per omnes collectiuè, non per hãc, aut illam diuiſiuè, neque enim neceſſe eſt vt materia intelligatur pro eo ſtatu exiſtere determinatè per formam, ſeu per exiſtentiam alicuius formę determinatè. Secundò poteſt materia conſiderari in vltimo inſtanti generationis, quando iam forma intelligitur producta, & tunc in priori natura intelligitur forma, & deinde intelligitur tribuere exiſtere materiæ, & ſolùm tunc intelligitur materia prior forma quantum ad eſſentiam, non quantum ad exiſtentiam, &c.

252. Cœterum hæc reſponſio poſſet ſic ab auctoribus prioris ſententiæ impugnari. 1. Quoniam materia in illo vltimo inſtanti generationis eſt cauſa formæ, & exiſtentię illius; ergo in illo inſtanti materia debet exiſtere, non per exiſtentiam formæ, ergo per propriam, ac proinde non ſufficit, quod tunc præcedat tantum quoad eſſe eſſentiæ. Antecedens conſtat; nam in illo inſtanti forma dependet à materia, & antea non dependebat, cum adhuc non eſſet. Conſequentiam probo, nam implicat quod materia cauſet formam, & illius exiſtentiam, niſi exiſtat, eſſentia namque, ſeu prædicata quidditatiua, prout præcedunt exiſtentiam ſui non ſunt à parte rei, ſed ſolũ obiectiuè in intellectu, nihil enim eſt à parte rei niſi per exiſtentiam; atqui materia non cauſat prout eſt obiectiuè in intellectu, ſed prout eſt in ſe ipſa à parte rei, ergo non cauſat niſi vt exiſtens.

253. Quod autem forma, & eius exiſtentia non cauſetur niſi à materia exiſtente, in quo tota eſt difficultas, videtur ex ſe notum, nam materia non cauſat niſi vt ſubiectum, ſubiectum autem non cauſat niſi exiſtat, cauſat enim immediatè ſubſternendo ſe formæ, prius autem eſt eſſe in ſe, quam ſubſternere ſe alteri, ac proinde prius eſt ſubiectum exiſtere, quam recipere, aut ſuſtentare formam, eiuſque exiſtentiam.

254. Secundò impugnari poteſt illa ſolutio, quia exiſtentia formæ in illo inſtanti dependet à materia, vt cauſa actuali, ergo non pendet à ſola eſſentia, aut prædicatis quidditatiuis illius, quæ vt ſic nihil ſunt actuale, neque ſunt aliquod ſubiectũ determinatum, à quo poſſit forma, eiuſque exiſtentia dependere. Tertiò, nam ſi exiſtentia non eſſet aliquod requiſitum in materia vt poſſet cauſare, tanquam ſubiectum, ſequeretur materiam prius eſſe cauſam actu, quam exiſteret, hoc eſt falſum, ergo, &c. Sequela probatur, nam non poteſt exiſtere niſi cauſet formam, & per formam recipiat exiſtentiam, ergo debet prius cauſare formam, quam exiſtere, ſicuti prius eſt calefieri, quam eſſe calidum, & cauſatio prior eſt quam terminus cauſatus, & ſic materia intelligeretur prius cauſare, quam exiſtere, quod videtur impoſſibile, cum materia non aliter cauſet, quam per ſe ipſam.

255. Quartò, quoniam ſi exiſtentia in illo inſtanti non requireretur in materia ante-

antecedenter ad cauſandum, ſequeretur quod agens naturale in illo inſtanti produceret totam rem ex nihilo, hoc eſt falſum; ergo, &c. ſequela probatur, nam in illo inſtanti cauſaret, & faceret aliquid, nullo ſubiecto exiſtente quod agat, ac proinde faceret ex nullo præſuppoſito ſubiecto agente, cum enim agens non agat in eſſentia materiæ cum non exiſtat, in nullum ſubiectum aget.

256. Sextò, quia ſi materia non haberet exiſtentiam ante formam, ſequeretur quod illud agens, quod in hoc inſtanti dat exiſtentiam formæ, eam etiam daret materiæ, atque ita eſſet etiam cauſa efficiens materiæ, efficere namque nihil eſt aliud, quam dare exiſtentiam, ſed hoc eſt contra communem omnium ſenſum, quod agens naturale efficiat ſibi ſubiectũ pro illo inſtãti quo agit, hoc enim modo ſubiectum potius dependeret ab agente, quam agens à ſubiecto; ideo namque Deus in creando non dependet ab vllo ſubiecto, quia efficit ipſummet ſubiectum; parum autem refert quod ſubiectum prius extiterit, dummodo in hoc inſtanti dependeat in ſuo eſſe, ab hoc agente naturali. Eſt autem per ſe notum quod agens naturale non agat niſi ſaltem in priori natura ſupponat ſubiectum in quod agat. Neque ſufficit prioritas eſſentiæ, aliàs omnis creatura dici poſſet fieri ex ſua eſſentia, tanquam ex ſubiecto; eſſentia namque creaturæ eſt prior quam exiſtentia, & ſic nulla daretur creatio, cum omne fieret ex ſua eſſentia tanquam ex ſubiecto.

†

§. 5. *Suſtinetur reſponſio tradita n. 251. & ſatisfit rationibus in contrarium adductis.*

257. FVsè impugnauimus ſolutionem traditam dicto *num.* 251. vt ex in contrarium adductis, eorumque ſolutionibus magis appareat veritas doctrinæ Thomiſticæ. Pro quo nota, quod cum materia non habeat propriam exiſtentiam, ſed exiſtat per exiſtentiam formæ, ſequitur quod in eodem inſtanti generationis in quo datur non eſſe formæ præcedentis, & exiſtentiæ illius, detur eſſe formæ nouæ, & exiſtentiæ eius. Vnde in eodem inſtanti in quo recipit formam, & illius exiſtentiam recipit, & ſic ad hoc vt recipiat formam non eſt neceſſe quod in quocumque priori intelligatur exiſtens, ſed ſufficit quod intelligatur ſecundum eſſe eſſentiæ, vt illud ſubſternat formæ, in eodem tamen inſtanti reali re ipſa exiſtit. Quo circa non pro quocumque priori debent omnia conſiderari, ſed ea tantũ, quæ ſunt propria illius prioris, vt ea quæ pertinent ad eſſe eſſentiæ in primo priori naturæ, de quibus ex ſequentibus ſolutionibus magis conſtabit.

258. Ad primam ergo inſtantiã *n.* 252 poſitam dico, quod materia licet in illo inſtanti reali generationis exiſtat, & per exiſtentiam formæ, tamen nõ intelligitur exiſtere pro primo inſtanti naturæ, quo in ſuo genere intelligitur præcedere formã; tunc enim intelligitur ſolum præcedere quoad eſſe eſſentiæ, quod primò ſubſternit formæ, & in hoc ſenſu conceditur antecedens & negatur conſeq. ad probationem dicas, quod ad hoc vt intelligatur materia pro illo priori naturę, quo ſe ſubſternit formę, non eſt neceſſe quod intelligatur exiſtens, ſed ſufficit quod intelligatur quoad eſſe eſſentiæ. Nec verum eſt quod eſſentia, vt intelligitur non adhuc intellecta exiſtentia habeat tantum eſſe obiectiuè; aliud namq; eſt rem non eſſe etiam quoad eſſe eſſentiæ abſolutè, quo pacto res habet tantum eſſe obiectiuè, & aliud eſt quod res in eodem inſtanti reali habeat eſſe tum eſſentiæ, tum exiſtentiæ, ſed quod pro aliquo priori non intel-

intelligatur habere niſi eſſe eſſentię, & hoc modo non habet tantum eſſe obiectiuè in intellectu, vt patet. Igitur materia pro illo priori intelligitur cauſare formam quoad eſſe eſſentiæ, & non quoad eſſe exiſtentiæ, id enim quod materia ſubſternit formæ eſt eſſe ſuum eſſentiæ, non exiſtentiæ. Per quæ patet id quod dicitur *n.*253.

259. Ad 2. inſtantiam *n.*254. poſitam dicas, quod forma, eiuſque exiſtentia dependet à materia pro eo inſtanti, vt à cauſa actuali actualitate eſſentiæ, non actualitate exiſtentiæ. Ad 3. inſtantiam ibidem diſtinguitur ſequela, ſequeretur materiam eſſe priusc auſam actu quam exiſtat actualitate eſſentiæ, conceditur: actualitate exiſtentiæ negatur. Per eſſe eſsentiæ materia intelligitur tunc eſſe actu, non tamen in actu; in actu enim intelligitur per eſſe exiſtentię.

260. Ad 4. inſtantiam negatur ſequela. Ad probationem dico, quod licet in illo inſtanti materia non intelligatur exiſtens pro quocumque priori, re ipſa tamen eſt exiſtens, & tunc agens agit in eſſentia materię, eam ſubſternendo formæ, nec eſt neceſsè quod ad hoc materia intelligatur exiſtens, ſed ſufficit quod intelligatur quoad eſſe eſſentiæ, &c. Ad vltimam inſtantiã dico quod idem agens quod dat exiſtentiã formæ, & conſtituit compoſitum communicat eandem exiſtentiam medio compoſito, materiæ, non tamen ex hoc ſequitur, quod efficiat materiam, ſed ſolum quod illi communiceet exiſtentiam; ex quo patet quod agens naturale ſupponat ſubiectum in quod agit quoad eſſe eſſentiæ, non tamen ſupponit quoad eſſe exiſtentię, pro quocumque priori.

†

§. 6. *Ponuntur alia argumenta contra noſtram ſententiam, & ſolutiones eorum.*

261. SEcundum argumentum in ordine eſt, nam ſi materia v.g. huius ligni non haberet propriam exiſtentiã, ex ſe nihil eſſet actu, ergo ex ſe ſolùm eſſet aliquid poſſibile, en ſic cum Ariſt. dicit materiam eſſe puram potentiam, nihil aliud dicit niſi quod materia ex ſe non eſt niſi quid poſſibile, ſed hoc videtur ridiculum apud Ariſt. qui putauit materiam ex ſe eſſe ęternam, & ingenerabilem, & incorruptibilem; ergo, &c. Reſp. quod materia ex eo quod non habet propriam exiſtentiã ſequitur ſolùm quod non ſit ens in actu, nõ tamen ſequitur quod non ſit ens actu, ad quod ſufficit quod habeat eſſe eſsẽtiæ realis, & quod in eodem inſtanti habeat eſſe exiſtentiæ. Vnde non eſt verum quod materia ſit tantum ex ſe quid poſſibile, non enim dicit tantum eſſentiam poſſibilem, ſed realem extra cauſas, cum prius eſset ſub alia forma, & exiſteret, & modo ſub alia, & exiſtat. Vnde ſicut ex eo quod materia mutet formam non ponitur in ſtatu poſſibilitatis, ita neque ex eo quod mutet exiſtentiam, & ex vna tranſeat ad aliam.

262. Tertium argum. quoniam ſi materia prima ſemper mutaret exiſtẽtiam, ſequeretur quod non remaneret eadem numero ſub diuerſis formis, ſed ſolùm eadem ſpecie, nam indiuiduatio materię ſumitur ab exiſtentia, vel ab aliqua actualitate concomitante exiſtẽtiã; ergo ſi materia diuerſam habet exiſtentiam ſemper erit diuerſa numero; ſed hoc dici nequit, nam aliàs nõ poſſet dici ingenerabilis, & incorruptibilis, niſi ſecundum ſpeciem, quod ſecundũ Ariſtotelem conuenit etiam omni formæ. Reſp. concedendo antecedens; materia namque cum ſecundum ſe ſit tantùm vna numero negatiuè, ſequitur quod in quolibet indiuiduo ſit vna numero poſitiuè per diuerſam quantitatis pręhabitionem.

263. Ex dictis infertur 1. materiam non poſse neque per diuinam potentiam dari in rerum natura ſine omni forma, patet,

tet, quoniam materia non habet propriam exiſtentiam, ſed exiſtit per exiſtentiam formæ; ergo ſine forma exiſtere non poteſt, ac proinde nequit ſine forma eſſe à parte rei. Tum quia nihil poteſt exiſtere à parte rei niſi habeat eſſe limitatum, & determinatum in aliqua ſpecie, ſed hoc non habetur ſine forma; ergo, &c. Tum etiam quia quantitas non poteſt eſſe ſine termino; genus ſine differentia, ſpecies ſine aliquo indiuiduo, & natura ſine aliqua indiuiduatione; ergo neque materia ſine aliqua forma, &c.

264. Sed obijcies 1. nam materia non dependet à forma niſi in genere cauſæ finalis, vt colligitur ex Ariſt. 2.*phyſ. tex*, 81. ſed res poteſt exiſtere non exiſtente ſuo fine; ergo etiam materia exiſtere poterit nõ exiſtente forma. Maior probatur, nam nõ dependet in genere cauſa materialis, vt patet: neque in genere cauſæ efficientis, vt notum eſt, neque in genere cauſæ formalis, quod probo, nam tunc forma reſpectu alicuius exercet genus cauſę formalis, quãdo illud conſtituit, & componit; vnde albedo non eſt cauſa formalis parietis, ſed albi; ſed forma non conſtituit, neque componit materiam; ergo non eſt cauſa formalis materiæ. Reſp. negando maiorem. Ad probationem dico, quod materia dependet à forma in genere cauſæ formalis, ſicut potentia ab actu à quo informatur, & ea media conſtituit compoſitum; nec verum eſt quod paries non dependeat ab albedine tanquam à forma ex qua componitur album.

265. Obijcies 2. nam Deus facere poteſt quod formæ accidentales exiſtant ſine ſubiecto, vt accidit in Auguſtiſſimo Euchariſtiæ Sacramento; ergo etiam facere poterit, quod ſubiectum, ſcilicet materia, exiſtat ſine forma, vel illi conferendo aliquam propriam exiſtentiam, vel eam conſeruando per quandam manutenentiam, vt facit in accidentibus Euchariſtiæ; non enim minus dependent accidentia à ſubiecto, quam materia à forma. Reſp. concedendo antecedens, & negando conſeq. nam de eſſentia accidentium eſt ſolùm inhærentia aptitudinalis, ac proinde poſſunt ſine illo eſſe, maximè quia cum ſint actus, & habeant propriam exiſtentiam, poſſunt eſſe ſine ſubiecto, ſupplendo Deo actualem inhærentiam, vel per manutenentiam, vel faciendo quod ipſa accidentium ſubſiſtentia faciat, quod facit inhærentia. Cæterum materia cum non habeat propriam exiſtentiam, nec ſubſiſtentiam, non poteſt exiſtere, niſi ea concedantur, cum autem ſint modi, non poſſunt ſibi communicari niſi media forma, vel compoſito quæ immediatè afficiunt.

266. Infertur 2. poſſe Deum conſeruare materiam primam ſine quantitate actuali, & ſine quocumque accidẽti actuali. Dixi ſine quantitate actuali, quia ſine quantitate præhabita id multi negant ex eo quod materia non poteſt à Deo conſeruari ſine eo quod ſit indiuidua, indiuiduatio autem deſumitur à quantitate præhabita, de qua re ſuo loco. Quod autem poſſit Deus conſeruare materiam ſine vlla forma accidentali, patet, quia ſubſtantia cum ſit independens ab accidentibus, illiſque prior, poteſt ſine illis eſſe. Tum quia materia iam habet exiſtentiam à forma, ergo vt ſit in rerum natura, ſufficit quod habeat formam per quam ſubſtantialiter exiſtat. In eo tamen caſu quo materia eſſet abſque quantitate, & omni accidente, nullibi eſſet circumſcriptiuè. Vnde falſum eſt quod dicunt aliqui quod in caſu quo Deus ſepararet à materia huius ligni omnia accidentia conflueret in vnum punctum, non per motum localem, ſed inſtantaneum, nõ enim dari poteſt iſte confluxus, cum tunc nullibi maneret; tum quia cum non detur quantitas, nec dabitur punctum in quod materia confluat. Minus dici poteſt quod habeat proprias partes ſubſtantiales, quia his admiſſis, & non conceſſis adhuc ſubſtantia per has non eſt in loco circumſcriptiuè, vt patet.

* * *

S.7.*An*

§. 7. *An materia prima ſit vna ſpecie, & numero.*

267. DE materia ſublunari loquimur, nam quid dicendum ſit de materia cæleſti, præſſius dicemus in tract. de cœlo. Pro intelligentia difficultatis ſciendum primò quod vnitas rei eſt duplex, ſeu vnum numero dupliciter ſumi poteſt, ſcilicet poſitiuè, & negatiuè. Vnum numero poſitiuè eſt illud, quod in ſe habet principium vnitatis numericæ, ſicut vnum ſpecie poſitiuè eſt illud quod in ſe habet principium vnitatis ſpecificæ, per quod eſt in ſe res indiuiſa, & diuiſa à quolibet alio. Vnum verò numero, aut ſpecie negatiuè eſt illud quod in ſe non eſt plura numero, aut ſpecie, ſeu quod in ſe non habet principium multiplicationis numericæ, aut ſpecificæ, per quod conſtituatur in eſſe numerico, aut ſpecifico, & diſtinguatur ab alijs. Sciendum ſecundò quod materia dupliciter poteſt conſiderari, primò ſecundum ſe, ſeu ſecundum ſuam naturam, aut prædicata eſſentialia, vel vt alij loquuntur, obiectiuè; ſecundò quatenus exiſtit à parte rei ſub diuerſis formis. Alij dicunt materiam poſſe cōſiderari duobus modis, vel vt ſentitur, vel vt intelligitur; ſentitur enim vt eſt diſtributa in varias formas, intelligitur verò ſecundum ſe, ſeu vt dicit ſua attributa, aut prædicata.

268. His poſitis prima ſententia eſt materiam ſecundum ſe, ſeu vt eſt intelligibilis eſſe vnam ſpecie incompleta, & vnā numero incompletè. Huius ſententiæ auctores videre potes apud Complur. hoc loco, quibus addo Hieron. Pla *hic lib. 1. q. vlt.* & Pontium hoc loco *lib. 1. diſp. 3. q. 8.* dicentem eſſe ſententiam communiſsimam, & citat Scotum, Suarez, & Amicum. Quod materia vt eſt in indiuiduis ſit vna numero, & ſpecie poſitiuè tradunt omnes, difficultas eſt de materia ſecundum ſe, de qua pono ſequentes concluſiones.

269. Prima concl. *Materia prima ſecundum ſe, non eſt vna ſpecie poſitiuè, ſed tantum negatiuè*; ita tradunt Thomiſtæ, quos referunt, ſequuntur N. Complut. citati. Videatur Maſius hoc loco. Colligitur apertè ex dictis ſupra, nam ſi ſemel verum eſt, quod materia ex ſe nullum habet actum, ſequitur quod ex ſe nullam habeat ſpeciē, cum ſpecies ſumatur ab actu, quod intelligi debet non ſolùm de ſpecie infima, ſed etiam de ſpecie ſubalterna, quia etiam ſpecies ſumitur ab actu. Dicitur autem materia habere ſpeciem negatiuè, quia licet ex ſe non habeat ſpeciem, eam tamen habere poteſt per formas ad quas eſt in potentia. Præterea probatur concl. quoniam ſi materia ſecundum ſe eſſet vna ſpecie non poſſet variari ſpecie in genito, & in corrupto, ſed ſemper retineret eamdem rationē ſpecificam, contra Ariſtotelem pluries in hoc libro dicentem, quod non ſit eadem ſpecie in genito, & in corrupto.

270. Sed obijcies, nam materia ſublunaris diſtinguitur ſpecie à materia cęleſti, ſed non diſtinguitur ſpecie negatiuè, ergo poſitiuè; Maiorem docent Thomiſtæ vt ſuo loco videbimus. Minor probatur, nam materia ſublunaris reſpicit formas amiſſibiles, & materia cęleſtis reſpicit formas inamiſſibiles, ſed iſti reſpectus ſunt poſitiui, ergo conſtituent rationes ſpecificas poſitiuas. *Reſp.* negando minorem. Ad probationem dico quod illi reſpectus ſunt quidem poſitiui, ſed non actuales, ſed potentiales, ac proinde non potentes tribuere gradum ſpecificum poſitiuum, ſed tantùm negatiuum; gradus namque ſpecificus poſitiuus à ſolo actu poſitiuo ſumi poteſt; materia autem ſecundum ſe non habet reſpectum actualem, ſed tantum potētialem, licet autem iſte reſpectus potentialis ſit ad actum, non tamen eſt actus. An autem à materia cæleſti, & ſublunari abſtrahi poſſit conceptus vniuocus, an tantum analogus, eſt opinionum diuerſitas, nā aliqui volunt ſolùm poſſe abſtrahi conceptum analogum, alij autem volunt abſtrahi poſſe conceptum vniuocum in ratione potentiæ, quatenus vtraque materia conuenit vniuocè in ratione potentiæ reſpicientis actum, licet poſtea differant in modo reſpiciendi quatenus materia cęleſtis reſpicit ſuas formas inamiſsibiliter, & materia ſublunaris reſpicit ſuas formas amiſſibiliter.

271. Se-

271. Secunda concluſio. *Materia prima ſecundum ſe eſt tantum vna numero negatiuè, licet in indiuiduis multiplicetur poſitiuè, vt alia ſit numero in genito, & alia in corrupto*. Sic tenent omnes Thomiſtæ. Videantur N. Complut. Maſius, Lerma,& alij hoc loco. Quare Deus à principio mundi quaſi ſigillauit, & ordinauit omnes portiones materiæ,vt hæc portio reſpiceret hanc formarum collectionem, vt prius poneretur ſub hac forma, poſtea, ſub alia, & ſic deinceps vſque ad mundi finem; & ſic in reſurrectione vnuſquiſque habebit ſuã materiam in qua conceptus eſt, &c.

272. Probatur 1. nam quæ ad inuicẽ tranſmutantur non poſſunt habere eandem materiam numero poſitiuè; ergo debent habere eandem numero negatiuè. Antecedens probatur, quia vna, eademque materia numero poſitiuè non eſſet in genito, & corrupto; imò non poſſet fieri tranſmutatio ſi ſemel ſemper eſſet eadem materia in genito, & corrupto; intantum enim fit tranſmutatio in quantum ſubiectum quod eſt vnum numero ſub vna forma ſit aliud numero, vel ſpecie ſub alia.

273. Reſpondent aduerſarij, quod ea quę tranſmutantur fiunt ex eadem materia numero poſitiuè,quæ eſt multiplex per diuerſos ordines ad diuerſas formas. Sed contra, nam idem non poteſt eſſe vnum tantum numero poſitiuè ſecundum ſe, & plura etiam ſecundum diuerſos reſpectus, nam vnum poſitiuè dicit eſſe ens indiuiſũ in ſe, & diuiſum à quolibet alio, ergo reſpectu cuiuslibet alterius, non poteſt eſſe plura. Deinde vel materia, quæ per ſe eſt vna poſitiuè ſecundum ſe, per reſpectus ad diuerſas formas plurificatur poſitiuè vel non. Si primum ergo materia poſitiuè eſt vna, & plures poſitiuè; ſecundum dici nõ poteſt, quoniam in omni ſententia materia plurificatur poſitiuè ſub diuerſis formis; ergo, &c.

274. Probatur 2. nam omnis diſtinctio numerica poſitiua, vel eſt tantum à forma, vt aliqui volunt, vel eſt à forma vt dicit talem, aut tantam quantitatem, ſeu vt præhabet tantam quantitatem; ſed materia ſecundum ſe, nec habet formam, nec pręhabet tantam, aut tantam quantitatem; ergo materia ſecundum ſe non eſt vna numero poſitiuè.

275. Occurrunt aduerſatij quod maior ſolùm eſt vera de diſtinctione, & vnitate numerica compoſiti, hæc enim deſumitur à forma, aut à quantitate præhabita, non de diſtinctione, aut vnitate numerica materiæ, hæc enim habetur à ſe non à forma, aut quantitate. Sed contra, nam vnũ eſt ens indiuiſum in ſe, & diuiſum à quolibet alio, ergo ab eodem ſumi debet vnitas à quo ſumitur indiuiſio, & ab eodem ſumi debet indiuiſio à quo ſumitur diuiſio; ſed in materia nihil eſt à quo ſumatur diuiſio,cum per ſe ſit vna numero poſitiuè, ergo in materia ſecundum ſe nihil eſt à quo ſumatur vnitas. Cęterum quia à pluralitate formæ ſumitur pluralitas, & diuiſio materiæ, ab vnitate formæ ſumi debet vnitas materiæ.

276. Sed obijcies 1. id quod habet vnum principium indiuiduale poſitiuum per quod conſtituitur, eſt vnum numero poſitiuè; ſed materia prima ſecundum ſe ſumpta habet vnum principium indiuiduale poſitiuum, per quod conſtituitur; ergo materia prima ſecundum ſe eſt vna numero poſitiuè. Maior nota eſt cum ſit à definitione ad definitum. Minor probatur, id quod ſecundum ſe eſt ens, & ſubſtantia, & non habet multiplicitatem numericam poſitiuam, debet habere vnitatem numericam poſitiuam, ſed materia prima ſecundum ſe eſt ens,& ſubſtantia, & non habet multiplicitatem numericam poſitiuam; ergo debet habere vnitatem numericam poſitiuam. *Reſp.* negando minorem,ad probationem dico ſolum probare, quod materia prima ſit vnum vnitate tranſcendentali quæ conuertitur cum ente, non tamen probat eſſe vnum vnitate numerali, quæ ſolum in rebus quantis reperitur. Optimè ergo ſtat quod materia prima ſecundum ſe ſit vna numero negatiuè quoad vnitatẽ propriè dictam, ſcilicet numeralem, & ſit vna ſecundum quid vnitate tranſcendentali, quę cum ente conuertitur. Cum enim materia prima ſecundum ſe ſit ens poſitiuum, ſequitur quod ſecundum ſe ſit vna

hac

hac vnitate tranſcendentali, quæ cum ente conuertitur.

277. Objicies 2. nam materia prima ſecundum ſe ſumpta eſt nuda, & eſſentialis potentia, ac proinde ſecundum ſe eſt ſolum pura potentia ad formas ſubſtãtiales; ſed pura potentia ad formas ſubſtantiales non poteſt eſſe multiplex numero poſitiuè, cũ numero poſitiuè multiplicetur per formas, ergo ſecundum ſe debet eſſe vna numero poſitiuè, cum enim per formas fiat multiplex numero poſitiuè, & nunquã per formas fiat vna numero negatiuè, debet ſecundum ſe eſſe vna numero poſitiuè. Reſp. quod materia prima per formas fit multiplex numero poſitiuè, & vna numero poſitiuè ab vnaquaque forma, ac proinde ſecundum ſe nec dicit vnitatem, nec multiplicationem poſitiuam, ſed tantum negatiuam, cum vtrumque poſſit ſibi accidere.

278. Objicies 3. nam ſi ideo materia prima eſt vna numero negatiuè, quia licet ſecundum ſe habeat vnitatem intrinſecam entis, non tamen habet vnitatem extrinſecam, ſeu extrinſecus aduenientem, ſcilicet à forma, cum ſecundum ſe non habeat formam, ſed hoc modo poſſet etiã dici vna ſpecificè, & genericè negatiuè, quia ſecundum ſe non habet formas, nec ſpecificas, nec genericas, ſeu ſola ſpecie, aut genere differentes. Reſp. quod ita dici poteſt, nihilominus de ſola vnitate numerica ſermo ſolet inſtitui, quia hae intellecta, & illa facilè intelligitur.

§. 8. *An potentia materiæ ſit de eſſentia illius.*

279. Materiam primam eſſe ſubſtantiam, & ens, conſtat ex dictis, cum enim ſit primum ſubiectum formarum ſubſtantialium receptiuum, cũ quibus facit vnum per ſe in genere ſubſtantiæ, non poteſt non eſſe ſubſtantia, ac ſubinde ens. Ob eandem rationem conſtat materiam eſſe puram potentiam, aliàs non eſſet omnium formarum receptiua, ſi ſemel aliquam formam haberet, aut actum. Difficultas preſens eſt, an ratio potentię in materia ſit aliquid illi ſuperadditum, an ſit ipſa nuda, & pura materia.

280. Pro intelligentia difficultatis notandum 1. potentiam eſſe duplicem, ſcilicet proximam, & remotam. Potentia proxima materiæ eſt illa quam habet eadem materia, quando habet diſpoſitiones ad hanc numero formam, ſiue illæ diſpoſitiones immediatè, ſiue mediatè recipiantur in eadem materia, & de hac proxima potentia conueniunt omnes non eſſe de eſſẽtia materię, cum materia ab hac potentia poſſit ſeparari, & ſibi conueniat ratione accidentium ſuperadditorum. Tum quia hęc potentia proxima, ſeu diſpoſitio corrumpitur manente materia in re quæ generatur. Potentia materię remota eſt illa quam habet materia antecedenter ad omnem diſpoſitionem, & eſt inclinatio quædam, ſeu capacitas materię ad omnem formam ſubſtantialem, & de hac procedit pręſens difficultas.

281. Notandum 2. quod potentia adhuc eſt duplex, alia merè receptiua, ratione cuius res recipere tantùm poteſt, nõ tamen aliquod genus cauſæ exercere, vt potentia, quę eſt in vaſe ad recipiendam aquam. Alia autem eſt ſimul receptiua, & cauſatiua; quatenus cauſat rem quam recipit. Huius generis eſt materia prima, quæ non ſolum eſt potentia ad recipiendas formas, ſed etiam cauſat illas in genere cauſę materialis, eſt enim materia inclinatio quędam naturalis ad recipiendas formas concurrendo non ſolùm in genere cauſæ materialis ad illarum receptionem, ſed etiam ad illarum productionem, quæuis namque forma naturalis, excepta anima rationali, educitur de potentia materię, vt dubio ſeq. dicemus.

282. Notandum demum quod quantum ad præſens attinet, potentia poteſt adhuc ſumi dupliciter. Primò pro facultate, ſeu aptitudine ad agendum, vel patiendum, & hæc eſt accidens. Secundò ſumi poteſt pro principio radicali, ſeu ſubſtantiali, & hæc eſt ſubſtantia. v. g. potentia ad riſum ſi ſumatur pro potentia proxima ad eliciendum actum riſus eſt accidens pertinens ad ſecundam ſpeciem qualitatis; at ſi

at ſi ſumatur pro potentia remota, eſt ipſa ſubſtantia, & eſſentia hominis. His poſitis.

283. Prima ſententia eſt, quod potentia materiæ ſit accidens ab ipſa materia diſtinctum, illique ſuperadditum. Sic Auer. *lib.1. phyſ. cap.9.* Iandun. *1. phyſ. qu.25.& in libello de ſubſtantia orbis q.4.* Pernumia *lib.1. philoſophiæ cap 7.* Archang. Mercenarius in ſuis dilucidationibus. Pereira *lib. 5. cap.22. in ſolut.1. dubit.* Secunda ſent. dicit quod potentia materiæ receptiua idem eſt cum illa, non tamen potentia conuerſiua; vocant autem potentiam conuerſiuam illā ex qua forma educitur, & hanc volunt eſſe idem cum forma, quæ educitur, & in materiam deſinit per corruptionem. Sic teneut aliqui apud Aegidium *in 2. diſt. 12. par.4.q.2.* de qua conſtabit ex dicendis *dub. ſeq. de educt. form.* Terria ſent. eſt quod ſi materia conſideretur ſecundum ſe, prout eſt ens, & ſubſtantia, ratio potentiæ eſt quædam illius proprietas, at ſi conſideretur per ordinem ad formas, eſt de illius eſſentia. Sic Themiſtius *in diſp. de materia.* Zimarra *in tabulā verb. materia, & in theoremat. metaph.* Iacobus Zabarella *lib. 1. de materia cap. 11. 12. 13. & 14.* & alij. Quarta ſententia eſt, quod potentia materiæ ſit relatio quædam ſiue realis, ſiue rationis, pro qua videri poſſunt Aſtudillo 1. *phyſ. q.12.* Soncin. & alij. Si hæc ſententia intelligatur de relatione ſecundum dici, admitti poteſt, hæc enim identificatur cum re cuius eſt relatio. Si intelligatur de relatione rationis eſt omnino falſa, cum hæc à ſolo intellectu dependeat, non ſic potentia materiæ. Si intelligatur de relatione reali prædicamentali admitti non debet, aliàs formæ reciperentur in relatione iſta, & cum illa conſtituerent vnum ſimpliciter, quod implicat. Poteſt quidem dici, quod in potentia materiæ fundetur relatio, ab eaque ſequatur, vel ad formas quas in communi reſpicit, vel etiam ad hanc vel illam formam, ad quam eſt diſpoſita, & dicit potentiam.

284. Noſtra ſententia ſeq. concluſione explicatur. *Potentia ad formas ſubſtantiales, eſt de eſſentia materię primę.* Sic tenent D.Thomas *1.phyſ.lect.15.tex.79.* Sot. *q.6. art.1. aſſert.2.* Aegid. *1.phyſ. lect.18.* Tolet. *hic q.15.* Valeſſ. *controu.7.* Soncin.*8.metap. q.6.* Villalpand. *q. vlt.* Maſius hoc loco. Hieron. Pla hic, omnes Thomiſtæ, & plerique alij. Colligitur ex Ariſt. 2. *de anim. cap.1.* dicente. *Eſt autem materia poteſtas, ſpecies, actus, atque perfectio*; quorum verborum ſenſus eſt, quod materia eſt potentia, ſicut ſpecies, ſcilicet forma eſt actus, atque perfectio. Sed forma eſt eſſentialiter actus, ergo materia erit eſſentialiter potentia. Hinc rectè docet idem Ariſtot. 8. *metaph. cap.6.* quod ex materia, & forma fit vnum per ſe, quia materia eſt eſſentialiter potentia, & forma eſt eſſentialiter actus ex actu autem, & potentia fit vnum per ſe.

285. Probatur 1. quoniam ſi potentia non eſſet de eſſentia materiæ, ſed accidens illius, vnio materiæ cum forma eſſet accidentalis; ſed hoc eſt falſum; ergo & illud. Minor nota eſt, nam ex illa ſequeretur, quod nullum daretur compoſitum ſubſtantiale, quod eſſet vnum per ſe. Maior probatur, nam vnio quæ fit media potentia, quę eſt accidens, eſt accidentalis, ſed in illo caſu materia, & forma vnirentur per potentiam accidentalem; ergo eſſet accidentalis.

286. Probatur 2. nam ſi potentia materiæ eſſet accidentalis, ſequeretur quod ens per accidens eſſet prius ente per ſe, ſed hoc eſt abſurdum, nam quod eſt tale per accidens ſupponit id quod eſt tale per ſe, ſicut quod eſt ſecundum quid, ſupponit quod eſt ſimpliciter; ergo, &c. Sequela probatur, nam ex materia prima & illa potentia accidentali fieret ens per accidens antequam materia vniatur formæ, & fiat ens per ſe. Tum quia ſequeretur, quod accidens eſſet in materia, illique inhæreret, antequam materia reciperet formam. Tum etiam quia actus, & potentia debent ad eandem categoriam pertinere, vt ſi actus eſt ſubſtantia, eius potentia ſit ſubſtantia. Soluuntur argum. in contrarium.

287. Primum argum. Omnis potentia ad actum accidentarium eſt accidens, ſed potentia materiæ primæ eſt ad actum accidentarium; ergo eſt accidens. Minor pro-

probatur, nam materia eſt prius in potentia ad generationem quam ad formam, media namque generatione recipit formam; ſed generatio eſt quoddam accidens; ergo materia eſt potentia ad accidens, ac proinde potentia materię eſt accidentalis. Reſp. negando minorem; ad probationem dico, quod generatio ſubſtantialis non eſt accidens, ſed eſt ſubſtantia, & fieri formæ, & ſolùm recipitur prius in materia in fieri, nõ in facto eſſe, imò cum fieri formæ non diſtinguatur ab ipſa forma, nec ponat in numero cum illa, ſequitur quod potentia materiæ ſimul reſpiciat vtrumque tanquã vnum, eumdemque terminum.

288. Secundum argum. nam ſi potentia materiæ eſſet de eſſentia illius, non deſtrueretur per aduentum formæ, ſed deſtruitur; ergo non eſt de eſſentia illius, ac proinde erit accidens. Maior nota eſt, implicat namque quod aliquid ſit de eſſentia alicuius, & deſtruatur eo remanente cuius eſt de eſſentia. Minor probatur, quia adueniente forma non amplius materia eſt in potentia ad illam, cum per formam potẽtia ad illam compleatur, ergo, &c. Reſp. quod adueniente forma deſtruitur potentia materiæ proxima, non remota, radicalis, & eſſentialis, vt diximus *n*.282.

289. Sed dices, quod ſi adueniente forma manet potentia eſſentialis materiæ, quam habet ad omnem formam, maneret etiam potentia ad formam corruptam; ſed hoc eſt falſum, nam ſequeretur quod id, quod ſemel eſt corruptum poſſet iterum per naturam redire, id enim per naturam redire poteſt ad quod manet potentia naturalis materiæ. Reſp. quod manet quidem in materia potentia ad formam corruptam ſecundum ſe, non tamen ex hoc ſequitur, quod forma corrupta poſſit naturaliter redire, quia ad introductionem formæ ſubſtantialis non ſolùm requiritur illa potentia eſſentialis, ſed etiã requiritur potentia proxima medijs diſpoſitionibus, quæ quia corruptæ ſunt, nequeunt iterum à naturali agente reproduci, ideo non poteſt forma corrupta redire; ſed de hac §§. ſequentibus.

§. 9. *An materia prima ſit in potentia ad omnem formam.*

290. Formæ aliæ ſunt ſubſtantiales, aliæ accidentales. Subſtantiales aliç educuntur de potentia materię, aliç veniunt de foris, vt animę rationales, quę à Deo immediatè creantur; ex illis quæ educuntur, aliç ſunt corruptæ, & aliç generantur. Accidentales aliç ſunt naturales, vt calor, frigus, humiditas, & ſiccitas: aliæ ſunt ab arte, vt ſunt figuræ, quę in rebus artificialibus reperiuntur. Naturales iterũ aliæ ſunt corporeę, vt candor, & attror, aliç ſpirituales vt ſcientiæ, artes, & habitus intellectuales.

291. Conueniunt communiter, quod materia prima ſublunaris non eſt in potentia ad formas corporum cœleſtium, ſicut nec materia cœleſtis eſt in potentia ad recipiendas formas ſublunares, quæ oriuntur & intereunt. Ratio eſt, quia formæ corporum celeſtium informant inamiſſibiliter cum expleant totam capacitatem materiæ, & ſic non poſſunt informare materiam ſublunarem cum à nulla forma expleatur; & nulla expleat totam ipſius capacitatem, & ſic ſi aliqua forma cæleſtis per diuinam potentiam informaret materiam ſublunarem, materia machinaretur necem illius, & illius expulſionem expeteret, vt aliam nouam haberet, cum illius capacitatem non expleret, hæc enim eſt illius natura; idem faceret materia cœleſtis ſi ſemel reciperet formam ſublunarem, cum enim ſuam capacitatem non expleret, conaretur eam à ſe repellere.

292. Conueniunt etiam communiter, quod materia ſublunaris non eſt in potentia ad formas accidẽtarias ſpirituales, vt ad ſcientias, artes, & habitus intellectuales. Ratio eſt, quia illarum tantum formarum materia eſt potentia, quarum poteſt eſſe ſubiectum, ſed illæ formæ ſubiectantur in intellectu, non in compoſito, ac proinde non in materia; ergo, &c. Tum quia materia illarum tantum formarum eſt potentia, quæ ab ipſa educuntur, aut ipſam informant, illæ formæ non ſunt huiuſmodi; ergo. Pa-

go. Pariformiter materia non eſt in potentia naturali ad formas artis, ſed potius eſt in potentia obedientiali naturali, nam potentię paſſiuę naturali correſpondere debet potentia actiua naturalis; potentia autem factiua artis non eſt naturalis, ſed acquiſita per artem, &c.

293. Demum conueniunt omnes ferè quod materia non eſt in potentia ad formas naturales corruptas, niſi ſecundum potentiam vniuerſalem, & eſſentialem, nō ſecundum proximam, vt *n*.289. dictum eſt, & dicetur §. ſequenti. Difficultas eſt, an materia ſit in potentia ad omnes formas, quæ ab ipſa educuntur ſecundum omnem portionem illius, ſeu an omnis portio materię ſit in potentia ad omnem formam ſublunarem, quæ ortum, interitumque habet. Aliqui namque volunt quod minima portio materię poſſit quamcumque formam recipere. Alij diſtinguunt de materia, vel enim loquimur de materia ſecundum potentiam vniuerſalem, ſeu eſſentialem, & ſecundum ſe, & de hac dicunt, quod ſecundum quamcumque portionem, quantumuis minimam poteſt quamcumque formam recipere; vnde portio materię quæ eſt ſub grano milij ſecūdum ſe poteſt recipere formam montis altiſſimi. Cęterū loquendo de materia vt eſt diſpoſita per quantitatem, qualitates, &c. ſeu loquendo de materia ſecundum potentiam proximā, non poteſt recipere niſi formam ad quam eſt proximè diſpoſita. Sic Maſius hoc loco.

294. Quantum ad potentiam proximam materiæ hæc Maſij ſententia placet, nec habet difficultatem, quoniam materia ſecundum potentiam proximam habet ſolùm tot portiones partium per quantitatē tum pręuiè diſponentem, tum pręhabitā, quælibet autem forma habet terminum ſuę paruitatis, & magnitudinis, vt infra dicemus. At quantum ad potentiam remotam, vniuerſalem, & eſſentialem, illa ſententia diſplicet, nam materia ſecundum hanc portionem, quæ identificat ſibi tot partes virtuales, quæ poſtea fiunt formales per quantitatem non poteſt reſpicere quamcumque formam, ſed hanc, aut illam determinatam. Licet enim materia pręciſa quantitate nullas habeat partes formales, habet tamen virtuales exigentes ſolùm tantam extenſionem. Vnde materia prima ſecundum ſe, vt non dicit hanc vel illam portionē huius, vel illius collectionem, reſpicit quamcumque formam, at vt dicit hanc vel illam portionem, ſolùm poteſt recipere formas ſuę collectionis non exigentes, niſi tot partes virtuales materię quę pèr quantitatem fieri poſſunt formales.

§. 10. *An materia prima habeat potentiam ad formam quam amiſit, & quam habet.*

295. Conueniunt communiter cum Ferrar. 2. *contr. Gent. cap.* 60. & 4. *cap.* 81. & alij, quod materia nullam habeat potentiam naturalem reſpectu formarum, quæ iam interierunt, vt materia quæ erat ſub forma equi, non amplius habeat potentiam ad illam recipiendam, ſeu non amplius reſpiciat vt naturaliter receptibilem; cum enim illa iam ſit corrupta, & naturaliter irreparabilis, non poteſt ad illam dari potentia naturalis, eſſet enim fruſtranea.

296. Conueniunt enim communiter, quod materia non habeat potentiam naturalē ad formas ortui, & interitui nō obnoxias, & vocantur formæ æternæ, & ſunt animæ rationales. Ratio eſt euidens, nam cuilibet potentiæ naturali paſſiuę debet correſpondere ſua potentia naturalis actiua; nullum autem eſt agens naturale, quod poſſit animam rationalem ſeparatam reunire ſuæ materię, aliàs reſurrectio eſſet naturalis, quod eſt falſum. Admittimus tamen in materia potentiam obedientialem paſſiuam ad recipiendas tum animas rationales ſeparatas, cum poſſit Deus eas iterum ſuis materijs vnire; tum animas materiales corruptas, cum poſſit Deus eas reparare, de quo nulla eſt difficultas.

297. Nonnulla difficultas eſt inter ſcribētes, an materia prima dicatur habere potentiam ad formas quas habet. Aliqui namque dicunt quod materia non habet poten-

potentiam ad formas quas habet; fundantur quia eſſe in potentia non eſt reſpectu rei habitæ, ſed habendæ, nullus enim dicitur eſſe in potentia ad id quod habet, vnde homo dicitur in potentia ad calorem quē non habet, non ad illum quem habet.

298. Nihilominus negari non poteſt, quod materia non ſit in potentia etiam ad formam quam habet. Pro quo nota, quod potentia materię poteſt ſumi dupliciter. Primò vt ſatianda, ſecundò vt ſatiata; in ordine ad formam quam non habet, habet potentiam vt ſatiandam, at in ordine ad formam quam habet, habet potentiam vt ſatiatam, & quaſi expletam; cum enim potentia ſit de eſsentia materiæ, per aduentum formę non tollitur, ſed completur, & perficitur.

299. Sed obijcies, nam videtur, quod materia prima habeat potentiam naturalem ad animas ſeparatas; nam inter ea inter quę datur vnio naturalis debet dari potentia naturalis; ſed inter materiam, & formam rationalem datur quędam vnio, & colligatio naturalis; ergo debet dari potentia naturalis ad eas vniendas. Maior nota eſt. Minor probatur, nam ex parte animæ rationalis datur appetitus naturalis ad ſuam materiam; cum enim ſit eſſentialiter, & naturaliter pars, & forma, debet conſeruare quandam inclinationem, & propenſionem, ad ſuam compartem; idem dic de materia. Reſp. quod inter materiam, & formam rationalem ſeparatam non datur vnio aliqua naturalis, nec inclinatio naturalis, niſi ex parte termini, quatenus eſt naturalis, tamen medium, & via ad reunionem ponendam, non ſunt naturalia, ſed de hoc §. ſequenti.

†

§. 11. *An materia appetat formam, & qualis ſit iſte appetitus.*

300. Rem hanc breuiter explicabimus cum iam ferè conſtet ex dictis. Appetitus non conuenit materię propriè, ſed metaphoricè; propriè enim appetitus eſt in ſubſtantijs cognoſcentibus quę ſuo bono cognito appetunt, & volunt illud. Sumitur autem cognoſcentium appetitus aliquando in actu primo, & tunc ſignificat ipſam potentiam, quę appetere poteſt. Aliquando verò in actu ſecundo, & ſignificat actum, ſeu ipſam operationē appetendi. Hinc inclinatio per quandam ſimilitudinem in alijs rebus vocatur appetitus innatus, qua res inclinant in propriū bonum, qua ratione de aqua calida dicitur quod appetat frigus, &c. Certum eſt quod materia prima non appetit formam primo appetitu qui vocatur elicitus, cum non cognoſcat formam vt proprium bonum, nec habet potentiam appetitiuam qua in illam feratur. Difficultas eſt an materia appetat formas appetitu innato, quod idem eſt ac dicere an materia prima habeat innatam, & naturalem inclinationem ad formas; cū autē inclinatio materię ad formas nil aliud ſit niſi ipſius potentia, ſequitur, quod materia appetat re ipſa formas ad quas eſt in potentia. De qua ſequentes excitari ſolent difficultates.

301. Prima difficultas, an materia habeat appetitum ad formas quas habet? Reſp. quod nomen appetitus ex magis cōmuni ſua ſignificatione, importat propenſionem ad formam appetitā, ſicuti deſideriū; quādo enim bonū eſt pręſens, tunc eſt fruitio, & quando eſt abſens, eſt appetitus & deſiderium. Materia ergo habet appetitum ad formas quas habet, ſecundum id quod appetitus dicit in recto, quod eſt ipſa potentia, & inclinatio naturæ, non tamen ſecundum id quod dicit in obliquo, ſcilicet abſentiam formę. Vel dicas quod materię appetitus eſt etiam ad formam pręſentem, non deſiderando, ſeu non prout appetitus dicit deſiderium, ſed prout dicit fruitionem, & complacentiam.

302. Se-

302. Secunda difficultas, an materia habens formam nobiliorem, appetat minus nobilem? Reſp. hoc habere difficultatem in appetitu elicito non in innato, ſi enim appetitus innatus materię eſt ad omnes formas indifferenter, ſequitur quod licet materia habeat formam nobiliorem, ſemper tamen retinebit appetitum ad omnes alias. Vel dicas quod licet materia magis appetat formam nobiliorem, tamen quia videt quod eam ſemper habere non poteſt, cum eam non ſatiet, appetit alias, vt videat an per illas ſatiari poſſit; vnde ſemper videtur dicere Affer, Affer.

303. Tertia difficultas an materia appetat aliquando formã quam amiſit? Reſp. quod materia appetitu quaſi executiuo, & quaſi efficaci nõ appetit formas corruptas, ad hoc enim vt daretur iſte appetitus eum ſit naturalis oporteret quod in rerum natura daretur potentia potens introducere formas corruptas; hæc autem potentia non datur, nec dabilis eſt; eſt enim Dei propriũ reuocare res corruptas, & facere quod detur regreſſus à priuatione ad habitum. Poteſt tamen dici quod materia quaſi conditionatè appetat formas amiſſas. Ad ſimilitudinem appetitus eliciti, qui poteſt cõditionatè appetere etiam id quod per cognitionem cognoſcitur impoſſibile, vti facit auarus dum appetit diuitias infinitas.

§.12. *An materia prima ſit corporea, & an habeat formam corporeitatis.*

304. PRo intelligentia primi nota, quod corpus in omnium ſentẽtia eſt duplex, vnũ de prędicamento quantitatis, & de hoc dicemus §. ſequẽti. Aliud de prædicamento ſubſtantię, quod adhuc eſt duplex, aliud quod directè pertinet ad lineam rectam ſubſtantiæ, & eſt ſubſtantia naturalis completa, quę dicit gradum corporis. Et aliud, quod pertinet ad lineam indirectam, ſeu tranſuerſalem, & hoc corpus eſt pars ſubſtantię naturalis. Pars autem alia eſt integralis, vt caput, manus, &c. alia eſſentialis, vt materia, & forma, quę ab eadem materia educitur. Difficultas non procedit de parte integrali, ſed eſſentiali, an ſcilicet materia ſit corporea, vt pars eſſentialis ſubſtantiæ naturalis.

305. Conueniunt omnes quod materia non eſt corpus compoſitum pertinens ad lineam rectam prędicamenti ſubſtantię; eſt enim materia pars compoſiti, non compoſitum, difficultas eſt, an materia prima ſit corpus incompletum, ſeu pars corporis, pertinens reductiuè ad prędicamentum ſubſtantiæ. Negant illi qui negant materiam primam de quibus ſupra. Communis ſententia affirmat, & ratio clara eſt, nam materia prima eſt ens, primum ſubiectum, & ſubſtantia, ſed non eſt ſubſtantia incorporea; ergo corporea. Minor probatur, nam ſi materia eſſet incorporea, homo eſſet incorporeus, cum tam materia, quam forma humana ſint incorporeæ, hoc eſt falſum; ergo, &c.

306. Maior difficultas eſt, an materiá prima habeat formam corporeitatis per quam conſtituatur in eſſe corporei. Primam ſententiam affirmantem defendunt aliqui poſt Aueroem. Communis, & vera ſententia negat. Ratio clara eſt nam ſi materia prima haberet hanc formam corporeitatis, vel eſſet ſubſtantialis, vel accidentalis; neutrum dici poteſt; ergo, &c. Minor probatur, non poteſt dici quod ſit ſubſtãtialis, quia faceret vnum per ſe cum materia, & ſic materia cum alia forma, v.g. equi non poſſet facere vnum per ſe. Neque poteſt eſſe forma accidentalis, quia aliàs vnum ſecundum quid eſſet ante vnum ſimpliciter; ergo, &c.

307. Sed obijcies 1. nam materia ſecundum ſe eſt actu corporea, ergo per aliquem actum; ſed actus conſtituens aliquid in eſſe corporeo eſt forma corporeitatis; ergo ſi materia prima ſecundum ſe eſt actu corporea habet formam corporeitatis. Reſp. quod materia eſt quidem actu corporea, ſed non per actum, ſed per ſuam potentiam; corporeitas namque alia eſt potentialis, alia actualis, ſeu alia conuenit potentiæ, alia actui. Hæc inuoluit actum; illa ſolum dicit puram, & nudam potentiam ſubſtantialem.

308. Obijcies 2. nam omne corporeũ eſt extenſum; ſed materia prima non eſt exten-

extenſa; ergo non eſt corporea, vel ſi eſt corporea debet eſſe per aliquem actum per quem extendatur. Reſp. omne corporeum de prædicamento quantitatis eſt extenſum conceditur de prędicamento ſubſtantię, negatur. Materia autem eſt corporea, ſed de prędicamento ſubſtantiæ.

§. 13. *An materia prima habeat quantitatem coæuam, & dimenſiones interminatas.*

309. Non defuerũt ex antiquis philoſophis, nec deſunt ex modernis, qui dicunt, quod materia à principio ſuæ creationis accepit ſimul cum ſuo eſſe ſubſtantiali quantitatem quandam, quę ſemper in ea manet data quacumque trãſmutatione ſubſtantiali naturali. At quia hęc quantitas eſt trina dimenſio, ob id vocatur à ſuis auctoribus dimenſio ſecundũ ſe interminata, quæ poſtea per formam determinatur. Ex antiquis citatur Aueroes 1. *phyſ. & lib. de ſubſt. orbis*. Pererius ex modernis *lib*. 5. *cap*. 18. alios referens.

310. Noſtra ſententia ſeq. concl. explicatur. *Non datur in materia quantitas coæua*. Hanc ſententiam docet Ariſt. *cap. de ſubſt.* docẽs quod deſtructis primis ſubſtantijs deſtruuntur accidentia quæ ſunt in illis, ex quo inferunt quod incorruptione ſubſtantiali fit reſolutio vſque ad materiã primam. Idem docet 7. *metaph. cap.* 1. quem ſequuntur communiter philoſophi tam antiqui, quam moderni. Ratio deſumitur ex Ariſt. 2. *de anima cap.* 1. docente quod forma ſuſiſtantialis recipitur immediatè in materia prima, quod verum non eſſet ſi daretur illa quantitas coęua. Tum quia vnio accidentaria, & ſecunda, pręcederet primam, & ſubſtantialem, quod non conuenit. Tum etiam quia quantitas, quę fit per generationem, & per accretionem recipitur in toto compoſito; ergo vel dantur duæ quantitates, vel non dantur illa coęua. Antecedens probatur, nam compoſitum habet propriam quantitatem, vt patet, quæ augetur, & minuitur, & tandem definit eſſe per corruptionem; ergo, &c. Soluuntur argum. in contrarium.

311. Primum argum. materia ex ſe eſt primum ſubiectum non à forma ſubſtantiali, ſed à quantitate; ergo ex ſe habet quantitatem, ac proinde coęuam. Minor probatur, nam materia huius leonis non eſt omnis materia, ſed portio illius informata ab hac forma, ſed materia non eſt diuiſa, nec pars, aut portio niſi per quantitatem; ergo materia ex ſe habet quantitatem; forma namque non informat omnem materiã ſed portionem, ſed partem, ac proinde diuiſam. Reſp. negando maiorem, materia namque ex ſe habet quod ſit primum ſubiectum, & immediatum formarum; in eo autem priori in quo forma informat, materia non eſt pars actu quantitatiuè, ſed poteſtate, quatenus materia per formam præhabet hanc potius quantitatem, quam aliã. Et ſic materia non eſt actu diuiſa niſi per quantitatem actu, per quantitatem autem præhabitam eſt poteſtate, & quaſi in actu primo diuiſa. Quare materia ante hoc inſtans erat diuiſa per formam corruptam, & in hoc inſtanti per formam genitam, &c.

312. Secundum argum. nam forma genita introducitur in materiam extenſam; ergo per quantitatem coęuam. Conſeq. cõſtat, non enim præſupponi poteſt materia extenſa per quantitatem, quæ formam ſequitur, vt patet. Antecedens probatur, nam forma materialis eſt extenſa, ergo debet recipi in materia extenſa. Reſp. negando antecedens. Ad probationem dico, quod neque forma pro eo priori quo introducitur eſt extenſa; ſed extendenda per quantitatem in eodem inſtanti.

314. Tertium argum. nam quantitas cum ſit ſubiectum *quo* cœterorum accidentium, debet ſequi ad materiam tanquam ad ſubiectum *quod*, vnde communiter dicitur quod quantitas ſequitur ad materiã, & reliqua accidentia ad formam, ac proinde ſicut reliqua accidentia inſunt materiæ ratione formæ, ita quantitas ineſt formæ ratione materiæ. Reſp. quod quantitas cum ſit ſubiectum quo cœterorum accidentium ſequitur ad compoſitum ratione materiæ, & reliqua accidentia ſequun-

tur

Digitized by Google

tur ad compoſitum ratione formæ, non tamen quantitas ſequitur immediatè ad materiam, nec reliqua accidentia ſequuntur immediatè ad formam, ſi animam rationalem excipias, ex qua eius potentiæ ſequuntur.

§. 14. *An materia ſit ingenerabilis, & incorruptibilis.*

315. Negarunt aliqui materiam eſſe ingenerabilem, & incorruptibilem, ſed dicebant generari, non admittentes primum ſubiectum in generatione ſubſtantiali; vnde res volebant fieri de nouo ſecundum ſe totas quatenus vna ſecundum ſe totam ſuccedebat ex alia, eo modo quo in Sacramento Altaris ex corruptione ſpecierum conſecratarum generantur v.g. vermes, tunc enim eſt quædam ſucceſſio, non generatio, cum non detur commune ſubiectum, quod maneat ſub vtroque termino.

316. Noſtra, & communis ſententia ſeq. concl. explicatur. *Materia prima ſecundum ſuam entitatem eſt ingenerabilis, & incorruptibilis.* Sic tradunt omnes philoſophi. Ratio clara eſt, nam entitas, quæ reperitur ſub vtroque termino generationis, neque per ſe, neque per accidens generatur, aut fit per generationē, ſed eſt ingenerabilis, & incorruptibilis; ſed entitas materiæ primæ reperitur ſub vtroque termino generationis; ergo nec per ſe, nec per accidens generatur, aut corrumpitur, ac proinde erit ingenerabilis, & incorruptibilis. Maior nota eſt. Minor eſt Ariſtotelis, & omnium philoſophorum hoc loco. Poteſt tamen dici quod materia prima corrumpatur per accidens, ideſt per aliud, quatenus aliquid illius corrumpitur, ſcilicet compoſitum, & forma, hoc enim modo materia dici poteſt generari ad generationem ſui compoſiti, & formæ, & corrumpi ad corruptionem ſui compoſiti, & ſuæ formæ, quæ ex ſuis viſceribus fuit educta.

317. Sed obijcies 1. quoniam quod per ſe denominatur à mutatione, ſcilicet generatione, & corruptione, eſt per ſe generabile, & corruptibile; ſed materia prima per ſe denominatur à generatione, & corruptione; ergo per ſe eſt generabilis, & corruptibilis. Maior conſtat. Minor probatur, nam denominatio quæ conuenit toti conuenit etiam partibus, ſed generari, & corrumpi conuenit toti compoſito, ergo conuenit etiam partibus. Reſp. quod materia prima denominatur à generatione, & corruptione, vt ſunt mutatio, dicitur enim mutata, non tamen denominatur genita, aut corrupta, quia iſtæ denominationes, ſunt productionis, & deſtructionis, quæ materię non conueniunt.

318. Obijcies 2. nam quod per ſe generatur, & corrumpitur, eſt generabile, & corruptibile, ſed materia prima per ſe generatur, & corrumpitur; ergo, &c. Minor probatur, nam illud generatur, quod per generationem acquirit aliquod eſſe, & illud corrumpitur quod per corruptionem amittit aliquod eſſe; ſed materia prima acquirit eſſe per generationem, acquirit enim formam, & exiſtentiam illius, & per corruptionem amittit; ergo, &c. Reſp. negando minorem, nam illud propriè dicitur generari, & corrumpi, quod per generationem acquirit propriam entitatem, & per corruptionem eam amittit; materia autem ſecundum propriam entitatem manet ſub vtroque termino; licet autem acquirat formam, eiuſque exiſtentiam per generationem, & per corruptionem amittat non ſequitur quod amittat, aut adquiret entitatem, ſed aliquid extrinſecus adueniens.

§. 15. *An*

§. 15. *An principium corruptionis ſit materia prima.*

319. Loquimur de materia ſublunari, de qua certum eſt, quod ſit aliquo modo principium corruptionis, cũ enim ſit principium generationis, qua ratione diximus ſupra, quod principia generationis naturalis ſunt tria, ſcilicet materia, forma,& priuatio, erit etiam principiũ corruptionis, ſunt enim eadem principia generationis, & corruptionis; quia tamen communiter principium abſolutum corruptionis tribuitur materiæ, ideo de ſola materia inquiſitio procedit.

320. Aliqui ergo putant quod materia ſecundum ſe, & abſolutè ſit principium corruptionis, tum quia ſecundum ſe non conuenit cum materia cęleſti; tum quia ſecundum ſe eſt potentia reſpiciens omnes formas, non vnam tantum. Hæc ſententia ſi intelligatur de principio corruptionis remoto admitti poteſt, hac enim ratione cum materia reſpiciat omnes formas, oſtẽdit quod non ſatiatur per vnam, ac proinde quod eas reſpiciat amiſſibiliter; cum enim non poſſit habere omnes ſimul, oportet quod habeat ſucceſſiuè, ac proinde quod per nullam in particulari ſatietur, de principio proximo procedit difficultas, quomodo ſcilicet ſit principium proximum.

321. Communis ſententia eſt quod materia proximè eſt principium corruptionis, vt eſt coniuncta, ſeu vt connotat priuationem. Colligitur ex Ariſt. in hoc 1. libro quatenus dicit, quod priuatio parit maleficium formæ, etenim eſt cauſa quod vna forma ſeparetur à materia, & alia adueniat. Ratio huius communis ſententię eſt, quia materia ratione priuationis habet appetitum ad alias formas, dici namque ſolet quod priuatio generat appetitum, & ſic cum materia videt ſe priuatam tali forma, ad quam eſt in potentia, excitatur, vt ſic dicamus, ad illam appetendam, & ſic machinatur præſenti, vt habeat illam cuius habet priuationem. Tum quia priuatio eſt cauſa quod materia non ſatietur forma præſenti, ſi enim materia non haberet priuationem formæ non habitæ, non illam appeteret, & ſic contentaretur forma quã habet.

322. Sed quęres 1. vnde proueniat, quod materia nõ ſatietur forma præſenti? Reſp. hoc prouenire à ſeparabilitate formę ſi enim forma eſſet inſeparabilis, materia ſatiaretur illa. Ideo autem forma non informat inſeparabiliter, quia materia habet aliarum formarum priuationes; & ideo habet aliarum formarum priuationes, quia eſt potentia vniuerſaliſsima ad omnes formas.

323. Quęres 2. vnde proueniat ex parte formæ, quod ſit ſeparabilis? Reſp. prouenire ex diſpoſitionibus, quæ diſponunt materiam ad receptionem formarum, quæ cum proueniant à contrarijs qualitatibus agunt, reagunt, patiuntur, & tandem repelluntur, & contrariæ introducuntur, pro alia forma, &c. Pro quo nota, quod diſpoſitio quæ eſt debita proportio inter primas qualitates, deficit ob mutuam actionem, & reactionem, quę inter illas reperitur, & ſic deſtructa illa proportione diſponitur forma ad deſtructionem, aut expulſionẽ, & præparatũr materia pro alterius formæ receptione. Hinc eſt, quod formæ cęlorũ quæ non egent diſpoſitionibus à qualitatibus contrarijs prouenientibus, informant inſeparabiliter.

324. Quęres 3. quare corruptio magis tribuitur materiæ quam formæ, cum non minus proueniat à forma non ſatiante & ſeparabiliter informante, quam à materia non ſatiata, & alias formas appetente? Reſp. quod re vera corruptibilitas prouenit non ſolum à materia non ſatiata, ſed etiam à forma non ſatiante; nam & materia eget diſpoſitionibus ad recipiendam formam ſeparabilem, & forma eget iiſdem diſpoſitionibus, vt recipiatur in materia ſeparabiliter, & eam non ſatiet. Tamen corruptibilitas tribuitur pręcipuè materiæ ratione priuationis quam habet; quoties enim effectus includit defectum, ſemper tribuitur cauſę defectuoſę, vt claudicatio non tribuitur virtuti motiuæ, ſed tibiæ claudæ, & ſic cum materia habeat defectũ ſcilicet priuationem formæ ratione illius aliam

aliam appetit formam, & quærit antiquæ expulſationem, ex hoc ſequitur quod corruptio magis tribuatur materiæ, quam formæ.

§.16. *An materia prima habeat propriam ideam.*

325. DE ideis fusè egi 1. *p. diſp.* 15. *per totam*, hoc loco ſolum ponam, quę neceſſaria ſunt ad intelligentiã præſentis difficultatis. Idea quantum ad nomen eſt forma, exemplar, ratio, ſpecies, aut logon, vel ſermo, ſeu conceptus internus. Definiri ſolet quod ſit *forma obiecta intellectui, ad quam agens reſpiciens operatur.* Communis tamen definitio, quam loco citato ſequimur eſt, quod idea ſit *forma intelligibilis quam effectus imitatur.* Ex qua definitione duo colliguntur eſſe de ratione ideæ, ſcilicet eſſe rationem intelligendi, & operandi; vnde & habet rationem formæ reprę ſentando rem, & efficientis, concurrendo ad effectus productionem. Vt eſt forma intelligibilis eſt ratio cognoſcendi, vt eſt id ad quod agens reſpicit, aut effectus imitatur, eſt ratio operandi. Quęrimus ergo, an materia prima habeat propriam ideam, ſiue in mente diuina, ſiue humana per quã per ſe cognoſcatur, an vero nullam habeat ideam, ſed cognoſcatur vel per ideam compoſiti, aut formæ.

326. Prima ſententia tenet quod materia habeat propriam ideam, tum in mente diuina, tum creata, vt Angelica, & humana. Sic Scotus *in* 2. *diſt.* 12. *q.* 1. *in ſolut. argum.* quem eius diſcipuli ſequuntur. Secunda ſententia tenet, quod materia habet ideam, vt dicit rationem principij cognoſcendi, non vt dicit rationem principij operandi; quoniam intelligi poteſt ſecundum ſuam eſſentiam, ac proinde proprio, ac peculiari conceptu, vt eſt à forma, & compoſito diſtincta. Sic Aegidius *in* 1. *diſt.* 36. *q.* 4. Bannes 1. *p. q.* 15. *art.* 3. *concl. vlt.* Zumel ibidem, & alij, quã ſententiam tenuit D.Thomas *q.* 3. *de verit. art.* 5. *& in* 1. *diſt.* 36. *q.* 2. *art.* 2. *&* 1. *p. q.* 14. *art.* 11. *ad* 3 videtur tenere eandem.

327. Noſtra ſententia ſeq. concl. explicatur. *Materia prima nullam habet ideã, ac proinde non cognoſcitur niſi per ideam compoſiti, vel formæ, de quo poſtea.* Hanc ſententiam priori omiſſa ſequitur S. Doctor 1. *p. q.* 15. *art.* 3. *ad* 1. Caiet. ibidem. Aquatius *in q. de ideis* Iacobus Zabarella 2. *lib. de materia cap.* 2. Simplicius 2. *phyſ. cap.* 2. & omnes peripatetici, vt teſtatur Maſius *in cap.* 9. *lib.* 1. *phyſ. q.* 14. Eandem ſententiam ſequutus fuit Plato *in Timæo*, aſſerens, quod neque Dei, neque materiæ, neque ideæ datur idea. Non Dei quia nulla res poteſt cauſalitatem aliquam erga Deum exercere. Non materiæ, quia non habet certam, & definitam naturam, aut ſpeciem, cum modo vnam, modo aliam, ſub diuerſis formis habeat. Neque ideæ, quia ideæ non eſt idea.

328. Quod non detur idea materię, vt dicit rationem operandi, conſtat, quoniam omnis operatio, aut concurſus ideæ ad certum aliquem definitum, ac determinatum actum ordinatur, ſed materia prima nullum certum actum ſibi determinat ad quem concurrat, ergo non habet ideam quantum ad rationem operandi; minor cõſtat, eſt enim materia potentia quædam vniuerſalis ad omnem actum. Maior probatur, nam idea determinat intellectum agentis ad certum, & determinatum concurſum, ad certum, & determinatum effectum, quocirca etiam in Deo ideæ multiplicantur, non enim idea hominis, eſt idea leonis, &c.

329. Quod autem materia non habeat ideam, vt dicit rationem cognoſcendi, probatur, nam ad rationem ideæ vtraque ratio requiritur, ſcilicet cognoſcendi, & operandi; ergo ſi materia prima non habet ideã vt dicit rationem operandi, neque eam habebit vt dicit rationem cognoſcendi. Conſeq. conſtat. Antecedens colligitur ex definitionibus poſitis. Cum enim idea pertineat ad intellectum practicum, debet neceſſariò reſpicere operationem. Tum quia materia prima eſt pura potentia, nullum includens actum; ergo ex ſe non eſt intelligibilis; omnis enim intelligibilitas ab actu eſt, quapropter vbi nullus eſt actus, nulla eſt intelligibilitas.

330. Sed dices 1. falſum eſſe, quod materia nullam habeat intelligibilitatem, ac proinde nullam ideam, quia nullum habet actum; implicat enim quod in rerū natura præter, vel extra Deum detur actus purus, ac ſubinde pura potentia; vnde ſic formari poteſt efficaciſſimum argumentū. Forma naturalis non eſt actus purus, ſed eſt actus inuoluens aliquam potentialitatē; ergo etiam materia non erit pura potentia nullum includens actum; actus enim, & potentia debent eſſe ſub eodem genere, vt quod de vno dicitur, debet proportionaliter dici de alio. Tum quia actus, & potentia diuidunt ens, ergo ſi ſemel vnum membrum, v. g. nihil includit de alio, v. g. de materia, neque materia de forma; & ſi vnum includit aliquid de alio, vt forma de potentia, ita potentia includet aliquid de forma. Reſp. quod ſicut materia eſt pura potentia, ita forma ſubſtantialis eſt purus actus, quoad iſtum ſenſum, quod in linea actus ſubſtantialis non eſt in potentia ad alterum actum ſubſtantialem, tamen in linea ſubſiſtendi, & exiſtendi eſt in potentia quia poteſt illa ſuſcipere. Quod autem forma ſubſtantialis in linea actus ſit purus actus patet, quoniam id quod in vno ordine eſt actus non poteſt in eodem ordine eſſe potentia, bene in alio ordine; neque ex hoc rectè infertur quod in linea actus forma ſit purus actus, ac proinde Deus, nam Deus in nullo ordine eſt in potentia, ſicut forma, eſt enim Deus ſuum eſſe, & ſubſiſtere. Nec refert ſi dicas ex hoc ſequi quod Deus non eſſet puriſsimus actus, quoniam ex ſuppoſitione quod *eſſe* non eſt formaliſsimum conſtitutiuum ratione diſtinctionis virtualis ab ipſo intelligere, ſequitur quod ipſa formaliſſima eſſentia Dei ſit quodammodo, ſcilicet virtualiter in potentia ad ſuum *eſſe*. Reſp. namque quod re vera ipſum eſſe eſt conſtitutiuum Dei ſecundum rem, licet ſecundum maiorem expreſſionem melius conſtitutiuum Dei exprimatur per intelligere, quam per ipſū eſſe.

331. Dices 2. nam materia aſsimilatur Deo, & eſt ens per participationem, ergo habet actum, ac ſubinde ideam. Antecedens eſt certum; cum enim materia ſit *ens* creatum, ſeu creatura, debet eſſe ens per participationem. Vt autem probemus cōſeq. ſciendum eſt, quod participare eſt partim capere, quod tripliciter contingere poteſt. 1. Vnum dicitur participare aliud, quando totum captum eſt pars capientis, quo modo ſpecies dicitur participare genus, quia totum genus eſt pars ſpeciei, & illi ſpecies ſuperaddit differentiam. 2. Vnū dicitur participare aliud, quando pars capti eſt etiam pars capientis, vt cum vnum indiuiduum participat naturā alterius eiuſdem ſpeciei; & vna ſpecies naturam alterius ſpeciei. 3. Contingit vnam rem participare aliam quando pars capti eſt totum ipſum capiens, & hoc modo ens creatum & quælibet creatura participat Deum, nam totum eſſe cuiuſcumque creaturæ eſt vna pars minima diuinæ perfectionis. Hoc poſito ſic probatur illa conſeq. quoniam materia prima ſecundum totum ſuum eſſe, quod habet eſt vna minima pars diuinæ perfectionis, ſeu participat aliquid de Deo, & eſt illi ſimilis ſecundum eam rationem quam participat; ergo non poteſt non includere aliquem actum, ac proinde ſuam habebit ideam. Conſeq. iſta oſtenditur, nam quidquid participabilitatis eſt in Deo eſt actus, cum in Deo nulla potentiæ ratio contineatur; ergo ſi ſemel materia participat aliquid de Deo, debet eſſe ratio *aliqua* actus.

332. Reſp. quod aſſimilatio, & participatio eſt duplex, alia eiuſdem generis, ſeu vniuoca, alia diuerſi generis, ſeu analoga. Materia aſsimilatur Deo, illumque participat participatione analoga, quæ in hoc conſiſtit, quod ſicut Deus ſe habet ad ſuum eſſe actus, ita materia ad ſuum eſſe potentiæ, ex quo non ſequitur quod materia includat in ſe rationem actus, ſequeretur tamen ſi participaret participatione vniuoca, & eiuſdem generis. Vel dicas materiam participare Deum ſecundum rationem generalem entis. Sed contra hoc vrgebis, quoniam quæcumque ratio entis in Deo reperta exprimit rationem actus, quia ratio tranſcendens eſt talis iuxta talitatem rei quam tranſcendit; ergo cum pro-

Digitized by Google

propria ratio Dei, ſit ratio ſimpliciſsimi actus, ratio entis per illum contracta, debet afferre rationem ſimpliciſſimi actus. Reſp. non eſſe neceſſe quod ratio quælibet exprimat rationem actus, ſed poteſt conſiderari ſecundum ſe, ſeu ſecundum propriũ conceptum, vt ſecundum conceptum iuſtitiæ, miſericordiæ, &c. Quare ad hoc vt aliquid habeat ideam non ſufficit quod habeat propriam entitatem, ſed requiritur, quod talis entitas ſit producibilis, & cognoſcibilis ſecundum ſe, cognoſcibilitas autem non ſequitur potentiam, ſed actũ.

333. Sed quæres 1. an materia cognoſcatur per ideam compoſiti, an formæ? Reſp. quod materia formæ ſubſiſtentis, vt animæ rationalis poteſt cognoſci, & per ideam compoſiti, & per ideam formæ; forma namque ſubſiſtens habet propriam ideam, licet hæc dicat aliquam habitudinẽ ad totum, cum ſemper conſeruet quod ſit pars. At materia formæ naturalis, ſeu materialis, quæ ab ipſa materia educitur, non cognoſcitur niſi per ideam compoſiti, quia etiã ipſa forma materialis cognoſcitur per ideam compoſiti, nec habet propriam. Ratio eſt quia pars, quæ ex ſe non habet propriam ſpeciem, neque entitatem per ſe producibilem ſaltem naturaliter ſed producitur in toto, non habet propriam intelligibilitatem; huiuſmodi eſt materia, & forma materialis; ergo, &c.

334. Quæres 2. an licet materia non habeat propriam ideam, habeat tamen propriam intelligibilitatem? Affirmat Scotus *in 2. diſt.12.q.1.* Communis ſententia negat, qua ratione vocant materiam ex ſe ignotam. Sic tenent Aegidius *quodlib. 2. q.13.* Soncin. 8. *metaph.q.2.* Iauel. ibi *q.1.* Sot. *1.phyſ.q.6.* Achilin. *lib. 1. de element. q.10.* & alij communiter. Igitur materia non poteſt cognoſci per propriam ſpeciem quia neque eam habet, neque habere poteſt, cum materia ſecundum ſe ſit tantum paſſiua, non actiua, ac proinde non poteſt ſui ſpeciem cauſare. Cognoſcitur tamen quod materia eſt ens, eſt ſubſtantia, eſt ſubiectum primum, ſeu cognoſcitur quoad an eſt dupliciter 1. per analogiam ad artefacta, quia ſicut in his præter formam, aut figuram datur commune aliquod ſubiectũ, ita in compoſito ſubſtantiali. 2. cognoſcitur mutatione, quia in omni mutatione etiam ad locum, ad quantitatem, ad qualitatem datur commune ſubiectum, etiam in mutatione ſubſtantiali dari debet, quod oportet eſſe ens, & ſubſtantia. Quantum ad quid eſt, materia cognoſcitur per ordinem ad formam, & compoſitum, quicquid enim cognoſcitur, ſub ratione actus cognoſci debet, vt grauiſſimè docet Ariſt. *9. metaph. cap.6.* Puto tamen quod poſtquam materia cognita eſt per ordinem ad compoſitum, & formam, poteſt intellectus formare aliquam ſpeciem, quæ repræſentet materiam vt ens, vt ſubſtantiam, vt ſubiectum, & formare verbum proprium iſtorum; vti facit in cognitione indiuidui, de quo aliàs diximus.

§.17. *An materia ſit bona.*

335. Materiam eſſe malam docuit Hermogenes de quo Tertullianus *in lib. contra Hermog.* Fundamentum huius hæretici erat, quia quod eſt cauſa mali, eſt malum, materia eſt cauſa corruptionis, & interitus, ergo eſt mala. Manichæi ex alio capite dicebant materiã eſſe malam, quoniam à malo Deo erat facta, à quo cuncta facta ſunt mala, contra quos egit S.P.Aug. multis in locis.

336. Conueniunt omnes Catholici, quod materia ſit bona, quod colligitur ex illo Gen. *Vidit Deus cuncta quæ fecerat, & erant valde bona.* Tum quia materia eſt ens, ac proinde bona, cum bonum cũ ente conuertatur. Tum etiam quia ſi eſſet mala, vel eſſet mala malitia morali, ſeu culpæ, & & hoc non cum materia ſit ens phyſicum non morale, nec ſit capax moralitatis. Vel eſſet mala malitia phyſica, & hæc non eſt malitia niſi ſecundum quid, ac proinde ſimpliciter eſſet bona, qua ratione calor eſt ſecundum quid malus aquæ, ſimpliciter tamen & in ſe, eſt bonus.

337. Difficultas eſt quomodo materia ſit bona, an tantum per ordinem ad compoſitum, & formam, an etiam ſecundum ſe. Prima eſt aliquorum ſententia quod mate-

materia ſit tantùm bona ſecundum ſe, quatenus eſt ſubſtantia, & ens, non formæ, & compoſito cum iſtis machinetur interitum & defitionem, eo modo quo calor eſt malus aquæ. Alij volunt per oppoſitum materiam non eſſe in ſe bonam, ſed tantùm per ordinem ad compoſitum, & formam.

338. Pro intelligentia difficultatis ſciẽdum eſt, quod eos aliud eſt nominaliter tale, & aliud eſt tale participialiter; eos nominaliter dicit tantum eſſentiam ſine ordine ad exiſtentiam. Eos autem participialiter vel dicit exiſtentiam, vel ordinẽ ad illam. Bonum eſt paſſio entis participialiter, non nominaliter; bonum enim cum ſit magis concretum quam ens, cum illo, non cum iſto debet conuerti, qua ratione diximus 1.*p.* cum N. Salmant. quod creaturæ poſſibiles non ſunt bonæ, ac proinde non ſunt obiectum diuinæ dilectionis. Ex hoc infertur quod materia ſecundum ſe præcisè, ſeu prout dicit nudã, & puram eſſentiam, cum hac ratione dicat tantom ens oominaliter non erit bona.

339. Materia ergo ſolum poterit dici bona vt eſt ens participialiter, quatenus ſcilicet vel eſt exiſtens, vel dicit ordinem ad exiſtentiam, vt dicit ordinem ad exiſtentiam dicetur bona in potentia, at vt dicit actu exiſtentiam, dicetur bona actu. Cum autem materia non habeat ex ſe exiſtentiam, vt ſupra vidimus, ſed eam habeat à forma, & compoſito, propterea materia dicetur bona per ordinem ad formam, & compoſitum. Sic tradunt D.Tho. *3. contr.Gent.cap.20.& 1.p. q.5. art.3 ad 3.* Magnus Albert. *1.p.ſue Theologiæ tract.6. q.26. art.2. memb.2.* Alenſ.*1.p.q.28.memb.6* & alij, quam doctrinam deſumpſerunt ex D. Aug. *in lib. de vera relig. cap.* 18. *& in lib. de natura boni aduerſ. Manich. cap.* 18. vbi ſic fatur. *Habet enim & ipſa capacitatẽ formarum, nam ſi capere impoſſitam formam non poſſet, ne materies vtique diceretur. Porrò ſi bonum aliquod eſt forma, vnde qui ea præualent formoſi nuncupantur, ſicut à ſpecie ſpecioſi, procul dubio bonum aliquod eſt etiã capacitas formæ, &c.*

340. Sed quæres 1. an materia prima ſit ſimpliciter bona, an taotum ſecundum quid? Reſp. quod *ly ſimpliciter* poteſt accipi duobus modis, 1. vt idem eſt ac ſecundum ſe, ſine vllo ordine ad aliud, & hoc modo materia non eſt ſimpliciter bona, cum ſit bona per ordinem ad formam, & compoſitũ. 2. vt idem eſt ac ſine adito, qua ratione Cygnus dicitur albus ſimpliciter, & Aethiops, ſolùm ſecundum quid, ideſt ſecundum dentes, & hoc modo materia dici poteſt ſimpliciter bona.

341. Quæres 2. An bonum dicatur vniuocè, an analogicè de materia, forma, & compoſito? Reſpondet Maſius hoc loco dici analogicè, analogia attributionis, nam primo dicitur de bonitate formæ, & per attributionem ad illam dicitur de bonitate materiæ, & totius. Vode conſtituit tres gradus bonitatis, primus eſt formæ, quæ eſt bona ſecundum eſſentiam. Secundus totius compoſiti, quod eſt bonum à forma tanquam à parte intrioſeca, & eſſentiali. Tertius eſt materię, quæ eſt bona ex eo quod ordinetur ad formam. Cœterum videtur dicendum, quod bonum dicatur vniuocè de materia, forma, & compoſito, nam ſi diceretur analogicè analogia attributionis oporteret, quod bonitas eſſet ſolùm intrinſecè in priocipali analogato, & in alijs per denominationem extrioſecam, ſed hoc eſt falſum; nam negari non poteſt quin compoſitum non ſit intrinſecè bonũ, ſicut & materia eſt intrinſecè bona, licet enim materia ſit bona per ordinem ad formam, iſte tameo ordo eſt intrinſecus materiæ. Aliàs nulla creatura eſſet intrinſecè bona, excepta exiſteotia, cum per ordinem ad exiſtentiam bonitas deſumatur. Tum quia vt docet S.P.Aug. in teſtimonio allato ipſa capacitas formæ eſt bona, hæc autem capacitas eſt intrinſeca materiæ, ac ſubinde & bonitas illi erit intrinſeca.

342. Sed obijcies 1. nam ſi materia eſſet bona deberet eſſe appetibilis ab aliquo, ſed à nullo eſt appetibilis; ergo non eſt bona. Maior conſtat ex illo. *Bonum eſt quod omnia appetunt.* Minor probatur, nã ſi materia appeteretur maximè à forma, & compoſito, ſed non appetitur, ergo, &c. Minor oſteoditur, tum quia materia appetit omnes formas, ergo non poteſt ab iiſdẽ

appe-

appeti,quod enim eſt obiectum appetitus, non eſt appetens. Tum etiam quia materia eſt malefica formarum, ergo non poteſt ab eis appeti. Reſp. negando minorem, ad probationem dico, quod materia appetitur tum à forma, tum à compoſito; à forma appetitur tanquam eius ſubiectum&, fundamentum; at à compoſito appetitur tanquam eius pars eſſentialiter conſtituens. Materia autem appetit formas, & compoſitum, illas tanquam perfectiuas, hoc tanquam ſuum totum, quod conſtituit.

343. Obijcies 2.quia bonum idem eſt ac perfectum, ſed materia prima non eſt perfecta, ergo neque bona. Minor probatur, quoniam materia nata eſt perfici ab omnibus formis. Reſp.negando minorẽ, materia namque in ſua linea eſt perfectiſſima, ſicut forma in linea actus. Cum enim materia ſit potentia ad formas, & capacitas illarum, ſequitur quod cum ſit maxima potentia, maximaque capacitas, erit in hoc ordine perfectiſſima; neque à forma perficitur materiæ capacitas, ſed completur, & actuatur.

344. Ad fundamentum Hermogenis, quod ſcilicet materia ſit cauſa corruptionis, & interitus, ac proinde mala, cum ſit cauſa mali, dico quod materia ſecundum ſe non eſt mala, neque vt dicit potentiam, aut capacitatem formarum, ſed vel prout dicit priuationem, aut ſecundum quod nõ ſatiatur forma; hæc tamen malitia phyſica eſt non moralis. Deinde neque materia ex hoc quod eſt cauſa interitus poteſt dici abſolutè mala, ſed tantum ſecundum quid, & reſpectu boni particularis huius formæ, & compoſiti, non reſpectu boni communis & vniuerſalis, cui generatio, & corruptio bona eſt, ob rerum viciſſitudinem, & varietatem, &c.

§. 18. *An materia prima ſit omnium rerum infima, & ignobilior etiam de poſſibili.*

345. SI materia cum accidentibus cõferatur M. Soto *q. 6. dub. vlt.* dicit quod materia neque eſt nobilior, neque ignobilior accidentibus, quoniam comparatio fieri debet inter ea, quæ ſunt eiuſdem generis, & ſic cum materia, & accidentia ſint diuerſi generis non rectè inter ſe comparantur. Marſilius *in 1.diſt.diſt.1. q.1.art.2.* dicit quod materia eſt abſolutè, & omnibus modis nobilior accidentibus. Mihi magis placet ſententia Soncin. 8. *metaph. q.2.ad 2.* quod materia prima ſimpliciter eſt nobilior accidentibus, accidentia verò ſunt nobiliora ſecundum quid. Prima pars patet, nam materia prima eſt ſubſtantia, ſubſtantia autem eſt ſimpliciter nobilior acidentibus, cum eſſe per ſe ſit nobilius quam eſſe in alio. Tum quia materia prima eſt ſimpliciter ens, at accidentia ſunt tantum entia ſecundum quid, ſcilicet entis entia. Tum etiam quia accidentia ſunt propter ſubſtantiam, non ſubſtantia, vti eſt materia, propter accidentia. Secunda etiam pars patet, nam accidentia ſunt quidam actus, materia eſt potentia, actus autem ſi ſit eiuſdem generis eſt ſimpliciter nobilior potentia, quando autem eſt diuerſi generis, & inferioris eſt ſolùm nobilior ſecundum quid, vt contingit in noſtro caſu.

346. Si materia de facto compareretur ad reliquas ſubſtantias, communis ſententia eſt quod ſit illis ignobilior. Ratio clara eſt, nam materia prima eſt pura potentia, reliquæ verò ſubſtantiæ vel ſunt actus, vel includunt actum, vt ſunt compoſita; ſed actus, & includens actum eſt nobilius, & præſtantius potentia, quia hæc dicit perfectibilitatem, actus autem, & includens actum dicunt perfectionem, ergo, &c. Tũ quia illud eſt imperfectius, quod magis accedit non enti, aut nihilo, cum ſumma ignobilitas à non ente petatur; ſed materia prima magis accedit non enti, & nihilo, quocirca materia prima dicitur *prope nihil*; ergo,

Digitized by Google

ergo, &c. demum materia prima ex omnibus ſubſtantijs creatis magis recedit ab ente omnium nobiliſſimo, ſcilicet Deo; ergo eſt omnium imperfectiſſima. Deus namque eſt actus puriſſimus, ac proinde ſpecioſiſſimus, & materia eſt pura potentia, ac proinde turpiſſima. Deus nihil patitur, ſed agit, materia tantum patitur, non agit: Deus dat cuncta moueri, & non mouetur à nullo, materia mouetur, & dat cuncta pati, &c.

347. Maior difficultas eſt de potentia abſoluta, an ſcilicet Deus poſſit producere aliquid, v. g. aliam ſubſtantiam, vt aliam materiam noſtra ignobiliorem. Sicut enim creauit noſtram materiam ignobiliorem, & imperfectiorem materia cœleſti, ita poſſit creare aliam materiam ignobiliorem materia noſtra ſublunari. Maſius hoc loco *q. 17. concl. 2.* partem tenet affirmatiuã, quoniam inter non ens, & materiam multi gradus intercedunt, ergo poterit inter huiuſmodi graduũ latitudinem produci aliquid inferius materia, quod ſit non enti, & nihilo propinquius.

348. Verius videtur quod non poſſit Deus creare aliam materiam, quæ ſit noſtra ſublunari inferior. Ratio eſt, quia non videtur quod inter non ens, & materiam dentur aliqui gradus nec de facto, nec de poſsibili, iſti namq; gradus vel ſunt actus, & de iſtis non eſt ſermo; vel ſunt potentia, & iſti continentur intra gradum materiæ primæ; deinde inter non ens, & materiam primam ſi darentur aliqui gradus eſſent potentiæ, ſed iſti dari non poſſunt, quoniã infra puram potentiam, quæ ex ſe nullum habet actum, nullam exiſtentiam, ſed tantũ eſt potentia, non eſt alius gradus excogitabilis. Tum quia infra materiam quæ nulla ſatiatur forma, nulla eſt alia materia excogitabilis; nam infra materiam cœleſtem, quæ vnica forma ſatiatur, eſt excogitabilis materia, quæ nulla forma ſatiatur; at infra materiã, quæ nulla forma ſatiatur, nulla alia materia eſt excogitabilis, quod ſi dicant eſſe excogitabilem aſsignent; & per hæc patet ad adducta in contrarium.

DVBIVM IX.

De 3. rerum naturalium principio, ſcilicet de forma.

349. Forma ſi attendamus ad nomen, ſic dicitur, quia format materiam, eiuſdemque deformitatem tollat, quocirca qui multum de forma habent, & parum de materia dicuntur formoſi, ſicut qui multum habent de ſpecie, & parum de genere, dicuntur ſpecioſi. Forma à Pythagora vocabatur *vnum*, ex eo quod ad vnam, certamque ſpeciem, vagam, incertamque materiæ conditionem reducat. Vocatur etiam ab aliquibus character, eo quod rebus quandam quaſi notam, ſignumque imprimat, quo ab alijs diſcernantur. Dicitur etiam pulchra, eo quod non ſolum materiæ turpitudinem tegat, ſed etiam quia ab illa tota Orbis pulchritudo trahitur, dum totum Orbem, eiuſque partes mira varietate diſtinguit, & ordinat. Hinc de forma protulit Ariſt. quod *Materia appetit formam, ſicut turpe pulchrum.* Vt autem quæ de forma hoc loco diſputari ſolent, habeat noſter lector ſequentes §§. ponimus.

§. 1. *An detur forma ſubſtantialis, & quid ſit.*

350. Forma alia eſt naturalis, alia artificialis; artificialis eſt illa quæ ſit ab arte, & de iſta non eſt ſermo hoc loco. Naturalis alia eſt ſubſtantialis, & alia accidentalis, de qua poſtea. Naturalis eſt duplex, ſcilicet informans, & per ſe exiſtens. Forma per ſe exiſtens, eſt ſubſtantia ſeparata, vt ſunt intelligentiæ, & adhuc eſt duplex: vna quæ nulli rei aſſiſtit, & alia quæ aſſiſtit, & appellatur forma aſſiſtens, cuiuſmodi ſunt intelligentiæ motrices cęlorum. Forma informans eſt etiam duplex, alia ſeparabilis, quæ ſcilicet exiſtit ſeparata, ex eo quod eſt incorruptibilis, & alia inſeparabilis, ſeu corruptibilis, quæ ſcilicet educitur de potentia materiæ, & ab ea ſeparari non poteſt, nec poteſt exiſtere ſeparata. Forma corruptibilis,

alia

alia eſt mixtorum, alia ſimplicium. Forma ſimplicium diuiditur in quatuor elementa. Forma mixtorum diuiditur in formam viuentium, & non viuentium. Ad hęc forma viuentium diuiditur in vegetātem, ſentientem, & intelligentem. De forma ſubſtantiali quauis difficultas procedit.

351. Prima ſententia eſt, quod in corporibus ſimplicibus nulla detur forma ſubſtantialis, ſed tantùm quatuor qualitates, ſcilicet calor, frigus, humiditas, & ſiccitàs. Sic tenuerunt multi celebres antiqui Philoſophi vt Galenus *lib. 1. de elem.* Alex. Aphrodiſæus *lib. 12. metaph. cap. 4. & 2. de anim. cap. 3. & lib. 2. q. natural. cap* 11. Philop. 2. *de ortu cap.* 7. & 8. Olimpiodorus 4. *meteor. cap.* 1. & alij. Secunda ſententia eſt, quod neque in mixtis datur forma ſubſtantialis, ſed tantum accidentalis, quam aliqui vocant temperamentum, quod volunt eſſe qualitatem reſultātem ex primis quatuor qualitatis. Sic plures ex medicis. Alij vocant quantitatem, alij qualitatem, alij aliud accidens de quo Bernardinus Teleſius *lib. 2. de rerum natura cap. 24. & 25.*

352. Vera, & communis ſententia ſequenti concl. explicatur. *Dantur formæ ſubſtantiales tum in corporibus ſimplicibus, tum in mixtis.* Sic tradunt omnes peripatetici, poſt Ariſt. hoc lib. conſtituentem formam inter principia rerum naturalium, & ſubſtantiam, & 2. *phyſ. cap.* 1. vbi dicit formam eſſe magis ens quam materiam, & *cap.* 3, dicit formam eſſe rationem, & quidditatem rei. Videndus eſt D. Thomas *in opuſc. de formis q. 1. art.* 1. & videri poſſunt expoſitores, & philoſophi hoc loco, & pręcipuè N. Complut.

353. Probatur 1. nam tam corpora ſimplicia, quam mixta habent certam, & determinatam naturam, & eſſentiam; ergo per aliquid eſſentiale, & intrinſecum determinans, ſed hoc non poteſt eſſe niſi forma ſubſtantialis; ergo tam corpora ſimplicia, quam mixta habent formam ſubſtantialem. Antecedens notum eſt, alia eſt enim natura, & eſſentia ignis, & alia aquæ: alia eſt natura, & eſſentia hominis, & alia equi, & ſic de alijs ſimplicibus, & mixtis. Conſequentia etiam nota eſt, nam natura, & eſſentia determinata, non poteſt non eſſe ab aliquo eſſentiali, & intrinſecè determinante. Minor ſubſumpta probatur, nam intrinſecè, & eſſentialiter determinans non poteſt eſſe materia, neque forma accidentalis; ergo debet eſſe forma ſubſtantialis. Quod non poſsit eſſe materia conſtat, hæc enim cum ſit pura potentia non poteſt eſſe rei determinatiua ad certam, determinatāque naturam, & eſſentiam. Quod autem neque poſsit eſſe aliqua forma accidentalis patet, quoniam hæc non poteſt conſtituere niſi rem, & naturam accidentalem; tum quia accidens cum ſit extra eſſentiam, ſupponit, non conſtituit eſſentiam.

354. Probatur 2. ex dictis ſupra nam materia prima ſecundum ſe eſt vna negatiuè, & plurificatur ad pluralitatem formarū ac proinde debent dari formæ, cum videamus materiam iam in rebus plurificatam. Tum quia res naturales non conſtant ſola materia, ergo debet dari forma per quam ſubſtantialiter componantur. Tum etiam quia res naturales ſunt entia in actu, ergo per aliquem actum ſubſtantialem. Demum quia homo ſecundum fidem conſtat materia, & forma, ergo etiam alia corpora tum ſimplicia, tum mixta, non enim eſt maior ratio de vno, quam de alijs.

355. Sed obijcies 1. nam quod eſt in aliquo tanquam in ſubiecto non poteſt eſſe ſubſtantia, ſed omnes formæ ſunt in materia tanquam in ſubiecto, non enim ſunt in illa tanquam pars; ergo non ſunt ſubſtantia, ſed accidens. Reſp. quod forma eſt quidem in materia tanquam in ſubiecto, quod tamen ſimul eſt pars eſſentialis totius compoſiti; vnde forma non eſt pars materiæ, ſed cum ea tanquam cum alia parte conſtituit totum. Vel dicas: quod eſt in aliquo tanquam in ſubiecto integro, & perfecto non poteſt eſſe ſubſtantia, conceditur; quod eſt in aliquo tanquā in ſubiecto partiali, & imperfecto, quod ſcilicet ita eſt ſubiectum, vt etiam ſit pars eſſentialis, negatur; forma autem in materia eſt tanquam in ſubiecto quod eſt imperfectum, pars, & pura potentia, &c.

356. Obijcies 2. nam ſi ob aliquam ratio-

rationem darentur formæ ſubſtantiales, maximè vt eſſent principia agendi, ſed ob hoc non ſunt neceſſariæ; ergo non dantur. Maior probatur, nam ad agendum dantur qualitates operatiuæ; ergo, &c. Reſp. quod formæ ſubſtantiales primò & principalius dantur vt ſint principia eſſendi, ſecundariò autem vt ſint principia operandi, non quidem proximè, ſed radicaliter, quia ſubſtantia non eſt immediatè operatiua.

357. Obijcies 3. nam Ariſt. *lib. 2. de ortu cap. 1.* dicit primas qualitates eſſe formas eſſentiales elementorum, ſed primæ qualitates, vt calor, frigus, &c. ſunt accidentia; ergo, &c. Reſp. quod Ariſtoteles loquitur de elementis non ſecundum ſubſtantiam, & naturam, qua elementa ſunt, ſeu quatenus ad inuicem cõtrariantur, qua ratione qualitates contrariæ dicuntur de eorum eſſentia, ſeu ſubſtantia.

358. Quantum ad quid ſit formæ ſciendum variè formam fuiſſe definitam. Philoſophi namque Arabes ſic formam definiebant. *Forma eſt participatio primi actus rebus impreſſa.* Per primum actum quem forma participat eſt Deus; Deus namque eſt puriſsimus actus quem forma, quippe actus, participat. Platonici hoc modo formam definiebant. *Forma eſt diuini exemplaris imago, expreſſa in materia.* Ideſt forma eſt quoddam exemplum diuinæ ideæ in materia impreſſum; in Deo nã- que ſunt rerum omnium ideę, quæ ſunt quædam quaſi exemplaria, quæ imitantur exemplata, &c. Alij formam definiunt ſic. *Eſt actus conſtituens rem in aliquo eſſe ſpecifico.* Ariſt. 2. *pyſ. cap. 3. & 5. metaph. cap. 2.* & alibi ſic formam definit. *Forma eſt ratio & quod quid erat eſſe.* Communis definitio eſt quam etiam tradunt N. Complut. hoc loco. *Forma eſt actus primus corporis.* Dicitur *actus* ad diſtinctionem materiæ, quæ eſt pura potentia vt neque ſit actus, neque includat actum vt ſupra vidimus. Dicitur *actus primus* ad denotandum quod eſt actus ſubſtantialis, qui ſimul cum materia facit vnum per ſe in genere ſubſtantiæ. Dicitur *corporis*, ideſt materiæ corporalis, cum qua facit integrum corpus de genere ſubſtantiæ.

§. 2. *An forma ſit actus ſimplex, communicabilis, & extenſa, vbi alia curioſa.*

359. Fuit quorumdam opinio quod forma ſubſtantialis, dempta anima rationali, eſt compoſita ex varijs partibus per ſe, eo modo proportionali, quo humanitas dicitur compoſita ex materia, & forma, cui poſtea aduenit ſubſiſtentia, & exiſtentia. Hos refert D. Tho. *opuſc. de formis q. 2. art. 1.* Alij volunt quod formæ materiales componantur ex quibuſdam particulis eas conſtituentibus. Pro intelligentia difficultatis ſciendum, quinque eſſe compoſitionum genera. Prima compoſitio eſt ex materia, & forma, & vocatur compoſitio phyſica. Secunda vocatur compoſitio metaphyſica, & eſt ex genere, & differentia. Tertia eſt ex multis entibus in actu, vt eſt aceruus lapidum, tritici, &c. & iſta eſt purè accidentalis, cui non multum abſimilis eſt compoſitio ordinis, vt eſt exercitus, aliorumvè hominũ ordinatorum, vt ſunt gregarij, collegij, conuentus, ſeu monaſterij, &c. Quarta eſt vnio, ſeu compoſitio ex ſubiecto, & accidente vt ex pariete, & albedine. Quinta eſt compoſitio ex eſſentia, & exiſtentia.

360. Certum eſt quod formæ ſubſiſtentes, quæ ſcilicet propriam habent ſubſiſtentiam, & exiſtentiam, componuntur ex eſſentia, & ſubſiſtentia, vt eſt anima rationalis. Formæ autem materiales, quæ educuntur de potentia materiæ, cum non habeant propriam ſubſiſtentiam, ſed ſubſiſtant per ſubſiſtentiam compoſiti, non dicuntur compoſitæ ex eſſentia, & exiſtentia vel ſubſiſtentia. Certum etiam eſt quod componuntur formæ ex ſubiecto, & accidente, vt anima rationalis ex ipſa vt ſubiecto, & ex intellectu vt accidente. Non tamen habent compoſitionem ordinis. Neque compoſitionem ex genere, & differẽtia, quoniam genus ſumitur à materia, quã excludit forma vt potè actus. Difficultas eſt an habeant compoſitionem ex illis particulis, &c. Communis ſententia negat, & benè, nam aliàs forma non eſſet ſimplex

actus

actus contra Ariſt. 2. *de anima cap.* 1. 8. *metaph. cap.* 6. & alibi. Tum quia forma eſt primum principium, ſed prima principia ſunt ſimplicia, & non fiunt ex alijs ergo forma non poteſt componi ex illis particulis. Tum etiam quia ſi forma componeretur ex illis particulis, vel componeretur ex illis tanquam ex materia, & forma, & hoc non; nam aliàs forma eſſet compoſitum ſubſtantiale; vel componeretur ex illis aggregatis, & neque hoc, aliàs eſſet ens per accidens, vt aceruus lapidum.

361. Sed quæres 1. an forma ſit actus purus? Reſp. negatiuè, eſt quidem actus ſimplex, non actus purus, ad rationem enim actus ſimplicis requiritur quod excludat omnem potentialitatem; forma autem non excludit omnem potentialitatem, cum ſit potentia ad ſubſiſtentiam, & exiſtentiam. Ad rationem autem actus ſimplicis, ſufficit quod excludat compoſitionem ex materia, & forma, ex genere, & differentia, & ex entibus in actu.

362. Quæres 2. an forma naturalis ſit communicabilis? Reſp. & dico formas naturales non eſſe communicabiles communicatione Logica, aut Metaphyſica, eo modo quo ſuperius communicatur inferiori, vt genus ſpeciebus, & ſpecies indiuiduis, quia forma neque eſt genus, neque ſpecies, cum ſit natura partialis, & incompleta, prædicabilia autem debent eſſe quædam tota, naturæ integræ, & completæ, vt in Logica diximus.

363. Quæres 3. an forma ſit communicabilis communicatione phyſica? Pro intelligentia nota quod communicatio phyſica, alia eſt generica, vt animalis, alia ſpecifica vt hominis, & alia indiuidualis, ſeu numerica, vt Petri. Loquendo de communicatione numerica, forma non eſt communicabilis, quod enim ſingulare eſt, eſt incommunicabile, hæc enim eſt natura ſingularis. Cæterum loquendo de communicatione generica, & ſpecifica, forma ſecundum hos gradus communicabilis eſt. Hæc autem multiplicatio tanquam à principio ſumitur à materia, nihil enim multiplicabile eſt niſi materiæ beneficio, vt alibi obſeruauimus.

364. Quæres 4. an formæ ſubſtantiales ſint diuiſibiles, & extenſæ. Certum eſt quod ſecundum ſe non ſunt extenſæ ac ſubinde diuiſibiles, ſed tantum ratione quantitatis, non tamen omnes, ſed ſolum formæ inanimatæ, & animatæ animalium imperfectorum, vt in tract. de anima dicemus.

365. Quæres 5. an formæ ſubſtantiales ſint per ſe mobiles? Reſp. quod nō, quoniam omne quod per ſe mouetur, eſt per ſe diuiſibile, vt tradit Ariſt. infra *lib.* 6. *cap.* 3. At formæ ſubſtantiales non ſunt per ſe diuiſibiles; ergo, &c. Moueri tamen poſſunt per accidens ſcilicet ad motum compoſiti; moto namque toto neceſſe eſt moueri omnia quæ ſunt in illo.

366. Quæres 6. an vna eademque forma numero, poſſit ſimul, eodémque tempore informare multas materias totales? Reſp. negatiuè, quia magis dependet forma à materia, quam accidens à ſubiecto, ſed non poteſt vnum, idemque accidens informare diuerſa ſubiecta; ergo neque vna, eademque forma poterit informare plures materias totales. Maior patet, quia dependentia formæ à materia eſt eſſentialis, non dependentia accidentis à ſubiecto. Minor etiam patet, quoniam accidens indiuiduatur à ſubiecto, non poteſt autem à pluribus adæquatis indiuiduari. Dixi plures materias totales, nam de partialibus vt de carne, oſſe, ſanguine, &c. nulla eſt difficultas.

367. Quæres 7. an vna eademque forma ſucceſſiuè poſſit informare plures materias? Affirmabat Pythagoras, & omnes qui admittebant animarum tranſmigrationem. Cæterum veritas eſt non poſſe; vnde Ariſt 1. *de anima cap.* 3. *&* 2. *cap.* 2. opinionem Pythagoræ tanquam inanem, & fabuloſam reiecit. Tum quia accidens non poteſt migrare de ſubiecto in ſubiectum, ergo neque forma de materia in materiam. Vnitas namque formarum ab vnitate materiæ dependet, & formarum multiplicatio dependet à multiplicatione materiæ. Tum etiam quia ſequeretur quod vna, eademque forma plu-

ries generaretur, quoties ſcilicet in diuerſis materijs poneretur.

368. Dices, poteſt per diuinam potentiam accidens quod eſt in vno ſubiecto poni in alio, conſeruando indiuiduationem ad prius ſubiectum, ſi enim accidens poteſt ſeparari à ſuo ſubiecto, & manere ſeparatum vt patet in Euchariſtiæ Sacram. poterit etiam poni in alio ſubiecto, cõſeruando indiuiduationem ad prius ſubiectum; ergo etiam poterit forma poni in alia materia, conſeruando indiuiduationẽ ad propriam; quis enim neget quod non poſſit Deus ponere animam rationalem Petri, in materia quæ fuit Pauli, vt tamen ab ea non indiuiduetur. Reſp. hunc caſum admitti poſſe, ſed nihil contra nos, quia tunc forma non ponetur in alia materia formaliter, & eam informando, ſed quaſi aſſiſtendo, de quo non diſputamus. Quod etiam de formis materialibus dici poteſt.

369 Pro quo nota, quod licet naturaliter, & de potentia, ordinaria Dei non poſſit forma materialis ſeparari à materia, & ſic ſeparata conſeruari, cum pendeat à materia in fieri, eſſe, & conſeruari. Tamen de potentia Dei abſoluta poteſt, vt colligitur ex his quæ docet D. Tho. 3. *p. quæſt.* 77. *art.* 2. *&* 4. *contr. Gent. cap.*

370 Deus namque conſeruat formam media materia tanquam cauſa extrinſeca, licet enim materia ſit cauſa intrinſeca compoſiti, non tamen eſt cauſa intrinſeca formæ, cauſas autem extrinſecas poteſt ſupplere Deus, vt patet in Sacroſancto Euchariſtiæ Sacramento, vbi ſupplet concurſum ſubiecti reſpectu accidentium. Neque ex hoc quod forma materialis ſeparatur à materia fieret immaterialis vt vult Maſius hoc loco, quia tunc non dependeret à materia. Hoc enim falſum eſt; licet enim non dependeret actu à materia, dependeret tamẽ aptitudine. Quare in Sacramento Euchariſtiæ accidentia non sũt immaterialia, ſed ſuam conſeruant materialitatem per dependentiam aptitudinalem.

§. 3. *An formæ materiales educantur de potentia materiæ, & quid ſit eductio iſta.*

370. DE formis materialibus procedit difficultas, nam de anima rationali certa res eſt non educi de potentia materiæ, ſed fieri à Deo per creationẽ. Pro quo notandum 1. quod nihil poteſt ex alio educi niſi prius in eo inexiſtat, & quaſi latitet. Notandum 2. quod potentia paſſiua qualis eſt potentia materiæ, eſt duplex, alia naturalis, & alia obedientialis; naturalis eſt illa quæ reſpicit potentiã actiuam naturalem, ſeu quæ reſpicit virtutem agentis naturalis ad producendam formam naturalem. Obedientialis verò eſt illa quæ reſpicit virtutem agentis ſuperioris ad producendam, ſeu educendã formam v. g. lignum eſt in potentia obedientiali vt ex eo producatur cathedra. Quęrimus ergo an formę materiales educantur de potentia paſſiua naturali materiæ primæ.

371. Durandus *in* 2. *diſt.* 18. *q.* 2. tres affert ſententias. Prima eſt, quæ negat omnem eductionem, ac ſubinde generationem, ſed ſolum vult quod formæ intantum dicantur produci, inquantum de occulto ad manifeſtum deducantur. Secunda ſententia dicit quod omnis forma creatur, & nulla generatur. Tertia ſententia docet quod in rebus humanis quatuor poſſunt conſiderari, 1. ipſum nihil, quod eſt negatio omnis entitatis. 2. purum poſſibile. 3. materia. 4. forma dicit ergo hæc ſententia quod generatur aliquid naturaliter, inquantum purum poſſibile quod eſt in materia, traſmutatur in naturam formæ.

372. Quarta ſententia fuit, aut ſaltẽ tribuitur Platoni ab Ariſt. 7. *&* 13. *metaph.* quod nulla forma educatur de potentia materiæ, ſed omnem eſſe à materia diſiunctam, & ſeparatam, & quod ſolæ imagines, & ſimilitudines illarum exiſtant in materia. Formas ſeparatas vocabant Platonici ideas, & imagines, & ſimilitudines illarum vocabant ideata. Ideæ per iſtos ſunt immunes ab ortu, & interitu, at imagi-

Digitized by Google

imagines ſunt ortui,& interitui ſubiectę.

373. Quinta ſententia eſt Auicennæ 7. *metaph.* quem alij Philoſophi antiqui ſequuntur dicentes nullam formam educi de potentia materiæ, ſed agentia naturalia tantum præparare materiam, formæ verò producuntur ab intelligentia, quam vocant Cholcodeam, & formarum datricem. Vnde quando equs v. g. generat equum, equs generans tantum pręparat materiam, at formam producit Cholcodea.

374. Vera, & communis ſententia ſeq. concl. explicatur. *Formæ omnes excepta anima rationali educuntur de potentia materiæ.* Eſt ſententia omnium Philoſoforum, & Theologorum, videantur N. Complut. hoc loco;& cæteri expoſitores. Colligitur hæc concluſio ex illo Gen. *Germinet terra herbam virentem,& facientem ſemen, & lignum pomiferum.* Et Paulo poſt ſubditur. *Producant aquæ reptile animæ viuentis, & volatile.* &c. quæcumque producuntur ab agente naturali per virtutem à Deo conceſſam non creantur, ſed generantur, aut educuntur, ſed ex locis citatis res producuntur ab agente naturali, vt à terra, ab aqua, ex ſemine per virtutem illis à Deo conceſſam;ergo educuntur non quantum ad totum ſed quantum ad formas.

175. Pro quo ſciendum 1. ex D. Thoma 1. *part. q.* 15. *art.* 2. D. Bonau. *in* 2. *diſt.* 18. *art.* 1. *q.* 2. *&* 3. Durando ibid. *q.* 2. Argentina *q.* 1. *art.* 2. Et ex alijs Theologis dari tres rationes rerum. Scilicet primordiales, obedientiales, & ſeminales. Rationes rerum primordiales ſunt ideæ diuinæ, diuinaque exemplaria, ad quorum ſimilitudinem Deus res producit ad extra. Rationes obedientiales ſunt potentię creaturarum paſſiuæ ex quibus Deus facit quicquid vult, ſeu quod nullam implicat contradictionem. Rationes ſeminales ſunt potentiæ tum paſſiuæ, tum actiuæ creaturarum, ex quibus res ortum habent, vt ex ſemine oritur homo, ex terra, & calore ſolis generantur plantæ. Has rationes ſeminales admittũt omnes auctore D. Aug. 3. *de Trinit. cap.* 8. *de Gen. ad litt. libro* 4. *cap.* 24. *& lib.* 6. *cap.* 10. *&* 18.

376. Sciendum 2. quod vt cognoſcamus quænam formæ creentur, quænam verò educantur, attendendum eſt, an formæ per ſe ſubſiſtant, an non, ſi per ſe ſubſiſtant, creantur, vt patet de anima rationali, quæ ob id poteſt ſeparata manere, agentia autem naturalia nequeunt formas producere ſubſiſtentes, vt patet. Quod ſi per ſe non ſubſiſtant, producuntur per rationes ſeminales,& ſic continentur in potentia tum actiua, tum paſſiua cauſarum naturalium, & ſic neceſſe eſt extrahi de potentia materiæ, & quaſi foras emitti, quaſi in ea eſſent latitantes, clauſæ & occultæ.

377. Hinc Ariſtoteles *lib.* 2. *de generat. animalium,* vult quod ſola anima rationalis de foris veniat, & non fiat per ſeminales rationes, vt fiunt aliæ formæ ſubſtantiales, ſic enim fatur. *Reſtat igitur vt mens ſola,* ſic enim vocat animam rationalem, *extrinſecus accedat, eaque ſola diuina ſit. Nihil enim eius actione communicat actio corporalis.* Vbi vt vides ideo vult quod anima rationalis non educatur de potentia materiæ, ſed de foris veniat, quia nihil cum eius actione communicat actio corporalis, quaſi dicat, quod ſola illa forma educitur de potentia materiæ quæ habet actionem à materia dependentem; ſola autem anima rationalis quippe mens, habet actionem à materia independentem, in materia non immerſam.

378. Ex quibus probatur concl. nam illæ formæ educuntur de potentia materiæ quæ fiunt per rationes ſeminales; ſed omnes formæ materiales ſunt huiſmodi, ergo, &c. Tum quia ſi formæ materiales non educerentur, ſed venirent de foris, vt anima rationalis, deberent habere aliquam actionem in materia non immerſã, & deberent eſſe per ſe ſubſiſtẽtes; nõ ſunt huiuſmodi, ergo non veniunt de foris, ſed de potentia materiæ educuntur.

379. Maior difficultas eſt quid ſit iſta eductio; nam aliqui exiſtimant formã educi de potentia materiæ, eſſe materiam actiuè cõcurrere ad productionem formę,

ſed hæc ſententia falſa eſt, quoniam materia non eſt actiua, ſed pura potentia paſſiua. Alij quos refert Soto *q.* 7. *art.* 2. putant formam educi, eſſe eam produci in materia diſpoſita certis diſpoſitionibus ad formæ receptionem ordinatis; quod ſi illis dicas, quod etiam animæ rationali hoc conuenit; reſpondẽt quod materia nõ eſt ex rei natura diſpoſita ad animæ rationalis receptionem, ſed ex quodam pacto quod Deus pepigit de animę rationalis creatione, quoties in materia eſſent tales diſpoſitiones. Hanc ſolutionem vt Philoſopho indignam reijcit Soto loco citato, quia non minus requiritur naturalis diſpoſitio ad receptionem animæ rationalis in materia, quam ad receptionem aliarum formarum, nam materia prima ſecundum ſe dicit eſſe eſſentialiter potentiam ad quamcumque formam ſubſtantialem quam recipit, ergo non minus ad vnam, quam ad aliam recipiendam debet eſſe diſpoſita pro conditione formæ, non enim omnes eandem requirunt diſpoſitionem. Tum quia ſi in materia prima non antecederent naturales diſpoſitiones pro rationali anima recipienda, ſequeretur quod hominis generatio non eſſet naturalis; hoc eſt falſum, ergo &c. homo enim quando generat hominem licet non attingat productionem animę, attingit tamen vnionem illius cum materia ex vi præcedentium diſpoſitionum, quod ſi diſpoſitiones non eſſent naturales, attactio illius vnionis non eſſet naturalis, &c.

380. Alij dicunt quod formam educi de potentia materiæ nil aliud ſit quam agens attingere productionem formæ, illiuſque vnionem cum materia; ſed iſte modus dicendi magis explicat quid ſit formam produci virtute agentis naturalis, quam quid ſit formam educi de potentia materiæ. D. Thomas 1. *p. q.* 90. *art.* 2. *ad* 2. dicit quod formam educi de potentia materiæ eſt formam fieri actu quæ prius erat in potentia. Sicut enim rem educi de potentia actiua agentis, eſt fieri actu quod prius erat in potentia agentis, ita educi de potentia paſſiua materiæ, eſt fieri actu, quod prius erat in potentia; vna quæque namque cauſa continet ſuũ effectum eo modo quo eſt cauſa: efficiens continet in virtute productiua, & paſſiua in virtute receptiua.

381. Modum loquendi D. Thomæ magis explicat Caiet. ibidem dicens quod formam educi de potentia materiæ eſt formam fieri dependenter à materia, vt ſcilicet fiat ex vi actionis tranſmutatiuæ materiæ. Vnde licet ſit neceſſarium quod forma fiat depẽdenter à materia, & quod fiat eadem actione, qua fit compoſitum, non tamen hoc ſufficit, ſed vlterius requiritur vt fiat ex vi actionis tranſmutatiuæ materiæ, ratione cuius materia quæ erat ſub vna forma, poſtea ſit ſub alia. Et ratio videtur clara, nam formæ elementorum à principio, & formæ corporum cęleſtium, cum ſint corporeę fuerunt factæ dependenter à materia, & per candẽ actionem per quam fuerunt facta compoſita quorum ſunt formæ, & tamen non fuerunt eductæ de potentia materiæ, cum materia non præextiterit, ſed fuerunt cõcreatæ; ergo neceſſario ad eductionem requiritur materiæ traſmutatio.

382. Igitur omnis forma naturalis excepta anima rationali, de qua dicemus §. ſequenti conproducitur ad productionem compoſiti, ita vt ſi compoſitum fiat per creationem, forma concreetur: ſi verò per generationem, congeneretur. *Hoc* probat D. Tho. 1. *p. q.* 90. *art.* 2. quia fieri eſt via ad eſſe; ergo vt competit alicui eſſe, ita competit fieri, ergo cum ſola anima rationalis ſit, & ſubſiſtat, aliæ verò nec propriè ſint, nec ſubſiſtant, ſed ſint id quo totum compoſitum eſt, ſequitur ſola anima rationalis per ſe fit, aliæ verò conſiunt, ſeu comproducuntur ad productionem compoſitorum. Quare hoc diſcrimen intercedit inter generationem hominis, & productionem cuiuſcumque alterius rei naturalis, quod in generatione aliarum rerum, agens naturale vnica actione generat totum compoſitum, attingendo non ſolum vnionem formæ cum materia, ſed etiam formæ productionem. At in generatione hominis generans attingit ſolum vnionem animæ cum materia,

ria, anima autem fit à Deo per actionem diſtinctam ſcilicet per creationem. Attingit autem homo vnionem animæ cum materia medijs diſpoſitionibus, &c.

383. Ex dictis infertur 1. quod ſi Deus modo crearet aliquod compoſitum naturale, forma illius non educeretur de potentia materiæ, licet eius forma talis eſſet naturæ, vt ſecundum ſe poſſet educi. Quod ſi ante productionem formæ ſaltem pro aliquo priori ſupponeretur materia cum potentia ad illam, tunc forma poſſet educi, virtute agentis naturalis, quoniam licet in hoc caſu non fiat formalis materiæ tranſmutatio, cum non ſupponatur prius ſub alia forma, tamen fit quædam virtualis tranſmutatio virtute diſpoſitionum ſubiectarum in quantitate; quæ virtualis tranſmutatio ſufficit in caſu per accidens, & ſupponens miraculũ, vt in Sacramento Euchariſtię contingit, vbi agens naturale introducit diſpoſitiones v. g. ad formam vermis, quæ recipiuntur in quantitate, & in eo inſtanti in quo fieret corruptio formæ panis ſi adeſſet, & fieret generatio formæ vermis. Deus conuertit quantitatem in materiam primam, ex qua agens natúrale in eodem inſtanti educit formam vermis.

384. Infertur 2. formas elementorũ in prima productione, & formas Cœlorũ non fuiſſe eductas, ſed concreatas, quia non fuerunt productæ ex vi actionis trãſmutatiuæ formalis, quia materia non fuit præſuppoſita ſub alia forma; neque fuerunt productæ ex vi actionis tranſmutatiuæ virtualis, vt in caſu corruptionis Euchariſtiæ, quia non fuit præſuppoſita quãtitas, aut aliquid aliud in quo reciperẽtur diſpoſitiones agentis naturalis petentes, & exigentes talem formam, ac ſi fuiſſet præſuppoſita materia ſub alia forma.

385. Sed quæres 1. an formæ accidentales educantur de potentia materiæ? Reſp. quod accidentia, quæ immediatè ſequuntur formam, vt ſunt in anima rationali intellectus, & voluntas concreantur ad creationem animę. At accidentia quæ immediatè ſubiectantur in compoſito, & petunt fieri, vel fiunt cum eodem compoſito, educuntur de potentia materiæ, non primò, & per ſe, ſed ratione alterius cum quo ſimul comproducuntur. Cæterum accidentia quæ fiunt per ſe, vt calor qui fit per alterationem, & cætera huiuſmodi accidentia deducuntur de potentia materiæ ſecundæ, ſcilicet compoſiti, cum fiant ex vi actionis tranſmutatiuæ totius compoſiti. Accidentia ſupernaturalia vt ſunt virtutes infuſæ, & habitus infuſi, educũtur de potentia obedientiali animæ vel proximè, & vt quod, vt gratia quæ immediatè ſubiectatur in anima, vel remotè vt habitus qui immediatè ſunt in intellectu, & voluntate, qui immediatè educuntur ab illis potentijs. Habitus acquiſiti educuntur de potentia obedientiali ſuorum ſubiectorum.

386. Quæres 2. an formæ artefactæ educantur de potentia materiæ in quam introducuntur? Reſp. quod formæ artefactæ educuntur de potentia obedientiali compoſiti, quod eſt illarum materia, non tamen educuntur ab agente naturali, cum non ſint in potentia naturali materiæ, ſed ab agente ordinis ſuperioris, ſcilicet ab artifice.

§.4. *An anima rationalis educatur de potentia materiæ.*

387. HAEc difficultas iam ferè conſtat ex dictis §. pręcedenti. Tamen quià contra hanc veritatem, quod anima rationalis non educatur, ſed à Deo immediatè creetur, ſunt aliqua non lęuia argumenta, ideo ſeparatim eam proponimus. Antiquorum Philoſophorum delirium de animarum tranſmigratione ſuſcitauit, temperauitque Tertullianus teſte D. Aug. *in lib. de hæreſ. ſtatim à principio*, quẽ ſecuti ſunt Apolinaris, & Luciferiani apud Alphonſum à Caſtro *lib. de hæreſ. verb. anima*, de qua re fuit aliquando anceps S. P. Aug. vt conſtat ex eius epiſt. ad D. Hieron. ad quem ex Aphrica miſit virum doctiſſimum Paulum Oroſium, pro hac re ſcienda, &c. Rem autem ſic explicabant, vt quemadmodum ex ſemine Patris corpus filij propagatur, ita ex eodem ſemine ab

anima

anima Patris, anima filij oriretur. Quocirca in ſemine duas ponebant facultates, vnam tranſmutandi materiam, & ex ea efformandi corpus filij; aliam quę ex materia iam tranſmutata, & præparata, produceret animam.

388. Veritas Catholica ſeq. concl. explicatur. *Anima rationalis non eſt ex traduce, neque educitur de potentia materiæ, ſed à Deo creatur.* Hanc concl. profitentur Sancti Patres. D. Hieron. *in epiſt. ad Pamachium, & lib. 2. apolog. aduerſ. Rufinum*. D. Aug. *in epiſt. ad Hieron.* D. Leo *epiſt. ad Torebium*. D. Tho. 2. *contra Gent. cap. 86. & 1. p. q. 118. art. 2.* Scholaſtici *in 2. diſt. 18.* & omnes Theologi, & Philoſophi hoc loco. Colligitur ex illo Gen. *Inſpirauit Deus in faciem eius ſpiritum vitę, & factus eſt homo in animam viuentem*, ex quo habetur quod anima rationalis venit de foris, ſcilicet à Deo per creationem. Ratio conſtat ex dictis in præcedentibus, quoniam illa forma fit per eductionem, quæ dependet à materia in eſſe, fieri, & conſeruari, ſed anima rationalis non eſt huiuſmodi, cum maneat ſeparata; ergo, &c. Tum quia vt *n. 376.* dicebamus ſignum euidens quod forma non educitur eſt quando habet propriam ſubſiſtentiam, & per conſequens ſubſiſtit ſeparata à materia; huiuſmodi eſt anima; ergo, &c. Tum etiam quia ſignũ quod forma non eſt educta de potentia materiæ eſt quando habet aliquas operationes eleuatas ſupra materiam; anima namque quæ eſt educta de potentia materiæ in ſuis operationibus ſapit conditionẽ materiæ; ſed anima rationalis habet aliquas operationes eleuatas ſupra materiã, quæ non ſapiunt conditionem materiæ; ergo, &c. Hæc minor probatur, nam anima rationalis intelligit vniuerſalia, ſeu naturas ſeparatas à conditionibus indiuiduãtibus, ſeu materialibus; materia namque eſt radix indiuiduationis, & omnium conditionum indiuiduantium, à quibus abſtrahit intellectus, nec intelligit ſingularia, ſeu indiuidua niſi ſecundariò, cum eius obiectum etiam pro hoc ſtatu abſtrahat à conditionibus materialibus, ſeu indiuiduantibus, vt ſupra de primo cognito intellectus vidimus. Soluuntur argumenta in contrarium.

389. Primum argum. Si anima rationalis non eſſet educta de potentia materiæ ſequeretur quod generatio hominis non eſſet naturalis; hoc eſt falſum; ergo, &c. Sequela probatur, nam illa generatio non eſt naturalis, cuius terminus non eſt naturalis, ſed ſi anima rationalis non educeretur, non eſſet terminus naturalis generationis naturalis; ergo, &c. Minor oſtenditur, quia ille eſt terminus generationis naturalis, qui per eam producitur, ſed anima rationalis non producitur per generationem naturalem, cum non educatur, ſed à Deo immediatè creetur; ergo, &c. Reſp. negando maiorem. Ad probationem dico, quod anima rationalis eſt terminus naturalis, non quidem per naturam productus, ſed per naturam vnitus, & ſic licet agens naturale non producat animam, eam tamen vnit materiæ medijs diſpoſitionibus & hoc eſt ſufficiens vt generatio hominis ſit naturalis, & vt homo generet ſibi ſimilem, de quo nu. ſequenti.

390. Secundum argum. Si anima rationalis non educeretur de potentia materiæ, ſequeretur quod homo non generaret ſibi ſimile, hoc eſt falſum; ergo, &c. ſequela probatur, nam ſimilitudo generantis, & geniti non attenditur in materia, ſed in forma; materia namque eſt communis; non forma; ergo ſi generans non producit formam, non generabit ſibi ſimile. Reſp. negando maiorem; ad probationem dico, quod ſimilitudo attenditur quidem in forma non vt producta, ſed vt communicata, & vnita materiæ; homo ergo dicitur generare ſibi ſimile, qui producit ſibi ſimile, ſcilicet alium hominem, ad quod ſufficit, quod animam à Deo creatam in virtute diſpoſitionum materiæ vniat, hominemque producat.

391. Tertium argum. quoniam qui producit vltimam diſpoſitionem ad formã producit eandem formam, educendo eam de potentia materiæ; ſed homo producit vltimam diſpoſitionem ad introducendam formam rationalem in materia, ergo eam producit. Minor nota eſt. Maior eſt cõmune

mune axioma Philoſophorum. Reſp. diſtinguendo maiorem. Qui producit vltimam diſpoſitionem ad formam producit eandem formam, quando forma eſt eiuſdem ordinis cum diſpoſitionibus, ſecus non. In noſtro autem caſu anima rationalis non eſt eiuſdem ordinis cum diſpoſitionibus, nam iſtæ ſunt materiales, & omnino immerſæ in materia, non anima rationalis, vt ex noſtris rationibus conſtat. Vel dicas quod axioma illud eſt verum quando diſpoſitiones diſponunt tam ad eſſe formæ, quam ad vnionem, ſecus quando ſolum diſponunt ad vnionem, non ad eſſe formæ, vt in noſtro caſu contingit.

392. Quartum argum. nam omnis terminus intrinſecus generationis habet eſſe per illam; ſed anima rationalis eſt terminus intrinſecus generationis humanæ, ergo habet eſſe per illam, ac proinde educetur de potentia materiæ. Reſp. diſtinguendo maiorem. Terminus intrinſecus generationis tam quoad eſſe, quam quoad vnionem habet eſſe per illam, conceditur; terminus intrinſecus generationis ſolum quoad vnionem, ſeu communicationem, habet eſſe per illam, negatur. Anima autem rationalis ſolùm eſt terminus generationis, vt communicata, ſeu vt vnita, non ſecundum ſe, & quoad eſſe.

§. 5. *Reſoluuntur aliquæ difficultates de formis.*

393. Prima difficultas eſt an formæ intentionales educantur de potentia materiæ, ſeu ſubiecti? Partem negantem tenet Soncinas 7. *metaph. q.* 8. quod etiam dicit de lumine quo aer illuminatur à ſole, cęteriſque aſtris. Communis ſententia eſt quod dictę ſpecies intentionales educantur de potentia ſubiecti, ſiue medij, vel potentiæ, & idem dicendum eſt de lumine; nam tam ſpecies, quam lumen non poſſunt tranſire de ſubiecto in ſubiectum. Ratio eſt, quia dependent in fieri, & conſeruari à ſubiecto, non enim poſſunt venire de foris, vt anima rationalis, aliàs crearentur. Nonnulla difficultas eſt à quo agente naturali educantur illæ ſpecies; nullum enim videtur agens naturale in cuius potentia actiua contineantur. Reſp. contineri in virtute actiua alicuius intelligentiæ, & ſic educi de potentia ſubiecti ex virtute intelligentiæ ad quam pertinet, vel medium, vel ſubiectum, ſeu potentia. Tamen cum iſtæ ſpecies ſint minimæ entitatis educuntur cum minima ſubiecti tranſmutatione.

394. Sed obijcies 1. nam forma quæ educitur de potentia ſubiecti poteſt in ea conſeruari cauſa producente amota, vt cõſeruatur calor in ligno, igne amoto; ſed ſpecies non conſeruantur amota cauſa, vt colore amoto pereunt illius ſpecies; ergo, &c. Reſp. negando maiorem vniuerſaliter; nam quando res eſt minimæ entitatis, perit amota illius cauſa, vt contingit in ſpeciebus niſi aliunde conſeruentur in potentijs.

395. Obijcies 2. nam duo, aut plura accidentia ſolo numero diſtincta non poſſunt educi ab eodem ſubiecto in quo ſubiectantur; ergo in aere, v. g. non poſſunt eſſe ſpecies duarum albedinum ſolo numero diſtinctarum, ac proinde non poſſunt ab eodem aere educi. Reſp. 1. quod ſpecies non indiuiduãtur à ſubiecto à quo educuntur, & in quo ſubiectantur, ſed indiuiduantur ab obiecto quod repręſentant, cum enim ſint in genere repręſentatiuo debent à re repręſentata indiuiduari. Reſp. 2. quod ſpecies duarum albedinum ſolo numero diſtinctarum nõ diſtinguuntur ſolo numero, ſed etiam ſpecie, quia ſpecies albedinis A. ita hanc repreſentat, ac ſi eſſet illa ſola, & vt eſt reduplicatiuè huius, quod eſt diſtingui ſpecie, plura autem accidentia ſpecie diſtincta poſſunt eſſe in eodem ſubiecto.

396. Secunda difficultas, an poſsint duæ, aut plures formæ ſubſtantiales non ſubordinatæ eſſe ſimul in eadem materia? & quid de non ſubordinatis? Formæ ſubordinatæ dicuntur illæ, quarum vna ab alia dependet in operatione, vt ſunt in ſententia Scoti forma corporeitatis, & anima; anima namque ſupponit formam corporeitatis, & in ſententia aliorum ſunt formæ partiales, vt forma oſſis, nerui, &c. quæ ſimul cum

cum anima informant, per ſuos auctores, eandem materiam. Formæ non ſubordinatæ dicuntur illæ, quæ ita ſunt completę, vt non egeant ſe inuicem ad aliquam operationem, nec vna alteram ſupponit tanquam ſubiectum, aut conſtitutiuum ſui ſubiecti.

397. De hac re prima ſententia eſt, quod formæ ſubordinatę de facto ſunt in eadem materia, ſic tenent omnes illi, qui admittunt formam corporeitatis, & formas ſubſtantiales partiales, quæ vel ſupponunt formam totalem, vel ſupponuntur ab illa. Secunda ſententia eſt, quod formæ non ſubordinatæ vt forma leonis, & bouis naturaliter poſſunt eſſe in eadem materia. Sic tenet probabiliter Ariaga *diſp.3.n.*101. Tertia ſententia tenet id fieri non poſſe naturaliter, benè tamen ſupernaturaliter. Sic Gregor. *in* 1. *diſt.* 12. Suarez *diſp.* 15. *metaph. ſect.* 10. Hurtad. *hic diſp.* 4. *ſect.*3. Sghemma *hic digreſſione* 7. Maſtrius *diſp.*5 *art.*2. Pontius *hic lib.*1. *diſp.*4. *q.*3. *n.*46. & alij.

398. Noſtra ſententia ſeq. concl. explicatur. *Neque duæ formæ ſubordinatæ, neque non ſubordinatæ poſſunt ſimul informare vnam, eandemque materiam.* Sic S. Doctor, & Caietanus quos referunt, & ſequuntur N. Complut. hic *diſp.* 4. *q.* 6. quibus addo ex Scoti diſcipulis Aretinum, & Fuentem hoc loco, & ex alijs Vaſquez *de incarnat. diſp.*24. Lorcam *diſp.*23. alioſque.

399. Probatur 1. nam ſi duæ formæ ſubſtantiales ſiue ſubordinatæ, ſiue non ſubordinatæ poſſent ſimul informare vnã, eandemque materiam, ſequeretur quod expulſio formæ præcedentis non eſſet effectus formalis formæ nouæ; hoc eſt falſum; ergo, &c. ſequela patet, quoniam vna forma non aliter expellit aliam, quam per ſui introductionem, ac proinde quam formaliter. Minor probatur, quia Deus non poteſt ſupplere effectum formalem, cum inuoluat imperfectionem; ergo, &c.

400. Occurrunt aduerſarij, quod licet Deus non poſſit ſupplere, aut impedire effectum formalem primarium formæ, poteſt tamen impedire effectum ſecundarium, qui eſt expulſio formæ præcedentis. Sed contra, nam ideo Deus non poteſt impedire effectum primarium formæ, quia non poteſt ſupplere talem effectum ſine forma non enim poteſt Deum informare materiã; forma namque non aliter cauſat ſuum effectum formalem primarium niſi per dationem ſui; ſed neque poteſt ſine forma impedire effectum formalem ſecundariũ, quando cauſatur in genere cauſæ formalis, ergo, &c.

401. Nec refert ſi dicas poſſe Deum expellere formam à materia abſque introductione alterius per ſolam ſubtractionem concurſus conſeruatiui quo formam conſeruet. Nam contra eſt 1. quia forma materialis dependet in ſuo fieri, & conſeruari non ſolùm à concurſu Dei, ſed etiam à materia, in genere cauſæ materialis; ſed Deus neqnit ſupplere genus cauſæ materialis; ergo, &c. & ſic cum forma dependeat à materia tanquam à ſubiecto, quod ſine forma eſſe non poteſt; niſi hæc dependentia ſuppleatur ab alia forma, illa prior non expelletur; nec poteſt Deus tunc ceſſare à conſeruatione formæ, cum materiæ naturalis, & eſſentialis exigentia oppoſitum repoſcat. 2. quia dato quod forma præcedens expelleretur per ceſſationẽ diuini concurſus, tunc forma noua eam non expelleret, cum iam expulſam inueniret, quod ſi eam inueniat, formaliter expellet, quia licet iſta expulſio ſit effectus ſecundarius, eſt tamen valde intimus, & priuatiuus, non poſitiuus, qui aliquando impeditur, vt eſt extenſio quantitatis in ordine ad locum.

402. Probatur 2. nam ſi ſemel per diuinam potentiam poſſunt duæ formæ ſubſtantiales eſſe in eadem materia, cum non ſit maior ratio de iſtis, quam de illis, poſſent ſimul eſſe forma viuẽs, & forma mortua, ſeu forma cadaueris; hoc implicat; ergo, & illud. Minor probatur, nam forma cadaueris, & forma viua ſe mutuo excludunt, ſicut eſſe viuum, & eſſe mortuum.

403. Occurrit Pontius loco citato, cõcedendo maiorem, & negando minorem, quoniam forma cadaueris non dicit neceſſariò priuationem vitæ, & ſic per Diuinam potentiam poteſt eſſe ſimul cum forma viua,

viua, ſcilicet cum anima. Sed contra, nam implicat concipere cadauer, & non concipere corpus vita priuatum; & forma cadaueris non ſuccedit niſi ad abſentiam formæ viuæ, aliàs lapis poſſet dici cadauer, contra communem ſenſum loquentium, maximè quando ad formam lapidis ſuccedit forma metalli.

404. Probatur 3. nam ſi in homine ponerentur duæ animæ rationales, vel vna vellet quod vellet alia, vel vna poſſet velle vnum, & alia oppoſitum, ſeu aliud; neutrū dici poteſt; ergo, &c. Maior nota eſt, cum enim tunc eſſent duo homines, haberent duas voluntates, & ſic vel ſemper conuenirent, vel diſcordarent. Minor probatur, quia ſi vna anima vellet ſemper quod vult alia, non liberè vellet. Si vna vellet oppoſitum alterius, vt ſi vna vellet ambulare, & alia non: ſi vna vellet audire ſacrum, & alia non: ſi vna peccaret, & alia non; ſi vna damnaretur, & alia non; ſequeretur, quod corpus vt informatur ab vna anima in reſurrectione eſſet glorioſum; & vt informatur ab alia, eſſet damnatum, &c.

405. Reſpondent aduerſarij, quod in illo caſu volente vno homine, alter poſſet nolle, aut velle oppoſitum. Et tunc ſi vnus eſſet maioris virtutis, & vellet ambulare, verè ambularet cōtra voluntatem alterius. Quod ſi eſſent æqualis virtutis non poneretur ambulatio, quia vnius volitio non eſſet ſufficiens ad ponendam ambulationem ob reſiſtentiam æqualem alterius. Sed cōtra quia non ſatisfaciunt ad illud quod dicebamus de corpore illarum duarum animarum, in caſu quo vna damnaretur, & alia ſaluaretur.

406. Probatur 4. nam ſequeretur, quod materia hominis poſſet ſimul informari anima bouis, & ſic idem corpus eſſet ſimul homo, & bos, quod videtur abſurdū, nam anima hominis alias, & diuerſas requirit diſpoſitiones, & organa ab anima bouis. Occurrit Pontius negando ſequelā quia in ſua concluſione non loquitur de formis requirentibus diuerſa ſubiecta, diuerſaſque diſpoſitiones, ſed de formis, quę poſſunt naturaliter ſibi inuicem ſuccedere in eodem ſubiecto. Sed contra, nam non minus poſſunt ſibi inuicem ſuccedere duæ formæ hominis, & bouis, ac duæ animæ rationales. Imò facilius naturaliter ſibi ſuccedunt in eadem materia anima hominis, & bouis quam duę animæ rationales, vt conſideranti patebit.

§. 6. *An vna forma ſubſtantialis poſſit ſimul informare duas materias.*

407. Aliqui inter quos eſt Pōtius hoc loco *diſp.* 4. *q.* 4. *n.* 63. tenent quod ſicut poſſunt per diuinam potentiā plures formæ informare eandem materiam ita poteſt vna, eademque forma informare plures materias, non ſolum partiales, ſed etiam totales. Quod poſſit vna forma informare plures materias partiales ſeparatas, ſeu diſcontinuas inadæquatas, quas continuatas poſſet informare probat Maſtrius *diſp.* 5. *q.* 7. exemplo D. Dionyſ. Areopagitę, qui dicitur ſuum caput abſciſſū geſtaſſe, & eodē prædicaſſe populis, quod facere nequiuiſſet, niſi anima ſimul in capite, & reliquo corpore fuiſſet, & hoc probabile mihi videtur, maximè quia non deſunt qui velint, quod de facto anima informet partes diſcontinuas in eodem corpore, vt eſt ſanguis currens per venas, qui videtur diſcontinuus à reliquis partibus, & tamen ſecundum communiorem ſententiā informatur anima rationali. Idem dicunt de ſpiritibus, quod ſcilicet anima informētur; & tamen citiſſimè mouentur per corpus, nec videtur credibile, quod in tali motu ſemper maneant partibus vnitis per quas tam cito mouentur. Igitur ſicut Angelus poteſt eſſe pręſens duobus loci partibus diſcontinuis, intra tamen ſphæram ſuæ actiuitatis contentis, ita etiam anima poterit informare duas partes inadæquatas ſaltem per diuinam potentiam.

408. Noſtra ſententia ſequenti concl. explicatur. *Non poteſt per diuinam potentiam vna forma informare plures materias adæquatas.* Sic tenent N. Complut. hoc loco, Maſtrius loco citato. Suarez vbi ſupra §. pręcedenti, & alij communiter. Probant hanc concluſionem N. Complut. nam forma naturaliter non poteſt informare plu-

te plures materias adæquatas;ergo neque ſupernaturaliter niſi aliquid addatur per quod poſſit; ſed nihil addi poteſt, quod enim adderetur eſſet forma, ac proinde non excederet virtutem naturalem formę.

409 Occurrit Pontius, quod tunc adderetur nouus, aut maior concurſus, & nouus terminus, ſcilicet noua vnio cum ſecunda materia. Sed contra nam id quod addi debet, oportet quod ſit aliquid pertinens ad rationem formæ; forma namque naturaliter non poteſt informare niſi vnam materiam, ergo vt informet duas requiritur noua virtus informatiua, nouus autem, aut maior concurſus, & noua vnio non ſunt noua virtus informatiua.

410. Probãt alij eandem concl. quia ſequeretur quod forma eſſet infinitæ virtutis, quia qua ratione poſſet informare duas, poſſet etiam informare infinitas ſi darentur. Reſpondet Pontius loco citato *n.* 67. negando ſequelam, quia non arguit maiorem perfectionem informare plures materias ac vnam, & quod ſi arguat maiorem perfectionem, non poterit informare infinitas materias, ſed tantum certum numerum. Sed neutrum placet; non primum, quoniam negari non poteſt quin ſit perfectio formæ, informare, ac proinde quanto plures formas informat, tanto magis forma exerit ſuam perfectionem. Neque ſecundum quoniam gratis dicitur, quod debeat aſſignari certus materiarum numerus, vltra quem non poſſit forma ſe extendere, cum per illum auctorem æquè reſpiciat duas, ac plures, nec ſit maior ratio de his, quam de illis.

§. 7. *An Deus eodem concurſu quo conſeruat animam rationalem vnitam materiæ, eam conſeruat ſeparatam, & quid de alijs formis ſi per diuinam potentiam ſeparentur.*

411. Aliqui putant quod anima rationalis in ſtatu ſeparationis non conſeruetur eodem cõcurſu quo conſeruatur vnita materiæ, imò quod illi aliquis modus ſuperaddatur, quo ſit per ſe, & vocant modum perſeitatis. Nihilominus communis Thomiſtarum, aliorumq; Philoſophorum ſententia eſt, quod anima nec nouo Dei concurſu, nec aliquo modo perſeitatis indigeat, alioue quouis modo. Ratio clara eſt, quoniam anima rationalis habet propriam ſubſtantiam, qua per ſe ſeparata ſubſiſtat, ac proinde non indiget alio modo quo per ſe ſubſiſtat. Neque etiam indiget nouo, aut maiori Dei concurſu, vt maneat ſeparata, cum ſit independens à materia in omni genere influentis; & ſic cum non dependeat neque in fieri, neque in conſeruari à materia, vt conſeruetur ſeparata, ſibi ſufficiet ille idem concurſus qui ſibi ſufficiebat dum materiam informabat, & ſufficit continuatio prioris concurſus Dei, aliàs aliquo modo, aliquouè influxu dependeret à materia.

412. Maior difficultas eſt de formis quæ de potentia materiæ educuntur, ab eaque dependent, an ad hoc vt per diuinam potentiam maneant ſeparatæ a materia indigeant nouo, maioriue concurſu, an ſufficiat continuatio præcedentis, & an rurſus debeat ſuperaddi aliquis modus perſeitatis? Aliqui volunt quod debeat ſuperaddi nouus cõcurſus, aut prior debeat fieri maior. Alij dicunt quod ſufficiat continuatio prioris concurſus, debeat tamen ſuperaddi nouus modus perſeitatis. Alij etiam volunt quod nec nouus concurſus, aut maior, nec nouus modus perſeitatis requiratur, ſed ſufficiat manutentia Dei, quem modum dicendi ſequuti ſumus *de Euchar. diſp.* 11. *q.* 3. quoad accidentia, peracta conſecratione. Cæterum iſtum modũ dicendi quem ibi tenuimus quoad accidentia Euchariſtica, nõ poſſumus tenere quoad formas materiales à materia eductas, in caſu quo Deus eas ſepararet à materia, & ſeparatas conſeruaret. Ratio diſcriminis eſt quia accidentia habent propriam ſubſiſtentiam qua ſeparata poſſunt eſſe, deſtructa inhærentia. Cæterum dictæ formæ non habent propriam ſubſiſtentiam, ſed ſubſiſtunt per ſubſiſtentiam totius, ſeu compoſiti, ac proinde ſi ſeparentur, debet ſuperaddi modus

Digitized by Google

modùs perſeitatis. Vnde magis dependent quantum ad hoc formæ eductæ à materia, quam accidentia à ſubiecto; iſta namque non ſunt eſſentialiter pars, bene tamen formæ dictæ. Tum quia modus perſeitatis eſt ſubſtantialis,ac proinde poteſt conuenire ſubſtantiæ, non accidentibus, cum modus debeat proportionari rei cuius eſt modus: illa autem ſubſiſtentia quam habent accidentia eſt ſuus modus perſeitatis. Igitur adhoc vt dictæ formæ per diuinam potentiā poſſint manere ſeparatæ à materia ſufficit continuatio concurſus quo conſeruabantur in materia,& additio noui modi perſeitatis ſubſtantialis.

413. Sed obijcies 1. quoniam ſi concurſus qui eſt ſufficiens ad conſeruandas formas materiales in materia, eſſet etiam ſufficiens ad eas conſeruādas extra illam, & è contra; ſed hoc eſt falſum; ergo, &c. Minor probatur, nā inde ſequeretur quod dictæ formæ dependerent à ſolo agente in fieri,& conſeruari,& non à materia,quod eſt falſum. Reſp. quod vltra continuationem concurſus requiritur additio modi perſeitatis qui ſupplet dependentiam formæ à materia quoad conſeruari.

414. Obijcies 2. nam concurſus quo Deus conſeruat formam in ſubiecto, eſt volitio qua vult formam dependere à ſubiecto,& concurſus quo conſeruat formā extra ſubiectum eſt volitio qua vult formam non dependere à ſubiecto, ſed iſte concurſus eſt diſtinctus à præcedenti, & maior illo, cum ſit quid maius velle formam non dependere, cum ex ſui natura dependeat;ergo,&c. Reſp. quod iſti concurſus quoad rationem concurſus ſunt prorſus idem, licet ſecundus diuerſificetur à primo quod inferat modū perſeitatis, non ille primus,eo namque ipſo quod Deus vult formam conſeruari ſine ſubiecto debet illi concedere modum perſeitatis quo materiæ concurſus ſuppleatur.

DVBIVM X.

De naturali compoſito §. 1. *an materia ſit de eſſentia compoſiti ſubſtantialis.*

415. AVerroes 7. *metaphy. tex.* 21. Iandunus *ibid. q.* 12. & alij putant materiam non eſſe de quidditate compoſiti,ſed ſolum concurrere ad ipſius conſtitutionem tanquam vehiculum formæ. Durand. *in* 4. *diſt.* 44. *q.* 1. tenet quod materia in communi ſit de eſſentia compoſiti in communi,at materia in particulari non eſt de eſſentia cōpoſiti in particulari. Durandū ſequitur Fuentes *hic q.* 2. *diffic.* 5. *art.* 1. *n.* 69. Magiſter ſent. *in* 4. *diſt.* 44. putat quod ad eſſentiā hominis v.g. ſola ea materia pertineat quæ habetur in generatione à parētibus, non illa quę ſucceſsiuè adquiritur per nutritionē.

416. Communis,& vera ſententia ſequentibus concl. explicatur. Prima concl. *Nō ſolum materia in communi,ſed etiam in particulari eſt de eſſentia compoſiti ſubſtātialis.* Sic tenet D. Tho. *p. p. q.* 75. Scotus *in* 3. *diſt.* 22. *q.* 1. & omnes illorum diſcipuli, videri poſsunt N. Complut. *hic diſp.* 6. *q.* 1. Auerſa *q.* 19. *ſect.* 4. Amicus *tract.* 6. *q.* 6. & alij communiter hoc loco. Citant Complut. teſtimonium D. Athanaſij in ſimbolo, & S. P. Aug. Ratio eſt euidēs quoniam de eſſentia cōpoſiti vt talis, ſunt partes componentes, quæ ſunt eſſentialiter partes,ſed tam materia quam forma ſunt partes componentes, & ſunt eſſentialiter partes, ergo, &c. Non enim minus eſt pars compoſiti ſubſtantialis forma, quam materia. Nec valet quod compoſitum includat materiam vt vehiculū formæ, nam ex vehiculo, & re vecta non fit compoſitum ſubſtantiale.

417. Deinde ſic arguo directè contra Durandum. nam ſicut ſe habet materia in communi ad compoſitum in cōmuni, ita materia particularis ad compoſitum particulare; ergo ſi materia in communi eſt de eſſentia compoſiti in communi, ita materia particularis erit

de eſſentia compoſiti particularis. Tum quia ideo materia in communi eſt de eſſentia compoſiti in communi, quia compoſitum in communi componitur ex materia in communi, ſed compoſitum in particulari componitur ex materia in particulari; ergo, &c. Tum etiam quia etiam forma particularis eſt de eſſentia compoſiti in particulari, ergo etiam materia in particulari erit de eſſentia compoſiti in particulari.

418. Sed obijcies 1. nam Ariſtoteles frequenter vocat formam *quod quid eſt rei, tota eſſentia rei, &c.* materiam dicit eſſe *extra definitionem rei*; ergo ſola forma non materia pertinet ad eſſentiam rei, ſeu compoſiti. Reſpond. quod ideo Ariſtoteles vocat formam quod quid eſt rei, & materiam extra eſſentiam rei, quia à materia ſecundum ſe, cum nullum habeat actum, non ſumitur eſſentia rei, ſeu ratio ſpecifica, hæc enim cum ſit actus. ſumitur ab actu, loquendo remotè, proximè tamen ſumitur à toto compoſito vt diximus in Logica.

419. Obijcies 2. nam homo, & equus diſtinguuntur eſſentialiter, ſed hæc diſtinctio non eſt in materia, cum ſit eiuſdem rationis in illis; ergo ſolum diſtinguuntur eſſentialiter in forma, & ſic ſola forma eſt de eſſentia rei. Reſp. concedēdo maiorem, & negando minorem, licet enim à materia ſecundum ſe non ſumatur diſtinctio, ſumitur tamen etiam ab ea, vt eſt pars compoſiti; trahitur namque materia per formam ad ſpeciem eiuſdem formæ; & ſic ſpecies proximè ſumitur à toto compoſito, vt num. præcedenti dicebamus.

420. Obijcies 3. materia arteſactorum eſt de eſſentia ipſorum, ſed ſola forma, ſicut ſola forma eſt de eſſentia concretorum accidentalium, vnde dicebat Ariſt. quod *nomen albi niſi qualitatem nihil ſignificat*; ergo etiam de eſſentia concretorum eſſentialium erit ſola forma. Reſp. concedendo antecedens, & negando conſeq. Ratio diſcriminis eſt quod artefacta, & concreta accidentalia cum nō faciant vnum per ſe, ſed tantum per accidens, non poſſunt in recto, & eſſentialiter importare vtramque parte m, ſed potiorem, ſcilicet formam in recto, & ſubiectum in obliquo. Cæterum concreta ſubſtantialia cum faciant vnum per ſe, debent vtramque partem in recto, & eſſentialiter importare, vt diximus in Logica.

421. Obijcies 4. quoniam ſi materia eſſet de eſſentia compoſiti v.g. hominis, aut equi ſequeretur quod non eſſet idem numero homo in principio vitæ, & in fine, præſertim ſi diu viuat; ſed hoc eſt falſum; ergo licet materia ſit vt ſic, & in communi de eſſentia compoſiti in communi non tamen materia particularis erit de eſſentia compoſiti particularis. Sequela probatur, quia homo non conſtat eodem numero materia ſingulari in principio, ac in fine vitæ, nam in principio vitæ habet materiam à parentibus acceptam, quæ paulatim deperditur, & per nutritionem alia acquiritur. Reſpond. 1. quod ſi hoc argumentum valeret, probaret quod forma materialis ſubſtantialis maximè quæ eſt diuiſibilis non eſſet de eſſentia rei, ſeu compoſiti contra eundem Durandum, cum etiam iſtæ formæ vi caloris naturalis deperdantur, & per nutritionem partes deperditæ reſtaurentur. Reſp. 2. quod licet partes aliquæ vi caloris naturalis deperdantur, & aliæ per nutritionem acquirantur, quia iſtæ vniūtur cum præcedentibus ad rationem illarum trahuntur, vt ſemper cenſeatur eadem numero materia; nemo enim dicit, quod non ſit eadem numero planta quæ prius erat parua, & paulatim facta eſt magna, per nouæ, & nouæ materiæ additionem, de quo nu. ſeq.

422. Secunda concl. *Non ſolum pertinent ad eſſentiam compoſiti v. g. hominis partes materiæ, quæ habitæ ſunt in generatione, ſed etiam illæ quæ per nutritionem acquiruntur.* Hæc concl. eſt contra Magiſtrum, eſt tamen communis. Ratio conſtat ex dictis num. præcedenti, nam partes materiæ, quæ acquiruntur per nutritionem intrant in locum deperditarum, & partes quæ acquiruntur per aumentationem vniuntur cum præexiſtentibus, ab eademque anima informantur non minus

Digitized by Google

minus quam partes, quæ habentur per generationem. Tum quia ſi eſſet vera ſententia Magiſtri ſequeretur, quod non eſſet idem homo iuuenis, & ſenex, quoniam ſecundum magis communem ſententiam non ſolum vi caloris naturalis deſtruuntur partes acquiſitæ poſt generationem, ſed etiam habitæ in ipſa generatione, cum etiam in hos agat calor naturalis, & ab illa patiantur, & ſic illis deſtructis non eſſet amplius idem homo.

§.2. *An vnio inter materiam, & formam ſit de eſſentia compoſiti.*

423. SVpponimus dari vnionem, de quo poſtea, quidquid illa ſit, ſiue modus ſiue relatio indiſtantiæ, &c. de qua re, prima ſententia eſt, quod vnio ſit de eſſentia compoſiti tanquam vera pars illius, non minus ac materia, & forma. Sic tenent Auerſa *hoc loco q.* 19. *ſect.* 3. Amicus *tract.* 11. *num.* 10. Hurtad *diſp.* 6. *ſect.* 3. & alij moderni.

424 Communior ſententia eſt, quod vnio ſubſtantialis non ſit de eſſentia cōpoſiti, ſed vel ſe habeat vt conditio, vel reducatur ad eſſentiam per modum modi; modi namque eſſentiales reuocantur ad genus eſſentiæ. Sic tenent Soncinas 7. *metaph. q.* 42. Scotus *in 3. diſt.* 2. *qu.* 2 & alij communiter. Ratio eſt, quia compoſitum formaliter nil aliud dicit niſi partes componentes, ſed vnio non eſt pars cōponens, ſed illarum nexus; ergo vnio nō pertinet ad eſſentiam compoſiti, ſed eſt nexus partium eſſentialium, non pars eſſentialis.

425. Sed obijcies 1. nam de eſſentia compoſiti eſt compoſitio, ſeu vnio, aut coniunctio formalis partium componentium, ergo vnio eſt formaliter de eſſentia compoſiti. Cum enim compoſitum ſit idem quod vnitum, ſi ſemel vnio eſt de eſſentia vniti formaliter, erit etiam de eſſentia compoſiti formaliter. Reſp. negando antecedens; coniunctio namque non eſt de eſſentia coniuncti, nec vnio eſt de eſſentia vniti, ſed conditio, aut modus requiſitus, vt partes eſſentiales copulentur. Vel dicas quod non ſit idem compoſitum, & vnitum, nam compoſitum dicit conflatum ex partibus componentibus, at vnitum dicit id quod cum alio componitur, & ſic dato quod de eſſentia vniti eſſet vnio non tamen hæc eſſet de eſſentia compoſiti formaliter.

426. Obijcies 2. nam compoſitum eſt concretum dicens eſſentialiter compoſitionem, ſed id quod formaliter dicit concretum eſt de intrinſeca ratione illius, ergo compoſitio, ac proinde vnio erit de intrinſeca ratione compoſiti. Reſpond. diſtinguendo maiorem; compoſitum eſt concretum dicens formaliter cōpoſitionem, ideſt vnionem, negatur: dicens formaliter conflatum partium vnitarum, conceditur, partes autem vnitæ dicunt in recto ſe ipſas, & in obliquo tāquam conditionem nexum, aut modum connectentem.

427. Obijcies 3. non poteſt concipi compoſitum abſque vnione, ſicut non poteſt concipi album abſque albedine; ſed albedo eſt de eſſentia albi, ergo etiā vnio erit de eſſentia vniti, ſeu compoſiti. Reſp. concedendo maiorem, & minorē, & negando conſeq. Maior namque procedit in ſenſu abſoluto, & minor in ſenſu reſtricto. Maior vera eſt, quoniam non ſolum verificatur de re eſſentialiter importata, ſed etiam de re non eſſentialiter importata, nam dantur aliqua quæ non poſſunt intelligi ſine alio, quod tamen non eſt de eſſentia; terminus namque non poteſt intelligi ſine re cuius eſt terminus, & relatio non poteſt intelligi ſine termino, & tamen terminus non eſt de eſſentia relationis. Pariformiter compoſitum non poteſt intelligi ſine vnione, aut modo componente, & tamen vnio non eſt de eſſentia compoſiti, &c.

§.3. An inter materiam, & formam detur vnio diſtincta, an ſe ipſis vniantur.

428. OMnes admittunt quod materia, & forma debent ſubſtãtialiter vniri ad hoc, vt faciant vnum compoſitum phyſicum. Non tamen leuis difficultatis eſt per quid formaliter vniantur, an ſcilicet ſe ipſis, an medio aliquo nexu. Prima ergo ſententia eſt, quod materia, & forma vniantur ſe ipſis, ad quod ſufficit quod connotent intimam præſentiam, & indiſtantiam, ex vna parte, & ex alia præuias diſpoſitiones. Ita Ocamus *in* 1. *diſt.* 30. *qu.* 1. Gregor. *diſt.* 28. *qu.* 2. Aureol. *in* 4. *diſt.* 44. & ex Thomiſtis Caiet. 3. *q. art.* 7. Ioan. à S. Thoma *qu.* 6. *art.* 3. Lerma hoc loco, & alij.

429. Noſtra ſententia ſeq. concluſ. explicatur. *Vnio materiæ, & formæ non conſiſtit in indiſtantia, aut intima præſentia, materiæ, & formæ, neque in vllis diſpoſitionibus præuijs, ſed in quodã nexu, vnione, aut modo quo vniantur.* Pro hac concl. citant N. Complut. *diſp.* 6. *q.* 2. *nu.* 20. D. Thomam, Banneſium, Cabreram, Gonzalem, Herreram, & Arauxum ex Thomiſtis, Suarez, & Vaſq, ex neotericis, quibus addo Auerſa *q.* 19. *ſect.* 5. Arriagam *diſp.* 4. *ſect.* 1. Scotum *in* 2. *diſt.* 3. *q.* 4. *& in* 4. *diſt.* 12. Pontium Scoti diſcipulum, dicentem eſſe ſententiam omniũ Scoti diſcipulorum.

430. Probatur 1. nam implicat quod alicui adueniat noua denominatio realis, nouumque prædicatum reale ſine noua forma, ſeu ſine nouã additione, aut mutatione reali, ſed dum materia vnitur formæ, cui vnita non erat, & dum forma vnitur materiæ, cui non erat vnita ponitur noua denominatio realis, nouumque prædicatum reale vniti, quod prius non erat, ergo debet dari noua forma, nouaque mutatio realis, ac proinde noua vnio, ſeu forma, &c.

431. Probatur 2. materia, & forma ſaltem humana poſſunt ad inuicem ſeparari, & exiſtere, quin ſint vnita, ergo quando vniuntur debet aliquid ſuperaddi, & ſic non poſſunt ſe ipſis vniri, ſed debet aliquid ſuperaddi. Antecedens conſtat. Conſequentia probatur, quoniam ſi nihil amplius habent materia, & forma vnitæ, quam ſeparatę, ſequitur quod vel ſemper ſunt vnitæ, vel ſemper ſeparatæ.

432. Ad vtrumque argumentum occurrere potes ex doctrina aduerſariorum, quod ad hoc vt materia, & forma ſint vnita, non eſt neceſſe, quod aliquid intrinſecum ſuperaddatur, ſed ſufficit, quod ponatur vnio efficiens, ſeu actio agentis, ipſa vniens. Sed contra nam vel illa actio ponit aliquid intrinſecum in extremis vnitis, vel nihil: ſi primum, habemus intentum. Secundum dici non poteſt, quia ſi nihil ponit manebunt ſicut prius. Tum quia non poteſt dari noua actio realis de prædicamento actionis, ſeu tranſiens quæ fit cum fluxu ſine alicuius termini productione; ſed actio vnitiua eſt actio tranſiens, ergo debet aliquem terminum producere, ſed non producit extrema, ergo nexum illorum. Nec valet dicere quod illa actio producat totum compoſitum; quia vel totum compoſitum eſt aliquid præter partes, vel non: ſi primum, habemus intentum. Si ſecundum ergo datur noua actio ſine nouo termino. Quod ſi dicant, de quo poſtea, quod compoſitum dicit tertiam entitatem à partibus diſtinctam, reſultantem ex partium earumdem ſimultate. Contra eſt, nam vel illud tertium diſtinctum producitur à partibus ſimul cum agente, vel à ſolo agente, non à ſolo agente vt patet, neque à partibus quia partes non agunt niſi vt ſimul vnitę, ac proinde ſemper currit idem argumentũ.

433. Reſpondent aliqui, quod materia, & forma non poſſint vniri niſi aliquid de nouo producatur, hoc tamen non eſt poſitiuum, ſed priuatiuum, ſcilicet negatio indiſtantiæ, ſeu indiſtantia; eo namque ipſo quod inter materiam, & formam ponitur indiſtantia, ſe ipſis vniuntur. Sed contra nam indiſtantia, vel eſt terminus actionis, vel non, ſi eſt terminus, debet eſſe quid poſitiuum; quia

quia terminus actionis poſitiuæ debet eſſe poſitiuus; maximè quia diſtantia eſt negatio, ergo indiſtantia,ſeu intima præſentia non eſt negatio, ſed quid poſitiuũ: tunc ſic:vel hoc poſitiuum diſtinguitur à partibus intimè præſentibus, vel non; ſi primum erit vnio: ſi ſecundum, actio erit ſine termino, ſed de hoc magis in ſequ. numeris.

434. Probatur 3. omnis vera actio tranſiens debet habere aliquem terminum productum, ſed generatio ſubſtantialis v. g. eſt vera actio tranſiens: ergo debet habere aliquem terminum; iſte non poteſt eſſe alius niſi vnio ſubſtantialis; ergo, &c. Confirmatur nam generationi v.g. correſpondet eius corruptio, ſed quando homo corrumpitur non deſinit eſſe neque materia, neque forma, ſed tantum vnio;ergo quando generatur debet produci vnio.

435. Occurrit Lerma *lib.1.q.16.n* 14 negando antecedens,quia non eſt de ratione actionis aliquid producere,vt patet in actione ſenſuum externorum, quæ ſolum vnit obiectum cum potentia. Et in viſione beatorum vbi ſolum obiectũ vnitur intellectui, & nullum verbum producitur. Deinde de ratione actionis trãſeuntis non eſt producere, non eſt quod producat terminum, ſed ſolũ quod producat aliquem effectum ſiue ſit aliquid poſitiuum, ſiue aliquid vnitum. Quare generatio non eſt productio, ſed vnitio materiæ cum forma; generatio tamẽ quæ terminatur ad formam materialem eſt etiam productio illius, & deinde vnitio. Ad confirmationem reſpondet,quod corruptio ſaluatur tantum in ſeparatione formæ à materia.

436. Sed contra, nam licet non ſit de ratione actionis immanentis producere terminum, quia hæc non eſt de prædicamento actionis, ſed qualitatis, quæ eſt fieri, & terminus ſui; tamẽn eſt de ratione actionis tranſeuntis,quæ eſt de prędicamento actionis, & eſt coniuncta cum motu, vt producat terminum, cum non ſit factum eſſe, ſed tantum fieri, & tranſitus quidam; ſed generatio eſt actio de prædicamento actionis; ergo,&c. Deinde ſi de ratione actionis non eſt quod producat terminum, ſed tantum effectũ, vt vnitum, currunt argumenta iam facta, maximè quia producere effectum eſt producere terminum: & producere vnitum eſt producere terminum, ſi ſemel vnitum eſt aliquid productum, eſt effectus, quod ſi vnitum nihil eſt diſtinctum à partibus, ſed partes ſe ipſis vniuntur, eſſe vnitum non erit effectus productus. Deinde ſi in corruptione nihil corrumpitur, ſed ſaluatur in ſola ſeparatione formæ a materia, ſequitur quod malè corruptio hominis ſic vocetur, cum nihil corrumpatur.

437. Probatur 4. materia ſuam exercet cauſalitatem erga formam quã prius exercebat, idem dic de forma, ſed cauſalitas quæ prius non conueniebat, & modo conuenit requirit aliquid de nouo per quod modo conueniat, quod in noſtro caſu non poteſt eſse aliud niſi modus vnionis; ergo, &c. Confirmatur,nam anima D. Petri modo non exercet ſuam cauſalitatem erga materiam eiuſdem, in reſurrectione eam exercebit, ergo aliquid tunc habebit quod modo non habet, &c.

438. Reſpondet Lerma loco citato *n.12.* quod cauſalitas materiæ, & formæ non eſt aliquid illis ſuperadditum, quia materia non aliter exercet cauſalitatem erga formam niſi eam recipiendo: & forma non aliter exercet ſuam cauſalitatem erga materiam niſi eam informando; quod autem hæc cauſalitas non ſemper competat, eſt quia non ſemper materia recipit formam, nec forma ſemper informat materiam. Ad confirmationem dicit quod anima D. Petri modo non exercet ſuam cauſalitatem, quia modo eam non informat. Sed contra; nam à quo habet materia quod modo exerceat cauſalitatem erga formam, quam prius non exercebat non à ſe, quia ſi à ſe ergo ſemper exercet; ergo ab aliquo ſuperaddito à quo habet quod modo præſtet, quod prius non præſtabat. Nec valet recurrere ad intimam præſentiam, quia poteſt

ali-

aliquid eſſe intimè præſens alicui, & non informare illud, vt ſi anima D. Petri aſſumat corpus, illique fiat intimè præſens, quod abſque informatione facere poteſt. Tum quia nihil tranſit de potentia ad actum, ſine aliquo ſuperaddito, ſi enim nihil ſuperaddatur, manebit in potentia vt prius; ergo non poteſt anima D. Petri tranſire de potentia, ſeu de non informãte materiam ad eam informantem, niſi illi aliquid ſuperaddatur.

439. Probatur 5. nam partes lineæ vt vniantur indigent punctis, & ſuperficies vt vniantur indigent lineis, quibus tanquam nexu extrema vniantur; ergo etiam vt materia, & forma vniantur indigent aliquo nexu, ſeu modo vnionis. Reſpõdet Lerma negando conſequentiam, quia partes lineæ, & ſuperficies non comparãtur per modum actus, & potentiæ, quia cum ſit eiuſdem rationis non eſt maior ratio vt vna ſit actus aut potentia reſpectu alterius; & ſic debent vniri aliquo medio. At materia, & forma comparantur per modum actus, & potentiæ, & ſic ſe ipſis vniuntur. Sed contra nam ſi ſemel materia, & forma vniuntur ſe ipſis, multò magis deberent vniri ſe ipſis partes lineæ, & ſuperficies, etiam ſi non compararentur per modum actus, & potentiæ: nam partes lineæ ſunt eiuſdem ordinis, & rationis, ſicut partes aquæ, non ſic materia, & forma; quæ autem ſunt eiuſdem rationis facilius vniuntur; vnde videmus quod ad hoc vt materia, & forma vniantur, debet agens materiam diſponere, at vt partes lineæ vniantur, nullæ requiruntur diſpoſitiones. Soluuntur argumenta in contrarium.

440. Primum argum. nam materia ſe ipſa eſt potentia in ordine ad formam ſubſtantialem, ergo ſe ipſa recipiet formam ſubſtantialem, & forma ſe ipſa actuabit materiam, ac proinde nullum dabitur medium nectens materiam cum forma. Reſp. quod vnio non datur vt materia ſit potentia receptiua formæ, nec vt forma informet materiam, ſed vt nectantur, & vt vnitæ maneant quandiu nexus non diſſoluitur; ſi enim nexus iſte nõ daretur, poſſet materia à forma ſeparari, & forma à materia v.g. ab Angelo abſq; eo quod ad illum nexum deſtruendum diſpoſitiones introducerentur.

441. Secundum argumentum nam ſi materia indigeret aliquo nexu non exerceret immediatè ſuam potentialitatem erga formam; ſed hoc eſt falſum; ergo &c. Maior probatur, quia tam materia, quam forma prius exercerent ſuam potentialitatem erga illum nexum; ergo &c. Reſp. negando maiorem, cum enim vnio ſit quidam modus, & id quo materia recipit formam, & forma informat materiam non ponit in numero cum illis, ſed eſt veluti illarũ cauſalitas, &c. Vnde ſi quando D. Tho. excludit medium, intelligi debet de medio vt quod.

442. Tertium argumentum quoniã natura abſque vllo nexu vnitur cum propria ſubſiſtentia; ergo ſimiliter materia abſque vllo nexu vnietur cum forma. Nec valet dicere quod ſubſiſtentia non indigeat nexu ſeu modo, quia & ipſa eſt modus. Nam contra eſt, inquit Lerma, quia licet ſubſiſtentia ſit modus eſſendi, non tamen eſt modus vnionis, ac proinde requiret modum vnionis. Reſp. concedendo totum, nam ſubſiſtentia cum non ſit modus vnionis indiget modo vnionis; vel dicas non indigere modo vnionis, quia licet non ſit modus vnionis, eſt tamen abſolutè modus, qui non poteſt eſſe ſine re cuius eſt modus.

§. 4. *An inter materiam, & formam detur vna, an duplex vnio.*

443. Prima ſententia eſt, quod inter materiam, & formam detur duplex vnio, vna in materia ad formam, alia in forma ad materiam. Sic Scotus *in 2. diſt. 1. q. 5.* quem ſequuntur communiter eius diſcipuli, quibus addo Hurtad. *diſp. 5. ſect. 7.* Amicum hoc loco *tract. 11. q. 10.* & alios ex iunioribus.

444 Secunda ſententia eſt quod. *Inter materiam, & formam datur tantum vnica vnio entitatiuè, & duplex formaliter.* Sic tenent plures hoc loco, qui admittunt

tunt vnionem ſuperadditam, quibus addo Suarium *diſput. 15. metaphyſ. ſect. 9.* Ruuium *1. phyſ. tract. 2. q. 6.* Auerſam *qu. 18.* aliosq; Qui tamen diuiſi ſunt, nam Suarez vult illam vnionem eſſe ſpiritualem in homine, & ſubiectari in ſola forma; in alijs compoſitis ab homine vnio eſt corporea; & in forma ſubiectatur. Ruuius, & Auerſa volunt quod dicta vnio ſit materialis, & ſubiectetur in ſola materia. Noſtri Complut. exiſtimant, quod vnio entitatiuè ſubiectetur in ſola materia, & ſit materialis, at formaliter etiam aliquo modo ſubiectetur in forma.

445. Noſtra ſententia ſequentibus concluſ. explicatur. Prima concl. *Inter materiam, & formam datur vnica vnio entitatiuè, & duplex formaliter, ratione duplicis muneris, vniendi materiam formæ, & formam materiæ.* Sic tradunt N. Complut. & dicunt eſſe ſententiam communẽ Thomiſtarum. Quod iſta vnio ſit entitatiuè vna. Probatur, quia altera vnio ſuperflueret, nam eo ipſo quod materia vnitur formæ, forma etiam vnitur materiæ, ergo vna vnio ſuperfluit. Tum quia materia vnitur formæ vt potentia, & ſubiectum; & forma vnitur materiæ vt forma; ergo tãtum vna vnio requiritur. Probatur conſequentia, nam ſi daretur duplex vnio, vna in materia, & alia in forma, illa quæ eſt in materia in illa ſubiectaretur: & illa quæ eſt in forma ſubiectaretur in illa; ergo forma vniretur materiæ vt ſubiectum, & non vt forma. Probatur conſeq. nam taliter vnitur quo eſt ſubiectum vnionis, quo dicit vnionem, ſed dicit vnionem vt ſubiectum, & non vt forma; ergo, &c. Tum quia vnio eſt cauſalitas rei cuius eſt vnio; ergo ſi vnio formæ eſt cauſalitas formæ, & eſt in forma vt in ſubiecto, erit cauſalitas formæ vt ſubiecti.

446. Confirmatur, nam in myſterio Incarnationis vnica tantum datur vnio ſe tenens ex parte naturæ, in eaque ſubiectatur, & terminatur ad Verbum: ergo etiam in compoſito naturali v. g. in homine vna tantum dabitur vnio, quæ ſubiectetur in materia, & terminetur ad formam. Reſpondent aduerſarij negando conſequentiam, quia Verbum diuinũ non eſt capax vnionis, benè tamen forma, vt anima rationalis. Sed contra, nam licet Verbum diuinum nõ ſit capax vnionis, verè tamen vnitur per vnicam vnionem exiſtentem in humanitate; ergo etiã ſi forma ſit capax vnionis, poterit tamen vniri per vnicam vnionem, ac proinde alia erit ſuperflua.

447. Quod autem iſta vnio ſit formaliter duplex, probatur, nam quoties datur duplex denominatio formalis, debet dari duplex forma formaliter denominans; ſed in noſtro caſu datur duplex denominatio formalis, nam materia denominatur vnita formæ, & forma materiæ; ergo dari debet duplex forma, aut quaſi forma denominans. Quare quando dantur duo ſimilia, ſeu quando duo denominantur ſimilia, debent dari duo reſpectus, ſaltem formaliter, vt contingit in relationibus non mutuis, de quo in logica.

448. Secunda concluſio. *Vnio inter materiam, & formam eſt materialis, & ſubiectatur in ſola materia, licet terminetur ad formam, eamque per modum non ſubiecti, ſed termini afficiat, & vniat materiæ.* Sic tenent N. Complut. hoc loco. Sicut enim in myſterio Incarnationis vnio ſubiectatur in natura; & terminatur ad Verbum, ita in homine v. g. vnio ſubiectabitur in materia, & terminabitur ad formam, &c. Quod vnio non poſſit ſubiectari in forma, conſtat ex dictis *nu.* 445. Tum quia ſi vnio ſubiectaretur v. g. in anima rationali deberet eſſe ſpiritualis, & indiuiſibilis, & ſic non poſſet vnire materiam, ſeu corpus diuiſibile. Poteſt quidem res diuiſibilis afficere rem indiuiſibilem, vt patet de vnione humanitatis ad Verbum, non tamen poteſt res indiuiſibilis afficere rem diuiſibilem vt talem, afficiendo omnes partes illius. Dixi rem diuiſibilem vt talem, afficiendo omnes partes illius, vt excludatur v. g. punctũ quod eſt indiuiſibile, & non afficit omnes partes quantitatis, ſed minorem, & minorem vſque in infinitum, &c.

449. Occurrit Pontius quod illa vnio ſubiectatur in anima; & eſt ſpiritualis, & diuiſibilis, aliàs ſi non eſſet diuiſibilis, & non haberet multas partes, non poſſet vnire diuerſas partes corporis animæ, vt caput, pedes, &c. Verum non intelligo quomodo vnio poſſit eſſe ſpiritualis, & diuiſibilis, cum diuiſibilitas ſit paſſio corporis. Deinde ſi aliquid poteſt eſſe ſpirituale, & diuiſibile, nulla erit repugnãtia dicere quod etiam anima rationalis, in qua illa vnio ſpiritualis, & diuiſibilis ſubiectatur, ſit diuiſibilis; imò oportebit ſic dicere vt ſubiectum conformetur formæ, quæ in eo recipitur, & ſic quando ſcinditur brachium, vel pes hominis, ſicut tunc ſcinditur pars vnionis animæ qua anima eſt in illa parte, & qua vnitur materiæ illius partis, ita ſcindetur pars animæ rationalis, quod eſt abſurdum.

§. 5. *An totum diſtinguatur realiter à ſuis partibus ſimul ſumptis, & vnitis.*

450. Certum eſt quod totum diſtinguitur realiter à quolibet ex ſuis partibus, vt homo diſtinguitur realiter ab anima, & à materia. Dubium non leue eſt an totum, ſeu compoſitum phyſicum diſtinguatur realiter à ſuis partibus phyſicis ſimul ſumptis, & vnitis, ita vt præter materiam, formam, & vnionem ipſarũ detur alia entitas poſitiua, quam vocant tertiam entitatem. Pro quo notandum 1. eſſe quinque genera totius, ſcilicet *vniuerſale*, & eſt illud quod habet plures partes ſubiectiuas, vt genus, ſpecies, &c. Totum *potentiale* quod vt diſtinguitur à toto vniuerſali eſt ſubiectum reſpectu ſuarum potentiarum, vt anima reſpectu intellectus, & voluntatis. Totum *eſſentiale* eſt id quod conſtat ex partibus eſſentialibus, & eſt duplex, phyſicum, quod conſtat ex materia, & forma, & metaphyſicum quod conſtat ex genere, & differentia. Totum *integrale* eſt, quod conſtat ex partibus integrantibus, quod etiam eſt duplex, ſimilare, quod conſtat ex partibus ſimilaribus, vt caro, aqua, &c. & diſsimilare quod conſtat ex partibus diſsimilaribus: illud vocatur etiã homogeneum, & hoc heterogeneũ. Tandem datur *accidentale*, quod conſtat ex partibus per accidens vnitis, vt aceruus lapidum, tritici, &c. Non procedit dubium de toto vniuerſali, quia certum eſt quod animal non diſtinguitur realiter ab homine, & equo, & homo non diſtinguitur realiter à Petro, & Paulo. Neque procedit dubium de toto potentiali, quia certum eſt quod ſubiectum diſtinguitur realiter à ſuis potentijs. Neque de toto metaphyſico, quia gradus metaphyſici vt animal, non diſtinguitur realiter à ſuis inferioribus. Neque de toto per accidens, quia cum hoc non ſit verum totum, non poteſt ex eius partibus reſultare tertia entitas. Sed dubium procedit de toto phyſico.

451. Notandum 2. quod totum phyſicum diſtinguitur ratione ratiocinata à ſuis partibus vnitis, vt tradunt N. Complut. hoc loco, & alij communiter. Ratio eſt, quia illa diſtinguuntur ratione ratiocinata inter quæ intellectus habet fundamentum diſtinguendi vnum ab alio, ſed ita ſe habent totum, & partes ſimul vnitæ; ergo, &c. Minor probatur, nam vbi ſunt diuerſæ rationes ibi intellectus habet dictum fundamentum, ſed in noſtro caſu ſunt diuerſæ rationes formales, aut quaſi formales, quoniam ratio totius eſt componi, & ratio partium eſt componere; ergo, &c. Et hoc probant argumenta contrariorum, quę poſtea referemus. Hinc inferuntur duo, vnum, quod propter hanc diſtinctionem aliqua affirmantur de toto, quæ negantur de partibus, & è contra, vt conſtabit ex argumentorum ſolutionibus. Aliud, quod rationes aliquæ poſſunt prædicari de toto, non de partibus, & è contra, cum ſint diuerſæ formaliter; ſecundum rem tamen quicquid prædicatur de toto prædicatur etiam de partibus, & è contra. His poſitis.

452. Prima ſententia eſt quod totum realiter diſtinguatur à partibus ſimul ſumptis, & vnitis. Sic Scotus *in 3. diſt. 2.* Herueus *quodlib. 2. q. 14.* Caiet. *3. p. qu. 6. art. 5.* Ferrar. *4. contra gent. cap. 85. & hoc loco q. 1.* Iauel. Aquatius, Antonius, Andreas

dreas, & Flandria. 7. *metaph. q. vlt.* Iandun. *ibid. q.* 28. Zimarra *contradict.* 17. Burleus hoc loco. Argentin. *in* 2. *diſt.* 15. *q.* 1. *art. vlt.* Conimbric. hic. Pontius hic, & alij.

453. Noſtra ſententia ſequenti concluſione explicatur. *Totum nullo modo diſtinguitur realiter à ſuis partibus ſimul ſumptis, & vnitis.* Ita Ariſt. 4. *phyſ. cap.* 3. dicens. *Neque enim aliquid eſt totum, quam partes.* Et D. Thom. 4. *contra Gent. cap.* 81. reprobat illam tertiam entitatem, aut formam dicens. *Illa tertia forma conſurgens non eſſet ſubſtantialis, ſed accidentalis*, adueniret enim enti completo, & conſtituto. Pro eadem ſententia citant N. Complut. D. Auguſtinum, D. Athanaſium, Alexand. Themiſt. Philop. Simplic. Auer. Durand. Gregor. Palud. Aſtudillum, Sotum, Toletum, Valeſſ. quibus addo ex Pontio Suarium, Ruuium, Auerſam, & alios.

454. Probatur 1. Si totum diſtingueretur realiter à ſuis partibus ſimul ſumptis, & vnitis poſſet ab illis ſeparari; ſed hoc eſt abſurdum: ergo, &c. Minor conſtat, & admittunt aduerſarij. Maior probatur, nã ſi totũ diſtingueretur à ſuis partibus ſimul ſumptis, & vnitis eſſet quid reale abſolutum, non relatio, non modus, ſed omne abſolutum realiter ab alio diſtinctum poteſt ab eo ſeparari, vt & ipſe Scotus teſtatur teſte Maſio hoc loco; ergo, &c.

455. Reſpondet 1. Pontius quod partes, vt vnitæ non ſunt quid abſolutum, cum vt ſic formaliter dicant ipſam vnionem, quæ eſt quid reſpectiuum. Sed contra, quia vnio non eſt quid reſpectiuum de prædicamento relationis, etiam per ipſos Scotiſtas, ſed eſt reſpectiuum tranſcendentale, aut extrinſecus adueniens, quod licet non poſſit eſſe ſine partibus vnitis, poteſt tamen eſſe ſine toto reſultante. Vnde ex ea reſponſione ad ſummum ſequitur, quod partes vnitæ non poſſint eſſe ſine vnione, & vnio ſine partibus, &c. non tamen ſequitur, quod totum reſultas ex partibus vnitis, cum ab illis realiter diſtinguatur, non poſſit ſeparari, & eſſe ſine partibus vnitis. Tum quia licet reſpectiuum non poſſit eſſe ſine abſoluto, abſolutum tamen poteſt eſſe ſine reſpectiuo.

456. Reſpondet 2. Pontius, quod quando abſolutum dependet eſſentialiter ab alio abſoluto non poteſt ab illo ſeparari; benè tamen quando non dependet, in noſtro autem caſu totum dependet à partibus ſimul ſumptis, & vnitis. Sed contra nam ſaltem ſequitur, quod partes ſimul ſumptæ, & vnitæ poſſint ſeparari à toto, ſunt enim ipſo priores, & independentes, non enim ab illo dependent, neque tanquam à cauſa intrinſeca, neque tanquam à cauſa extrinſeca. Ad hoc occurrit idem Pontius quod licet partes vnitæ non dependeant à toto vt à priori, dependent vt à poſteriori, eo modo quo agens vt agens dependet ab effectu producto per ipſum; quemadmodum enim agens vt agens formaliter dicit actionem, quæ nequit eſſe ſine termino, ita materia, & forma vnitæ nequeunt eſſe ſine toto. Sed hæc reſponſio non ſatisfacit, nam prius vt tale non dependet à ſuo poſteriori, & eſt inauditum quod agens, ſeu cauſa depẽdeat à ſuo effectu; eſt enim cauſa id à quo aliud, ſcilicet effectus dependet; & licet cauſa cauſans non poſſit dari ſine cauſato, & actio non poſſit eſſe ſine termino, hoc tamen non eſt, quia cauſa dependeat à cauſato, & actio à termine, ſed quia in illa reduplicatione inuoluitur terminus, ex quo tamen non ſequitur, quod entitas actionis, & cauſæ non poſſint eſſe per diuinam potentiam ſine effectu, ita in noſtro caſu poterunt dari partes vnitæ, licet non vt formaliter cauſant, ſine toto, &c.

457. Probatur 2. nam ſi daretur tertia illa entitas diſtincta à partibus ſimul ſumptis, & vnitis faceret compoſitionem cum ipſis, & ſic ex illa, & partibus reſultaret alia tertia entitas, & ſic in infinitum. Reſpondent Pontius, & alij Scoti diſcipuli negando ſequelam, cum enim illa tertia entitas ſit compoſitum ex partibus, nõ debet facere compoſitionem cum ipſis. Sed contra, nam illa tertia entitas realiter diſtinguitur à partibus ſimul ſumptis, & vnitis, per ſuos auctores, ergo vel facit

cit vnum per ſe cum dictis partibus, vel vnum per accidens, quoties enim aliqua duo diſtinguuntur ad inuicem realiter vt entitas, & entitas, vt cauſa, & effectus, & ſimul reperiuntur, debent facere aliquod vnum per ſe, vel per accidens, quod non admittunt aduerſarij, & tunc per compoſitionem aliquam, & ſic currit argumentum.

458. Probatur 3. Quæ conſtant iiſdem partibus ſunt realiter idem; ſed totum conſtat iiſdem partibus quibus conſtant partes vnitæ, ergo ſunt idem realiter. Tum quia totum non poteſt habere diuerſam eſſentiam à partibus; ergo non diſtinguitur realiter ab ipſis. Antecedens oſtenditur, nam definitio, & definitum non habent diuerſas eſſentias, ſed partes ſunt phyſica definitio totius; ergo, &c. Tũ etiã quia quod eſt de eſſentia rei non poteſt diſtingui realiter ab ipſa; ſed partes ſunt de eſſentia totius; ergo non poſſunt diſtingui realiter ab ipſo.

459. Probatur 4. Si homo v. g. diceret tertiam illam entitatem diſtinctam à partibus ſimul ſumptis, & vnitis, illam Verbum Diuinum aſſumpſiſſet cum aſſumpſit humanitatem, & illam dimiſiſſet in triduo mortis, tunc enim non erat tertia illa entitas, cum non eſſent partes vnitæ, ſed hoc eſt falſum, & contra illud Damaſceni. *Quod ſemel aſſumpſit nunquam dimiſit.*

460. Occurrit Pontius concedendo maiorem, & negando minorem, quoniam Damaſcenus ſolùm vult, quod non dimiſit aliquam partem earum quas aſſumpſit, cum quo ſtat quod dimiſerit aliquid quod non eſt pars. Vel poteſt dici, inquit, quod non dimiſerit aliquid quod poſt dimiſſionem exſtiterit, vt patet etiam de vnione, quam in triduo dimiſit. Sed contra nam ſi S. Ioan. Damaſcenus, & omnes Theologi cum illo reputant inconueniens quod Verbum aſſumpſerit partem, & poſtea dimiſerit, à fortiori reputarent inconueniens, quod verbum aſſumpſerit totum, ſeu compoſitum, aut tertiam entitatem, & eam poſtea dimiſerit. Quod autem vnionem inter materiam, & formam dimiſerit, ideo eſt, quia iſta non eſt entitas, ſed modus entitatis, at per aduerſarios, totum eſt entitas realiter diſtincta à partibus ſimul ſumptis, & vnitis, non modus illarum.

461. Probatur 6. nam illa tertia entitas eſt fruſtranea; ergo non datur. Antecedens probatur, quia illa tertia entitate ſecluſa ipſæ partes vnitæ habent veram, & perfectam rationem totius; ergo, &c. Tum quia tertia entitas reſultans ex anima rationali, & materia vnitis non poteſt eſſe corporea, nec ſpiritualis; ergo, &c. Nec valet reſpondere ad argum. cum aduerſarijs, quod partes vnitæ non ſunt totum, ſed ſunt partes intrinſecę totius, & cauſa illius. Ad aliam probationem dicunt, quod tertia illa entitas eſt partim corporea, prout, ſcilicet cauſatur à materia, & eſt partim ſpiritualis, prout cauſatur ab anima rationali. Cœterum iſta non ſatisfaciunt. Non primum, nam quomodo partes vnitæ ſunt partes intrinſecæ totius, cum totum ſit tertia entitas à partibus vnitis diſtincta? Neque ſecundum, nam vna, eademque entitas non poteſt eſſe partim ſpiritualis, & partim corporea, cum iſta duo ſe inuicem excludat. Maximè quia ſi cauſaretur hæc tertia entitas, cauſaretur à partibus ſimul vnitis, ac proinde vt conſtituunt vnam integram cauſam, vnde cum effectus ſequatur partem debiliorem, deberet eſſe illa entitas corporea. Soluuntur argumenta in contrarium.

462. Primum argum. deſumunt ex varijs teſtimonijs Ariſt. primum habetur 5. *metaph. cap.* 14. vbi dicit. *Sex non ſunt bis tria, ſed ſemel ſex.* Vbi euidenter dat intelligi, quod totum, ſcilicet *ſex* diſtinguitur realiter à partibus componẽtibus, aliàs ſex eſſet bis tria. Secundum habetur *lib.* 7. *metaph. cap.* 17. vbi ſic loquitur. *Syllabam ba non eſſe b. & a.* Ideſt ſyllaba non eſt elementa, ſed totum, cuius partes ſunt elementa. Tertium habetur *lib.* 8. *cap.* 6. vbi ſic ſcribit. *Totum eſſe aliquid præter partes.* Quartum habetur 2. *de anima in principio*, vbi diſtinguit ſubſtantiam in materiam, formam

mam, & compoſitum.

463. Reſp. Ariſtotelem non eſſe contra nos. Ad 1. teſtimonium dico ſenſum Ariſtotelis eſſe quod ſex non eſt bis tria, ſeu duo indiuidua, ſeu duo tria, ſed ſemel ſex, ideſt tertia alia ſpecies diſtincta, vt ex textu colligitur. Ad 2. dico mentem Ariſtotelis eſſe quod ſyllaba *ba* nō eſt *b. & a.* diuiſim, ſed vnita, & in recto poſita. Ad 3. dico bene dicere Ariſt. quod totum eſt aliquid præter partes, ſcilicet ſecundum ſe, & diuiſas, ſeu vnitas. Eodem modo dico ad 4. nam ſubſtantia diuiditur in materiam, formam, & compoſitum, quia compoſitum addit ſupra materiam, & formam vnionem.

464. Secundum argum. Cauſa, & effectus realiter diſtinguntur, nulla namque res poteſt eſſe ſui ipſius cauſa, ſed partes ſunt cauſa totius; ergo totum, & partes realiter diſtinguuntur. Reſp. argum. procedere de cauſis efficientibus, & extrinſecis, non de intrinſecis, quæ ſunt de eſſentia totius, ac proinde non poſſunt ab eo diſtingui. Vel dicas, quod etiam partes intrinſecæ quaſi in fieri, & prout cauſant totum diſtinguantur, non prout conſiderantur in facto eſſe, & quaſi in eſſe quieto. Vel etiam dicas quod partes diſtinguntur à toto, vt ſingulæ, non vt ſimul ſumptæ, & vnitæ.

465. Tertium argum. non poſſunt de vna, eademque re affirmari duo contradictoria, ſed de toto affirmamus quod eſt vnum, & compoſitum: de partibus affirmamus quod non ſunt vnum, ſed multa, quod non ſunt compoſitæ, ſed componentes; ergo re ipſa diſtinguuntur. Reſp. quod adhuc vt de aliqua re duo contradictoria affirmemus, ſufficit quod in ea ſint diuerſæ rationes virtualiter, aut ratione ratiocinata diſtinctæ, vt patet in Deo de iuſtitia, & miſericordia, in homine de animali, & homine. Deinde dico quod totum id quod affirmamus de toto, affirmamus etiam de partibus vnitis, & ſimul ſumptis, de iſtis enim affirmamus quod ſunt vnum, compoſitum, &c.

466. Quartum argum. Si totum non eſſet entitas diſtincta à partibus vnitis, ſequeretur quod generatio ſubſtantialis non haberet terminum productum; ſed hoc eſt falſum; ergo, &c. ſequela probatur, nam terminus generationis ſubſtantialis debet eſſe aliquid quod oritur, & interit, ſed neque materia, neque forma humana oritur, & interit iudicio Ariſt. 7. 8. *&* 10. *metaph.* ergo, &c. Reſp. quod terminus *qui* generationis humanę oritur, & interit, non partes illius. Compoſitum namque, ſeu materia, & forma vnitæ quoad vnionem oriuntur, & intereunt, non materia, & forma ſecundum ſe.

DISPV-

DISPVTATIO TERTIA.

In lib. 2. Phyſicorum, vbi agitur potiſsimè de natura.

1. ISTE ſecundus liber diuiditur in nouem capita. In 1. capite agit Ariſtoteles de natura; & arte, ſeu de rebus naturalibus, & artificialibus, in eodem proponit naturæ definitionem, & explicat quibus illa conueniat. In 2. diſtinguit phyſicam, & mathematicas, & puræ mathematicas à ſcientijs medijs. In 3. capite aſſignat 4. genera cauſarum. In 4. capite agit de fortuna, & caſu, variaſque antiquorum opiniones recenſet. In 5. capite profert Ariſtoteles propriam ſententiam de fortuna, & caſu. In 6. cap. ſtatuit differentiam inter fortunam, & caſum. In 7. capite aſſignat ſufficientiam diuiſionis cauſarum. In 8. oſtendit naturam agere propter finem. In 9. capite explicat, quæ ſit radix neceſſitatis in rebus. Sed ſit.

DVBIVM I.

De natura.

§.1. *An natura rectè definiatur.*

2. ARiſtoteles 5. *metaph. cap.* 4. varias proponit naturæ ſignificationes. Primò ſignificat ortum, ſeu natiuitatem viuentium. 2. materiam rei vt habet certam, & definitam eſſentiam. 3. Formam à qua res habet certam, & determinatam ſpeciem. 4. Rei eſſentiam per definitionem declaratam. Simplicius hoc loco quinque proponit naturæ ſignificationes. 1. Significat materiam, in qua ſignificatione naturæ nomen vſurpat Galenus *comment. 1. in lib. de natura hominis.* 2. Significat id quod tribuit ſpeciem, & certam naturam, ſiue ſit forma ſubſtantialis iuxta Philoſophos, ſiue temperamentum iuxta multos medicos. 3. Significat principium motus, quod iuxta Simplicium neque eſt materia, neque forma, ſed vis quædam rei eſſentiæ ſuperaddita. 4. ſignificat rei eſſentiam. 5. Totum naturale. Seuerinus Boetius *lib. de duabus naturis in Chriſto*, quatuor ponit naturæ ſignificationes. Primò ſignificat quidquid quouis modo eſt, ſiue ſit ſubſtātia, ſiue accidens. 2. ſignificat ſolas ſubſtantias tam corporeas, quam incorporeas. 3. ſignificat principium motus in ſolis ſubſtantijs corporeis. 4. ſignificat differentiam eſſentialem. Alij duas naturæ ſignificationes ponunt. Prima qua ſignificatur virtus, & facultas arborum, herbarum, lapidum, aliarumque rerum, qua ratione dicimus, hęc eſt natura huius herbę, huius lapidis. Secunda qua ſignificatur facultas corporum cæleſtium, planetarum, aliorumque aſtrorum ad hæc inferiora regenda, &c. Cœterum Ariſt. hoc loco vſurpat naturam pro principio motus, & quietis eius in quo eſt, &c.

3. Diuidunt naturam Philoſophi in vniuerſalem, & particularem. Particularis eſt illa quæ ineſt cuilibet rei, quæ eſt ita huius propria, vt non conueniat alteri, vt eſt natura humana, quæ in ſolo homine reperitur, & in eo ſolo eſt principium ſuorum motuum, ſeu paſſionum. Quid autem ſit natura vniuerſalis non eſt ita exploratū apud Philoſophos. Platonici namque vt

vide-

Digitized by Google

videre eſt apud Marſilium Ficinum inſignem Platonicum, *comment. in Plotinum Aeneade 3.lib. 2. cap. 11.* putant naturam vniuerſalem eſſe vim quandam, aut mentẽ ſe ſe per totam hãc mundi machinam diffundentem, quæ omnibus tribuit eſſe, vitam, motumque. Hęc vis repugnantiam elementorum, aliarumque rerum conciliat; formas, figuras, & temperamenta imprimit; ex non viuentibus viuentia facit, &c. quæ omnia egregiè cecinit Virgilius *6. Aeneados ex Anchiſe*.

4. Seneca 4. *de benefic. cap.* 7. Lactantius Firmianus *lib. 2. inſtit. diuin. cap.* 8. & alij volũt quod natura vniuerſalis nil aliud ſit quam Deus O.M. qui etiam vocatur *natura naturans*, quaſi faciens alias naturas particulares, ab eo namque naturę particulares tanquam à fonte legitimo promanant, & ſic vocantur naturæ naturatę. Deus namq; iuxta propria vniuſcuiuſque exemplaria cuncta producit, regit, gubernatque. Cœterum ſecundum Ariſtotelem natura vniuerſalis eſt quid diuerſum à Deo 1. nãque de cælo dicit, quod *Deus, & natura nihil fruſtra faciunt*; vbi Deum à natura planè diſtinguit. Sed concordari poſſunt ſi dicamus quod natura vniuerſalis eſt duplex. Prima, & ſecunda. Prima eſt Deus, qui eſt prima cauſa omniũ naturarum. Secunda teſte Scaligero contra Cardanum *exercitatione* 188. *n.* 1. eſt ordo, connexioque cauſarum ſecundarum ad effectus in mundo producendos. Hoc loco Ariſt. nihil agit de natura vniuerſali, ſed tantum de particulari.

5. Naturam ergo particularem ſic definit Ariſt. hoc loco dicens. *Eſt principiũ, & cauſa motus, & quietis eius in quo eſt primò, & per ſe, & non ſecundum accidens.* Dicitur *principium*, *& cauſa* ad excludendam priuationem, quę licet ſit principium motus, non tamen eſt cauſa, natura autem debet eſſe cauſa; & licet ſatis fuiſſet dicere *cauſa*, tamen vtrumque poſitum eſt maioris explicationis gratia. Dicitur *motus, & quietis*, ſeu vt alij dicunt *mouendi, & quieſcendi* in paſſiuo, ideſt quo mouetur, & quieſcit id in quo eſt natura. Solet autem dici *motus & quietis*, eius namque quietis quæ eſt in termino *ad quem* motus naturalis; nam ſi lapis detineatur in aere, vt ibi quieſcat, illa quies non eſt lapidi ſecundũ naturam, quia non eſt terminus motus naturalis lapidis; ſed quies in terra eſt illi naturalis, quæ eſt terminus motus deorſum, qui conuenit lapidi ſecundum naturam. Dicitur *eius in quo eſt*, ſcilicet eius corporis in quo eſt ipſa natura, ita vt natura ſit principium vt moueatur, & quieſcat illud corpus in quo eſt ipſa natura, & ſic per has particulas excluditur omnis cauſa efficiens extrinſeca in quantum eſt principium motus in alio; vnde excluduntur Deus, & intelligentiæ à natura phyſica, quia nõ ſunt principium motus in ſe ipſis, ſed in alijs corporibus. Dicitur *primò* hęc particula iungitur illis, *principium*, *& cauſa*, quia non quodlibet principium eſt natura, ſed quod eſt primum. Quare excluduntur multa accidentia, quę in corporibus naturalibus ſunt quidẽ principia alicuius motus, ſed non prima, vt leuitas in igne, & grauitas in terra, quæ ſunt principia motus localis, ſed quia ſunt veluti inſtrumenta formæ ſubſtantialis, ideo non ſunt prima, natura autem debet eſſe primum principium, & prima cauſa motus in eo in quo eſt. Dicitur demum *per ſe*, *& non ſecundũ accidens*, quæ particulę idem ſignificant, ponuntur autem ad maiorem claritatem. Excluduntur autem per illas aliquę artes, quę ſunt principia motus in eo in quo ſunt ſed non per ſe. v.g. ars medendi poteſt eſſe principium ſanitatis etiam in ipſo medico in quo eſt, ſed per accidens, accidit enim eum qui ſanatur eſſe medicum, ac proinde hęc propoſitio, *medicus ſanatur*, eſt per accidens, ſanatur enim in quantum ęger, nõ in quantum medicus, & potuiſſet ſanari etiamſi non eſſet medicus. Per hanc ergo definitionem corpora naturalia diſtinguuntur ab artificiatis, quod fuit intentum Ariſt. nam artificiata, vt talia non habent principium motus, & quietis, poſſunt tamen habere in quantum ſunt corpora naturalia.

6. Sed obijcies 1. nam natura eſt ſubſtantia, ergo non poteſt definiri per ordinem ad accidens, ſcilicet ad motum, & quie-

Digitized by Google

quietem. Reſp. negando conſeq. ſæpè enim ſolemus definire ſubſtantialia, & eſſētialia per ſuas proprietates nobis magis notas, maximè cum phyſicus omnia conſideret ſub ratione motus. Vel dicas, quod natura non definitur per accidens, ſed per eſſe principium radicale accidentis, ſcilicet per eſſe principium motus, &c.

7. Obijcies 2. nam cælum habet naturam, & tamen non habet principium quietis, imo neque motus, cum moueatur ab extrinſeca intelligentia, qua ratione dicitur quod quies poſt diem iudicij erit ſibi connaturalis, quia vtrumque poteſt ſibi accidere. Reſpondent aliqui cum Piccol. *hic tex. 3.* poſt aliquos interpretes græcos, quod Ariſt. ſolùm definiuit naturam corporum corruptibilium, quia nondum erat cognitum quid de cęlo dicendum eſſet. Poteſt tamen dicta definitio accommodari cęlo, ſi tollatur illa particula *quietis*, ſufficit enim ad naturam in genere ſi ſit principium motus; quod autem ita ſit intelligenda ea definitio colligitur ex vlt. textu primi libri, vbi dicit ſe velle in poſterum diſputare de phyſicis, & corruptibilibus formis, vbi videtur excludere cœlum.

8. Reſpondent alij cum Themiſtio, quod natura cęli non excludatur ab hac definitione, quia Ariſt. videtur includere omne corpus, quod artificiatum non eſt, vt patet ex *tex. 1. & 2.* Cælum autem non eſt artificiatum; tum quia cum ſæpè Ariſt. doceat cœlum habere naturam, & nullibi tradat aliam naturæ definitionem, oportet dicere quod hæc conueniat cęlo. Quare dicunt iſti, quod illa particula *&* dum dicitur *motus, & quietis*, ſumi debeat diſiunctiuè, vt ſit ſenſus *vel motus, vel quietis*, vt alterum ſufficiat ad naturam; ſicuti anima definitur ab eodem Ariſt. in ſenſu diſiunctiuo, dum dicit quod eſt primum principium quo viuimus, ſentimus, & intelligimus, nam ad animam ſufficiunt particulæ priores. Confirmari poteſt hæc explicatio ex *tex. 10. & 12.* vbi Ariſt. illam definitionem applicans materiæ, & formæ reliquit illam particulam *quietis*, ac proinde accipit illas particulas diſiunctiuè. Hanc reſponſionem ſequuntur N. Complut. hoc loco poſt D. Thomam, vnde planus ſenſus eſt, quod natura in aliquibus eſt principiū motus, & quietis, in aliquibus ſolius motus, vt in cœlis, & in alijs ſolius quietis, vt in cęlo empyreo, & toto terræ globo. Nota tamen quod motus, & quies in dicta definitione non ſunt contraria ſicut motus, & quies violenta, ſed ſunt effectus procedentes intrinſecè ab eadem natura, vnus poſt alium, prius motus, ſecundò quies.

9. Obijcies 3. nam ſicut naturale eſt lapidi moueri deorſum, & igni ſurſum, ita naturale eſt eidem igni calefacere, & ſoli illuminare; ſed hæc ſunt principia extrinſeca motus, ergo malè Ariſt. putauit naturam eſſe ſolum principium intrinſecum. Reſp. quod ignis non eſt natura reſpectu calefactionis, nec ſol reſpectu illuminationis, quia iſti motus cauſantur in alio, licet dici poſsint ſecundum inclinationem naturæ. Si enim ſemel natura poſſet eſſe principium motus in alio, etiam Deus poſſet dici natura phyſicè cum cauſet motus phyſicos; ſimiliter intelligentiæ ob eandē rationem poſſent dici natura reſpectu motuum phyſicorum quos cauſant in corporibus: etiam accidentia, & artes poſſent dici natura, cum aliquos motus cauſant in alio. Præterea natura debet eſſe principiū motus naturalis, prout diſtinguitur à violento, efficiens autem extrinſecum, vt ſic non eſt magis principium motus naturalis quam violenti. Igitur dicitur eſſe naturale igni, v.g. calefacere, non quia hæc operatio ſit à natura, vt natura eſt, ſed quia eſt à cauſa naturali operante ſine miraculo, ſed per proprias vires.

10. Obijcies 4. Angeli mouentur, & quieſcunt, ergo illis conuenit definitio naturæ. Reſp. negando conſeq. non enim mouentur motu ſenſibili per quem aliquis locus Angelis debitus occupetur; ſed conuenit illis aliquis motus incognitus Ariſtoteli, ſcilicet ratione operationis. Mouent quidem cęlos per intimam quandam præſentiam, & vt formæ quædam aſsiſtentes, non informantes.

11. Obijcies 5. nam effectuum contrariorum, ſunt cauſæ contrariæ ex Ariſt. 2. *de gener. tex. 56.* ſed motus, & quies ſunt con-

contraria, quies enim eſt priuatio motus, ergo eadem natura non poteſt eſſe principium vtriuſque. Tum quia cum quies ſit priuatio non videtur quomodo natura dicatur eſſe principium priuationis. Reſp. duplicem eſſe quietem, vnam in termino *à quo* vt cum lapis quieſcit detentus in aere, & alia in termino *ad quem*, vt cum idem lapis quieſcit in ſuo loco naturali. Prima quies non eſt à natura, benè tamen ſecunda. Rurſus hæc ſecunda quies poteſt conſiderari dupliciter, primò abſolutè vt priuatio eſt, & hoc modo vniuerſaliter loquendo non eſt intenta à natura, quæ per ſe in aliquod bonũ tẽdit. Secundò vt eſt coniuncta cum forma aliqua ſub qua res naturaliter quieſcit, & ad quam naturaliter mouetur, ſicut eſt locus naturalis reſpectu lapidis, & iſta quies ſignificat permanentiã in aliquo loco naturali, & de iſta intelligitur definitio. Vnde dictum Ariſt. intelligi debet cum multis circumſtantijs. Eſt tamen vniuerſaliter verum in contrarijs poſitiuis, & in cauſis per ſe ordinatis ad vnũ, & conſideratis ſub vna, eademque ratione, & ita calor qui calefacit, non poteſt per ſe frigefacere, neque grauitas mouere ſurſum, &c. At verò motus, & quies non opponuntur niſi priuatiuè, neque dici poſſunt effectus contrarij; quies enim naturaliter eſt connexa cum motu, & conſequitur ad illum vt terminus proprius, & ſic potius habent rationem vnius effectus quã contrariorum, cum enim calefactio v.g. ſit ad calorem, id quod eſt cauſa calefactionis, eſt etiã cauſa caloris, & hoc modo natura eſt cauſa motus, & quietis quaſi vnius effectus.

12. Obijcies 6. nam Ariſtoteles 8. *phy. à tex.* 27. multis probat nihil moueri à ſe ipſo niſi ſit animatum; ergo nullum corpus inanime habet naturam. Reſp. Ariſtotelem ibi ſolum loqui de principio efficiẽte, atque ita licet res inanimatæ non haberent in ſe principium efficiens ſui motus, dummodo haberent principium paſſiuum, adhuc haberent naturam, nam principium paſsiuum cui connaturaliter debetur aliquis motus eſt etiam natura eius in quo eſt, qua ratione dicemus ſuo loco, & iam innuimus cœlum habere naturam. Tamen falſum eſt elementa v.g. non habere in ſe vllum principium actiuum ſui motus, quando enim terra deſcendit ex aere, ſine dubio aliquo modo mouetur à ſe efficienter proximè, licet radicaliter moueatur à generante. Solum ergo voluit Ariſtoteles quod elementa, & alia huiuſmodi non habeant tale principium quo poſſint inchoare motum, & ſiſtere quando voluerint, & ita non habere abſolutè primum principiũ ſui motus, ſed à generante; ſicuti animantia quæ per apprehenſionem, & appetitionem primò ſe determinant ad ſuos motus, & poſſunt à motu ceſſare, nec habent locum in quo ceſſent; hoc enim pacto elementa dicuntur moueri à generante tanquam à primo determinatiuo, quatenus poſuit in illis talem virtutem, & determinationem, vt ſi reperiantur extra ſuum locum, & non ſint impedita, continuò mouentur ad illum, nec ceſſare poſſunt donec perueniant ad illum. Dicuntur etiam huiuſmodi corpora moueri per accidens à remouente prohibens; ille verò qui remouet impedimẽtum propter quod lapis v.g. non deſcendebat, relinquit lapidem ſuæ naturæ vt moueatur deorſum, & ita dicitur mouere lapidem per accidens. Mouentur ergo elementa aliquo modo à ſe ipſis effectiuè, quod dici ſolet principium efficiens per emanationẽ quatenus talis motus naturaliter conſequitur ad naturas elementorum; abſolutè tamen principium efficiens eſt generans, de qua re magis ſuo loco.

13. Obijcies 7. Natura debet eſſe principium motus naturalis, ideſt conuenientis, & perficientis id in quo ipſa eſt, ſed multi motus à principio intrinſeco ſunt violenti, & indebiti rei in qua ſunt; ergo non omne principium intrinſecum eſt natura. Minor patet in animantibus; cum enim homo mouet ſe ſurſum defatigatur, & ille motus eſt illi violentus, & tamen eſt à principio intrinſeco. Item ſi cadat ex turri motus ille eſt etiam contrarius & tamen eſt à principio intrinſeco. Item quando animal triſtatur, aut dolet, aut aliquo modo ſe ipſum cruciat, vel etiam interficit, tales motus ſunt violenti, & ſunt à prin-

principio intrinſeco. Item aliquando moriuntur animalia naturaliter ſine cauſa extrinſeca, & huiuſmodi alia; ergo, &c.

14. Reſp. quod ad naturam ſufficit, quod ſit principium alicuius motus naturalis, & debiti, etiamſi concederemus poſſe efficere alios motus indebitos. Adhuc tamen dico naturam particularem, maximè verò formam nunquã eſſe per ſe principiũ alicuius motus omnino violenti illi in quo ipſa eſt. Motus namque omnino violentus eſt ille ex Ariſt. qui fit à principio extrinſeco vim nõ conferente paſſo. Quare ad probationem minoris dicas, motum illum hominis aſcendentis ſurſum non eſſe homini violentum, vt animal eſt, vt tradit Ariſt. 8. *phyſ. tex.* 27 ſed eſſe violentum ſecundum quid, ſcilicet ratione corporis, quo eſt graue, nam quod animal moueatur ſecundum omnem partem eſt illi naturale. Item motus hominis cadentis deorſum ſi conſideretur quatenus eſt motus deorſum abſolutè eſt homini naturalis ratione partis. Cum enim homo ratione corporis ſit quid graue ſicut naturale eſt illi quieſcere in loco deorſum, ita etiam moueri deorſũ; eſt tamen violentus propter exceſſum velocitatis, & modum quo fit; ex illo enim ſequitur attritio, & fractio corporis, quæ eſt indebita animali; atque ita ille motus dicitur animali violentus. Ita dico de triſtitia, dolore, & reliquis huiuſmodi paſſionibus, quæ ſecundum ſe conſideratæ maximè ſunt animali naturales; ſunt tamen aliquando violentæ propter exceſſum, & per accidens. Item ſi animal ſe ipſum interficiat, vel proijciendo in præceps, vel per vnam partem percutiendo alteram; hi motus ex ſe ſunt naturales, & naturaliter debiti, ſed animal indebitè vtitur ſuis potentijs, & ſic dicitur eſſe ſibi ipſi violentum, quatenus ſibi ipſi vim infert. Item animantia dicuntur aliquando naturaliter mori, non quia ipſorum natura ſit principium efficiens corruptionis, ſed quia non moriuntur per aliquam manifeſtam violentiam, ſicut de veſte dicitur, quod eſt naturaliter conſumpta, quando non eſt per vim reſciſſa, ſed vſu continuo attrita. Principium autem efficiens illius corruptionis ſemper eſt aliquod agens contrarium, ſaltem cibus, & potus, qui continuò conſumunt calidum, & humidum radicale donec non ſufficiat ad vitam, & tunc animantia dicuntur naturaliter mori. Quare corruptio ſemper eſt ab aliquo extrinſeco; an autem poſsit dici naturalis ſaltem reſpectu materiæ, poſtea dicetur.

15. Obijcies 8. nam compoſitum ſubſtantiale non eſt natura, vt docet Ariſt. hic *tex.* 12. & tamen conuenit illi definitio naturæ, eſt enim principium motus, & quietis eius in quo eſt; ergo, &c. Reſp. concedendo maiorem, & negando minorem; natura namque debet eſſe principium *vt quo*, eius in quo eſt; compoſitum verò eſt principiũ *vt quod*, ſeu quod denominatur mouere, & moueri. Eadem ratione ſuppoſitũ, vel indiuiduum non ſunt natura, licet actiones dicantur eſſe ſuppoſitorum. Solet à quibuſdam compoſitum dici natura naturata, non natura naturans.

16. Obijcies 9. nam generatio ſubſtantialis eſt motus valde naturalis. & tamen non eſt ab vllo principio intrinſeco; ergo aliquis ſaltem motus naturalis non eſt à principio intrinſeco. Antecedens probatur, nam quando eſt generatio ignis non eſt forma ignis, ac proinde non poteſt eſſe principium illius motus, nec poteſt eſſe à forma ligni, quia iſte motus eſt illi ſimpliciter violentus; neque eſt à materia vt patet, cum non ſit niſi principium paſſiuum; tum quia manifeſtum eſt quod ſubſtantia generans ſemper eſt aliquid extrinſecum. Reſp. quod generatio ſubſtantialis non eſt à natura vt natura particularis eſt, dicitur tamen motus naturalis, quia eſt à cauſis naturalibus, & quæ maximè intendunt generare ſibi ſimile. Et ratio eſt quia forma non eſt principium ſuæ generationis, niſi tanquam finis, & terminus ad quem; natura autem debet eſſe principium motus, antecedens motum, & inexiſtendo in eo, quod mouetur, & ſic prius debet conſtituere ſubſtantiam, quam mouere illam; an autem generatio dicatur naturalis materię, poſtea dicetur. Præterea an naturæ definitio ſit eſſentialis, an deſcriptiua, videtur eſſe eſſentialis, cum non definiatur per

motum,

motum, & quietem, ſed per principium intrinſecum, & eſſentiale motus, & quietis, conſtat ex dictis.

§. 2. *An materia prima ſit natura.*

17 Materia dupliciter conſiderari poteſt, quantum ad præſens. Primò ſecundum ſe, in ſua illa potentia pura, & naturali, & remota, qua ratione eſt vna negatiuè. Secundò prout eſt determinata per hanc, vel illam formam, qua ratione eſt vna poſitiuè, & facta eſt propria huius, vel illius compoſiti.

18 Prima ſententia eſt, quod materia primo modo conſiderata eſt natura hic ab Ariſt. definita. Sic ſentire videtur Iauellus *hic q. 6.* & Pereirus hoc loco, qui quãuis ex profeſſo nõ proponant hanc difficultatem, tamẽ eorũ rationes hoc probãt. Secunda ſententia eſt, quod materia vt eſt determinata per formam ſit natura. Sic Zabarella *in lib. de nat. cap.* 7. Piccol. *hic tex. 3.* & alij Tertia ſententia abſolutè tenet, quod materia nullo modo eſt natura.

18 Noſtra ſententia duplici concluſione explicatur. Prima concl. *Materia primo modo cõſiderata, ſeu abſolutè & ſecundum ſe, prout eſt principium remotiſſimum, & potentia ad omnia, non eſt propriè natura hic ab Ariſt. definita; poteſt tamen dici natura vniuerſalis, & nullius propria.* Ratio eſt, quia materia ſecundum ſe conſiderata eo modo poteſt dici natura quo eſt principium motus eius in quo eſt, &c. Sed materia ſecundum ſe conſiderata non eſt principium alicuius motus in particulari, ſed reſpicit vt principium vniuerſale omnem motum; ergo non erit natura particularis, ſed vniuerſalis.

19. Quod autem natura in vniuerſali, & materia ſecundum ſe, & abſolutè nõ fuerit hic ab Ariſtotele definita, vt natura quædam vniuerſalis eſt, patet 1. ex ipſo Ariſt. 1. *de part. cap.* 1. vbi cum dixiſſet materiam eſſe naturam, & partinere ad phyſicam, dicit quod materia eſt natura per formam, per quod ſignificare voluit, quod materia non eſt natura niſi vt actuata forma. Et 5. *metaphy. cap.* 4. dicit quod materia eſt natura quatenus eſt ſuſceptiua formæ, ideſt quatenus eſt determinabilis ab hac, vel illa forma. Et tex. 11. huius lib. docet quod ſicuti lignum antequam habeat formam artificiatam nihil dicitur habere ſecundum artem; ita materia antequam habeat formam particularem, nõ poteſt dici natura actu. Conſtat etiam ex definitione naturę, quod natura debeat eſſe *principium motus eius in quo eſt, &c.* Materia autem ſecundum ſe conſiderata in nullo ineſt actu, ergo vt ſic non eſt natura. Tum quia natura debet eſſe principiũ alicuius motus determinati, quod non poteſt competere materiæ ſecundum ſe.

20. Secunda concl. *Materia non ita eſt natura per formam; quaſi forma det materiæ eſſe naturam in genere cauſæ formalis, ſicut albedo dat parieti eſſe album; ſed materia eſt natura per formam tanquam per terminum quendam, aut conditionem aliquam ſine qua materia nõ habet actu eſſe naturam; ſicuti cauſa efficiens non eſt actu efficiens ſine approximatione, non tamen approximatio dat illi formaliter vim effectiuam.* Hæc concl. nota eſt. Materia namque eſt natura per ſuam entitatem, non tamen eſt actu natura niſi inteligatur poſita ſub aliqua forma, ſubſtantiali, ratione cuius ita eſt propria huius compoſiti, vt nõ ſit propria alterius. Tum quia forma non dat materiæ vt ſit principium paſſiuum formaliter, ſed ſolum determinat, vt in tali compoſito potius determinet ad hunc motum quam ad alium, & ſic materia non eſt natura per formam, niſi determinatiuè, non autem intrinſecè, & formaliter.

21. Sed obijcies 1. Si materia ſecũdum ſe conſiderata non eſſet natura, ſequeretur quod nulla generatio ſubſtantialis eſſet naturalis, ſed violenta; ſed hoc eſt falſum; ergo &c. Sequela probatur, nam quando ex ligno v. g. fit ignis, generatio ignis ſine dubio eſt violenta formæ ligni; ſi autem materia eſſet natura ſolũ vt determinata per formam ligni, eſſet etiam violenta materiæ vt eſt determinata per formam ligni, & ſic omnis generatio eſſet violenta. Reſp. quod ſine dubio nulla generatio ſubſtantialis eſt à natura, vt na-

tura eſt, vt ſupra explicuimus. Poteſt tamen dici naturalis reſpectu materiæ vt eſt natura vniuerſalis, non autem particularis huius, vel illius; neque hoc eſt in cõueniens, vt patet.

22. Obijcies 2. Materia prima præcisè ſecundum ſe eſt primum principium motus eius in quo eſt, &c. ergo ſecundũ ſe eſt natura hic definita; neque obſtare poteſt quod ſit principium paſſiuum, quia cælum non habet niſi principium paſſiuũ ſui motus, & tamen habet naturam. Reſp. negando antecedens; materia namque ſecundum ſe præcisè non eſt principium alicuius motus naturalis; determinati &c. Neque eſt eadem ratio de cælo quod eſt principium motus particularis, & determinati.

23. Obijcies 3. Si materia eſſet natura tantum vt eſt determinata per formã, ſequeretur ſolam formam eſſe naturam, & ſic in homine v.g. non eſſet duplex natura partialis, & vna totalis ex illis compoſita, ſcilicet humanitas; hoc eſt falſum; ergo, &c. Sequela probatur, nam ex eo quod paries eſt albus per albedinem, non ſequitur quod ſit duplex albedo, ſed vna tantum, ita ex eo quod materia eſt natura per formam non ſequitur quod ſit duplex natura, ſed vna tantum. Reſp. quod argumentum concluderet ſi materia eſſet natura per formam tanquam per cauſam formalem, vt albedo eſt cauſa albi, ſed tantum eſt talis per formam tanquam per conditionem, & terminum, vt ſupra explicuimus.

24. Sed quæres 1. an forma ſit magis principaliter natura, an materia? Reſp. eſſe formam. Sic Ariſtoteles hic *tex.* 12. dicens. *Magis naturam eſſe formam, quam materiam*. Vnde forma fuit principaliter definita, non materia; & materia fuit definita vt eſt quædam natura particularis, determinata per formam. Et ſic natura alia eſt principium paſſiuum motus, alia actiuum.

25. Quæres 2. an natura definita in ordine ad motum dicat realem relationẽ ad ipſum motum? Reſp. quod loquendo de forma; non dicit relationem realem ad motum cuius poteſt eſſe principium, niſi quando actu operatur, tunc enim dicit relationem cauſæ ad effectum; at quãdo motus non exiſtit, non dicit relationẽ realem, ſed rationis. Ratio eſt quia ſi diceret relationem realem, deberet eſſe trãcendentalis formæ, & eſſentialis ad terminum non exiſtentem, quod eſſe non poteſt cum haberet pro termino operationẽ quę eſt accidẽs, eſt enim impoſſibile quod ſubſtantia ſit eſſentialiter ad accidens tãquam ad vltimum terminum. Quod ſi loquamur de materia dici poteſt quod dicat relationem realem ad motum tanquam ad terminum non vltimum, & minus principalem quo tendit ad principalem, ſcilicet ad formam. Si autem loquamur de natura vt præſcindit à materia, & forma, non dicit relationem realem, ſed rationis tantum, aliàs etiam forma dicere talem relationem, quod enim conuenit generi realiter, conuenit & ſpeciebus.

26. Quæres 3. quid voluit Ariſt. *tex.* 6. cum dixit, *ridiculum eſſe tentare demonſtrare naturam eſſe*? Reſpondent aliqui ſolum voluiſſe Ariſt. quod naturæ demonſtratio non ſit difficilis, ſed in promptu, ac propterea ridiculum eſſe non quidem demonſtrare naturam eſſe, ſed tentare, ſeu conari, quaſi eſſet res valde difficilis, & ſic iſti volunt poſſe dari naturæ demonſtrationem. Cæterum hæc reſponſio videtur aduerſari textui, nã Ariſt. dat cauſam ſui dicti, quia ſi demonſtraretur, demonſtraretur per ignotius id quod eſt per ſe notum, quod abſolutè tollit demõſtrationem. Pro quo nota quod natura poteſt dupliciter conſiderari. Primò determinatè quatenus eſt materia, vel forma, & hoc modo poteſt demonſtrari naturam eſſe. Secundò accipi poteſt indeterminatè, & confusè quatenus ſignificat internum principium motus ſiue actiuum, ſiue paſſiuum, ſiue ſit pars, ſiue totum, atque ita prout non diſtinguitur ab habente eandem naturam, & motum, & in hoc ſenſu eſt difficile, & ridiculum demonſtrare naturam quia vt ſubdit idem Ariſt. entia habentia naturam ſunt multa, ſcilicet quæ mouentur. Quia ſi natura ſic accepta

pta poſſet demonſtrari, maximè à poſteriori per motum, vt ſi dicatur: *datur motus, ergo datur natura*, hoc autem non poteſt fieri, quia per naturam intelligimus totum hoc coniunctum, vt dictum eſt, ſcilicet ens quod mouetur, & hoc modo motus ſe tenet ex parte concluſionis demonſtrandæ, & ſic ſi aſſumatur pro medio, erit petitio principij. Tum quia licet diuideremus naturam à motu, vt cauſam ab effectu, argumentum adhuc eſſet ab ignotiori ad notius, nam motus non cognoſcitur à nobis niſi per ſubiectum, ac proinde niſi cognita natura.

27. Quæres 4. quare dicimus naturã eſſe duplicem, ſcilicet materiam, & formam, cum dici ſoleat communiter, quod natura humana eſt vna, natura equina eſt vna &c. Reſp. quod dum dicimus naturam eſſe duplicem, loquimur de natura prima, & ſimplici, natura namque humana eſt compoſita, ex materia, & forma. Deinde dico quod per naturam intelligimus frequenter eſſentiam ſpecificam, & completam, vt cum dicimus: natura hominis, equi ignis, &c. & in hoc ſenſu dicitur vna. Aliquando per naturam intelligimus naturam naturatam, ſcilicet compoſitum. Licet abſolutè, & phyſicè loquendo compoſitum non ſit vna natura, niſi intelligamus de natura totali quæ vna eſt in compoſito.

§. 3. *An forma ſubſtantialis ſit natura; & quid de anima rationali.*

28. Quod omnis forma ſubſtantialis ſit natura, à nemine negatum eſt; de animabus verò præter animam rationalem eſt aliqua controuerſia; nam Simplicius hic putat quod in definitione naturæ, non includantur animæ, ſiue viuentium, ſiue ſentientium, & accipit naturæ nomen prout ab anima diſtinguitur; id tamen ſine vlla cauſa fecit; nam Ariſt. 1. *p. de part. cap.* 1. apertè docet, & probat, quod ſaltem animæ mortales ſint natura, & quod pertineant ad phyſicam conſiderationem, & toto hoc 2. libro, vt naturam declaret, frequenter vtitur exemplis animantium. Res clara eſt, nam dictis animabus vt talibus integrè conuenit naturæ definitio, vt conſideranti patebit.

29. Maior difficultas eſt de anima rationali, an ſcilicet ſit natura, illique naturæ definitio competat. Pro quo notandum eſt, quod in anima rationali quatuor gradus diſtingui poſſunt. Primò gradus quidam communis cum alijs formis, quatenus ſcilicet eſt forma informans. Secundò, quod eſt talis forma, non purè informans, ſed etiam animans, ſeu quatenus eſt anima. Tertiò quatenus eſt ſenſitiua. Quartò, quatenus eſt rationalis, per quem gradum conſtituit hominem in eſſe hominis. De hoc ſolo vltimo gradu eſt difficultas. Prima ſententia eſt Simplicij, Alberti, Auicen. & aliorum apud Ruuiũ, Conimbric. & Conplut. quod anima rationalis vt ſic, non eſt natura.

30. Vera, & communis ſententia eſt, quod anima rationalis ſit natura, & perfectiſſima natura. Sic D. Tho. hic *tex.* 26. vbi eam probat ex Ariſt. Pro hac ſẽtentia citat N. Complut. Alexand. Simplicium, Valleſium, Toletum, Conimb. Ruuium, & Suarium, quibus addo Pererium hoc loco, Pontium, Lermam, & omnes recentiores.

31. Probatur 1. nam omnis forma ſubſtantialis informans materiam, & cõſtituens cum illa compoſitum naturale, & ſenſibile, eſt verè, & propriè forma phyſica, ac ſubinde natura; ſed anima rationalis, vt talis, eſt huiuſmodi; ergo eſt forma phyſica, & natura. Maior nota eſt, nihil enim aliud intelligimus per formam phyſicam, & naturam, niſi id quod conſtituit compoſitum phyſicum, naturale, &c. Minor probatur ex *Concilio Later. 3. ſub Leone X. ſeſſ. 8. & ex Concil. Viennenſi ſub Clem. V. & refertur Clementina de ſumma Trin. & fide catholica*. Tum quia homo vt homo eſt compoſitum naturale, & ſpecies infima directè, & per ſe poſita in predicamento ſubſtantiæ; ſed homo conſtituitur in tali ſpecie infima per animam rationalem, vt rationalis eſt; ergo, &c.

31 Probatur 2. nam anima rationalis

lis vt rationalis eſt, eſt in homine principium ſaltem motus localis; ergo eſt natura. Antecedens conſtat, nam cœtera animantia non alio modo ſe mouent, niſi quia per apprehenſionem, & appetitum determinant potentias motiuas,& executiuas, vt hoc,vel illo modo moueant animal, aut ipſius partes; ſed eodem modo anima rationalis per intellectionem, & volitionem verè determinat aliquas potentias ſibi ſubordinatas, vt moueāt hoc, vel illo modo hominem, vel illius partes, vt patet in motu labiorum v.g. ad loquēdum, & in motibus artificiatis, & in quocumque motu libero; ergo anima rationalis eſt principium primum multorum motuum eius in quo eſt, non minus quā quæuis anima bruti. Et ſine dubio quando motus hominis fiunt,liberè procedunt vt à principio determinante,& imperante ab anima rationali; vnde poſſunt eſſe vel meritorij, vel demeritorij; quare motus localis in animantibus non habet pro ad æquato principio animam ſenſitiuam, vt ſenſitiua eſt niſi ſolum in brutis: In homine autem anima rationalis, vt talis licet non ſit principium primum influens, & quaſi exequens motum, eſt tamen principium primum determinans, & imperans, quod ſufficit ad rationem naturæ. Item conuenit illi definitio naturæ, cum ſit primum principium motus eius in quo eſt tanquam forma informans.

32 Pro ſolutione argumenrorum notandum eſt,quod anima rationalis ſecundum hunc vltimum gradum dupliciter conſiderari poteſt. Primò quatenus in illo gradu conuenit analogicè cum Deo, & Angelis, quatenus ſcilicet eſt intelligens, aut intellectiua abſolutè, eſſe nam intellectiuum eſt genus quoddam analogum ad eſſe rationale. Secundò quatenus eſt intellectiua tali modo, videlicet per dependentiam à ſenſibus, & phantaſia: *nihil enim eſt in intellectu quod prius non fuerit in ſenſu*: & *neceſſe eſt intelligentem phantaſmata ſpeculari*, vt docet Ariſt. *in* 3. *de anima*, & hoc eſt eſſe rationale,ſiue diſcretiuum, in quo diſtinguitur anima noſtra ab Angelis, & Deo. Ariſtoteles ergo conſiderauit animam rationalem primo modo cum negauit illam pertinere ad phyſicam conſiderationem, & dixit non eſſe naturam. Cum autem eam ſecundo mòdo conſiderauit, conceſſit eſſe naturam, & pertinere ad phyſicam conſiderationem.

33 Obijcies 1. nam Ariſt. 1. *de part. animal. cap.* 1. videtur ex profeſſo probare animam rationalem non pertinere ad phyſicam neque eſſe naturam, & hoc tribus rationibus. Prima eſt, quia ſi ad phyſicum pertineret agere de anima rationali, cum ea ſit intellectiua, pertineret etiam agere de omni intelligibili, quia correlatiua pertinent ad eandem ſcientiā; intelligibile autem, & intellectus ſunt correlatiua. Illud autem eſt abſurdum, quia tolleretur metaphyſica; ſi enim phyſica ageret de omni intelligibili, nihil reſtaret metaphyſicæ. Secunda eſt, quia illa anima pertinet ad phyſicum quæ eſt natura; ſed anima rationalis non eſt natura; ergo non pertinet ad phyſicum. Minorem probat, nam omnis natura eſt principium alicuius motus; ſed anima rationalis vt talis, non eſt principium alicuius motus; ergo, &c. Minorem oſtendit, nam operationes animæ rationalis ſunt intellectio,& volitio, quæ non ſunt motus, ſed operationes abſtractæ à materia. Tertia eſt, quia phyſicus non conſiderat formas abſtractas; ſed anima rationalis eſt forma abſtracta, cum ſit ſpiritualis; ergo,&c. Reſp. Ariſtotelem hoc loco loqui de anima rationali primo modo conſiderata, vt conuenit cum Deo, & Angelis, &c.

34. Obijcies 2. ex eodem Ariſt. *hic tex.* 4. vbi docet naturam vel eſſe ſubiectum, vel eſſe in ſubiecto; ſed anima rationalis neque eſt ſubiectum, neque in ſubiecto; ergo, &c. & *tex.* 12. 19. & 26. docet formam phyſicam non eſſe ſeparabilem à materia niſi ſola ratione; ſed anima rationalis eſt realiter ſeparabilis; ergo non eſt forma phyſica, ac proinde natura. Et 9. *metaphyſ. tex.* 3. docet naturam eſſe determinatam ad vnum; anima autem rationalis non eſt determinata ad vnum;

Digitized by Google

vnum; ergo, &c. Reſp. quod anima rationalis eſt in ſubiecto non vt ſuſtentata, sed vt ſuſtentans ſubiectum; quare materia reſpectu animæ rationalis eſt ſubiectū receptiuum, non ſuſtentatiuum. Ad ſecundum locum dico, quod anima rationalis ſecundum gradum communem formæ, quo conuenit cum cœteris formis, ſola ratione eſt ſeparabilis, at ſecundum quod dicit gradum rationalem, eſt ſeparabilis realiter. Vel dicas Ariſtotelem loqui de ſeparatione quoad ordinem, qua ratione neque anima rationalis eſt ſeparabilis à materia quoad ordinem, cum etiam in ſtatu ſeparationis dicat ordinem eſſentialem partis ad materiam. Ad 3. locum dicas, quod Ariſt. eo loco agit de natura vt diſtinguitur ab anima vt operante per cognitionem.

35. Obijcies 3. nam idem Ariſt. in fine primi libri dicit ſe velle in poſterum agere de formis corruptibilibus, deinde in hoc 2. lib. agit de forma hominis, ergo forma hominis per Ariſtotelem eſt corruptibilis, vel ſi eſt incorruptibilis, non erit natura. Reſp. quod Ariſt. per formas corruptibiles non intellexit ſolum formas quæ abſolutè deſinunt eſſe in rerum natura, ſed etiam illas quæ deſinunt eſſe in ſubiecto in quo prius erant, qua ratione anima rationalis dici poteſt corruptibilis quoniam licet ſecundum ſe non ſit corruptibilis, ſed immortalis, homo tamen, eſt corruptibilis, & ipſa aliquando deſinit informare corpus quod prius informabat. Illud autem dixit vt excluderet formas cœlorum de quibus hic non diſputauit.

§. IV. *An natura ſit tantum principium paſſiuum, an etiam actiuum.*

36 Prima ſententia eſt, quod natura ſit tantum principium actiuum motus; vnde cum natura definitur quod ſit principium motus, intelligi debet de principio actiuo. Sic Valleſius *controu.* 11. Vaſq. 1.2. *diſp.* 25. *cap.* 3. & alij. Secunda ſententia eſt, quod natura ſit tantum principium paſſiuum, vnde illæ formæ quæ non poſſunt eſſe principium paſſiuum, non ſunt natura. Sic tenent Scotus *in* 2. *diſt.* 2. *q.* 10. *n.* 8. *& diſt.* 18. *n.* 4. *& in* 4. *diſt.* 43. *q.* 4. *n.* 2. *&* 3. Faber *theorem.* 33. *cap.* 1. Fuentes *hic q.* 2. *diffic.* 2. *art.* 2. Pontius hoc loco, & alij Scoti diſcipuli.

37 Noſtra ſent. ſeq. concluſione explicatur. *Materia eſt tantum principium paſſiuum. Ex formis aliæ ſunt principium tantum paſſiuum motus, aliæ ſunt principium actiuum, & ſic vt forma ſic natura ſufficit quod ſit principium paſſiuum.* Quod materia ſit tantum principium paſſiuum admittunt omnes qui cum Ariſtotele cōcedunt materiam eſſe naturam. Quod autem aliquæ formæ ſint principium tantum paſſiuum conſtat in formis cęlorum, qui ex Ariſt. 1. *de cælo cap.* 2. *&* 7. *metaph. cap.* 2. *tex.* 5. ſunt vera entia naturalia, ac proinde eorum formæ ſunt veræ naturæ, & tamen ſunt tantum principia paſſiua motus; eſſe namque principium motus eius in quo eſt, ſolum conuenit formis quæ ſunt anima, tam vegetatiua, quam ſenſitiua, quam rationalis, qua ratione dicit Ariſt. quod moueri effectiuè à ſe, eſt viuere; vnde definiuntur actiones vitales per hoc quod ſint à principio actiuo coniuncto. Aliæ autem formæ elementorum, non mouent effectiuè propriè à ſe, ſed in virtute generantis, de quo diximus ſupra.

38. Quod autem dentur aliquæ formæ quæ ſint etiam principium actiuum motus, defendunt contra Scotum communiter Philoſophi hoc loco pro quo videri poſſunt N. Complut. hic. Rufinus Ruuius *hoc loco cap.* 1. *q.* 3. Hurtad. *diſp.* 7. *ſect.* 1. Auerſa *q.* 9. *ſect.* 4. Et ex Scoti diſcipulis Maſtrius hoc loco, & communiter recentiores.

39 Probatur 1. nam ex oppoſita ſententia ſequeretur quod forma non eſſet magis natura quam materia, contra Ariſtotelem hoc loco. Probatur ſequela, quia ſi nulla forma eſſet principium actiuum, ſed tantum paſſiuum, forma nil amplius haberet quam materia, cum & ipſa ſit principium paſſiuum.

40. Occurrunt aduerſarij quod forma in

ma in linea principij paſſiui,eſt magis natura, cum ſit magis principium paſſiuum; nam ſi quæratur à quo principio phyſico habet aqua inclinari ad frigus, & non ad calorem, ſine dubio recurrendum eſt ad formam, non ad materiam, cum materia aquæ ſit indifferens ad calorem, & frigus; ac proinde non poteſt eſſe principium cũ aqua exigat frigus. Sed contra, quia licet materia ſecundum ſe ſit indifferẽs ad calorem, & frigus; qua ratione non eſt natura definita ab Ariſt. vt ſupra vidimus, tamen vt determinata ad hoc compoſitum, & per hanc formam, non eſt indifferens, ſed determinatè exigit frigus non minus ac forma aquæ;ergo,&c.Tum quia ideo magis recurrendum eſt ad formam quam ad materiam, quia forma nõ ſolum eſt principium paſſiuum frigoris, ſed etiam eſt principium actiuum emanatiuum eiuſdem; ergo, &c. Certè negari non poteſt quin forma, non ſit ratio, & principium emanatiuum ſaltem ſuarum paſſionum,vt forma aquæ, frigoris, ergo re vera forma eſt principiũ efficiens motus eius in quo eſt. Præterea negandum nõ eſt quin animæ vegetatiua,ſenſitiua,& rationalis non ſint principia vegetandi, ſentiendi, &c. etiam actiua, cum non ſit materia, alioquin aſſignetur quænam ſint principia illorum motuum.

42. Probatur 2. nam magis naturale eſt aquæ ſe reducere ad frigus, quam alia frigefacere, & magis naturale eſt igni reducere ſe ad calorem quam alia calefacere: ſed alia frigefacere,& alia calefacere ſunt motus naturales quatenus ſunt à virtute naturali, ergo ſe reducere ad frigus, & ad calorem erunt motus naturales quatenus ſunt à natura tanquam à principio intrinſeco illorum motuum. Licet enim verũ ſit quod calefactio qua ignis alia calefacit, & frigefactio actiua qua alia frigefacit, non ſint motus eius in quo ſunt; tamen calefactio actiua qua ignis ſe ipſum calefacit reducendo ſe ad priſtinum calorem, & frigefactio actiua qua aqua ſe ipſam frigefacit, ſunt motus eius in quo ſunt, ac proinde ſunt à natura.

§. 5. *Soluuntur aliqua quæſita de natura.*

43. Quæres 1. an cõpoſitum ſit natura? Reſp. negatiuè vt ſupra aduertimus, ratio eſt quia compoſitũ nulli ineſt cui ſit principium motus, & quietis, natura autem vt hic definitur ab Ariſt. debet ſic in eſſe, vt ſit principium motus, &c. Poteſt tamen compoſitum dici natura naturata, ſeu natura ex duabus naturis cõpoſita, ſcilicet ex materia, & forma.

44. Quæres 2. an forma totalis v.g. humanitas ſit natura? Affirmant Fuentes, & Maſtrius hoc loco. Negãt alij communiter, vt N. Conplut. Auerſa, Amicus,& alij hic. Ratio deſumitur ex *Ariſt. hic cap. 1.* vbi cum dixiſſet materiam, & formam eſſe naturam, dicit, *quod autem ex his,natura quidem non eſt,ſed à natura*;Sed non ſolum conpoſitum, ſed etiam forma totalis, ſeu natura,vt humanitas igneitas, ligneitas,&c. eſt compoſita ex materia, & forma; ergo nec homo, nec ignis, nec igneitas, &c: ſunt natura. Tum quia natura, ſeu rei quidditas non eſt primum principium motus, & quietis, quandoquidem præſupponit alia principia phyſica ex quibus conſtat,ſcilicet materiam, & formam; ergo, &c. Quare licet in natura, & compoſito recipiantur aliqua accidentia, tamen non ſunt natura, quia nõ ſunt primum omnino ſubiectum.

45. Quæres 3. an priuatio poſſit dici natura? Reſp.negatiuè, ratio conſtat ex explicatione definitionis naturæ ſupra poſitæ,quia licet priuatio poſſit dici principium motus, qua ratione eſt vnum ex tribus rerum naturalium principijs, tamẽ quia non eſt cauſa motus, ideo non eſt natura. Tum quia priuatio per ſe non eſt cauſa cur motus dicatur naturalis compoſito, aut rei motæ, niſi quatenus ſupponit inclinationem, ac proinde non poteſt dici prima cauſa, ſed illa quam ſupponit ex qua habetur inclinatio ad motum.

46. Quæres 4. an quidditas Angeli poſſit dici natura, ſolet namque communiter

niter vocari natura Angelica? Rep. negatiuè, tum quia Ariſtoteles agit hic de natura quæ eſt conſiderationis phyſicæ, non metaphyſicæ, vt eſt natura Angelica. Tum quia non eſt principium per ſe motus corporei in ſe recepti; tum quia motum localem in ſe non recipit; tum quia non eſt principium illius per ſe, ſed rantum per accidens, & ratione operationis, de quo in tract. de Angelis.

47. Quæres 5. an accidens poſſit dici natura? Reſp. negatiuè, ratio clara eſt, quoniam nullum accidens per ſe primo ineſt enti mobili, natura autem debet per ſe primo ineſſe, vt patet ex naturæ definitione. Sed dices, nam quanritas v. g. Euchariſtica naturaliter mouetur ad aliquas qualitates, & ad vbi deorſum, & calor, aut frigus Euchariſtiæ reuocant ſe in priſtinum, ergo iſta accidentia habent in ſe principium horum motuum. Reſp. quod accidentia Euchariſtica mouentur naturaliter in virtute ſubſtanriꝗ cuius sũt accidentia, & licet ſubſtantia non adſit, remanet tamen virtus ſubſtantiæ, & in eius virtute operantur.

48. Quæres 6. an materia, & forma conueniant vniuocè in ratione naturæ? Affirmat Sot. *hic lib.* 2. *q.* 1. & alij relati à N. Complut. hoc loco, quam ſententiam ſequuntur multi recentiores etiam ex Schola D. Thomæ. Communior sẽtentia oppoſitum tenet, quam ſequuntur plures quos referunt, ſequunturque N. Complut. Probant quia Ariſtoteles docet quod forma eſt magis natura quam materia, ſed quod dicitur ſecundum magis, & minus non dicitur vniuocè; ergo natura non dicitur vniuocè de materia, & forma. Cæterum hoc argumentum facilè ſolui poteſt ab aduerſarijs, nam etiam intra eandem ſpeciem, & intra idẽ genus dari poteſt magis, & minus; negari namque non poteſt, quod vnum indiuiduũ non participet magis de ratione ſpecifica, & quod vna ſpecies non participet magis de ratione generica quam alia.

49. Probãt ſecundo, quia ratio principij non prædicatur vniuocè de materia, & forma; nam materia eſt principiũ paſſiuum, at forma, eſt principium etiam actiuum; principio autem actiuo, & paſſiuo nihil datur commune vniuocum. Verum ad hoc reſpondere poſſunr aduerſarij quod etiam ratione principij actiui, & paſſiui poteſt dari ratio communis vniuoca, ſicut datur actioni, & paſſioni. Tum quia ratio principij actiui, & paſſiui conueniunt in ratione ſubſtantię, conueniunt in ratione partis, in ratione conſtitutiui, &c.

50. Probant 3. quia per Ariſtotelem materia, & forma ſunt primo diuerſa; ergo non conueniunr vniuocè. Ad hoc enim reſponderi poteſt quod intra genus ſubſtantię ſunt primò diuerſa ex eo quod materia nihil includat formæ, cum ſit pura potentia, & forma nihil includat materiæ cum ſit tantum actus. Tum quia ſicut cum illa prima diuerſitate ſtat quod conueniant in ratione ſubſtantiæ incompletæ, in ratione partis, &c. ita ſtabit quod conueniant in ratione naturæ. Vera ratio eſt, quia omnis cõuenientia, & vniuocatio debet prouenire ab actu, ſed materia nullum habet actum, vt ſupra vidimus; ergo, &c. Maior probatur, nam ſicut ab actu deſumitur diſtinctio, ita & vnitas. Vnde materia, & forma nec in ratione naturæ nec in aliqua alia ratione conueniũt vniuocè.

§. 6. *An natura diſtinguatur ab arte, & an ars poſſit facere opera naturæ*

51. Naturam diſtingui ab arte admittunt omnes, nam natura per ſe ineſt compoſito, non ars, ſed tantum per accidens. Tum quia motus ſubſtantię mobilis per naturam eſt illi naturalis, & ſecundum inclinationem naturæ, nõ ſic motus qui eſt ab arte, iſte enim poteſt eſſe contra naturam. Tum quia motus qui eſt à natura eſt ab illa tum ſecundum ſubſtantiam, rum ſecundum modum; at motus qui eſt ab arte eſt ſolum ab illa ſecundum modum non ſecundum ſubſtantiam; nam ſaltatio ſurſum, dextrorſum, ſiniſtrorſum, hac, illacque ſecundum

cundum ſubſtantiam poteſt haberi abſque arte, at ſecundum modum rectum,& ordinatum, non niſi ab arte haberi poteſt.

52. Quantum ad ſecundum an ars poſſit efficere opera naturæ, ſciendum eſt commune dictum ex Ariſt. *hic cap.* 2. quod ſcilicet *ars imitatur naturam*, quod dictum tribus modis intelligi poteſt. Primò in figura; ſecundo in modo agendi: tertiò in effectu producto: Ars imitatur naturam in figura exteriori, nam ars nititur in ſuis operibus eam figuram, eamque effigiem imprimere quam natura inducit in ſuis operibus; vnde videmus ſtatuarios in ligno, aut alia materia inducere effigiem hominis, leonis, &c. eumque peritiorem putamus qui ad viuum,& magis expreſſam imaginem format. Secũdo ars imitatur naturam in modo operãdi, & iſte eſt duplex, vnus quo ars nititur producere effectum ſimilem illi quem natura producit. Quocirca architectus talem domum erigit qualem in mente formauit; & pictor talem effigiem formare nititur, qualẽ in mente ſibi præſcripſit ideam. Alter eſt quo naturam imitatur tendendo de imperfecto, ad perfectum, parando prius materiam, deinde paulatim diſponendo, & poſtea formam introducendo. Tertiò ars imitatur naturam in effectu producto, ſeruando eundem ordinem quem ſeruaret natura ſi eum effectum produceret, nam ſi natura conſtrueret domum prius inciperet à fundamentis, ea iaciendo, poſtea parietes erigeret, deinde tecta collocaret, ſic agit ars.

53. Modo difficultas eſt an ars non ſolum imitetur opera naturæ, verum etiã an poſſit efficere aliquod opus naturæ. Poſſe artem efficere aliqua opera naturæ applicando actiua paſſiuis, conſtat experimento artis medicinæ, quæ applicando virtutes naturales lapidum, herbarum, aliarumque rerum humanis corporibus, hac, vel illa infirmitate laborantibus, ita bene confert ſanitatem, ac conferatur à natura. Conſtat etiam in ouis gallinarũ, aliarumque auium, quæ ita bene fouentur calore ignis temperati, ac fouentur, & generantur pulli, calore naturali gallinæ.

54. Poſſe artem efficere propria virtute, & non tãtum applicando actiua paſſiuis, aliqua naturæ opera tenẽt Magnus Albertus *lib.* 3. *de mineral. cap.* 9. Henricus *quodlibet.* 5. *q.* 3. Zimarra *in tract. de differentia naturæ, & artis*, & alij. Probant 1. ex illo Exodi 7. vbi magi per artem magicam ſerpentes ediſſe dicuntur 2. Quia per artem chimicam fieri poteſt verum aurum vt plures tradunt. 3. Quoniã ſtatua dedali tali arte confecta erat, vt huc illucque ambularet. Ariſt. 1. *polit. cap.* 3. *&* 1. *de anima tex.* 44. Et Columba Architæ Tarentini ſic fuit artificiosè fabricata vt volaret, teſte Gellio *lib.* 10. *noct. Attic. cap.* 12. Et Romę fuit ſimulacrum fortunæ, quod bis loquutum dicitur. Ex Valer. Maximo.

55. Nihilominus non eſt recedendũ à communi ſententia, quod ſcilicet ars, non poſſit efficere opera naturæ per ſe, & per propriam efficientiam, ſed tantum applicando actiua paſſiuis. Sic tenent Ariſt. hoc loco, D. Thomas hoc loco *in comment. cap.* 2. & omnes expoſitores. Ratio clara eſt, nam opera naturæ vel ſunt ſubſtantia, vel accidens, ſed ars neutrum efficere poteſt; ars enim vel accipitur vt eſt habitus mentis, & hoc modo non poteſt producere ſubſtantiam, aut accidens ad extra, ſicut nec alij habitus: vel accipitur pro ipſa directione qua dirigit opus operans ad opus preſtandum prout ab arte dictatur, neque hoc modo poteſt producere ſubſtantiam, aut accidens, ſed ſolum dirigit membra externa, vt res rectè diſponantur, & applicentur.

56. Ad obiecta in contrarium vnico verbo reſpondetur quod illa non ſunt effecta per efficientiam artis, ſed per efficientiam virtutis naturalis. Vnde illi ſerpentes vel fuerunt citiſſimè delati arte dæmonis, vel virtute à dæmone applicata fuerunt tunc producti. Per artem chimicam dato quod fieri poſſit verum aurum, non fiet efficientia ipſius artis ſed applicando actiua paſſiuis, aut virtute ignis

ignis ſeparando aurum ab aliquo metallo, vt à cupro. Statua Dedali, Columba Architæ, &c. non ponebant effectum naturalem, ſed violentum in virtute alicuius ponderis, rotarum, funium, &c. vt patet in horologio.

DVBIVM II.

De cauſis in communi. §. 1. *quid ſit cauſa.*

57. Non loquimur hoc loco de cauſa vt idem eſt ac principium, qua ratione Ariſtoteles vocat aliquando priuationem cauſam, ſed loquimur de cauſa in communi ſignificatione, vt amplectitur quatuor cauſarum genera, ſcilicet materiam, formam, efficientē, & finalem. Et cum notum ſit dari cauſam, ad quæſtionem quid eſt deſcendimus. Varij varias tradunt cauſæ in communi definitiones, quæ ſi rectè expendantur, admitti poſſunt, licet definitio D. Thomæ, & Thomiſtarum quam proponunt, & defendunt N. Complut. hoc loco, magis rem explicet.

58. Primò ergo definitur cauſa in communi à Ruuio quod ſit *Principium per ſe influens in effectum.* Dicitur *principium* loco generis, quia in hoc conuenit cum priuatione, cum puncto, & alijs, quæ ſunt aliquorū principia. Dicitur *influens* vt diſtinguatur ab illis quæ non influunt. Dicitur *in effectum*, vt diſtinguatur à Patre æterno, qui eſt principium verbi, & influit, non tamen vt in effectum, quia verbum non eſt effectus Patris. Aliqui vt N. Complut. impugnant hanc definitionem, quia in ea nil ponitur per quod explicetur quod cauſa debeat eſſe illa, quæ influit vt in effectum, nec ponitur aliquid per quod explicetur quod Pater æternus non influat vt in effectum. Cæterum ad hoc quis poſſet reſpondere, & explicare dictam definitionem, quod ex ſe patet, quod Verbum non poſſit eſſe effectus, quia de huius ratione eſt dependere, quod Verbo diuino conuenire non poteſt, & ſic intellecta illa definitio bene naturam cauſæ explicat.

59 Secundò definitur cauſa à Fonſeca 1. *metaphyſ. cap. 7. q. 1. ſec. 3.* quod ſit *id à quo aliquid per ſe dependet*, per quod excluditur Pater æternus à ratione cauſæ, quia Filius ab eo non dependet. Hanc definitionem reijciunt N. Complut. quia in ea non explicatur quid ſit dependere, aut cur Filius non dependeat à Patre cum habeat eſſe ab illo. Cæterum poſſet quis reſpondere non explicari quid ſit dependentia cum ſit notum eam inuoluere imperfectionem, ac proinde optimè excluditur per dependentiam Pater æternus à ratione cauſæ.

60 Alij alias tradunt cauſæ definitiones; communior eſt illa quam cum D. Thoma tradunt dicti Complut. & cæteri Thomiſtæ, quod ſcilicet cauſa ſit illa *ad quam ſequitur eſſe alterius*, ſeu *ſequitur aliud*. Hanc aliqui impugnant, quia ad punctum ſequitur linea, ad auroram ſequitur dies; ad eſſe Patris æterni ſequitur eſſe Filij, &c. & tamen iſta non ſunt cauſæ. Nec valet reſpondere, quod *ly* ſequitur intelligitur de ſequela phyſica, quæ eſt per productionem effectus, nam ſi hoc modo indiget explicatione, etiam definitiones aliorum defendi poſſunt cum ſuis explicationibus. Aliter explicant N. Complut. illam definitionem, vt per eſſe alterius intelligatur aliquid numero, aut ſpecie diſtinctum, per quod diuinæ perſonæ excluduntur à ratione cauſæ, nam Filius non eſt aliud à Patre, nec habet aliam eſſentiam numero, aut ſpecie diſtinctam. Certè iſta definitio intellecta ſic de ſequela phyſica, &c. optima eſt.

61 Tamen mihi etiam placet definitio quam deſumo ex Ariſtotele hoc loco *tex.* 68. quod ſcilicet cauſa ſit *illa, per quam reſpondemus ad interrogationem, ſeu ad quæſtionem factam propter quid*. Hac enim ratione probat ibi Ariſt. tantum eſſe quatuor cauſarum genera quia totidem cauſis reſpondere poſſumus ad quæſtionem factam propter quid, vnde ſupponit eam eſſe communem definitionem cauſæ in communi. Ab aliquibus hæc definitio impugnatur, quia ſi *propter quid* accipiatur, propriè ſolum conuenit cauſæ finali, vt col-

vt colligitur ex Ariſt. *tex.* 88, *&* 90. quod ſi accipiatur aliquanto latius, æquè ignotum eſt quid ſit cauſa, & quid ſit propter quid, ac proinde nihil ſcimus per illam definitionē, quod eſt vitium definitionum. Item conuenit principijs, omne namque principiatum eſt propter ſua principia, & linea eſt propter puncta, & relatio eſt propter terminum, &c. Item conuenit Filio in diuinis, nam Filius eſt propter Patrem, cum tamen Pater non ſit cauſa.

62 Cæterum propter iſta non eſt deſerenda definitio Ariſtotelis, ſi poteſt æquè bene explicari ac aliæ, maximè quia Ariſt. non ſemel hanc definitionem indicauit, vnde hac ratione probat finem, & formam eſſe cauſas, quia per hæc rectè reſpondemus ad quæſtionem quare, ſeu propter quid, & tritum eſt, & notiſſimum apud Ariſt. quod demonſtratio per cauſam appelletur demonſtratio *propter quid*, & ſcire per cauſam dicitur ſcire *propter quid*, & quod ſint quatuor cauſarum genera quia ſunt quatuor propter quid.

63 Pro quo ſciendum eſt, quod vnūquodque genus cauſæ ſicuti habet proprium munus, ita habet propriam definitionem, quæ eſt quidam quaſi character, ſeu nota cuiuſcumque cauſæ: vnde materia dicitur *id ex quo inexiſtente*. Forma dicitur *ratio rei*. Efficiens dicitur *principium vnde*. Finis dicitur *cuius gratia res ſit*. Ex his characteribus, & notis aggregatim poſitis puto formandam eſſe definitionem cauſæ in communi, ſic *cauſa eſt id propter quod reſpondemus ad quæſtionem propter quid*; ſeu *cauſa eſt ipſum propter quid*; ſiue vt *id ex quo*, ſiue vt *ratio*; ſiue *principium vnde*; ſiue cuius gratia; ita vt non poſſit fieri alia definitio explicita niſi per aggregationem horum characterum, ſeu notarum: Sicuti cum volumus definire animam explicatius definitur per aggregationem omnium ipſarum, cum dicitur. *Anima eſt principium quo viuimus, ſentimus, mouemur, & intelligimus.* Sic etiam principium definitur per aggregationem, ſcilicet *principium eſt id vnde aliquid vel eſt, vel ſit, vel cognoſcitur*. Preterea etiam natura definitur per aggregationem, ſcilicet, *natura eſt principium motus, & quietis*, aliqua namque eſt principium ſolius motus, alia ſolius quietis, & communiter omnia analoga definiuntur per aggregationem. Et ſic ex mente Ariſt. cauſa in communi definiri poteſt per aggregationem, ſcilicet *cauſa eſt id propter quid, ſeu eſt propter quid, vel vt ex quo, vel vt ratio, vel vt vnde motus, vel vt cuius gratia*. Quod ſi breuius velis definire, dices *cauſa eſt propter quid*, intelligendo propter quid prout includit quatuor dictos modos, & ſic propter quid ſic acceptum in definitione cauſæ non conuenit niſi cauſæ in communi, & excludit cætera propter quid.

§. II. *Quotuplex ſit cauſa.*

64 Variæ fuerunt antiquorum ſententiæ de numero cauſarum, vt videre eſt apud Plutarchum *lib.* 1. *de placitis cap.* 11. apud Senecam *epiſt.* 65. *ad Lucillum*, & apud alios. Prima ſententia fuit Democriti apud Cicer. *lib.* 1. *q. academ.* qui ſolam materiam admittebat, reiectis forma efficiente, & fine. Cum enim omnia à caſu, & fortuna fieri putaret, efficientem cauſam, & finalem negabat. Formam ideo negabat, quia ſolam materiam ſufficere volebat. Tum quia cum negaret cauſam efficientem, & finalem, debebat etiam finalem negare, quia efficiens ideo datur, vt formam in materia ob aliquem finem inducat. Stoici teſte Laertio *lib.* 7. *in Zenonem*, & Seneca vbi ſupra, ſolam cauſam efficientem admittebant, materiam autem non niſi vt conditionem ſine qua non eſſe volebant. Siquidem efficiens non niſi cum materia efficit. Formam non admittebant, quia cū ſit effectus ab agente manans, inter cauſas numerari non poteſt; neque finis cum vltimò adueniat re iam effecta. Hanc ſententiam ſequitur Seneca dicens. *Turbam hanc, & multitudinem cauſarum ab Ariſtotele, & Platone traditam ſuperfluam eſſe, & minimè neceſſariam.* Eandem ſententiam ſequitur Cicero *in Topicis ad Trebanum*, explicans locum ab efficiente petitum.

65 Ter-

65 Tertia ſententia fuit Platonis *in Timæo.* Procli, Calcidij, & omnium Platonicorum, quod dentur 6. genera cauſarum, quatuor ſcilicet ab Ariſt. tradita, & alia duo videlicet exemplar, & inſtrumẽtum. Quarta ſententia eſt Galeni, qui *in in lib. de ſymptomatum differentijs*, hæc recenſet, cauſarum genera, materiam, vtilitatem, ſcopum, & inſtrumentum. Argentarius *in comment. huius loci* dicit cauſarum genera eſſe motum, locum, tempus, & circunſtantiæ.

66 Noſtra ſententia ſequenti concluſ. explicatur. *Cauſarum genera ſunt tantum quatuor, nec plura, nec pauciora, ſcilicet materia, forma, efficiens, & finis.* Sic Ariſt. hoc loco & inferius *cap. 7. & 5. metaph. cap. 2.* quem ſequuntur omnes Peripatetici vel in huius loci comment. vel in 5. *metaph.* vt D. Tho. Alexand. Themiſtius, Philopponus; Simplicius, Auer. Magnus Albertus, Auicenna, & innumeri alij. Et licet Sueſanus in comment. huius loci putet quod hæc ſententia ſit tantum eredita in philoſophia, & non poſſit aliqua ratione efficaci probari, tamen oppoſitum dicendum eſt.

67 Probatur 1. ratione deſumpta ex noſtra definitione explicata §. præcedenti, quod ſcilicet cauſa in communi ſit illa per quam reſpondemus quæſtioni, ſeu interrogationi *quid eſt*, ſeu *propter quid*, nam tot ſunt genera cauſarum, quot ſunt genera interrogationum, vnaquæq; namque interrogatio, cauſã quærit; ſed quatuor ſunt genera interrogationum, ergo totidem erunt genera cauſarum. Minor probatur, nam in omni interrogatione, aut quærimus *ex quo* aliquid fiat, & hæc eſt materia; omnia namque fiunt ex materia: aut quærimus *quid fiat*, ſeu quid ſit illud quod fit, & hæc eſt ratio, ſeu forma: aut quærimus *à quo fiat*, & eſt efficiens: aut quærimus *cuius gratia fiat*, & eſt finis. Hanc rationem deſumpſimus ex Ariſtotele capite 7. huius libri ſecundi.

68 Confirmatur, nam ille tantum eſt aſſignandus cauſarum numerus qui reperitur in illis quæ plures cauſas habere videntur: ſed in compoſito v. g. ſubſtantiali in quo plures cauſæ eſſe videntur, tantum quatuor cauſæ dictæ, ſunt; ergo illa erit cauſarum numerus. Minor probatur, nam in compoſitis ſubſtantialibus tantum poteſt eſſe id ex quo fiunt & hæc eſt materia: eſt id per quod fiunt, & conſtituuntur, & eſt forma, per formam namque conſtituuntur, & à cœteris diſtinguuntur; eſt id à quo fiunt, & eſt efficiens: & eſt id cuius gratia fiunt, & eſt finis. Hoc idem videre eſt etiam in compoſitis artificialibus, nam in ſtatua eſt id ex quo fit, & eſt lignum v. g. Eſt id quod fit, & eſt v. g. ſol, ſi ſtatua ſit ſolis. Eſt id à quo fit, & eſt ſtatuarius: & eſt id cuius gratia fit, & eſt vt repreſentet ſolem.

69 Probatur 2. quoniam quod fit, tantum habere poteſt duas cauſas internas, vnam ex qua fiat, & eſt materia; aliam per quam fiat, ſeu per quam conſtituatur, & diſtinguatur, & hæc eſt forma. Et duas externas, illam à qua fiat, nihil enim poteſt ſe ipſum efficere, & hæc eſt efficiens. Efficiens autem naturale non poteſt fruſtra, & temere agere, ſed debet agere propter aliquam cauſam, & hæc eſt cauſa finalis; ergo, &c.

70 Probatur 3. nam cauſa eſt ad quam ſequitur eſſe alterius, ſcilicet effectus, vt cum D. Thoma, & Thomiſtis communiter cauſa definitur, ſed ſunt tantum quatuor ea ad quæ ſequi poteſt eſſe alterius; ergo ſunt tantum quatuor cauſarum genera. Minor probatur, nam eſſe effectus aliquando eſt in potentia, aliquando in actu; prius namque eſt in potentia, poſtea in actu, vt cum de potentia reuocatur ad actum ab agente naturali, & hoc ob aliquem finem, non caſu; ſed eſſe in potentia habetur à materia; eſſe in actu habetur per formam; reductio de potentia ad actum habetur ab agente naturali, intentio, eſt finis; ergo, &c. Igitur res naturales indigent materia ex qua fiant: forma per quam perficiantur, & determinentur ad certam ſpeciem: efficiente à quo forma inducatur: & fine cuius gratia agens ad agendum moueatur; ac proinde hæ cauſæ deſiderantur ad eſſe rei naturalis non plures, nec pauciores. Solvuntur

Digitized by Google

uuntur argum. in contrarium.

71 Primum argum. quoniam inſtrumentum eſt cauſa, & non continetur ſub prædictis; ergo ſunt plura cauſarum genera quam quatuor. Reſp. quod inſtrumentum continetur ſub cauſa efficiente. Dices, quod efficiēs definitur ab Ariſtotele 2. *phyſ. cap.3.* quod ſit *id vnde primum mutationis, aut quietis principium deducitur*; ſed hæc definitio non conuenit inſtrumento, ergo inſtrumentum non cōtinetur ſub cauſa efficiente. Minor probatur, nam inſtrumentum non eſt primum mutationis principium, cum non moueat niſi moueatur. Reſp. quod eo loco Ariſt. ſolum definiuit cauſam efficientem principalem, ad quam inſtrumentum reuocatur tanquam quid ab ea motum; ſed de hac re infra agentes de cauſa efficiente.

72 Secundum argum. nam cauſa exemplaris, eſt vera cauſa, & tamen non continetur ſub aliquo ex dictis generibus; ergo, &c. Reſp. reuocari ad genus cauſæ formalis. Pro quo nota, quod genus cauſæ formalis eſt duplex; vnum componens, & aliud determinans, exemplar eſt cauſa non componens, ſed determinans extrinſecè. Ex hoc ſoluitur aliud argumentum deſumptum ab obiectis actuum, habituum, & potentiarum ex quibus habitus, actus, & potentiæ dependent, & non in aliquo ex illis quatuor generibus cauſarum. Dicimus enim, quod obiecta exercēt genus cauſę formalis extrinſecè, determinantis, & ſpecificantis.

73. Tertium argum. nam album eſt cauſa per accidens ædificij ſicut eſſe muſicum, & tamen nō reuocatur ad aliquod ex dictis generibus; ergo, &c. Reſp. quod cum id quod eſt per accidens reuocatur ad id quod eſt per ſe, ſequitur quod cauſa efficiens per accidēs reuocetur ad cauſam efficientem per ſe. Sed dices quod abſentia nautæ eſt cauſa efficiens per ſe ſubmerſionis, & tamen non continetur ſub genere cauſæ efficientis, de cuius ratione eſt influere, & eſſe præſens, quod non conuenit nautæ in caſu ſubmerſionis nauis. Nam ad hoc dicitur quod licet efficientia poſitiua fundetur in præſentiâ cauſæ, & in influxu illius non tamen efficientia negatiua, qualis eſt in nauta reſpectu ſubmerſionis nauis cum abeſt.

74. Quartum argum. nam conſulens, & imperans ſunt cauſa effectus producti, & non ſunt vna ex aſſignatis; ergo, &c. Reſp. quod conſulens, & imperans non ſunt cauſa efficiens phyſica, cum nō producant phyſicè effectū, ſed ſunt cauſa efficiens moralis. Cauſa autem moralis eſt illa quæ ſua propria actione non attingit effectum, ſed mouet cauſam phyſicam ad hoc vt efficiat, vt qui conſulit homicidiū, non occidit, ſed ſuo conſilio mouet, & excitat alium ad occidendum ſuum inimicum. Eſt autem diſcrimen inter cauſam phyſicam, & moralem, quod poſita cauſa phyſica, & eius actione non poteſt non ſequi effectus, ſiue cauſa phyſica ſit neceſſaria, ſiue libera, vt poſita calefactione, quæ eſt actio cauſæ phyſicæ neceſſariæ non poteſt non poni calor. Et poſita actione volendi libera, non poteſt non poni volitio. At poſita cauſa morali, & eius v. g. actione conſilio, poteſt non poni effectus. Et ratio eſt, quia actio cauſæ phyſicæ ſe ſola eſt ſufficiens, & immediata productio effectus, poſita autem productione, non poteſt nō poni terminus. At actio cauſæ moralis non eſt ſufficiens, & immediata productio effectus, cum indigeat cauſa phyſica ad producendum effectum.

§. 3. *An cauſa ſit nobilior ſuo effectu.*

75. Res iſta facilis eſt, eamque breuiter expendemus. Certum eſt quod ſi effectus comparetur cum ſuis cauſis intrinſecis, ſcilicet materia, & forma ſimul ſumptis, & vnitis eſt æqualis perfectionis; cum enim, vt ſupra vidimus, totum non diſtinguatur à ſuis partibus ſimul ſumptis debet eſſe æqualis perfectionis. Quod ſi totum comparetur cum vna tantum cauſa, vt ſi comparetur cum ſola materia, aut forma, tunc effectus eſt perfectior ſua cauſa partiali. Si verò totum comparetur cum materia, aut forma,

ſecun-

ſecundum id preciſè quod habet ab illis, eſt æquæ perfectionis.

76. Si effectus v.g. compoſitum cõparetur ad cauſas extrinſecas, vt ad efficientem, aliquando eſt perfectior, aliquando imperfectior, & aliquando æqualis perfectionis. Effectus comparatus ad cauſam æquiuocam, eſt imperfectior, v.g. calor comparatus ad ſolem qui eſt cauſa æquiuoca illius, eſt ſole inferior, ratio eſt quia cauſa æquiuoca eſt ſuperior ſuo effectu, eumque virtute continet. Effectus comparatus ad cauſam vniuocam eſt æqualis perfectionis, vt cum homo generat hominem. Effectus comparatus ad cauſam inſtrumentalem eſt inſtrumento per ſe perfectior; dico per ſe, quia per accidens inſtrumentum poteſt eſſe perfectius, vt malleus aureus reſpectu cultri ferrei. Aliqui putant, quod effectus ſit perfectior ſua cauſa æquiuoca vt muſca cauſata à ſole tanquam à cauſa æquiuoca, eſt ipſo ſole perfectior, cum muſca ſit viuens non ſol. Cæterum ſol non eſt cauſa muſcæ ſolus, ſed vt motus ab intelligentia, & in virtute intelligentiæ, qua ratione eſt perfectior muſca, & homine cũ homo, & ſol generent hominem. Quoad finem dico, quod aliquando eſt perfectior ſuo effectu, vt cum homo operatur ob finem nobiliorem, vt propter Deum. Aliquando eſt imperfectior cum homo operatur ob finem inferiorem, vel prauum. Aliquando eſt æqualis perfectionis, vt cũ homo ſtudet ob bonũ ſtudij, ſeu ſcientię.

§. 4. *An cauſa ſit prior ſaltẽ natura ſuo effectu.*

77. Certum eſt non eſſe neceſſe quod cauſa ſit prior tempore ſuo effectu, non enim ſol eſt prior tempore, illuminatione, neque materia omni forma. Sunt quidem aliquæ cauſæ priores tẽpore vel inſtãti ſuis effectibus, ſicut Pater in creatis præcedit tempore filium. De ſola prioritate naturæ eſt difficultas, de quo prima ſent. eſt Soncinatis 5. *metaphy. q.* 7. & aliorum dicentium non eſſe neceſſe quod cauſa præcedat ſaltem natura ſuum effectum.

78. Noſtra ſententia ſeq. concl. explicatur. *Omnis cauſa debet ſaltem natura eſſe prior ſuo effectu, ſub eo conceptu ſub quo eſt cauſa, quod ſolet dici in eo genere in quo eſt cauſa.* Eſt ſent. communis, pro qua videri poſſunt N. Complut. *hic diſp. 7. q. 4.* Eſt autem prioritas naturæ, prioritas ſubſiſtendi conſequentiæ, ſeu eſt prioritas eſſendi independentiæ, quatenus id quod eſt prius natura alio, quatenus prius eſt independens. Vocatur ab aliquibus prioritas rationis cum fundamento in re, quatenus cauſa vt cauſa ex natura ſua poſtulat intelligi præ eſſe ſuo effectu ſecundum illud eſſe, & in eo genere in quo eſt cauſa. Ratio autem eſt manifeſta, quia omnis effectus debet conſequi ſuam cauſam, ac proinde debet illam ſupponere aliquo modo antecedentem, ac proinde natura. Quæ prioritas non ſolum eſt inter cauſas, & effectus, ſed etiam inter principia, & principiata in creatis. In diuinis autem negatur à Theologis propter omnimodam identitatem Patris, Filij, & Spiritus S. nam in vnaquaque perſona eſt eadem omnino eſſẽtia, vt inter illas perſonas nulla omnino ſit dependentia, nulla cauſalitas neque ſecundum rationem, ſed ſolum eſt prioritas à quo, ſeu originis.

79. Sed obijcies 1. nam aliquæ cauſæ ſunt ſibi inuicem cauſæ; vt materia, & forma; finis, & media ad finem, vt docet Ariſt. *tex.* 30. ergo idem erit prius, & poſterius reſpectu eiuſdem. Reſp. concedendo antecedens, & negando conſeq. prioritas namque & poſterioritas inter cauſas quatenus ſunt ſibi inuicem cauſæ non eſt prioritas eiuſdem, ſed diuerſi generi; nam materia eſt prior forma in ſuo genere, quatenus ex illa forma eſt educibilis, aut quatenus eſt receptibilis, at forma eſt prior materia quatenus eſt perfectibilis, &c. de quo magis infra.

80. Obijcies 2. Id quod eſt cauſa cauſæ, eſt etiam cauſa cauſati, ſaltem remota; ſed materia eſt cauſa formæ, & forma eſt cauſa materiæ; ergo materia eſt cauſa materiæ, & forma eſt cauſa formæ, quod eſt impoſſibile, cum nihil ſit cauſa

ſui

Digitized by Google

ſui ipſius. Reſp. antecedens ſolum eſſe verum in cauſis eiuſdem generis, quia enim ſol v.g. cauſat lumen, & hoc cauſat calorem, ideo rectè dici poteſt, quod ſol cauſat calorem. At quando cauſæ ſunt diuerſi generis illud dictum non eſt verũ, quia non communicant ad inuicem in ratione cauſandi. Vnde non valet argumentum. Sol producit calorem qui facit terram formaliter calidam; ergo ſol producit, aut facit terrã formaliter calidam. Ratio autem eſt quia in exemplo ſupra poſito materia eſt cauſa formæ inquantum potẽtia ex qua forma educi debet, ſub qua ratione forma non conſtituit materiam tanquam aliquid intrinſecum quod ſe teneat ex parte potentiæ, ſed hoc totum ſupponit, ſi autem cõſtitueret, verè eſſet dependens à materia, & dependeret à ſe ipſa, quia etiam ſe ipſa teneret ſe ex parte cauſæ. Eodem modo forma quatenus eſt finis materiæ non conſtituitur intrinſecè per potentiam materiæ, & ita materia dependens à forma, non dependet à ſe ipſa. Ratio ergo cur in cauſis diuerſi generis non valet illud dictum eſt, quia in ratione propria cauſandi non communicãt ad inuicem, & propter eandem rationem non ſequitur quod idem ſit prius, & poſterius ſe ipſo.

88. Obijcies 3. Si cauſa eſſet prior natura ſuo effectu ſequeretur quod eſſet bonus circulus antiquorum in demõſtrationibus quem damnauit Ariſt. 1. *poſter.* Sequela probatur, nam ſi materia, & forma ſunt ſibi inuicem cauſæ, ergo ſunt ſibi inuicem priores, ac proinde vna poteſt per aliam à priori demonſtrari, & ſic poſſet fieri demonſtratio circularis vtraque à priori. Reſp. hoc non eſſe abſurdum in diuerſo genere cauſæ, & ſecundum diuerſam rationem. Ariſtoteles autem damnauit circulum antiquorũ, qui putabant etiam prima principia poſſe demonſtrari, & probari à priori, & quod idem ſecundum eandem rationem, & in eodem genere cauſæ eſſet prius, & poſterius, quod eſt impoſſibile.

82. Obijcies 4. nam prius in eo in quo eſt prius poteſt intelligi ſine ſuo poſteriori, eſt enim prius illo; ſed multæ cauſæ non poſſunt intelligi ſine ſuis effectibus, ergo non ſunt illis priores. Minor probatur, nam nec materia poteſt intelligi ſine forma, cum potentia dicatur per ordinem ad actum; nec forma intelligi poteſt ſine materia, cum actus ſit per ordinem ad potentiam. Item media intelligi non poſſunt ſine fine, nec finis ſine medijs; imò nec omnipotentia Dei intelligi poteſt ſine creaturis ſaltem poſſibilibus. Reſp. quod dupliciter aliquid poteſt eſſe prius alio. Primò prioritate *in quo*. Secundò prioritate à quo. Illud dicitur prius prioritate *in quo*, quod intelligi poteſt ſine ſuo poſteriori, cuius eſt cauſa, & ſic calor intelligi poteſt ſine calefactione, & ſic de alijs. Illud autem dicitur prius priorirate *à quo*, quod licet ſit verè cauſa alterius, tamen propter aliquã peculiarem rationem non poteſt intelligi ſine ſuo ſuperiori, maximè quando dicit ordinem eſſentialem ad illud, aut certè quando ita poſtulat illud à ſe dependens, vt non poſsit diſtingui, aut conſtitui, ſiue intelligi ſine illo, aut ſine ordine ad illud. Hoc modo ſe habent materia, & forma vt ſunt tales in ſpecie; ſunt enim relatiua tranſcendentalia. Finis tamen intelligi poteſt ſine medijs, ſi conſideretur ſecundum ſuam entitatem, ſecundum quam eſt finis, licet ſine illis intelligi non poſsit inquantum dicit relationem, hæc tamen relatio nihil facit, vt nu. ſeq. dicetur. Omnipotentia autem diuina nõ poteſt intelligi ſine creaturis, ſaltem poſſibilibus, quia de eius eſſentia eſt habere creaturas à ſe dependentes.

83 Obijcies 5. Correlatiua ſunt ſimul natura, ſed cauſa, & effectus ſunt correlatiua; ergo ſunt ſimul natura. Reſpond. quod cauſa, & effectus accipi poſſunt vel fundamentaliter, & ſecundum ſe, & hoc modo non ſunt correlatiua. Si verò accipiantur formaliter, vt dicunt ipſas relationes reſultantes, tunc ſunt correlatiua, & ſunt ſimul natura; nos non loquimur in hoc ſecundo ſenſu, ſed in primo.

§. 5.

§. 5. *Quomodò cauſa diuidatur, ſeu de diuiſione cauſæ.*

83. CAuſa primò diuiditur in primam, & ſecundam. Prima eſt Deus O. M. qui eſt omnino independens ab omni alia cauſa: cuncta mouet immobilis. Multa producit abſque concurſu alterius cauſæ, vt Angelos, animas. &c. non tamen omnia, quia compoſitum ſubſtantiale non poteſt producere abſque concurſu materiæ,& formæ, cum nequeat Deus per ſe ipſum ſupplere cõcurſum materię,& formæ, cum dicat imperfectionem, partis, ſubiecti, & informantis. Nequit etiam Deus producere ſe ſolo actus vitales, cum iſti dicant eſſentialem ordinem ad ſua principia vitalia. Neque etiam poteſt Deus producere modos vt vnionem, ſeſſionem, neque relationes, &c. ſine concurſu ſubiectorum, & hoc non propter aliquem defectum in Deo repertum, ſed propter ſummam ipſius perfectionem, & rerum dictarum imperfectionem,quæ non eſt ſupplebilis à ſumma perfectione, ſed ab imperfectione tantum. Cauſa ſecunda eſt creatura, quæ ideo ſecunda vocatur quia nec eſſe, nec operari poteſt niſi dependenter à prima.

84. Secundò diuidi ſolet cauſa in mediatam, & in immediatam. Cauſa mediata eſt illa, quæ non attingit effectũ niſi mediante alia cauſa,qua ratione Adã dicitur cauſa mediata omnium hominum quia vt primus parens ad omnium productionem concurrit mediatè. At cauſa immediata eſt illa quæ abſque intermedio ſuum attingit effectum, vt calor eſt cauſa immediata caloris, &c. Tertiò diuiditur cauſa in intrinſecam, & extrinſecam. Cauſa intrinſeca eſt illa quæ intrinſecè rẽ componit, & conſtituit, ſicut materia, & forma, intrinſecè conſtituunt hominem. At cauſa extrinſeca eſt illa quæ rem conſtituit extrinſecè, vt omnis cauſa efficiens tam increata,quam creata cõſtituunt res. Et omnis cauſa finalis extrinſecè conſtituit rem quæ propter ipſam fit.

85. Quartò diuiditur cauſa in cauſã per ſe, & per accidens. Cauſa per ſe eſt illa quæ ex natura ſua eſt ordinata ad productionem ſui effectus, habetque intrinſecam virtutem productiuã illius qua ratione calor eſt cauſa per ſe caloris, & muſicus eſt cauſa per ſe cantus quia habet artem, quæ eſt virtus cantandi. Cauſa per accidens eſt illa quæ quidem producit effectum, ex ſe tamen ad illum producendum non ordinatur, ſed caſu illum producit,ratione tamen virtutis quæ aliàs reperitur in cauſa, vt fodiens terram eſt cauſa per accidens inuentionis theſauri; & Muſicus dicitur ædificare, quia in Muſico reperitur aliàs virtus, ſeu ars ædificatoria.

86. Quintò diuiditur cauſa in adæquatam,& totalem,& in inadæquatam, & partialẽ. Adæquata ſeu totalis eſt illa quæ ſe ſola producit effectũ. Partialis ſeu inadæquata eſt illa quæ ſolum partialiter, & concurrente alia cauſa eum producit. Sextò, cauſa adæquata ſubdiuiditur in principalem, & in inſtrumentalem. Principalis eſt illa quæ propria virtute attingit effectum. Inſtrumentalis eſt illa, quæ attingit effectum vt mota ab alia cauſa, de quibus poſtea dicetur.

DVBIVM III.

De cauſa materiali, & formali.

§. 1. *An materia ſit cauſa phyſica.*

87. POſt tractationem de cauſis in communi agendum eſt cum Ariſtotele à *tex.* 28. prius de cauſa materiali, cuius definitionem iam ſatis explicuimus *nu.* 63. Modo quærimus an materia re ipſa ſit cauſa phyſica. Phyſicam materiæ cauſalitatem negabant aliqui antiqui, de quibus aliàs diximus:

88. Noſtra,& cõmunis ſententia ſeq. concl. explicatur. *Materia prima eſt vera cauſa phyſica.* Sic tradunt omnes Paripatetici; vnde non eſt neceſſe quẽquam in particulari referre. Videri poteſt Ariſt. hic à *tex.* 21. *vſque ad* 27. *&* 70. 72. 740. *&* 91.

Ratio eſt, quia materia prima eſt ſubiectum ex quo aliquid fit, vt patet ex eius definitione; ergo eſt cauſa, & veluti mater rerum, vt eam vocat Ariſt. ex Platone, & alijs antiquis *lib.* 1. *tex.* 80. Tum quia materia eſt natura, vt ſupra vidimus; ſed omnis natura eſt cauſa; ergo, &c. Tum etiam, quia principium motus eius in quo eſt, eſt cauſa phyſica, & vera, vt patet tum ex definitione naturæ, tum ex *tex.* 73. ſed materia eſt huiuſmodi; ergo eſt cauſa phyſica; vnde multa demonſtrantur in phyſica per cauſam materialem. Demum, quoniam compoſitum phyſicum, & naturale cauſatur per eius partes intrinſecas, maximè per materiam, ergo materia eſt vera cauſa phyſica.

89 Sed obijcies 1. nam omnis cauſa eſt prior natura ſuo effectu, vt vidimus; ſed materia prima non eſt prior forma ex 9. *metaphyſ. tex.* 16. vbi dicitur, quod actus eſt prior potentia; ergo materia non eſt cauſa. Tum quia ad metaphyſicam ſpectat agere de prima materia ex 1. *metaph.* ergo, &c. Reſp. negando minorem; materia namque in ſuo genere eſt prior forma, efficiente, & fine. Ad locum Ariſtotelis dico loqui de actu primo qui eſt Deus, iſte enim eſt prior omni modo potentia, cum nullo modo ſit effectus potentiæ. Quod ſi inſtes Ariſt. loqui de actu formali informante, reſpectu cuius materia eſt cauſa, tunc intelligi debet, quod actus ſit prior potentia in ſuo genere, qua ſcilicet eſt actus, qua ratione materia ab eo dependet. Abſolutè tamen actus dicitur prior potentia, quatenus eſt finis, ſpecificatiuum, & quid nobilius potentia. Ad illud quod ad metaphyſicam ſpectat agere de materia, dico ſpectare ad metaphyſicam agere de materia prima exactiuis, vt an ſit quid per ſe completum, an potentia ſit de eius eſſentia an tota eſſentia, an habeat propriam exiſtentiam, &c. Cœterum ad phyſicam ſpectat agere de materia non ita exactè, vt conſtituit compoſitum, vt eſt cauſa materialis, vt eſt natura, vt eſt principium motus, & quietis, & de iam dictis, ſed non ita exactè, & quaſi præſuppoſitiuè.

90. Obijcies 2. nam prima cauſa actiua, ſeu efficiens pertinet ad metaphyſicum; ergo ad illum etiam pertinebit agere de prima cauſa paſſiua, ac proinde vel materia non eſt cauſa, vel non eſt phyſicæ conſiderationis; cauſa namque actiua, & paſſiua dicuntur correlatiuè, ac proinde pertinebunt ad eandem ſcientiã. Reſp. quod etiam prima cauſa actiua pertinet ad phyſicam conſiderationem, vt eſt principium motus in hæc inferiora. Deinde ad metaphyſicum ſpectat agere de prima cauſa abſolutè vt eſt prima omnium rerum cauſa; tum quia prima cauſa actiua, nempe Deus nullo modo dicitur correlatiuè ad primam materiam, ſed ſolum cauſa actiua creata quæ poteſt habere aliquam dependentiam à materia.

§. 2. *Cuius rei materia prima ſit cauſa.*

91. Prima ſententia eſt, quod materia prima ſit cauſa ſolius compoſiti ſubſtantialis. Sic tenent aliqui apud Suarez *diſp.* 23. *metaphy. ſect.* 7. *n.* 2. Fonſeca 5. *metaphyſ. cap.* 2. *qu.* 1. *ſect.* 2. alioſque. Secunda ſententia tenet quod materia eſt cauſa ſolius formæ, non autem compoſiti, quatenus diſtinguitur à forma; ita Soncinnas 5. *metaphy. q.* 5. Iauellus *ibidem q.* 2. & alij.

92. Noſtra ſententia ſequentibus concl. explicatur. Prima concl. *Materia prima eſt cauſa compoſiti*. Sic tenent Suar. & Fonſeca citati, Conimbric. Pereirus, & alij communiter hoc loco. Conſtat ex Ariſt. toto ferè *lib.* 1. vbi cum propoſuiſſet inueſtigare principia, & cauſas corporis naturalis, quod eſt compoſitum phyſicum, inter has cauſas enumerat materiam vt principium intrinſecum, & ſubſtantiale, vt maximè patet ex *tex.* 62. 64. *&* 65. *&* 8. *metaphyſ. tex.* 12. docet compoſita naturalia habere quatuor cauſas, quarum vna eſt materia. Vnde materia cauſat formam ſuſtentando, & quaſi extrinſecè, at compoſitum componendo, & intrinſecè. Ratio eſt, quia materia prima eſt pars ſubſtantialis compoſiti generabilis, ergo eſt cauſa intrinſeca illius, pars

pars enim eſt cauſa totius. Tum quia ſi materia non eſſet cauſa compoſiti, neque eſſet forma; conſequens eſt falſum: ergo etiam antecedens. Minor conſtat, forma enim maximè, & præcipuè eſt propter quid compoſiti, vt centies repetit Ariſtoteles. Maior probatur, non enim eſt vlla ratio cur forma ſit cauſa compoſiti, & non materia, cum vtraque ſit pars compoſiti. Tum quia forma non eſt cauſa adæquata compoſiti, aliàs compoſitum nihil aliud eſſet intrinſecè niſi forma, & ſic materia debet eſſe concauſa, &c.

93. Secunda concluſio. *Materia eſt cauſa formæ vt à compoſito diſtinguitur*. Debet hæc concluſio eſſe receptiſſima. Ratio clara eſt, quia forma materialis fit dependenter à materia, educitur namque de potentia illius, vt ſupra vidimus; ergo dependet ab eadem materia, ſed hoc eſt materiam eſſe cauſam illius in genere cauſæ materialis; ergo, &c. Tum quia materia habet propriam cauſalitatem reſpectu formæ, vt poſtea videbimus, diuerſam à cauſalitate ſuppoſiti, ſuſtentat enim formam non compoſitum; ergo peculiari aliqua ratione eſt cauſa formæ. Tum etiam quia formæ materiales maximè in hoc differunt ab anima rationali, quod hæ non ſuſtentatur à materia, vt illæ; vnde anima naturaliter ſeparatur à materia, non formæ materiales.

94 Primum argum. primæ ſententiæ eſt, quod forma non fit, ſed ſolum compoſitum; ergo materia eſt cauſa ſolius compoſiti: ſi enim eſſet cauſa formæ, deberet hæc fieri. Reſp. diſtinguendo antecedens, forma non fit *vt quod*, conceditur, hoc enim modo ſolum compoſitum fit. Non fit *vt quo*, negatur, vt enim dicebamus, forma dependet à materia, &c.

95. Secundum argum. Si materia cauſaret formam, vel eam cauſaret vt cauſa intrinſeca, vel extrinſeca; neutrum dici poteſt; ergo, &c. Minor probatur, nam materia non eſt pars formæ, neque eam componit, aut conſtituit intrinſecè; ergo, &c. Neque eſt cauſa extrinſeca, quia iſtæ ſunt tantum duæ ſcilicet efficiens, & finis. Reſp. quod ſi per cauſã intrinſecam intelligamus illam quæ intimè eſt coniuncta cum ſuo effectu, tunc materia erit cauſa intrinſeca formæ quando illam ſubſtentat. Quod ſi per cauſam intrinſecam magis ſtrictè loquendo, eam intelligamus, quæ eſt pars ſui effectus, tunc materia non eſt cauſa intrinſeca formæ. Finis autem, & efficiens dicuntur cauſæ extrinſecæ, propriè primo modo, non quia ſemper ſint extrinſecè; ſed quia cum materia, & forma ſemper ſint cauſæ intrinſecæ, finis tamen, & efficiens hoc ex ſua ratione non poſtulant, ſed poſſunt eſſe cauſæ externæ, & ſic efficiens quod eſt principium motus in alio dicitur cauſa externa; & quando aliquid fit propter finem nondum acquiſitum dicitur cauſa externa finis.

96 Tertium argum. nam materia reſpectu illius eſt cauſa, quod ponitur tanquam effectus in eius definitione, & in ordine ad quod conuenit illi ſua definitio; ſed hoc non eſt forma, ſed compoſitum: ergo, &c. Minor probatur, definitur namque materia quod ſit *ſubiectum primum ex quo aliquid fit cum inſit*; ſed materia non ineſt in forma, ſed in compoſito; ergo compoſitum eſt eius effectus, non forma. Reſp. quod materia per illam definitionem definitur per vltimum effectum, non tamen ob hoc excluditur forma, cum hæc ponatur implicitè in ea definitione tanquam terminus *quo*. Compoſitum namque non poteſt fieri *vt quod* niſi forma fiat *vt quo*. Debuit autem in definitione poni terminus *vt quod* vt in eo intelligeretur terminus *quo*.

97 Quartum argu. nam materia non eſt cauſa animæ rationalis, cum hæc non fiat dependenter à materia, & tamen eſt cauſa hominis, ſeu compoſiti humani, ergo neque erit cauſa aliarum formarum, ſed tantum compoſitorum. Reſp. quod aliud eſt dicere non eſſe neceſſe vt materia ſit cauſa formæ ad hoc vt ſit cauſa compoſiti, aliud verò quod materia ita ſit cauſa compoſiti, vt non poſſit eſſe cauſa formæ; nam licet materia non ſit vllo modo cauſa animæ rationalis, poteſt tamen eſſe cauſa aliarum formarum mate-

rialium, propter diuerſam earum rationem, vt patet. Ad hoc tamen dico, quod materia aliquo modo eſt cauſa animæ rationalis, non quidem eam ſubſtentando, aut actu aliquid in illam influendo, ſed quatenus terminat relationem transcendentalem tanquam potentia receptiua illius; cum enim ſit forma informans neceſſe eſt quod pendeat à ſubiecto tanquam à receptiuo. Vel dicas quod materia cauſat animam rationalem vt vnitam, vt receptam, non vt dependentem quoad eſſe illius.

98. Primum argum. ſecundæ ſententiæ, nam ſi materia eſſet cauſa compoſiti vt compoſitum eſt, eſſet cauſa ſui ipſius; ſed hoc eſt falſum, ergo & illud ex quo ſequitur. Maior oſtenditur, quoniam compoſitum vt totum quoddam eſt, eſſentia liter includit materiam; ergo ſi materia cauſat compoſitum, cauſat ſe ipſam. Vel enim cauſat compoſitum ratione formæ, & tunc non cauſabit niſi formam, vel cauſat compoſitum vt diſtinguitur à forma, & tunc cauſabit ſe ipſam. Reſp. negando maiorem. Ad probationem dico, quod materia cauſat compoſitum vt totum quoddam eſt, hinc tamen non ſequitur quod cauſet ſe ipſam, illa namq; ſequela valet non in cauſis intrinſecè cõponentibus, ſed in alijs; quia eſſe cauſam intrinſecam hoc modo nihil aliud eſt quam eſſe partem compoſiti; & ſicut non valet: materia eſt pars compoſiti, ergo eſt pars ſui ipſius; ita neque valet, eſt cauſa compoſiti, ergo eſt cauſa ſui ipſius, ſed ſolum valet quod ipſa per ſe ingrediatur compoſitum ſe illi communicando, vt patet in cœteris compoſitis artificiatis, & accidentalibus nobis notiſſimis; nam paries v. g. & tectum ſunt cauſa domus, & partes illius, non tamen ſunt cauſa ſui ipſius. Item albedo eſt cauſa albi, non ſui ipſius. Ratio à priori eſt quia huiuſmodi cauſæ, ſunt cauſæ ingredientes, & componentes, nec aliter cauſant compoſita quam componendo, & cum non ingrediantur, nec componant ſe ipſas, non ſunt ſui ipſarum cauſæ.

99. Secundum argum. Materia eius eſt cauſa cuius eſt ſubiectum, ipſa namq; non cauſat niſi vt ſubiectum, vt patet ex eius definitione; ſed materia non eſt ſubiectum compoſiti, ſed tantum formæ: ergo ſolam formam cauſat non compoſitum. Tum quia materia reſpectu illius eſt cauſa, reſpectu cuius eſt potentia eductiua, & receptiua; ſed ſolum eſt huiuſmodi reſpectu formæ; ergo ſolum cauſat formam. Reſp. diſtinguendo maiorem eius eſt cauſa cuius eſt ſubiectum, aut potentia tantum ſubſtentans, eductiua, aut receptiua tantum, negatur etiam conſtitutiua, conceditur. Reſpectu formæ materia eſt ſubſtentans, eductiua, & receptiua, at reſpectu compoſiti eſt conſtitutiua, & compoſitiua.

100. Tertium argum. nam eo ipſo, quod intelligimus materiam ſubſtentare formam, & recipere illam, ſine vlla alia cauſatione, intelligimus fieri compoſitũ; ergo materia reſpectu compoſiti nullam habet cauſalitatem, ſed tantum reſpectu formæ. Reſp. negando antecedens; licet enim eo ipſo, quod intelligamus materiam recipere formam, nihil aliud requiratur veluti ab extrinſeco ad conſtituendum compoſitum, non tamen adhuc intelligitur proprius cauſandi modus materiæ reſpectu compoſiti, qui eſt ingredi ipſius conſtitutionem tanquam partem.

101. Quartum argum. cauſa, & effectus dicunt ad inuicem realem relationẽ; ſed materia non dicit realem relationem ad compoſitum, quia tunc diceret realem relationem ad ſe ipſam, ergo, &c. Reſp. negando minorem, cum enim materia ſit pars realis compoſiti, ab eoque realiter diſtinguatur ſequitur quod poſſit eſſe mutua relatio realis inter materiam, vt partem, ac proinde vt cauſam, & compoſitum, vt totum, & cauſatum.

S. 3.

§. 3. *Quanam ſit cauſalitas materiæ.*

102. Haec difficultas valde controuerſa eſt inter modernos, nã apud antiquos Peripateticos non reperitur. Pro quo notandum 1. iſta tria differre inter ſe, cauſa, cauſalitas, & cauſatio. Cauſa eſt principium influens in effectum; cauſalitas eſt proprius cauſandi modus cuiuſcumque cauſæ; cauſatio autem eſt ipſa actio, ſiue efficientia cauſæ, ſed hæc propriè non reperitur niſi in cauſa efficiente. Notandum ſecundò, quod materia (idem dic de forma) poteſt dupliciter ſumi primò reſpectu compoſiti, quod componit, & cauſat vt pars. Secundò reſpectu formæ, vt illi aliquod eſſe tribuit ſubſtentando, recipiendo, &c.

103. Notandum 3. quod in cauſa, quantum ſpectat ad rem noſtram, tria diſtinguere poſſumus, ſcilicet id quod denominatur cauſa, ſeu cauſare, v.g. ignis eſt qui calefacit; deinde ratio aliqua formalis per quam res habet vt ſit cauſa, & vocatur ratio formalis cauſandi, v.g. in igne reſpectu calefactionis ratio formalis calefaciendi eſt calor; & hæc ratio meretur nomen cauſæ; illud primum dici ſolet id quod cauſat *vt quod*: hoc ſecundũ dicitur cauſa *vt quo*. In materia id quod cauſat formam eſt ipſa materia; ratio formalis cauſandi eſt eius potentia, cauſat enim vt potentia. Demum concipi poteſt ex parte cauſæ aliqua alia ratio, per quam intelligatur cauſa quaſi proximè, & immediatè, & quaſi in actu ſecundo attingere effectum; illa enim prima ratio ſolum conſtituit in actu primo, & hæc in exemplo ignis eſſet calefactio per quam ignis diceretur in actu ſecundo producere calorem: & hæc vltima ratio à recentioribus vocatur cauſalitas, quæ in cauſa efficiente videtur actio, in alijs cauſis aliquam habet difficultatem. Cum ergo materia ſit cauſa tum formæ, cum compoſiti, quæritur quid ſit eius cauſalitas per quam proximè, & in actu ſecundo attingit ſuos effectus.

104. Conueniunt ferè omnes Philoſophi hoc loco, vt videre eſt a qud Maſiũ, Hierony. Pla. Pererium, Conimbric. & alios, quod cauſalitas materię reſpectu formæ materialis non ſit aliud niſi ſubſtentatio illius, ſicut enim agens agit per actionem, ita materia per ſubſtentationẽ. At cauſalitas eiuſdem materiæ reſpectu compoſiti, ſit illud componere, & conſtituere. Sed quid ſit illa ſubſtentatio, & an realiter diſtinguatur à materia, & forma, non leuis eſt controuerſia, ſicut & quid ſit per id quod materia cõſtituit, & actu cõponit compoſitum. N. Complut. breuiter ab hac re ſe expediunt dicentes quod cauſalitas materiæ in fieri eſt generatio, & in facto eſſe eſt vnio, per quam veluti per gluten materia copulatur formæ, & compoſitum conſtituit, & per generationem materia incipit vniri formæ, eamque ſubſtentare, & generatio ſubſtantialis non ſit aliud niſi vnitio in fieri. Quod ſi dicamus generationem eſſe modum realiter diſtinctum tum à materia, eiuſq; potentialitate, tum ab vnione, tunc dicendum erit cauſalitatem materiæ reſpectu forme, ſeu in fieri eſſe modum generationis realiter diſtinctum, & ſic cauſalitatem materiæ in fieri eſſe aliquid ab ipſa realiter modaliter ab ipſa diſtinctũ. At cauſalitas in facto eſſe, eſſe alium modum permanentem ſcilicet vnionem ſubſtantialem realiter modaliter, tum à materia, tum à compoſito diſtinctam. Illi, qui putant generationem ſubſtantialem non eſſe quid à materia diſtinctum, ſed eſſe eandem materiam, vt primo ſubſtentantem formam, dicunt cauſalitatem materiæ in fieri eſſe ipſam materiam vt primò incipit ſubſtentare formã. Et qui negant vnionem ſubſtantialem dicunt cauſalitatem materiæ, in facto eſſe, eſſe eandem materiam vt quietè, ſeu in actu quieto ſubſtentantem formam, & conſtituentem compoſitum. Quod dictum eſt de materia prima, dici poteſt de ſecunda.

§. 4.

§.4. *Quænam ſit cauſalitas formæ.*

105. Loquimur de forma ſubſtantiali,ſiue tantum informante, ſiue etiam ſubſtentata à materia; quod tamen dicemus de forma ſubſtantiali dici proportionaliter poterit de formis accidentalibus. Forma ſubſtantialis plura habet tam reſpectu compoſiti, quam reſpectu formæ. Primò ergo dat tam materiæ quam compoſito eſſe ſpecificum, conſtituendo illa in aliqua determinata natura,& ſpecie. Secundò forma eſt cauſa exiſtentiæ materiæ, & totius compoſiti, à forma namque materiali *vt quo* pullulat exiſtentia, & inde communicatur materiæ,& compoſito. Dixi à forma materiali, quia à forma ſpirituali pullulat exiſtentia *vt quod*, hæc enim exiſtit, & ſubſiſtit *vt quod*. Tertiò forma determinat indifferentiam materiæ, quæ omnia præſtat media informatione. Et ſic cum forma hæc omnia præſtet, quærimus in quo eius cauſalitas conſiſtat.

106. Eſt ergo ſatis communis ſententia quod cauſalitas formæ conſiſtat in hoc, quod immediatè det eſſe eſſentiæ ſpecificum, & determinatum tam materiæ, quam toti compoſito per realem coniunctionem cum materia. Certè forma tribuit materiæ immediatè eſſe ſpecificum ad differentiam cauſæ efficientis, quæ dat etiam eſſe eſſentiæ materiæ, ſed mediatè, media ſcilicet forma, quam per eductionem producit quando eſt materialis,& creat quando eſt ſpiritualis. Sed iſta ſententia etiam ſi verum dicat, non tamen explicat expreſsè, & clarè formæ cauſalitatem, quæ debet eſſe id quo vltimo forma cauſat.

107. Aliqui etiam dicunt,quod cauſalitas formæ conſiſtat in hoc, quod det materiæ, eſſe exiſtentiæ, & ſubſiſtentiæ, & toti compoſito, ſed neque hæc ſententia placet, quia licet iſti modi ſequantur ad eſſe eſſentiæ quod forma tribuit materiæ, & toti compoſito, non tamen in hoc conſiſtit formæ cauſalitas,quæ debet attendi in ordine ad eſſe eſſentiæ, non in ordine ad id quod ad eſſe eſſentiæ conſequitur, per certam,& naturalem quandam ſequelam.

108. Vera ergo ſententia deſumi debet ex ijs quæ diximus cum N.Complut. §. præcedenti *nu.* 104. quod ſcilicet cauſalitas formæ in fieri ſit generatio vt ſe tenet ex parte formæ, & in facto eſſe, eſt vnio vt ſe tenet ex parte eiuſdem formæ. Vnde eadem generatio, & eſt cauſalitas materiæ, & formæ; materiæ; vt ſuſtentat formam, ſeu fieri formæ: formæ, vt forma incipit informare,& determinare materiam. Vnio vt in eſſe pacifico vnit materiam formę, eſt cauſalitas materiæ: Eadem vnio vt in eſſe pacifico vnit formam materiæ, eamque determinat, & complet pacificè, eſt cauſalitas formæ. Aduerte tamen, quod forma (idem dicendum de materia) prius intelligetur ſuam exercere cauſalitatem erga formã partialem, deinde erga totalem, ſeu naturam, & poſtea erga compoſitum; quid autem ſit natura, & quid compoſitum, conſtat ex dictis ſupra, & magis dicemus de generatione, & corruptione.

§. 5. *An cauſa exemplaris, ſeu idea, ſit cauſa formalis.*

109. Idea nihil eſt aliud, prout ad rem noſtram pertinet, niſi quoddam idolum mentis, ſeu exemplar, quod eſt in mente agentis, ſeu artificis ad cuius ſimilitudinem exprimendam in aliqua materia, artifex operatur: Dicitur idea, & forma, & ratio, & exemplar intrinſecum operis faciendi, ad differentiam alterius exemplaris extrinſeci, quod eſt quando artifex propoſita ſibi ante oculos aliqua imagine, vel ſtatua, aut perſona, illam imitatur, exprimendo aliam ſimilem,in quo caſu talis perſona,aut imago dicitur exemplar extrinſecum,ex quo patet, quod idea nõ reperitur niſi in agẽtibus per cognitionem, & in illis, qui ita operantur per cognitionem, vt poſſint non operari, aut etiam operari contrariũ. Hinc docet Ariſt. 9. *metaph. tex.* 3. quod omnes artes, in quibus maximè conſiſtit

ſtit idea, poſſunt efficere contraria, vt medicus ſanitatem, & morbum. Quare in animantibus non ſunt propriè ideæ. Vnde quando hyrundo format nidum, & aranea texit telam, non habent propriè ideas horum operum, ſed ex quodam naturali inſtinctu determinantur ad illos effectus ponendos tali modo, taliq; tempore.

110 Vt autem videamus ad quodnam genus cauſæ reducatur idea, notandum eſt, quod in artifice operante poſſunt hec omnia diſtingui. I. Potentia intellectiua. II. Aliqua actualis cognitio, per quā cognoſcit id quod eſt facturus. III. Obiectum huius cognitionis, quod eſt ipſum opus. IV. Præcepta artis, & habitus artis per quæ eſt operaturus. V. Aliud obiectum intra intellectum, ſeu verbum mentis, quod exprimit, & refert opus faciendum, quod verbum ſolet vocari forma prout exprimit rem fiendam, ob eandem rationem vocatur idolum, & exemplar, quod artifex ſibi format in mente, vt ad illud attendens, veluti ad imaginem imitandam producit opus ad extra. Et quidem quod potentia intellectiua, quod præcepta artis, quod habitus artis non ſint formaliter idea, conuenit ferè apud omnes. De alijs duobus eſt difficultas, an ſcilicet idea ſit ipſa cognitio intellectus, an verbum mentis, ſeu idolum ad id expreſſum per intellectum, an etiam idolum impreſſum, ſeu ſpecies impreſſa obiecti: non enim aliud excogitari poteſt in quo conſiſtat.

111. Prima ſententia eſt, quod idea ſit ipſa cognitio operis faciendi. Ita Suarez *diſp. 25. metaph. nu. 9.* Ruuius *hoc loco tract. 6. nu. 8.* & alij. Secunda ſententia eſt, quod idea ſit ipſa ſpecies impreſſa obiecti, ſeu operis faciendi, ita quidam moderni hoc loco, hæc tamen ſententia communiter reijcitur, quia ſpecies impreſſa vt ſic non mouet, nec excitat, nec concurrit ad opus niſi medio verbo, ſeu idolo, aut exemplari expreſſo. Tertia ſententia ſatis communis eſt, quod pertineat ad cauſam efficientem, alij ad finalem. N. Complut. *hic diſp. 9. qu. 5.* dicunt quod idea principalius pertinet ad cauſam formalem, licet ſecundariò pertineat ad cauſam efficientem, & finalem. Pertinet principalius ad formam, quia eſt forma quædam: pertinet ad cauſam efficientem, quia determinat ad opus, & ad illud ſaltem directiuè concurrit. Pertinet ad cauſam finalem, quia mouet vt finis ad executionem.

112. Vt hæc Complutenſium ſententia, quæ eſt communis tum in ſchola D. Thomæ, tum Scoti, plenius, & radicitus intelligatur, ſciendum eſt ex Ariſt. *1. Cæli tex. 92. & 93.* quod tam in rebus artificiatis, quam etiam naturalibus, forma duobus modis conſiderari poteſt, ſcilicet per ſe, & eſt ipſamet forma artis in abſtracto, ſeu quatenus concipitur vt abſtrahit ab hac, vel illa forma, & repræſentatur, ſeu reperitur in verbo ſecundum eſſe intelligibile, vt forma domus abſtracta ab hac domo, & ſecundum ſe conſiderata prout in ſpecie repræſentatur, quā intellectus cognoſcit conuertendo ſe ad phantaſma: à quo fuit extracta, & deducta, & forma domus ſic abſtracta vocatur natura, ſeu forma in anima, quia non reperitur niſi obiectiuè in intellectu, ſcilicet in verbo mentis repræſentata. Huic formæ in anima correſpondet forma in materia. Nam ſecundum Ariſt. aliud eſt caro ſecundum ſe, & aliud hæc caro. Caro namque ſecundum ſe dicit formam, ſeu naturam carnis, quę eſt abſque materia, hæc vero caro dicit carnem in materia. Vbi per carnem abſque materia intelligit eſſentiam, ſeu naturam carnis in ſpecie. Per hanc vero carnem quæ eſt in materia intelligit illud ſingulare ſenſibile carnis, quod eſt à parte rei. Igitur per Ariſt. forma inducta ab arte prout concipitur abſque materia determinata vocatur forma in anima, ſeu forma abſque materia, in verbo repræſentata, eadem autem forma applicata materiæ, vocatur forma in materia.

113. His poſitis noſtra ſententia ſequenti concl. explicatur. *Idea non eſt formaliter cognitio, ſed obiectum illius immediatum, ſeu verbum, aut idolum mente expreſ-*

expreſſum: Probatur 1. nam ſecundum Ariſt. illud eſt idea in artifice, quod poteſt dici forma abſque materia operis faciendi, v. g. idea domus, eſt domus abſq; materia: idea ſanitatis, eſt ſanitas abſque, materia, ſed hoc non eſt cognitio domus aut ſanitatis, vt vult Suarez; ergo idea non eſt cognitio. Maior eſt Ariſt. 7. *metaph. tex.* 23. vbi ita loquitur. *Ab arte autem fiunt, quorum forma in anima*, vbi ideam vocat formam in anima,& ne quis putaret quod per formam in anima intelligit cognitionem, ſubdit. *Formam autem dico ipſum quod quid erat vniuſcuiuſque, & primam ſubſtantiam*; quod quid eſt autem eſt definitio formæ, vt ſupra obſeruauimus, & ſic per Ariſtotelem idea nil aliud eſt niſi forma, & quidditas rei faciendæ conſiderata abſque materia. Deinde ſubdit. *Sanitas verò eſt ratio, quæ eſt in anima*, vbi ideam ſanitatis vocat rationem, ſeu formam in anima; ratio namque eſt formæ definitio. Demum concludit. *Sanitatem ex ſanitate accidit fieri, & domum ex domo; ex ijs, quæ ſine materia, ea quæ habent materiam, ars enim medendi, & ædificandi, eſt forma ſanitatis, & domus: dico autem ſubſtantiam abſque materia, quod quid erat eſſe*. Minor autem quod talis forma abſque materia non ſit cognitio conſtat ex modo dictis, vbi Ariſt. vocat ideam ſubſtantiam.

114. Probatur 2. quia nihil habet rationem ideæ niſi cognoſcatur,& propterea dicitur exemplar, qua ratione idea communiter definitur, quod ſit exemplar, quod artifex exprimere nititur in aliqua materia, ergo idea non eſt cognitio, ſed quid cognitum, vt eo cognito determinetur, & dirigatur artifex ad opus, quod non poteſt eſſe formaliter cognitio, nam cognitio non cognoſcitur niſi per actum reflexum; quando autem artifex operatur ex cognitione operis nō indiget actu reflexo quo cognoſcat ſuam cognitionem; neque cognitionem ſuam imitatur in operatione, ſed obiectum cognitionis. Hæc patent experientia, dum enim aliquis ſcribit v. g. dummodo habeat ideas litterarum in mente non eſt neceſſe vt per actum reflexum quod cognoſcat ſuam cognitionem quam habet de ideis, & ita ſcribat; ſed ſufficit ſi cognoſcat ipſas ideas.

115. Probatur 3. nam idea interna ita ſe habet proportionali modo ad opus, ac exemplar externum, vnde vnum inſeruit, altero deficiente; ſed exemplar externum non eſt cognitio ipſius exemplaris, vel obiecti; ergo neque exemplar internum erit cognitio, ſed obiectum cognitionis. Soluuntur argumenta in contrarium.

116. Primum argum. nam ſi idea non eſſet cognitio. eſſet obiectum cognitionis; ſed hoc eſt falſum; ergo, &c. Minor probatur, nam vel tale obiectum eſſet opus faciendum, vel aliquid ſimile obiecto, aut operi faciendo, neutrum dici poteſt; ergo, &c. Minor probatur, non ipſum obiectum faciendum, quia tunc idem eſſet cauſa ſui ipſius;non ſecundum quia eſt contra experientiam, quoniam artifices nullum aliud exemplar ſibi proponunt imitandum, ſed mente ſolum præconcipiunt illud ipſum opus, quod facere volunt. Reſp. ex dictis,quod idea eſt illud ipſum opus, quod futurum eſt, non tamen vt in indiuiduo, ſed conſideratum ſecundum formam, quæ in verbo repræſentatur, & futura eſt in indiuiduo, quam formam artifex aliquando conſiderat in nulla materia determinata, ſed vt determinanda, ſeu vt ponenda in materia determinata. Bene verum eſt, quod artifex aliquando in mente applicat ideam alicui materiæ, & eam conſiderat ſic applicatam, v.g. ligno,lapidi, ceræ,&c.Imò aliquando exprimit prius illam ideam in aliqua materia parua, tum ad fulciendam imaginationem,tum ad memoriam, tum ad formandum vulgo *il modello*, vt oſtendat alijs opus futurum, in quo caſu idea dici poſſet eſſe aliquod opus ſimile illi quod futurum eſt, ſed hoc eſt per accidens ad rationem ideæ, quæ ſolum cōſiſtit in ipſa forma ſine materia,vt dictum eſt. Ex quo non ſequitur quod idem eodem modo ſit cauſa ſui ipſius, ſed diuerſo modo, quatenus forma ſiue mate-

ria, eſt cauſa ſui in materia.

117. Secundum argum. nam Deus haber ideas creaturarum, quas poteſt producere, ſed tales ideæ non ſunt ipſæ creaturæ obiectiuè exiſtentes in mente Dei; ergo erit ipſa Dei cognitio, ac proinde idem dicēdum erit de ideis exiſtentibus in nobis. Reſp. ex dictis cum D. Thom. 1. p. q. 15. quod neque ideæ diuinę conſiſtunt in cognitione diuina, ſed in obiecto cognito, ſcilicet in ipſamet eſſentia diuina, vt eſt imitabilis à creaturis, ſeu quatenus repreſentat modo determinato omnem creaturam, & ſuo modo determinat diuinum intellectũ eumque dirigit ad operandum; cum ipſa ſit participabilis, & imitabilis à creaturis quæ in Deo eminenter continentur; & cum eſſentia diuina comparari poſſit ad plures creaturas, ideo dicuntur in Deo eſſe plures ideæ, non quidem realiter, ſed ratione tantum ratiocinata.

118. Tertium argum. nam Ariſtoteles 2. *de anima tex.* 121. vocat ſpecies intentionales formas abſque materia; ergo ideæ nil aliud erunt niſi ſpecies intentionales, quas artifex ſibi format. Reſp. quod Ariſtoteles vocat quidem ſpecies intentionales formas abſque materia, non tamen vocat quod quid erat rei, & primam ſubſtantiam, vt vocat ideas, vt intelligatur quod idea non eſt ipſa ſpecies, ſed eſt forma, ſeu natura relucens in ſpecie. Ex quibus colligitur, quod idea principalius reducitur ad genus, ſeu ad cauſam formalem, deinde ad cauſam efficientem quatenus determinat, & dirigit operantem ad ponendum opus ſecundum quod habet eſſe in idea, & demum reduci poteſt ad cauſam finalem modo explicato.

DVBIVM IV.

De cauſa efficiente.

§. 1. *An cauſa efficiens rectè definiatur, &c.*

119. Dari cauſam efficientem conſtat ex dictis ſupra oſtendentes quatuor eſſe cauſarum genera, non plura, nec pauciora, & ſic à quęſtione quid eſt, ſeu an rectè definiatur exordimur. N. Complut. hoc loco *diſp.* 10. *q.* 1. ex Ariſt. hic, D. Thoma, Maſio, & Toleto definiunt cauſam efficientem, quod ſit *id à quo primo incipit motus*, non via intentionis, quoniam hoc modo eſt finis, ſed via executionis, nam intantum materia recipit formam inquantum agēs eam educit, & materiæ vnit, & intantum forma informat materiam inquantum agens eam illi vnit. Et intantum finis exequitur, ſeu executioni mandatur, inquantum agens applicat media, quibus finis exequatur. Vnde patet quod iſta definitio cauſę efficientis optima eſt, quia ſoli efficienti conuenit, non cauſæ materiali, aut formali, aut efficienti; nam res quæ producitur non dicitur produci à fine, ſed propter finem: nec à materia, nec à forma, ſed ex materia, & per formam.

120. Maior difficultas eſt, an conueniat iſta definitio omni efficienti. Pontius *diſp.* 9. *q.* 1. hanc definitionem reijcit ex eo, quod non conueniat primæ cauſæ, ſcilicet Deo, quia Deus non eſt *id à quo primò incipit motus*, ſeu *mutatio*, quando enim Deus creat Angelum, non eſt à quo primo incipit motus, cum creatio non ſit *motus*, ſeu *mutatio*. Vnde aliam tradit definitionem, quod cauſa efficiens ſit illa *quæ ſecundum ſuum eſſe reale facit, vt aliquid exiſtat realiter, neque cum eo, qua talis eſt, compoſitionem facit, neque ipſum componit*. Cæterum iſta non eſt definitio, ſed homilia, definitio namque ex Boetio, debet genere, & differentia conſtare.

121. Pro ſolutione difficultatis ſciē-dum eſt, quod intentio Ariſtotelis hoc loco, dum definit cauſam efficientem, nō fuit definire omnem cauſam efficientem, ſed illam tantum, quæ pertinet ad conſiderationem phyſicam, ac proinde, quæ eſt principium motus, ſeu mutationis phyſicæ, ſeu generationis ſubſtantialis; & hæc non melius poteſt definiri, quam per hoc, quod ſit *id à quo primo incipit motus*, ſcilicet phyſicus. Bene verum eſt, quod poteſt ad quamcumque cauſam efficientem ſiue primam, ſiue ſecundam, ſiue principalem, ſiue inſtrumentalem applicari, quoniam etiam inſtrumentalis in ſuo ordine eſt à quo primo incipit motus, dummodo *motus* non accipiatur rigoroſè, pro vero motu, ſeu mutatione phyſica, ſed pro quolibet tranſitu, aut productione, vt comprehendit etiam creationem, quæ eſt vera productio rei ex nihilo.

122. Sed obijcies 1. nam etiam materia eſt à quo primo incipit motus, vnaquæque namque cauſa eſt id à quo primo incipit motus v. g. generationis: in genere cauſæ materialis materia eſt à quo primo incipit motus generationis: in genere cauſæ formalis, eſt forma: in genere cauſæ finalis, eſt finis. Reſp. quod licet vnaquæque cauſa ſit in ſuo genere id à quo primo incipit motus, tamen cauſa efficiens, eſt abſolutè id à quo primo incipit motus. Valet namque iſta cauſalis, ideo materia incipit, quia efficiens incipit, & ſic de alijs; non è contra: non enim valet: ideo efficiens incipit, quia materia v.g. incipit.

123. Obijcies 2. nam iſta definitio conuenit naturæ, & coincidit cum definitione naturæ ſcilicet: *natura eſt principium motus, & quietis eius in quo eſt, primo, & per ſe, &c.* hæc enim definitio coincidit cum iſta: natura eſt *à quo primo incipit motus*. Reſp. quod natura non eſt id à quo primo incipit motus abſolutè, ſed tantum talis motus, ſcilicet interni, vnde dicitur *eius in quo eſt*. At efficiens non eſt principium intrinſecum motus, ſed extrinſecum, vt fiat ſenſus quod efficiens eſt à quo primo incipit motus tanquam à principio extrinſeco. Cauſa namque efficiens, & finalis ſunt extrinſecæ, & non componentes, vt ſunt materia, & forma.

§. 2. *Quænam ſit cauſalitas cauſæ efficientis.*

124. Conueniunt Philoſophi hoc loco, quod cauſalitas cauſæ efficientis in actu primo ſit ea virtus, per quam cauſa agere, ſeu producere poteſt; per hanc enim virtutem cauſa denominatur formaliter cauſa in actu primo. Difficultas procedit de cauſalitate cauſæ efficientis in actu ſecundo. De quo prima ſententia eſt, quod ſit ipſa actio. Sic Suarez *diſp.* 18. *metaph. ſect.* 10. *num.* 5. Conimb. & Ruuius apud N. Complut. *diſp.* 10. *q. vlt. num.* 131. quibus addo Pontiũ *diſp.* 9. *q.* 1. *concl.* 2. Secunda ſententia eſt, quod cauſalitas cauſæ efficientis conſiſtat in hoc, quod eſt dare eſſe effectiuè, non ſe ipſam immediatè vniendo effectui, ſed aliam formam diſtinctam, & emanatam communicando effectui. Sic tenet Hierony. Pla. *hic q.* 3.

125. Tertia ſententia eſt, quod cauſalitas cauſæ efficientis ſit ipſum agere non actio. Sic tenent Thomiſtæ, vt Soncin. Iauel. Maſius, & alij relati à N. Cōplut. loco citato. Ipſi Complut. dicunt, quod iſtæ ſententiæ maximè prima, & tertia ſecundum rem non diſcordant, melius tamen explicatur cauſalitas cauſę efficientis per agere quam per ipſam actionem.

126. Noſtra ſententia ſequenti concluſ. explicatur. *Cauſalitas cauſæ efficientis vt reſpicit efficiens, explicatur per actu agere, ſeu conſiſtit in actu agere. at vt reſpicit effectum, explicatur per actionem, ſeu conſiſtit in actione.* Prima pars patet, nam per cauſalitatem cauſa denominatur actu cauſans, ſed per actionem cauſa non denominatur cauſans, ſed per ipſum agere: agere namque dicit actionem in concreto, ac proinde vt denominantem ſubiectum; at actio dicit eandem actioné in abſtracto, ac proinde vt non denomi-

nante m

nantem ſubiectum; ergo, &c. Secunda pars etiam patet, nam actio, de qua agimus eſt tranſiens, & recipitur in paſſo, vel ſaltem illud reſpicit, de ratione namque actionis productiuæ eſt reſpicere terminum, & ſic per eam vt ſic reſpicientem terminũ rectè explicatur cauſalitas agentis. Et in hac ſecunda parte conueniunt omnes.

127. Contra primam partem quam damus Thomiſtis, & N. Complut. Obijcit Pontius, quia poſita actione ſine vllo alio, denominatur cauſa actualiter cauſans, ſeu actu agere, efficere, & cauſare, ergo actio eſt cauſalitas in actu ſecundo. Confirmat quia fruſtra poneretur aliquid aliud quod eſſet forma denominans cauſam cauſantem præter actionem; ergo, &c. Nec valet dicere cum Complut. quod actio non dat illam denominationem niſi vt exercita, non vt in abſtracto; in abſtracto namque nil denominat, ſicut albedo in abſtracto. Vnde ſi per impoſſibile daretur actio ſine agente non daretur cauſalitas, ſed actio. Nam inquit Pontius, actio ſecundum ſe eſt forma, quæ tribuit illam denominationem, ſicut albedo ſecundum ſe eſt forma, quæ tribuit denominationem albi; & ſane dicere, quod actio non tribuat illam denominationem niſi vt exercita, eſt nugari verbis. Nec bene diceretur quod album tribuat denominationem albi, &c.

128. Reſp. negando antecedens. Et ſolutio N. Complut. eſt optima, actio namque ſonat abſtractum, ſeu formam in abſtracto, quæ vt ſic non denominat, ſed vt exercita, ſeu vt in ſubiecto, ſeu vt cõnotat ſubiectum. Licet enim actio non ſit in agente, cum tranſiens eſt, tamen ab agente egreditur, & non exprimit egreſſum ab agente, niſi vt exercita, & quaſi in concreto conſiderata; cauſalitas autem agentis debet exprimere egreſſum ab agente, non actionem ſecundum ſe, quæ non magis connotat agentem quã terminum. Et licet verum ſit quod actio ſit forma, quæ tribuit denominationem agentis, ſicut albedo eſt forma quæ tribuit denominationem albi, non tamen vt ſic conſiderata tribuit denominationẽ, ſed prout eſt in ſubiecto. Vnde aliud eſt quod albedo ſit forma quæ tribuit denominationem, & aliud eſt, quod vt ſic conſiderata eam tribuat. Neque eſt nugari dicere, quod actio non tribuat denominationem agentis, niſi vt exercita, ſicut non eſt nugari dicere, quod albedo non tribuit denominationem albi niſi vt exercita, ſeu niſi vt in ſubiecto. Quare licet verum ſit quod album non tribuit denominationem albi, non eſt tamen verum, quod albedo non tribuat hanc denominationem, vt eſt exercita, ſeu vt in concreto; & eſt falſum quod albedo vt ſic in abſtracto conſiderata tribuat denominationem albi.

DVBIVM V.

An cauſa ſecunda neceſſaria indigeat concurſu cauſæ primæ vt agat; vbi alia omnino videnda.

129. POſtquam vidimus quid ſit cauſa efficiens, & quæ eius cauſalitas, agendum eſt de eius virtute ad agẽdum, & maximè de dependentia cauſæ ſecundæ neceſſariæ à prima. Solum de cauſis neceſſarijs agemus, vt abſtineamus à cauſis liberis, cum non ſit hæc tractatio præſentis inſtituti, nec Ariſtoteles agit hoc loco de cauſis liberis, ſed de neceſſarijs, quæ pertinent ad conſiderationem phyſicam, ſit tamen prius.

§. 1. *An cauſæ neceſſariẹ efficientes aliquid efficiant.*

130. DE propria efficientia procedit difficultas, quæ ſolum in efficientibus reperitur, nam ſi loquamur de efficientia impropria, quæ communi nomine vocatur cauſatio, certum eſt, quod omnis cauſa aliquid efficit, nam materia efficit formam, dum eam ſuſtentat, & forma efficit materiam dum eam informat, limitat, atque determinat. Tripliciter autem res poteſt fieri, primo ſecundum totam ſuam entitatem, qua ratio-

ratione res fiunt ſecundum materiam, & formam. Secundò, ſecundum formam tantum, materia præſuppoſita, qua ratione fit leo per generationem, equus, &c. Tertiò, ſecundum accidentia præuia, & materiam diſponentia ad formæ ſubſtantialis receptionem, aut ad illius conſeruationem. Certum eſt quod res fieri non poteſt à cauſis particularibus ſecundum materiam, & formam, quoniam materia prima cum ſit primum ſubiectum non poteſt fieri ex præſuppoſito ſubiecto, vnde ſolum à Deo per creationem fieri poteſt. Certum etiam eſt, quod anima rationalis à cauſa particulari, imò neque ab vniuerſali, ſi Deum excipias, fieri poteſt, tum ad vnionem quo materiæ vnitur. De cauſis ergo particularibus, vel vniuerſalibus creatis præſens procedit difficultas, de qua.

131. Prima ſententia eſt, quod nulla cauſa particularis, imò neque vniuerſalis ſecunda aliquid efficit, ſed ſolus Deus omnia ad præſentiam illarum operatur. Huius ſententiæ patronos refert Magnus Albertus hoc loco *tract.* 2. *cap.* 1. In eam inclinare videtur Gabr. *in* 4. *diſt.* 2. *q.* 1. *&* 3. pro eadem ſent. refert Maſius hic Aliacenſem, & alios. Hanc ſententiam egregiè impugnat D. Tho. 1. *p. q.* 105. *art.* 5. *&* 3. *contra Gent. cap.* 69. Durand. *in* 2. *diſt.* 1. *q.* 5. & alij, de qua dicemus poſtea.

132. Secunda ſententia fuit Auicenbron *in tract. de mat. & forma*, quem inſcripſit *librum fontis vitæ*, quem ſecuti sũt plures Arabes, quatenus quod hæc inferiora nihil operentur, ſed quod omnes actiones fiant à ſubſtantia quadam, & virtute ſpirituali omnia corpora penetrãte, quæ ſententia teſte D. Tho. ſumpſit initium à Platone. Tertia ſententia eſt Auicẽnæ apud D. Tho. *dicta q.* 105. *art.* 1. qui exiſtimauit quod agentia hæc inferiora ſolum dicantur efficere, inquantũ diſponunt materiam ad receptionem formæ ſubſtantialis producitur à principio immateriali. Huius ſententiæ patronos præter Auicennam refert Valleſ. *controu.* 14.

133. Noſtra ſententia ſeq. concl. explicatur. *Cauſæ ſecundæ ſiue vniuerſales, vt ſol, & cæli, ſiue particulares, vt homo, leo, &c. verè agunt, & ſuos effectus producunt, & non tantum Deus, aut alia cauſa ad earum præſentiam. Vnde ignis verè producit ignem, & calorem, equus equum, homo hominem, & ſic de alijs*. Non loquimur de cauſis liberis, eſt enim de fide ex Trident. *ſeſſ.* 6. *can.* 4. quod homo verè producat ſuos actus liberos, & non ſe habet vt inanime inſtrumentum. Pro noſtra concl. videri poſſunt D. Tho. locis citatis, M. Soto *hic q.* 4. Toletus *q.* 8. & alij communiter hoc loco, & 5. Metaphy.

134. Probatur 1. ſacræ ſcripturæ teſtimonijs. Gen. 1. dicitur. *Germinet terra herbam virentem* Et poſt aliqua ſubditur. *Producant aquæ reptile animæ viuentis*. Luc. 2. legitur. *Videte ficulneam, et omnes arbores, cum producunt iam ex ſe fructum, etc.* Et Marci 4. habetur. *Et ſemen germinet, et creſcat, etc.* Idem docet Sancti Patres. S. P. Aug. 7. *de ciuit. cap.* 30. N. S. P. Damaſc. 3. *fidei cap.* 15. D. Anſelm. *lib. de diſcord. preſci. et liberi arbitr.* D. Baſil. *hom.* 9. *exameron.* & alij paſſim. Idem docet pluries Ariſt. præſertim hoc *lib.* 2. *tex.* 26. dicens. *Homo enim generat hominem, et ſol.* Vnde ſumptum eſt commune proloquium. *Sol, et homo generant hominem.* & *text.* 30. dicit. *Homo enim generat hominem.*

135. Probatur 2. ratione deſumpta ex Ariſt. 2. *de cælo cap.* 3. vbi ſic ſcribit. *Vnumquodque eorum quorum opus eſt, operis gratia*, ex quo ſic diſputo. Vnumquodque per Ariſt. eſt propter ſuam operationem, ac proinde non eſt illis deneganda operatio, ſeu efficientia; aliàs fruſtra res eſſent in mundo, & abſque cauſa naturæ auctor rebus tantam potentiarum varietatem dediſſet, tot organorum apparatum, & partium diſtinctionem cõtuliſſet. Vnde negari non poteſt, quin animantium partes variæ plantarum diſpoſitiones, mixtorum, & rerum omnium virtutes non ſint ad modum doctiſſimi, & eruditiſſimi magiſtri, docentis hanc veritatem non ſolum doctis, verum etiam indo-

indoctis.

136. Probatur 3. nam de ratione actionis immanentis eſt quod fiat ab eo agente in quo manet. ſed in cauſis ſecundis particularibus dantur plures immanétes, ergo iſtæ fient actiones à ſuis agētibus particularibus. Maior conſtat, eſt enim commune Philoſophorum, & Theologorum dictum. Minor etiam conſtat, namin homine dantur intellectio, & volitio, & omnes ſenſationes quæ ſunt actiones immanentes. In animalibus dantur omnes ſenſationes; in plantis dantur nutritio, & augmentatio, ergo, &c.

137. Probatur 4. quoniam ſi cauſæ ſecundæ nihil efficerent, non darentur ſcientiæ, ſed hoc eſt falſum; ergo, &c. Maior probatur, nam ſcientiæ vel procedunt à priori per cauſam ad effectum, vel à poſteriori ab effectu ad cauſam; ergo ſi cauſæ ſecundæ nihil efficerent non darentur ſcientiæ cum non darentur cauſæ, & effectus. Confirmatur ex Ariſtotele *hic. cap.* 2. quod ſi natura non eſſet vera cauſa ſuorum effectuum non darentur peccata, ſeu defectus naturales, aut mōſtra, ſed hoc eſt falſum, ergo cauſæ ſecundæ aliquid efficiunt. Minor probatur ex Ariſt. hic tex. 82. vbi poſtquam dixit quod peccata, ſeu defectus contingunt aliquando in arte, dicit quod etiam contingunt aliquando in natura, ſic enim habet. *Similiter vtique ſe habet et in phyſicis, et monſtra peccata ſunt illius quod propter aliquid agit.* Monſtra ergo, & peccata à cauſa efficiente proueniunt, quæ cum minimè attingat finem propoſitum vel propter debilitatem, vel propter materiæ ſuperfluitatem, ac defectum, neceſſariò producit monſtra. Demum ſi cauſæ particulares nihil efficerent non eſſet ratio cur Deus ad præſentiam ignis produceret calorem quam frigus; ergo, &c.

138. Occurrunt aduerſarij, quod Deus ad præſentiam ignis producit calorem non frigus ratione pacti quod pepigit ab exordio mundi cum cauſis ſecūdis vt cum igne pepigit pactum producendi calorem; cum niue frigus, &c. Sed contra nam intantum Deus pepigit concurrere cum igne ad producendum calorem, quia ignis in ſe calidus eſt, & in eo iam ſupponitur virtus calefactiua, aliàs non eſſet miraculum quod Deus in igne fornacis Babylonicæ ſubtraheret ſuum concurſum, vt non combureret tres pueros in eo poſitos; ergo, &c.

139. Maior difficultas eſt quid in particulari efficiant cauſæ efficientes naturales, an ſcilicet ſolam formam ſubſtantialem, an totum compoſitum? Reſp. quod producunt etiam compoſitum, formam non ſemper vt patet in homine, qui non producit animam ſecundum entitatem, ſed tantum ſecundum vnionem. Pro quo nota, quod duobus modis intelligi poteſt, quod compoſitum naturale fiat, ſecundum totam ſuam entitatem, & hoc modo non fit niſi à Deo; ſolus namque Deus produxit materiam, & cauſa ſecunda illam ſupponit. Secundò vt compoſitum dicatur fieri non ſecundum totam entitatem, ſed ſecundum modum totius, ſeu in tota entitate, & hoc modo cauſæ particulares dicuntur producere compoſita, quatenus non ſolum diſponunt materiam vt recipiat formam, ſed etiam eandem formam educunt de potentia materię, quando eſt materialis, & ſi eſt ſpiritualis eam vniunt materiæ, & fit compoſitum. Et hac ratione cauſæ particulares dicuntur producere totum compoſitum, ratione modi explicati. Quemadmodum artifex dicitur conficere totam cathedram, non quia producat aliquam entitatem realiter à ligno diſtinctam, ſed quia tribuit ligno illam formam, ſeu modum realem cathedræ: ita, &c. Soluuntur argumenta in contrarium.

140. Primum argum. deſumitur ex varijs ſacræ ſcripturæ teſtimonijs, nam 1. *ad Cor.* 12. dicitur. *Nemo poteſt dicere Dominus Ieſus, niſi in Spiritu Sancto.* Et ſubdit Apoſtolus rationem dicens. *Idem verò Deus, qui operatur omnia in omnibus.* Et 2. ad Cor. 3. dicit idem Apoſtolus. *Non quod ſufficientes ſimus cogitare aliquid à nobis, quaſi ex nobis, ſed ſufficientia noſtra ex Deo eſt.* Reſp. ad hæc, & ſimilia teſti-

teſtimonia, quod ſacra ſcriptura non negat efficientiam cauſarum ſecundarum, ſed ſolum docet quod opera noſtra nihil valent abſque Dei ſpeciali concurſu ad vitam æternam; aut ſolum denotatur, quod in omnibus noſtris operibus, etiam ordinis naturalis indigemus Dei concurſu, iuxta illud Chriſti D. *Sine me nihil poteſtis facere*.

141 Secundum argum. nam ſi cauſæ ſecundæ aliquid efficerent, vel id quod efficerent eſſet totum à Deo, vel totum à cauſis ſecundis; vel partim à Deo, partim à dictis cauſis. Si eſt totum à Deo, ergo cauſæ ſecundæ nihil efficiunt. Si totum à cauſis ſecundis, Deus nihil operabitur, contra dicta nu. præcedenti. Si partim à Deo, & partim à cauſis ſecundis, ſequitur quod in illam partem quæ eſt à cauſa ſecunda, Deus nihil operabitur, & ſic reſpectu illius Deus non erit cauſa prima, & quoad illam partẽ cauſa ſecunda nõ ſubordinabitur primæ, ſed erit prima. Reſp. quod totus effectus eſt à Deo & totus à cauſa ſecunda, aliter tamen, & aliter; nam à Deo eſt tanquam à cauſa prima & independente, à cauſa ſecunda eſt tanquam à creatura, quæ eſt cauſa ſecunda, & dependens, minuſque principalis, quæ non agit niſi vt mota à Deo. Quemadmodum ſcriptura & eſt tota à ſcribente, & tota à calamo, ſed à ſcribente vt à cauſa mouente, & principali, à calamo vero, vt à cauſa mota, & inſtrumentali. Differt tamen hoc exemplum à noſtro caſu, quod calamus eſt ſolum cauſa inſtrumentalis, & cauſa ſecunda eſt principalis: ſi tamen idem effectus poteſt eſſe totus à cauſa principali, & inſtrumentali, à fortiori poterit eſſe à duplici cauſa principali, & quarum vna alteri ſubordinatur.

142. Tertium argu. Quoniam Deus poteſt ſe ſolo cauſare omnes effectus cauſarum efficientium, licet namque Deus non poſſit ſupplere genus cauſæ materialis, & formalis, cum dicant imperfectionem partis componentis, poteſt tamen ſupplere genus cauſæ efficientis, cum non afferat eam imperfectionem, ergo debet ſe ſolo producere omnes effectus cauſarum ſecundarum. Probatur conſeq. ex illo. *Fruſtra fiunt per plura, quæ poſſunt fieri per pauciora*. Reſp. quod Deus non poteſt ſupplere omnes effectus cauſarum ſecundarum, vt ſunt actus vitales qui ex neceſſitate petunt produci à principio creato, vt alibi diximus. Quantum autem ad alios effectus qui à ſolo Deo produci poſſent, dico quod Deus non ex neceſſitate, ſed ad ornatum creaturarum voluit illis concedere virtutes operatiuas, quibus ſuos effectus producerent.

143. Quartum argum. nam ex ſola libera Dei voluntate eſt, quod hæc res producat hunc effectum non illum, & hæc producat illum non hunc: vnde quod ignis generet ignem non aquam, & aqua aquam, non ignem, ex ſola Dei voluntate eſt; ergo ſignum eſt, quod Deus ipſe ad rerum præſentiam res producat: aliàs non poſſet Deus facere quod ignis produceret aquam, & frigus. Reſp. negando antecedens, ignis namque non generat ignem ex ſola Dei voluntate, ſed quia eius natura ita repoſcit: poterat quidem Deus non producere ignem, & poſt productionem poteſt non concurrere ad illius actionem, tamen ex ſuppoſitione quod Deus ignem produxit, & vult iuxta illius exigentiam ad ſuam actionem concurrere, debet producere ignem, & calorem. Poteſt quidem Deus vti igne tanquam inſtrumento ad producendum aquam, aut frigus, ſed tunc non concurreret cum igne ad ſuam propriam operationem.

§. 2. *An cauſæ ſecundæ ita ſuos effectus producant, vt non indigeant actuali concurſu Dei*.

144. Celebris eſt in hac re Durandus *in 2. diſt. 1. qu. 5. & diſt. 37. q. 1.* quem aliqui moderni extra Scholã D. Thomæ ſequuntur, etiam in ordine ad cauſas liberas vt quidam in ſua concordia. Dicit ergo Durandus, quod Deus produxit mundum à principio cum omnibus ſuis cauſis, quibus contulit virtutẽ, & vim

& vim operandi proportionatam ſuis effectibus, ita tamen quod in virtute tales virtutes operentur, vt non indigeant aliqua Dei motione, ſed ſolum conſeruatione tum proprij eſſe, tum propriæ virtutis, & hoc ſufficiat ad hoc vt dicatur quod cauſa ſecunda dependeat à prima, dependet enim quoad eſſe, & conſeruationem illius: quoad virtutem operandi quam à principio recepit, & ſucceſſiuè Deus conſeruauit, & modo in iſta conſeruat.

145. Noſtra ſententia ſequenti concl. explicatur. *Deus non ſolum tribuit cauſis virtutem operandi eamque conſeruat, ſed etiam actu, & immediatè concurrit ad omnes, & ſingulas operationes illarum.* Sic tenent omnes Philoſophi, & Theologi contra Durandum, vt teſtantur N. Cõplut. *diſp.* 11. *q.* 1. *n.* 3. Pro quo notandum 1. quod quatuor modis poteſt aliquid dici concurrere ad productionem effectus alterius. 1. Dando illi virtutem ſufficientem ad illios effectus productionem, quo modo animal dat ſemini à ſe deciſo virtutem ad producendum ſibi ſimile. 2. Conſeruando potentiam actiuã, qua ratione aliqua medicamenta dicuntur concurrere ad viſionem quatenus cõſeruant potentiam viſiuam. 3. Quatenus applicant virtutem actiuam ad agendum vt qui applicat niuem ad refrigerandum vinum dicitur refrigerare vinum, & qui applicat ignem ad calefaciẽdum pannũ, dicitur illud calefacere. 4. Quatenus actualiter concurrit ad operandum, ita quod eadẽ operatio ſit ab vtroque. Certum eſt quod Deus concurrit cum cauſis ſecundis dando virtutem, conſeruando potentiam, applicando ad agendum, de quo §: ſeq. Difficultas præſens eſt, an etiam concurrat ad ipſam operationem de quo affirmatiuè dicimus contra Durandum.

146 Notandum 2. quod in cauſa efficiente reperitur ſuppoſitum quod operatur, & virtus qua media operatur. Hinc aliquid poteſt operari immediatè immediatione ſuppoſiti, & immediatè immediatione virtutis. Immediatio virtutis dupliciter explicatur. Primò ſic. Concurrere immediatè immediatione virtutis, eſt producere effectũ per virtutem ab alio independentem, & hæc immediatio in ſolo Deo reperitur, quoniam ſolius Dei virtus eſt independens, at virtus creaturæ à Deo dependet. Secundò ſic, vt concurrere immediatè immediatione virtutis ſit virtutem agentis immediatè, & ſe ipſa attingere effectum, ſiue illa virtus ſit dependens, ſiue independens, & hæc virtutis immediatio cum eſt dependens poteſt in creaturis reperiri, vt virtus, & actiuitas caloris immediatè attingit calorem. Immediatio ſuppoſiti tunc contingit quando inter efficiens, & effectum non mediat aliud ſuppoſitum, vt ignis immediatione ſuppoſiti attingit alium ignem, quatenus non mediat aliud agens aut producens ignem, ſiue aliàs mediet locus. At pictor attingit picturam mediatione ſuppoſiti quia medio alio ſuppoſito eam attingit, ideſt medio penicillo. Datur etiam alia perfectiſſima immediatio ſuppoſiti quando inter ſuppoſitum agens, & actum neque locus mediat, vt contingit in Deo, qui cum vbique ſit per preſentiam; potentiam, & eſſentiam, ſeu per ſuppoſitum, ſemper agit immediatè immediatione ſuppoſiti, vt nullus locus mediet, &c. His poſitis.

147. Probatur 1. concl. Deus, vt modo dicebamus, & docet D. Thomas 1. *p. q.* 8. *art.* 3. & cum eo omnes Theologi, eſt vbique per præſentiam, eſſentiam, & potentiam, ſeu operationem, non quouis modo, ſed immediatè immediatione tum virtutis, tum ſuppoſiti, ergo concurrit immediatè ad omnem cuiuſuis agentis operationem, aliàs non eſſet vbique per operationem cum daretur aliqua operatio in qua non eſſet per operationem. Hanc veritatem agnouit S. Iob 10. cum dixit. *Manus tuæ fecerunt me, & plaſmauerunt me totum, &c.* Eandem veritatem agnouit Pſalmiſta *pſal.* 146. dum de Deo ſic loquitur. *Qui producit in montibus fœnum, & herbam ſeruituti hominum. Qui dat iumentis eſcam ipſorum, & pullis coruorum inuocantibus eum.* Habetur etiã hæc ve-

hæc veritas Sap. 8. vbi. *Attingit à fine vſque ad finem fortiter, et diſponit omnia ſuauiter.* Iſaiæ 26. legitur. *Omnia enim opera noſtra operatus eſt in nobis*. Ioan. 1. ſcribitur. *Omnia per ipſum facta ſunt*. & cap. 16. dicitur. *Sine me nihil poteſtis facere*. Actor. 17. habetur. *In ipſo enim viuimus, mouemur, et ſumus*. Et ad Philip. 2. ait Apoſtolus. *Deus eſt enim qui operatur in nobis et velle, et perficere.*

148. Probatur 2. quoniam effectus vniuerſaliſſimus tribui debet cauſæ vniuerſaliſſimæ, ſed eſſe, ſeu ratio entis quæ reperitur in omni re producta, eſt effectus vniuerſaliſſimus, ergo tribui debet cauſæ vniuerſaliſſimæ, ſcilicet Deo. Minor nota eſt, ipſum namque eſſe, & ratio vniuerſaliſſima entis, cum reperiatur in omni re, debet eſſe effectus vniuerſaliſſimus. Maior probatur, nam inter effectum, & cauſam debet dari proportio, quocirca cauſæ particulari debet correſpondere effectus particularis. Hinc videmus, quod homo attingit hominem ſecundum quod homo, & ignis attingit ignem qua ignis eſt, rationes autem vniuerſales attinguntur à cauſis vniuerſalibus quæ cũ igne concurrunt ad ignis productionem. Ergo cum ratio ipſius eſſe, & entis ſint rationes vniuerſales, & primò repertę in effectu debent correſpondere primo enti, primæ cauſæ, &c.

149 Probatur 3. ad hominem contra Durandum, nam per ipſum, omnis creatura dependet à Deo in eſſe, fieri, & conſeruari; ſed operatio creata eſt creatura, ergo dependet à Deo in eſſe, fieri, & conſeruari.

150. Probatur 4. quoniam Deus eſt agens per intellectum, & voluntatem, potentia namque operatiua, ſeu actiua non diſtinguitur ab iſtis potentijs; ſed Deus intelligit, & vult operationes creaturarum, ergo illas efficit, ſeu ad illa ſua efficientia concurrit. Quid enim eſt aliud Deum intelligere, & velle operationes creaturarum, niſi eas efficere, cum efficere Dei ſit intelligere Dei, iuxta illud. *Ipſe dixit, et facta ſunt*, &c. Hinc dicitur quod *opus naturæ eſt opus intelligentiæ*, quia debet à prima intelligentia effici, & regulari, ſeu dirigi in finem. Soluuntur argumenta in contrarium.

151 Primum argum. eſt, cauſæ ſecundæ poſſunt proprijs viribus illa præſtare quæ non excedunt proprias vires, propriamuè perfectionem; ſed actiones, & effectus earum, vt calefacere, & producere ignem, non excedit perfectionem ignis, ergo poterunt iſta proprijs viribus præſtari. Reſp. concedendo maiorem, & negando minorem; producere namque proprias actiones, proprioſque effectus ſine dependentia à cauſa prima, excedit propriam virtutem, & propriam perfectionem cauſæ ſecundæ. Et licet non ſuperet propriam perfectionem producere effectus ſibi ſimiles, ſuperat tamen eos producere ſine dependentia à prima cauſa, & primo ente.

152 Secundum argum. Si cauſa prima concurreret cum ſecundis ad producendos earum effectus, vel concurreret vna, & eadem actione, vel diuerſa; neutrum dici poteſt; ergo, &c. Non vna, eademque actione, quia vna actio non poteſt à duobus agentibus procedere: cauſa autem prima, & ſecunda ſunt duo agẽtia, & habent diuerſas virtutes, ſcilicet infinitam, & finitam. Neque diuerſa, quia vna eſſet ſuperflua; tum quia vbi eſt vnus tantum terminus productus, ibi eſt vna actio productiua, ignis productus v.g. eſt vnus tantum terminus; ergo, &c. Reſp. cum D. Tho. 1. *p. q.* 105. *art.* 5. *ad* 2. quod Deus, & creatura, vna, eademque actione concurrunt ad productionem effectus, quia licet vna, & eadem actio non poſſit eſſe à duobus agentibus particularibus, & non ſubordinatis, poteſt tamen eſſe à duobus agentibus ſubordinatis. Vel dicas quod eſt duplex actio ex parte principij, & vna ex parte termini, cum vnum, eũdemq; terminum producant.

153. Sed quæres 1. an Deus concurrat immediatè immediatione virtutis cũ omnibus actionibus cauſarum ſecundarum? Reſp. affirmatiuè, tum quia concurrit per virtutem ab alio independentem. Tum quia virtus qua Deus concurrit cum

xit cum cauſa ſecunda eſt omnino immediata actioni creatæ; Deus namque eſt immediatè præſens rebus omnibus per potentiam, ac proinde immediatè operatur per ſuam virtutem cũ omnibus actionibus cauſarum ſecundarum.

154. Quæres 2. an Deus concurrat cum actionibus cauſarum ſecundarum, earumque effectibus immediatè immediatione ſuppoſiti? Reſp. affirmatiuè; Ratio eſt quia Deus eſt immediatè præſens omnibus rebus per ſuam eſſentiam, ſed eſſentia diuina eſt ſuppoſitum diuinũ; ergo, &c. Tum quia virtus, & potentia in Deo non diſtinguitur ab eius ſuppoſito, ſed Deus eſt immediatè præſens rebus omnibus per ſuam virtutem, ſeu potentiam, ergo etiam per ſuppoſitum.

§. 3. *An concurſus Dei non ſolum debeat eſſe ſimultaneus, ſed etiam præuius.*

155. HAnc difficultatem alij ſic proponunt, an Deus non ſolum concurrat cum cauſis ſecundis concurſu ſimultaneo, ſed etiam præuio. Alij ſic an Deus præmoueat cauſas ſecundas ad agendum. Alij etiam ſic an Deus phyſicè predeterminet cauſas ſecundas neceſſarias ad agendum. Cæterum omnes iſti modi vt conſideranti patebit, coincidunt. De ſolis cauſis neceſſarijs loquimur, quid quid ſit de liberis.

156. Ex dictis §. præcedenti contra Durandum, Deus ſuo concurſu concurrit ad omnes, & ſingulas actiones cauſarum ſecundarum ſaltem concurſu ſimultaneo, modo quærimus an per ſolum concurſum ſimultaneum ſaluetur ſufficienter dependentia cauſæ ſecundæ à prima, & ratio primæ cauſæ, primi entis, entis à ſe, &c. Prima ſententia eſt aliquorum modernorum, & hoc loco, & alibi, quod ad ſaluãdam dependentiam cauſæ ſecundæ à prima, & ad ſaluandam dignitatem cauſæ primæ, primi entis, entis à ſe, &c. Sufficiat concurſus ſimultaneus.

157. Noſtra ſententia ſequenti concl. explicatur. *Si Deus non præmoueret cauſas ſecundas ad agendum nec ſaluaretur dependentia cauſæ ſecundæ a prima, nec ratio primæ cauſæ, &c.* Hæc concl. deducitur ex Ariſt. pluribus in locis vt cum ex motione qua vt cauſa ſecunda operetur, illam præmouet prima, oſtendit deueniendum eſſe ad vnum primum motorem, qui immotus det cuncta moueri, ſeu omnia alia moueat ad operandum.

158. Solum tamen placet adducere *tex. 33. octaui phyſicorum*, vbi Ariſtoteles ſic habet. *Vtraque igitur mouere dicimus, & primum, & vltimum mouentium, ſed magis primum; illud enim mouet vltimum, ſed non hoc primum, & ſine primo quidem vltimum non mouebit, illud autem ſine hoc, vt baculus non mouebit, non mouente homine.* Vbi vt vides Ariſtoteles comparat motionem, qua cauſa ſecunda mouetur à prima, motioni qua baculus mouetur ab homine vt moueat v.g. aquam, aut lapidẽ, quatenus ſicut baculus non mouet niſi prius moueatur ab homine, ita cauſa ſecunda non mouet, ideſt non agit niſi prius moueatur à prima; & ſicut non ſaluaretur cauſalitas hominis reſpectu baculi ſi baculus non præmoueretur, & non determinaretur ad mouendum ab homine, ita non ſaluaretur cauſalitas cauſæ primæ, ſi cauſa ſecunda non præmoueretur, & non determinaretur ad operandum à prima.

159. Tres ſolutiones ſolent aduerſarij huic teſtimonio adhibere. Prima eſt, quod Ariſt. loquatur de motione communiter dicta, qua cauſas ſecundas produxit, & conſeruat in eſſe, tribuitque virtutes operatiuas, & hac ratione dicitur eas mouere ad operandum. Sed contra quia Ariſtoteles vult in eo loco probare dependentiã cauſæ ſecundæ à prima in operatione, ſeu motione, aut motu, vt ſic ex motu veniat in cognitionem primi motoris immobilis, & non detur proceſſus in infinitum. Hoc conſtat exemplo baculi, quod non habet eſſe à manu, ſed motionem. Hæc ſolutio magis impugnata manebit ex teſtimonijs aliquorum expoſitorum poſtea adducendis.

160. Secunda ſolutio eſt aliorum dicentium, quod mens Ariſt. ſit. quod cau-

ſa ſecunda dependet in operando à prima quatenus Deus concurrit ſimul cum illa concurſu ſimultaneo ad operationem, & effectum illius. Hanc ſolutionem optimè impugnant N. Complut. hoc loco. Nam Deus per concurſum ſimultaneum non mouet cauſam ad operandum, ſed ſolùm agit in effectum, contra Ariſt. qui vult, quod cauſa prima moueat ſecundam, ſicut manus mouet baculum, manus autem non mouet aquam ſimul cum baculo, ſed mouet baculũ, & medio baculo mouet aquã. Tum quia Ariſtoteles vult, quod Deus vt cauſa prima prius moueat ſecundam, eamque applicet ad agendum ſicut homo mouet baculum, eumque applicat ad mouendam aquam, per concurſum autem ſimultaneum non fit hæc applicatio cauſæ ſecundæ. Terminus namque concurſus ſimultanei eſt ſolus effectus, non motio cauſæ.

161. Tertia ſolutio eſt aliquorum dicentium, quod dependentia cauſæ ſecundę à prima ſaluatur per concurſum ſimultaneum Dei, quo cum ipſa creatura concurrit ad illius effectum, quia licet talis concurſus ſimultaneus ſit ipſa actio creaturæ, prius tamen natura illa actio intelligitur vt procedens à Deo quam à cauſa ſecunda. Sed contra nam ſi actio prius intelligitur eſſe à cauſa prima prius natura, quam à cauſa ſecunda, iam tollitur concurſus ſimultaneus, & ponitur præuius, vt hoc modo intelligatur determinata ad agendum, & ad ponendam eam actionem, quam Deus prius natura attingit. Tum quia, vel talis concurſus, qui prius natura eſt à Deo, quam à cauſa ſecunda eſt in cauſam vt operetur, ipſam mouendo, & determinando, & tunc ſunt nobiſcum, & cum Ariſtotele; vel certè eſt in ſolum effectum prius natura, quam cauſa ſecunda agat, & tunc cauſa ſecunda nihil operabitur, cum iam prius natura effectus ſit productus.

162. Cœterum, vt clarè habeatur mens Ariſt. in eo loco, quod ſcilicet cauſa prima debeat mouere, & determinare ſecundam ad mouendum, ſeu agendum, & per Ariſtotelem non ſaluatur dependentia cauſæ ſecundæ à prima per ſolum concurſum ſimultaneum, ſed requiratur præuius in cauſam; placet adducere aliquot aliquorum interpretum expoſitiones illius textus citati. Primum locum damus D. Thomæ, qui ſic ſcribit. *Ponit comparationem primi motoris, & ſecundi. Cum enim tam primum mouens, quam vltimum mouere dicamus, dicimus quod magis mouet primum mouens, quam vltimum. Et hoc patet per duas rationes, quarum prima eſt, quod primum mouens mouet ſecundum mouens, non è conuerſo.* Non dicit quod primum mouens concurrat ſimul cum ſecundo, ſed quod mouet ipſum ſecundum, quod denotat concurſum in cauſam, ac proinde præuium. Poſtea ſubdit. *Secunda ratio eſt, quia ſecundum mouens non poteſt mouere ſine primo, ſed primum mouens poteſt mouere ſine ſecundo, &c.* In concurſu autem ſimultaneo neutrum poteſt ſine alio mouere, aliàs non eſſet concurſus ſimultaneus.

163. Gualter. Burlæus inſignis Ariſtotelis expoſitor ſuper eundem textum ſic habet. *Primum mouens magis mouet, quã medium mouens, quia illud quod poteſt eſſe ſine alio, & non è conuerſo, eſt prius, & dignius,* ſcilicet in mouendo, *& tamen vtrũque eſt mouens, ſed primum eſt magis mouens. Vnde Comentator dicit hic, quod primum mouens eſt prius medio mouente ſecundũ naturam,* nota verba, *& ſecundum cauſam, ſecundum naturam, quia ſi auferatur primum mouens, auferetur medium, & cum fuerit primum, non ſequitur vt ſit medium, & cum fuerit medium, ſequitur quod fuerit primum neceſſario. Hæc Coment. Vnde illud quod poteſt eſſe ſine alio, & non è conuerſo, eſt prius ſecundum naturam; ſed primum mouens poteſt eſſe ſine medio, & non è conuerſo; ergo ſimiliter primum mouens eſt prius ſecundum cauſalitatem, quam ſit mouens medium, quia mouens medium non mouet niſi in virtute primi mouentis.* Hæc ille.

164. Iacobus Zabarella Patauinus nobiliſſimus Ariſtotelis commentator hoc textu ex Auerroe ſic noſtram cõfirmat doctrinam dicens. *Auerroes notat Ariſtotelem his duobus argumentis tribuere mouenti primario duplicem principalitatem; priori namque argumento dat ei principalitatem cauſæ,*

ſeu cau-

ſeu cauſalitatis ; *id enim quod eſt cauſa cauſæ eſt magis cauſa* , *cauſam autem cauſæ intelligo non abſolutè vt ſit* , *ſed vt ſit cauſa, anima enim non eſt cauſa baculo vt ſit* , *ſed vt ſit mouens* , *quare anima maiorem habet cauſalitatem* . *Altero autem argumento dat principalitatem naturæ* ; *id enim eſt prius natura* , *à quo non conuertitur exiſtendi conſequentia, at primarius motor* , *eſt motor etiam ſine ſecundario, hic autem ſine illo non eſt motor*; *ergo ille eſt prior natura*, ſcilicet in mouendo, quatenus prius mouet cauſam , quam cum illa concurrat ad effectum. Plures alios referre poſſem, ſed iſti in re clara ſufficiant. Sed agamus rationibus.

165. Prima ratio deſumitur ex Apoſtolo *act.* 17. vbi dicit quod Deus non longè eſt ab vnoquoque noſtrum , additque rationem , *quia in ipſo viuimus* , *mouemur*, *& ſumus* ; quaſi dicat ideo Deus non longè abeſt ab vnoquoque noſtrum , ſeu ideo Deus eſt nobis, & rebus omnibus præſens, quia in ipſo viuimus , mouemur, & ſumus; ſeu quia Deus in nobis cauſat vitam , motum, & eſſe; ergo per Apoſtolum, Deus intantum eſt nobis præſens, in quantum cauſat in nobis motum, ac proinde intantum mouemus , ſeu operamur , inquantum nos Deus mouet ad operationem. Vnde intantum Deus eſt præſens per potentiam operationi, inquantum ad illam concurrit, quod ſi non concurreret ad motionem cauſæ, qua cauſa ſe mouet , non eſſet per potentiam præſens cauſæ ſe mouenti ad operationem , ſed ſolum eſſet præſens per eſſentiam, & præſentiam , non per potentiã cum non cauſaret motum cauſæ, ſed ſolùm actionem, & effectum illius , & non moueret , ſeu applicaret cauſam contra Apoſtolum volentem, quod intantum Deus ſit nobis præſens per potentiam , in quantum cauſat in nobis motum , ſeu nos mouet. Tum quia cauſam moueri ad agendum, eſt aliquis effectus poſitus in rerum natura; ergo Deus debet eſſe illi præſens per potentiam, ſeu per ſuam cauſalitatem.

166. Secunda ratio , nam Deus ad ea omnia concurrit peculiari concurſu , quæ ipſe conſeruat, ſed Deus non ſolum conſeruat operationem cauſæ ſecundæ, & effectum illius, ſed etiam conſeruat cauſam cauſantem; ergo ad cauſam cauſantem, ſeu operantem Deus concurrere debet. Atqui concurſus conſeruans eſt prius re conſeruata ; ergo, &c.

167. Occurres pro aduerſarijs quod reipſa Deus concurrit peculiari concurſu in cauſam, etiam qua cauſa eſt , ſicut concurrit in actionem qua actio eſt , non tamen ex hoc ſequitur quod Deus determinet cauſam, & applicet ad operandum, ſed ſolum quod conſeruet cauſam ſe determinantem, & applicantem ad operandum. Sed contra , nam ſi Deus ſolùm conſeruaret cauſam ſe determinantem, & applicantem, ſequeretur quod in linea ſe determinantis, & applicantis creatura eſſet primum ſe determinans , & applicans , & ſic non ſaluaretur dependentia cauſæ ſecundæ à prima. Debet ergo Deus taliter concurrere cum cauſa ſecunda operante, & ſe mouente ad operationem , vt ſaluetur dependentia illius à cauſa prima , vt ſcilicet determinetur à cauſa prima , vt etiam ſe determinet ; imò in cauſis neceſſarijs ita cauſa prima determinat ſecundam, vt ipſa non determinet ſe ipſam.

168. Tertia ratio, quoniam inter cauſas ſubordinatas eſſentialiter , hic ordo debet reperiri , vt inferior à ſuperiori dependeat non ſolum in eſſendo, ſed, & maximè in operando; ſed cauſæ ſecundæ ſubordinantur eſſentialiter primæ; ergo debet ab illa dependere etiam in operando ; ſed niſi determinarentur à prima non ſic dependerent ; ergo &c. Nam dependerent quoad ipſam operationem , dependerent quoad ipſum eſſe, & non quoad operari, intantum enim dependent quoad operari , inquantum quod applicantur , & mouentur ad operationem, ſi enim hoc modo nõ applicarentur , & prædeterminarentur , quantum ad hoc non dependerent. Tum quia cauſæ ſecundæ dependent à Deo quoad eſſe, quoad operationem; ergo etiã quantum ad ipſum operari , ſeu quantum ad hoc quod eſt cauſam applicari ad operationem; aliàs quantum ad hoc cauſa ſecunda non recognoſceret primam. Tum etiam quia potentia, ſeu virtus per quam

Digitized by Google

cauſa ſecunda agit dependet à Deo non ſolùm vt eſt qualitas, ſed etiam vt eſt actu principium operationis; ſed virtutem dependere vt eſt principium operationis eſt Deum applicare eam ad operationem, ſi enim Deus eam non applicaret ad operationem, non dependeret, vt eſt principium operationis.

169. Quarta ratio deſumpta ex D. Tho. 1.2.*q.*79.*art.*2. ad ſequentem formã redacta, eſt talis. Nulla cauſa ſecunda eſt actus purus neque in eſſendo, neque in agendo, ſed ſecundum ſe eſt in potentia ad agendum; ergo cum nihil agat niſi ſecundum quod eſt in actu debet ab agente ſuperiori ſcilicet à Deo reduci ad actum, eũ nihil reducat ſe ipſum de potentia ad actũ, aliàs idem eſſet mouens, & motum. Confirmatur hæc ratio, nam cauſa ſecunda cõſtituta in actu primo ad agendum per ſuã virtutem operatiuam ſecundum ſe in ordine ad hanc numero operationem eſt hic, & nunc indeterminata, ergo debet ab aliquo determinari, non ab alio quam à primo agente. Licet enim cauſa neceſſaria ſit determinata ad operationem vt ſic, non tamen ad hanc numero operationem; v. g. ignis eſt determinatus ad producendum ignem, non tamen ad producendum hunc ignem A. ſeu hoc indiuiduum ignis, ac proinde debet ad hoc à primo agente determinari. Non enim poteſt à principio ſuo operatiuo determinari, aliàs principiũ operatiuum ignis eſſet determinatum non ſolùm ad ignem in ſpecie, ſed etiam in indiuiduo, & ſic non poſſet producere plura indiuidua ignis, ſed hoc vnum tantum; debet ergo determinari ab agente primo, cui omnia indiuidua ignis ſubijciantur.

170. Primum argum. contrariorum eſt, nam cauſæ naturales ſunt ad ſuos actus determinatæ, ergo non indigent Dei motione vt operentur, & determinentur; quod enim eſt determinatum ad aliquid non indiget determinante. Reſp. ex dictis nu. præcedenti, quod cauſæ naturales ſunt determinatæ ad agendum in ſpecie, vt ignis ad calefaciendum, non tamen eſt determinatus ad hanc numero calefactionem, aliàs non niſi hanc numero producere poſſet.

171. Secundum argum. quia ſufficienter ſaluatur dependentia, & ſubordinatio cauſæ ſecundæ à prima per hoc quod non poſſit exire in operationem niſi Deus cum ea concurrat ſimultaneè; ergo fruſtra ponitur concurſus præuius, fruſtra namque fiunt per plura quę poſſunt fieri per pauciora. Reſp. negando antecedens. Per concurſum namque ſimultaneum non ſaluatur ſubordinatio cauſæ ſecundæ, cum concurſus ſimultaneus non ſit in cauſam, ac proinde eam nõ ſubordinat, neque ſubordinat ipſam operationem cum operatio ſimul ſit ab vtraque cauſa; duæ namque cauſæ ſimul concurrentes ad vnam, eandemque actionem non ſubordinantur, cum non ſit maior ratio quod vna ſubordinet, & alia ſubordinetur, &c. Videantur N. Complut. hoc loco, qui alijs rationibus firmiſsimis aduerſarios pungunt.

DVBIVM VI.

De Cauſa inſtrumentali.

§.1. *An inſtrumentum agat vt motum.*

172. INſtrumentum in lata quadam acceptione accipitur etiã pro cauſa alteri ſubordinata, qua ratione cauſa ſecunda vocatur aliquando inſtrumentum Dei, licet aliàs ſit principalis. Aliquando etiam diſpoſitiones dicuntur cauſa inſtrumentalis, licet ſolùm diſponant, non attingant effectum, niſi diſpoſitiuè. In propria tamen ſignificatione inſtrumentũ eſt illud quod re ipſa attingit effectum, nõ propria, ſed alterius virtute. Diuiditur inſtrumentum *in naturale*, quod à natura inſtitutum eſt ad producendum effectum excedentem propriam virtutem, vt ſemen animalis ad producendum animal. In *ſupernaturale*, quod virtute diuina operatur. In *artificiale*, quod attingit opera artis. Et *morale*, quod mouet, & excitat ad operandum, de quo ſufficienter dixi de Sacramẽtis in genere. Hoc loco agemus de inſtrumento naturali, licet ob doctrinæ connexionem aliqua tangentur de inſtrumento ſupernaturali, & artificiali. Quærimus ergo an

go an ſit de ratione inſtrumenti, vt non agat niſi vt motum.

173. Prima ſententia eſt, quod non agat vt motum, ſeu quod ad hoc vt inſtrumentum agat, non eſt neceſſe quod in ſe recipiat aliquid, Sic Suarez *diſp.* 17. *metaphy. ſect.* 2. *& to.* 1. 3. *p. diſp.* 3 1. *ſect.* 5. quatenus dicit quod neque inſtrumenta diuinæ virtutis eleuantur per aliquid intrinſecum, cum ſufficiat concurſus ſimultaneus, ſuppoſita potentia obedientiali actiua, quę eſt in rebus ad faciendum quicquid non implicat contradictionem.

174. Secunda ſententia eſt Pontij hoc loco *diſp.* 10. *q.* 7. qui *concl.* 1. dicit quod inſtrumenta artificialia nullũ habeant concurſum effectiuum, ſed concurrant ad ſuos effectus tantum ratione figuræ, & quantitatis, & quod ſi habeant concurſum effectiuum, ſolum ſit ad expellendum aliud corpus à loco. Et in ſecunda concl. dicit quod præter inſtrumenta artificialia nullũ aliud datur, nec phyſicum, nec ſupernaturale.

175. Noſtra ſententia ſequentibus concl. explicatur. Prima concl. *Dantur inſtrumenta phyſica naturalia, & ſupernaturalia.* Sic tradunt communiter Philoſophi, & Theologi. Quod dentur inſtrumenta phyſica, patet in ſeminibus tum animalium, tum arborum, & herbarum, attingunt enim ſuos effectus in virtute cauſarum à quibus fuerunt deciſa, non enim ſemina attingunt propria virtute ſuos effectus, cum iſti excedant virtutem ſeminis, non enim ſemen, v.g. animalis eſt animal, & tamen producit animal, in quantum eſt virtus, & inſtrumentum animalis. Tum quia nulla cauſa poteſt producere effectũ excedentem propriam virtutem niſi in virtute alterius, ac proinde vt inſtrumentum illius; &c. Quod autem dentur inſtrumenta ſupernaturalia conſtat, nam aqua baptiſmalis eſt inſtrumentum diuinæ virtutis ad cauſandam gratiam in anima, vt fusè trado *de Sacram. in genere*.

176. Secunda concl. *De ratione inſtrumenti eſt vt agat motum, ſeu vt agat per virtutem receptam à principali agente.* Sic tenent omnes Thomiſtæ poſt D. Thomam cuius teſtimonia referunt N. Complur. *hic diſp.* 12. *q.* 1. Lerma hoc loco, & alij. Videantur Nazar. 1. *p. q.* 45. *art.* 5. Medina 3. *p. q.* 13. *art.* 2. Pro intelligentia concl. nota, quod idem eſt inſtrumentum agere vt motum, & agere per virtutem receptam à principali agente; inſtrumentum namque eſt veluti medium, & quaſi canale per quod tranſit virtus principalis agentis ad effectum; hoc poſito.

177. Probatur 1. concl. nam inſtrumentum non habet in ſe virtutem qua effectum producat; v.g. ſemen non habet in ſe, & ex ſe virtutem qua producat animal, ergo debet ab animali procedere. Conſeq. nota eſt, nihil enim poteſt effectum producere niſi vel per virtutem, quam habet à ſe, & in ſe; vel per virtutem ab alio receptam. Antecedens probatur, nam ſemen animalis non eſt animal; licet enim demus quod ſemen ſit viuens, ac proinde eum vitam amittit, vt quando eſt iam ſiccum, non poſſit producere, non tamen eſt animal, ergo vt animal producat, debet ab animali participare virtutem; ſi enim ſemen haberet in ſe virtutem producendi animal, & ſic eſſet cauſa principalis, deberet eſſe animal, aliàs ſemen produceret animal, cũ non ſit animal, & effectus ſuperaret virtutem ſuæ cauſæ, quod implicat.

178. Occurres pro aduerſarijs, quod ad hoc vt inſtrumentum attingat effectũ, nil aliud requiratur niſi ſubordinatio ad cauſam principalem, ſeu aſſiſtentia illius. Sed contra, nam ſubordinatio, & aſſiſtentia cauſæ alteri, non extrahit illam à ratione cauſæ principalis, ergo, &c. Antecedens oſtenditur, nam cauſa ſecunda ſubordinatur primæ, & prima illi intimè aſſiſtit, & tamen cauſa ſecunda conſeruat rationem cauſæ principalis; ergo, &c. Tum quia quoties aliquid ex ſe eſt impotens ad aliquem effectum præſtandum, vt eſt inſtrumentum, aliàs ſi eſſet potens, eſſet cauſa principalis, per ſolam ſubordinationem ad cauſam potentem, & per aſſiſtentiam potentis, non redditur potens; ergo, &c. Nam per ſolam ſubordinationem, & per ſolam aſſiſtentiam cum inſtrumentum nihil recipiat, nec intrinſecè mutetur, non fiet

potens,

Digitized by Google

potens, ſed manebit ſicut prius. Nec verum eſt quod dicit quidam, quod actio inſtrumenti reddatur virtuoſior, aut potentior per dictam ſubordinationem, aut aſſiſtentiam; nam ſicut per ſolam aſſiſtentiam, & ſubordinationem non mutatur intrinſecè inſtrumentum, ita neque eius actio reddetur virtuoſior. Demum vel iſta aſſiſtentia eſt generalis, aut ſpecialis; non poteſt dici quod ſit generalis, aliàs non poneretur ratione illius effectus particularis. Si dicatur quod eſt ſpecialis, ergo ponet aliquid in inſtrumento, quod non ponit in alijs rebus, v.g. in cauſa principali; & hoc eſt quod volumus.

179. Probatur 2. Inſtrumentum ſecundum ſe non eſt potens attingere effectum principalis agentis, aliàs eſſet cauſa principalis; ergo prius natura quam illum attingat debet conſtitui potens, alioquin manebit ſicut prius, & ſic debet aliquid prius recipere per quod conſtituatur potens; ſi enim nihil recipit, ſemper manebit impotens.

180. Occurrunt aduerſarij, quod cauſa principalis nihil influat in inſtrumentum, ſed influit ſimul cum inſtrumento in effectum. Rationem aſſignant, quia inſtrumentum non eleuatur ad eſſe, ſed ad operari, & ſic nihil influere debet in inſtrumentum, ſed ſimul cum illo cauſa principalis attingit effectum. Sed contra, nam ſi cauſa principalis nihil influit in inſtrumentum, ſed ſolum ſimul cum inſtrumento influit in effectum, ſequitur quod inſtrumentum non ſit inſtrumentum, & nõ attingat effectum cauſæ principalis, & ad ſummum attinget aliquid in effectu, quod non excedit propriam virtutem, & ſic erit cauſa principalis. Tum quia falſum eſt, quod inſtrumentum eleuetur ſolùm ad operari, & non ad eſſe inſtrumenti, cum implicet inſtrumentum operari vt inſtrumentum, attingendo effectum cauſæ principalis, niſi prius eleuetur ad eſſe inſtrumenti potentis operari vt inſtrumentum.

181. Probatur 3. quoniam id ad quod inſtrumentum indiget adiutorio, ſeu eleuatione cauſæ principalis, non poteſt eſſe ipſum adiutorium, ſeu ipſa eleuatio, aut virtus cauſæ principalis, qua ſimul cauſa principalis concurrit cum inſtrumento, ſed debet eſſe aliquid communicatum inſtrumento quo fiat potens concurrere cũ cauſa principali ad productionem effectus illius; ergo, &c. Conſeq. conſtat. Antecedens probatur, nam in hoc diſtinguitur inſtrumentum à cauſa partiali, quod cauſa partialis indiget ſolum alia concauſa, vt ſimul ſecum concurrente ad eam partem effectus, quem ipſa præſtare non poteſt, vt conſtat in duobus portantibus lapidem, vnuſquiſque namque ponit ſuum partialẽ effectum non excedentem propriam virtutem. At cauſa inſtrumentalis non eſt ſic, ſed indiget alterius adiutorio, vt attingat effectum improportionatum, ad quem ſua virtus non pertingit, ac proinde non indiget ſolum adiutorio alterius ad operari, ſed etiam ad eſſe inſtrumenti potentis attingere operationem excedentem.

182. Ad hæc omnia occurrere potes cum Suarez locis citatis, quod inſtrumentum non conſtituitur in ratione inſtrumenti per aliquam virtutem ſuperadditam, neque per propriam formam, ſed per potentiam obedientialem actiuam, ſecundum quam eſt capax vt aſſumatur vt inſtrumẽtum etiam à Deo ad quoſcumque effectus, qui non implicant contradictionem. Cœterum hanc potentiam obedientialem actiuam fusè impugnaui *de Sacram. in genere diſp. 4. q. 3. & to. 1. in 3. p. diſp. 13. dub. 3. n. 50. cum ſeq.* vnde non eſt neceſse in hoc immorari, maximè quia cum talis potentia ſit innata, & congenita, vt volunt eius auctores, non conſtituet inſtrumentum in ratione cauſæ inſtrumentalis, ſed principalis, cum conſtitueretur per aliquid permanens, proprium, connaturale, innatum, & congenitum. Tum quia cum hæc potentia ſit connaturalis, adhuc indigebit eleuatione ad effectus ſupernaturales.

183. Ex quibus infertur definitio inſtrumenti, quod ſcilicet ſit illud de cuius ratione eſt vt agat motum; ſeu *inſtrumentum eſt, quod agit motum*, per virtutem videlicet receptam à principali agente. Hæc virtus non eſt qualitas, ſed ad modum qualitatis intentionis, & tranſitus, de quo dixi

dixi *de Sacram. in genere*. Hinc patet non eſſe veram illorum definitionem, qua definiunt inſtrumentum, quod ſit *illud quod agit per virtutem minus nobilem*, nam cum attingat effectum principalis agentis per virtutem illius, ſequitur quod agat per virtutem æquè nobilem; niſi velint dicere quod inſtrumentum agit per virtutem minus nobilem, quatenus illa virtus in principali agente eſt per modum permanentis, & in inſtrumento per modum intentionis, & fluxus. Soluuntur argum. in contrarium.

184. Primum argum. Serra omnino immota ſcindit lignum ſi ſupra ſerrã moueatur. Item ſigillum imprimet ſui figurã ſi immotum cera ſupra ipſum moueatur, aut comprimatur; ergo non eſt de ratione inſtrumenti quod agat motum, cum etiam agere poſſit immotum, & abſque eo quod aliquid recipiat à principali agente. Reſp. quod cum ſerra, aut ſigillum in illis caſibus non moueantur à principali agente, nõ cenſentur illius inſtrumenta, ſed ea erunt inſtrumenta, quæ mouentur, vt lignum, & cera; lignum namque v. g. per motum receptum à manu impellit ſerram, & ratione illius motus à ſerra patitur ratione figuræ, & ſic ſcinditur; idem dic de cera, & alia quauis re mota ſupra id quod aliàs poteſt eſſe inſtrumentũ ad aliquam actionem.

185. Secundum argum. Aqua calida quatenus mota ab aliqua cauſa calida ad calorem calefacit, & tamen non eſt cauſa inſtrumentalis calefactionis; ergo non eſt de ratione inſtrumenti agere vt motum, cum etiã conueniat cauſæ principali, quoniam etiam cauſa ſecunda agit vt mota, imò vt præmota, & determinata à prima. Reſp. quod aqua neque eſt cauſa principalis, neque inſtrumentalis calefactionis, quia non concurrit ad calefactionem, niſi vt ſubiectum ſuſtentans calorem; ipſe tamen calor eſt cauſa principalis caloris, cum calor productus non excedat virtutem caloris producentis. Ad illud quod dicitur de cauſis ſecundis dico, quod de ratione inſtrumenti non eſt quouis modo moueri, ſed eſt moueri ad effectum excedentem propriam virtutem. Cauſæ autem ſecundæ mouentur quidem, ſed ad effectum non excedentem propriam virtutem, innatam, & congenitam.

186. Tertium argum. nam ad hoc vt inſtrumentum agat nihil aliud requiritur, niſi talis, aut talis figura, & quantitas, quando requiritur ad expellendum aliud corpus à loco vt inſtrumentum agat ratione figuræ; ergo non eſt neceſse quod detur virtus ſuperaddita principalis agentis. Conſeq. conſtat. Antecedens probatur; nam ſerra ad hoc vt ſcindat ſufficit ſibi talis figura, & grauitas qua expellat lignum, aut partem illius à ſuo loco vt fiat cauitas. Deinde ſigillum vt ſuam imprimat figurã, ſufficit quod habeat vltra figuram, grauitatem; vnde videmus quod ſi cadat ſupra ceram abſque alia motione alicuius agentis, imprimit in eadem cera ſuam figuram. Item fiſtula organica ratione figuræ, & quantitatis, admittit tantum aeris, & non plus, & impedit quominus alio modo, niſi eo egrediatur iuxta ſuam concauitatem, ob quantitatem, & virtutem expulſiuam alterius corporis, neque habet cauſalitatem reſpectu ſoni, præter illum aerem impellentem, & tali modo expulſum, ergo, &c. Reſp. requiri quidẽ figurã, & quantitatem, ſeu grauitatem, vlterius tamen requiritur motus principalis agentis ad actionem excedentem, & ſic negandum eſt antecedens. Ad illud de ſerra dico quod data figura, & quacumque grauitate niſi moueatur ab artifice non fiet ſciſſio artificioſa. Ad illud de ſigillo dico, quod ſi cadat ſupra ceram, & in eam imprimat ſui figuram, tunc non erit propriè inſtrumentum, cum illa figuræ impreſsio non excedat figuram ſigilli, grauitatem, & deſcenſum, ſed tunc eſt inſtrumentum cum illa figura imprimitur artificioſè, & tali modo ad quod non ſufficiat figura, & grauitas. Per quod patet ad illud quod dicitur de fiſtula organica. nam editio ſoni vt ſic, eſt ab illa ſic diſpoſita, & ſic, & tali modo inflata, cum ad hoc ſufficiat figura ipſius fiſtulæ, & aer tali impetu ingrediens, & expellens

pellens præexiſtentem, at vt edatur ſonus tali modo artificioſo requiritur motio artificis, ſeu organiſtæ, &c.

§. 2. *An ſit de ratione inſtrumenti habere actionem præuiam ad actionem principalis agentis.*

187. Prima ſententia negat, dicit enim poſſe aſſumi quodlibet ad quodlibet producendum, nam Deus poteſt aſſumere lapidem ad mortuum ſuſcitandum, ſicut aſſumpſit oſſa N.S.P. Eliſæi, ſeu cadauer ad ſuſcitandum mortuum. Tenent hanc ſententiam omnes illi, qui putant creaturam aſſumi poſſe ad creandum, cum in non ſubiectum creatura nequeat habere actionem. Tenent etiam alij apud N. Complut. *diſp.* 12. *q.* 2. pro qua citant Molinam, Suarez, Scot. Durand. alioſque ex iunioribus.

188. Noſtra ſententia ſeq. concl. explicatur. Prima concluſio. *Omne Inſtrumentum phyſicum debet habere aliquā actionem præuiam, & diſpoſitiuam ad actionem principalis agentis, ſeu ratione cuius inſtrumentum reddatur capax actionis inſtrumentariæ.* Pro hac ſententia referunt N. Complut. *diſp.* 12. *q.* 2. plura D. Tho. teſtimonia, & eſt ſententia eiuſdem S. D. Caiet. Bann. Nazar. Capreol. Ferr. Medinæ, Soto, Aluarez, & Maſij apud eoſdem Complutenſes.

189. Probatur 1. nam inſtrumenta naturalia phyſica, & artificialia intantum aſſumuntur inquantum habent aliquam actiuitatem, aut diſpoſitionem ad attingendum effectum principalis agentis, ſed hæc eſt aliqua actio præuia; ergo eſt de ratione inſtrumenti habere aliquam actionem præuiam. Minor conſtat, nam per actionem præuiam non intelligimus propriam, & rigoroſam actionem, ſed aliquid quod habeat rationem actionis, aut quod ſit actio, vt poſtea magis dicetur. Maior probatur, nam natura non aſſumit ad ſuos effectus producendos quælibet inſtrumenta, nec quodlibet, vt ad calefaciendum non vtitur frigore, ad generandum non vtitur lapide, ſed ſemine. Et artifex non vtitur ad ſcindendum malleo, ſed ſerra; ſed iſta habent aliquam actionem præuiam, per quā ſint capacia, vt moueantur, & recipiant virtutem inſtrumentariam, & ſic producant effectum principalis agentis; ergo, &c.

190. Probatur 2. nam in hoc diſtinguuntur inſtrumenta tum naturæ, tum artis ab inſtrumentis Dei, quod in inſtrumentis Dei ſufficit quædam conuenientia in ratione entis, vt poſtea dicemus, at in inſtrumentis tum naturæ, tum artis requiritur conuenientia in actione, quod patet, nam videmus quod tam natura quam ars diuerſis vtuntur inſtrumentis; natura namque ad congreganda homogenea, & ſeparanda etherogenea vtitur calore, non frigore: ad videndum vtitur conſpicilijs vitreis non ferreis; & ars ad pingendum vtitur penicillo non ligno: & ad ſecandum vtitur ſerra, dolabro, vel aſcia, non carta, &c. quæ certè ſi nihil agerent non ſic aſſumerentur, ſed omnia indiſcriminatim deſeruirent.

191. Probatur 3. quia anima v.g. nō generat carnem immediatè ſed mediante calore digerente cibum; & faber lignarius non producit arcam immediatè, ſed medijs ſuis inſtrumentis, ſed ſi inſtrumēta nihil agerent, anima immediatè produceret carnem, & artifex immediatè produceret arcam; ergo, &c. Maior nota eſt, minor probatur, nam illud eſt agēs immediatum quod attingit effectum nullo alio agente; ergo ſi inſtrumenta nihil agunt, illi effectus producerentur immediatè.

192. Probatur 4. Quoniam de ratione inſtrumenti eſt deferre vim, ſeu virtutem, aut actiuitatem cauſæ principalis ad effectum ab ea producendum, ſeu eſt applicare actionem principalis agenris effectiui; ſed quod nullam habet actionem non poteſt applicare, aut deferre actionem, ſeu virtutem principalis agenris, ergo, &c. Tum quia videmus quod actio principalis agentis non producit effectū

niſi

niſi vt modificata per inſtrumentum; ergo inſtrumentum debet habere aliquã actionem principalis agentis. Conſeq. conſtat, quod enim aliquid modificat, debet aliquid agere, aliàs non modificabit. Antecedens probatur, nam penicillus modificat manum pictoris, vt tali modo pingat, & calamus modificat manum ſcriptoris, vt litteras tali modo formet, ergo, &c.

193. Secunda concl. *Non eſt neceſſe quod actio praeuia inſtrumenti ſit realiter, & entitatiuè diſtincta ab actione principalis agentis, ſed ſufficit quod ſit formaliter, diſtincta, & quod ſecundum eam formalitatẽ qua correſpondet inſtrumento ſit prior natura, ea formalitate qua correſpondet principali agenti.* Sic tenent communiter Thomiſtæ tum hoc loco, tum alibi. Ratio eſt euidens, & conſtat experientia, nam cum ſerra v.g. vt inſtrumentum artificis concurrit ad actionem artificioſam, vt eſt ſciſcio artificioſa, non datur tunc duplex actio, ſed vna, & eadem, & quatenus eſt ſciſcio vt ſic, eſt à ſerra, vt eſt artificioſa, eſt ab artifice; vt ſciſcio vt ſic eſt prior natura ſe ipſa vt eſt ſciſcio artificioſa. Tum quia actio inſtrumenti eſt actio eleuata ad effectum principalis agẽtis producendũ; ſed actio eleuata non differt ab actione principali, ergo, &c.

194. Tertia concl. *Illud praeuium quod debet habere inſtrumentum Dei ad producendos effectus ſupernaturales, non debet eſſe aliqua actio propriè dicta, ſed ſufficit quędam proportio entis ad ens qua mediante qualibet res poteſt indifferenter aſſumi ad quemlibet effectum ſupernaturalem produducendum.* Quod requiratur ſaltem proportio entis ad ens in inſtrumẽtis diuinæ virtutis colligitur apertè ex D. Tho. 1. *p. q.* 45. vbi vniuerſaliter videtur exigere in dictis inſtrumentis talem proportionẽ, ob cuius defectum nõ poteſt creatura aſſumi ad creandum. Ratio eſt, quia aliàs nihil haberent per quod redderentur aſſumptibilia, & non eſſet cur ad tales effectus poſſent aſſumi, & non ad creandũ. Quod autem ea proportio, ſeu conuenientia ſufficiat, patet, quia ad huiſmodi effectus non magis eſt aſſumptibile vnum quam aliud. Communiter tamen Deus aſſumit inſtrumenta ad effectus ſupernaturales, & miraculoſos illa quæ aliquam habent actionem, vt patet in ſacramẽtis, nam aqua habet actionem præuiam qua abſtergit corpus, ſeu abluit; & hanc ablutionem eleuat Deus ad producendam gratiã in anima quæ eam abluit, ſeu abſtergit à peccatis. Negari tamen poteſt quia Deus non poſſet vti lapide ad eandem gratiam producendam. Quod ſi Deus vteretur re naturali non habente aliquam actionem, ſed tantum eam proportionem ad producendum aliquem effectum naturalem, ea productio quantũ ad modum eſſet miraculoſa, vt ſi vteretur lapide ad producendum v.g. ignem Ex quibus facile ſolui poſſunt argumenta in contrarium, vt, quod poſſit aſſumi materia prima, cum hæc ſit potius potẽtia ad ens, quam ens.

195. Sed quæres 1. an ſit de ratione inſtrumẽti vt eius actio propria, ſeu propria virtus contactu phyſico cõtingat effectum principalis agentis? Reſp. negatiuè ita Bannes 1. *p. q.* 45. *art.* 5. *ad* 4. Maſſius hic *in cap.* 3. *lib.* 2. *phy. q.* 9. *concl.* 3. & communiter iuniores; vnde poteſt Deus eleuare verba Petri hic Romæ exiſtentis ad producendam gratiam in Paulo Mediolani, & poteſt eleuare ignẽ hic exiſtentem ad calefaciendum, aut comburendum aliquid Mediolani, ſicut de facto eleuat ignem inferni ad cruciandos dæmones in aere exiſtentes. Hinc dicunt plures poſſe Deum vti tanquam inſtrumento actione intellectus, aut voluntatis, ſiue alterius potentiæ interioris ad producendum aliquid extra.

196. Quæres 2. quomodo cauſa principalis differat ab inſtrumẽtali? Reſp. differre 1. quod principalis per ſe ipſam agit, proprijſque viribus, at cauſa inſtrumentalis agit vt mota à principali, & viribus principalis. 2. Quod virtus agendi in principali, eſt diuturna, conſtans, & firma, at in inſtrumento eſt fluens, vnde dici ſolet virtus intentionalis, quia eſt imperfecta, & diminuta. 3. Quod effectus non

nòn aſſimilatur inſtrumento, ſed cauſæ principali, nam domus, aut arca non aſſimilatur ſerræ, aut dolabro, ſed ideæ quæ eſt in mente artificis: & ignis genitus non aſſimilatur calori, ſed igni generanti. Aliquando tamen per accidens effectus aſſimilatur inſtrumēto, vt ſi pictor depingat penicillum.

DVBIVM VII.

De cauſa principali.

§. 1. *An forma ſit virtus qua cauſa principalis agit.*

197. Benedictus Pererius *hic lib.* 8. *cap.* 13. *&* 14. adeo deprimit formarum ſubſtantialium vires vt dicat nihil eas agere, nihilque operari, ſiue mediatè ſiue immediatè, ſed totam vim agendi tribuit accidentibus, non vt ſint inſtrumenta ad ſubſtantiæ productionem, ſed cauſæ principales. Vnde calor ignis v.g. non ſolum eſt cauſa principalis caloris ſibi ſimilis, ſed etiam ſubſtantiæ ignis ſibi diſſimilis.

198. Noſtra ſententia ſeq. concl. explicatur. *Virtus agendi principalis in productione ſubſtantiæ eſt forma ſubſtantialis vt quo; & compoſitum vt quod, accidentia verò nullo modo ſunt cauſa principalis productionis ſubſtantiæ.* Sic tenent communiter Philoſophi hoc loco contra Pereriū, pro quo videri poſſunt N. Complut. *diſp.* 10. *q.* 3. Si ſemel probabimus, quod accidentia nulla, ſeu potētiæ operatiuæ ſubſtantiæ, manebit probatum, quod virtus *vt quo* principalis erit forma ſubſtantialis *vt quod* erit compoſitum.

199. Probatur ergo 1. quod accidentia non ſunt virtus principalis, ſeu cauſa principalis productionis ſubſtantiæ, nam omnis cauſa principalis debet eſſe perfectior, aut ſaltem æquè perfecta ſuo effectu; ſed accidens neque eſt perfectius ſubſtantia, neque æquè perfectum; ergo accidens non poteſt eſſe cauſa principalis ſubſtantiæ. Minor nota eſt, nam ſubſtantia eſt ſimpliciter ens, & accidens eſt tantum ens ſecundum quid, vnde dicitur entis ens. Maior probatur, quia ex eo quod cauſa debet eſſe ſuo effectu perfectior quando eſt æquiuoca, & quando eſt vniuoca debet eſſe æquè perfecta, inferunt Theologi, quod Deus eſt perfectior omni creatura; ergo, &c.

200. Reſpondet 1. Pererius, quod accidentia comparari poſſunt cum ſubſtantia in ratione entis, & hoc modo ſunt imperfectiora, & ignobiliora ſubſtantia. Deinde comparari poſſunt cum eadem ſubſtantia in ratione productiui, & hoc modo accidentia ſunt perfectiora ſubſtantia, habētque in hoc ſufficientem proportionem. Sed contra, nam ratio productiui eſt entitas cuiuſcumque producentis, & tanto magis aliquid eſt actiuum, quanto magis habet de entitate; ſed ſubſtantia eſt perfectior accidente in ratione entis, ergo etiam erit perfectior in ratione productiui; non enim præſcindi poteſt ratio entis à ratione productiui, in accidēte productiuo, vt ſunt potentiæ.

201. Reſpondet 2. Pererius, quod duplex eſt effectus agentis; vnus intrinſecus actui eiuſdem agentis; eſtque ille, qui per eius actionem attingitur; & alius extrinſecus, ſeu externus, qui naturali quadam ſequela ſequitur. Dicit ergo ille, quod in productione ignis, calor eſt effectus intrinſecus, at ignis genitus eſt effectus eiuſdem caloris extrinſecus, qui naturali quadam ſequela ſequitur ex eodem calore. Sed contra, nam ex hac reſponſione ſequitur quod ſubſtantia fiat per accidens, & per quandā ſequelam, & quod accidens fiat per ſe. Accidens ſequitur ad ſubſtantiam, propterea eſt entis ens, non ſubſtantia ad accidens.

202. Probatur 2. ex Ariſt. hoc *lib.* 2. *cap.* 7. vbi iuxta tranſlationem Perionij ſic dicit. *Nam & forma, atque finis vnum ſunt, & id vnde motus principium ducitur*; quorum verborum ſenſus eſt, quod vni, & eidem formæ tria conueniunt cauſarū genera, ſcilicet formæ, finis, & efficientis; formæ vt dat eſſe materiæ & toti compoſito. Finis, vt in eam tendit generatio; & efficientis, vt eſt principium motus, qua ratione conuenit eſſe naturam, & rerum naturalium principium; ergo per Ariſtotelem forma eſt cauſa principalis ſubſtantiæ ſal-

tiæ ſaltem vt principium *quo*, non accidentia.

203. Probatur 3. nam vnumquodq; agit in quantum eſt in actu, & patitur in quantum eſt in potentia, ſed primũ principium quo res eſt in actu non ſunt accidentia, ſed forma, ſicut primum principium quo res eſt in potentia non ſunt accidentia, ſed materia; ergo primum principium agendi non erunt accidentia, ſed forma. Tum quia agere eſt perfectio, ergo ſi hæc perfectio conceditur formæ ignobiliori, ſcilicet accidenti in ordine ad accidens, debet etiam concedi formæ nobiliori ſcilicet ſubſtantiali in ordine ad ſubſtantiam. Tum etiam quia actiones ſunt ſuppoſitorum, vt commune fert proloquium, ergo debent conuenire formæ *vt quo*, cum ſit principium *vt quo* ſuppoſiti. Cæterum hæc magis declarata manebunt ex dicendis in ſequentibus §§.

§. 2. *An forma, ſeu ſubſtantia ſit principium immediatum operandi, ſeu producendi aliam ſubſtantiam.*

204. Prima ſententia affirmat. Sic Scotus, Durandus, Ocham, Iandunus, Valleſſius, Villalpandus, Tartaretus, & alij, quos citant N. Complut. *hic diſput.* 10. *q.* 4. *num.* 11. quibus addo Ariagam *diſp.* 11. §. 2. & Pontium *diſp.* 9. *qu.* 2. Ab hac ſent. parum diſcordat Suarez *diſp.* 18. *metaph. ſect.* 2. qui dicit, quod tam ſubſtantia, quàm accidentia immediatè attingere poſſunt ſubſtantiæ productionem. Secunda ſent. eſt Aretij 1. *de Gen. qu.* 10. quod ſubſtantiæ, quæ de nouo producuntur à ſolo Deo immediatè producantur. Ab hac ſententia parum diſtat Auicenna *lib.* 1. *de ſuffic.* quod ſubſtantiæ, quæ de nouo producuntur ab aliqua intelligentia producantur.

205. Noſtra ſententia duplici concl. explicatur. Prima concl. *Licet tam Deus, quam aliqua intelligentia, aut corpora cæleſtia concurrant effectiuè ad productionem ſubſtantiæ tanquam cauſæ vniuerſales, non tamen ſolum ab iſtis producuntur, ſed etiam producuntur à ſuis cauſis ſecundis, maximè quando producuntur per generationem.* Prima pars patet, nam Deus, & aliæ cauſæ vniuerſales concurrunt cum cauſis particularibus ad illarum effectus, iuxta illud Ariſt. *Sol, & homo generant hominem.* Imò aliquando cæli ſoli ſunt cauſæ rerum aliquarum, nec ſolent aliæ cauſæ aſſignari, vt productio auri tribuitur ſoli: Mercurij, Lunæ, &c. Et productio aliquorum viuentium, & etiam animalium imperfectorum, vt ranarum, quæ æſtiuo tempore producuntur ex aquæ guttis, &c. tribuitur cælis ratione intelligentiæ motricis.

206. Secunda pars, quod etiam aliquæ ſubſtantiæ producantur à ſuis cauſis ſecundis, vt homo ab homine, equus ab equo, ignis ab igne, &c. probatur, quoniam iſtæ ſubſtantiæ productæ non excedunt virtutem ſubſtantiarum producentium, vt ignis productus non excedit virtutem ignis producentis. Quomodo autem ſubſtantiæ ſublunares producant alias ſubſtantias dicetur in ſecunda concluſione.

207. Sed obijcies 1. nam productio animalium imperfectorum quæ ſcilicet producuntur ex putri tribuitur aut Deo, aut corporibus cæleſtibus ratione intelligentiæ motricis; ergo multo magis debet tribui Deo, vel cælis productio animalium perfectorum. Ridiculum namque videtur recurrere ad Deum quoad productionem rerum imperfectarum, & non perfectarum. Reſp. concedendo antecedens, & negando conſeq. Ratio diſcriminis eſt, quia quantum ad animalia perfecta habemus, & aſſignamus cauſas à quibus produci poſſunt, & in quarum potentijs continentur, non ſic quantum ad animalia imperfecta.

208. Obijcies 2. quoniam nec Deus habet ad extra vim producendi Deum, ſeu ſibi ſimilem; nec intelligentiæ poſſunt producere ſimilem ſibi, nec cæli; ergo nec ſubſtantiæ ſublunares habebunt virtutem producendi alias ſubſtantias ſibi ſimiles. Reſp. concedendo antecedens; & ne-

& negando conſeq. quia Deus non poteſt producere Deum ad extra, quia implicat, vt patet: nec Angeli poſſunt producere alios, cum fiant per creationem, nec habeant potentias productiuas ſui ſimilium, nec item cœli; at ſubſtantiæ ſublunares has habent potentias, vt ex infra dicendis patebit.

209. Secunda concl. *Subſtantia ſublunaris, quæ aliam ſimilem attingit, non eam producit immediatè, ac proinde ſubſtantia non eſt immediatè operatiua, ſed medijs ſuis potentijs.* Hæc concl. eſt contra Scotum, eiuſque diſcipulos, aliosque extra ſcholam D. Thomæ, qui putant, quod accidentia non poſſunt neque inſtrumentaliter producere ſubſtantiam, ſed ſolum diſponere, ſeu ſolum poſſunt concurrere diſpoſitiuè. Eſt tamen hæc concl. D.Th. pluribus in locis, & omnium Thomiſtarum, aliorumque multorum, quos referunt N. Complut. *hic diſp. 10. num. 22.*

210. Probatur 1. ratione D.Thomæ, quam rectè expendunt dicti Complut. nã in creaturis eſſe, & operari diſtinguuntur cum ſit ſolius Dei proprium quod ſit ſua operatio, ſeu ſuum operari; ergo potentia quæ ordinatur ad eſſe, ſeu ad exiſtẽtiam, diſtinguitur ab illa realiter, quę ordinatur ad operari, ſeu ad operationem, aut quę immediatè reſpicit operationem; ſed ſubſtantia ſecundum ſe, & ſecundum ſuam eſſentiã ordinatur ad eſſe, eſt enim propter eſſe, ſeu vt ſit; & potentia operatiua eſt propter operari, ſeu eſt propter operationem; reſpicit namque per ſe operationem; ergo ſubſtantia, & potentia operatiua diſtinguuntur realiter, ac proinde ſubſtantia non poteſt eſſe immediatè operatiua, ſed media potentia, quæ immediatè reſpicit operationem. Tum quia illa diſtinguuntur realiter quorum actus per ſe conſpecti diſtinguuntur realiter; potentiæ namque per actus diſtinguuntur ſed actus quem reſpicit ſubſtantia, ſcilicet eſſe, ſeu exiſtentia diſtinguitur realiter ab actu quem reſpicit potentia operatiua, ſcilicet operari, ſeu operationem; ergo potentia ſubſtantiæ ad eſſe, & potẽtia operatiua ad operationem debent diſtingui realiter, ac ſubinde ſubſtantia non poterit reſpicere operari immediatè, cum immediatè reſpiciat eſſe.

211. Confirmatur, & explicatur precedens argumentum, quia actus, & potẽtia per ſe, & immediatè ad illum ordinata debent eſſe in eodem genere, vt ſi actus eſt accidens, potentia ad illum ordinata proximè, & immediatè debet eſſe accidens, ſed actus, ſeu operatio cuiuslibet agentis creati eſt accidens; ergo etiam potentia proximè, & immediatè ad illũ ordinata debet eſſe accidens, & ſic ſubſtantia non poterit proximè, & immediatè reſpicere operationem. Tum quia potentia ſpecificatur per actum, ſed ſubſtantia non poteſt ſpecificari per operationẽ, quoniam ſpecificatum, & ſpecificatiuum debent eſſe eiuſdem ordinis; ergo non poteſt ſubſtantia immediatè reſpicere operationem, aliàs ab illa ſpecificaretur.

212. Pluribus occurrit Pontius *diſp. 9. nu. 16.* Primò, quod ſi loquamur de operatione, ſeu actione productiua alicuius effectus, falſum eſt eſſe propriũ Dei, quod ſit ſua operatio, quoniam actio qua Deus producit ad extra, realiter ab ipſo diſtinguitur, cum ſe teneat ex parte effectus, vt etiam ipſi Thomiſtæ concedunt. Sed contra, nam negari non poteſt, quod non ſit proprium Dei eſſe ſuum operari, licet enim effectus Dei ad extra realiter diſtinguatur à Deo, non tamen actio productiua illius, hæc enim non eſt tranſiens, ſed immanens, licet dicatur tranſiens virtualiter quatenus eſt tantæ virtutis vt ponat effectum ad extra, ac ſi & ipſa ad extra tranſiret; actio autem immanens Dei eſt ipſum eſſe Dei.

213. Secundò occurrit Pontius, quod argumentum factum æquè militat contra nos, nam ex eo ſequitur, quod calor non poſſet producere alium calorem, quandoquidem potentia ad eſſe ipſius, quæ eſt ipſius eſſentia deberet ſecundum hanc obiectionem diſtingui à potentia ad operari ipſius, & hæc inſtantia, inquit, eſt euidens. Sed contra nam noſtrum argum. debet intelligi de potentijs formaliter, & per ſe reſpicientibus eſſe, & opera-

operari; nam ſubſtantia primò, & per ſe reſpicit eſſe, ſeu eſt quædam potentia ad eſſe per ſe. Et potentia operatiua eſt potentia reſpiciens per ſe operationẽ, quod autem reſpiciat eſſe, non eſt propter ſe, ſed propter operationẽ, eo quod nequeat operari niſi ſit. Et ſic potentiæ operatiuæ datæ ſunt à natura non vt ſint, ſed vt operentur; vbi autem eſſe reſpicitur propter operari, non ponit diſtinctionem cum operari, ſed tunc ſolum quando vtrumq; reſpicitur propter ſe.

214. Tertiò occurrit Pontius, quod eadem ſubſtantia poteſt reſpicere vtrumque, tum eſſe, tum operari, quia ſicut eadem potentia materiæ poteſt reſpicere plures formas ſubſtantiales; & eadem cauſa efficiens plures effectus; & idem intellectus plures intellectiones: ita eadem potentia ſubſtantiæ poteſt reſpicere & eſſe, & operari. Quare eadem ſubſtantia per ſemetipſam poteſt reſpicere exiſtentiam tanquam id per quod recipit eſſe extra cauſas, & operari tanquam id per quod poteſt producere aliquid aliud. Sed primariò reſpiciet eſſe, & ſecundariò operationem. In omni autem ſententia poteſt aliquid reſpicere duo, vnum primariò, & aliud ſecundariò.

215. Sed contra, nam tam eſſe, quã operari primariò reſpiciuntur à natura, eſt namque ſumma naturæ perfectio & eſſe, & operari, ac proinde ſecundum diuerſum ordinem debet vtrumque primariò reſpici: in ordine ſubſtantiæ primariò reſpicitur eſſe, & in ordine accidentis primariò reſpicitur operari. Materia reſpicit primariò plures formas: Efficiens reſpicit primariò plures effectus: intellectus reſpicit primariò plures intellectiones, &c. quia omnia iſta ſunt eiuſdem ordinis cum ſuis potentijs reſpiciẽtibus; eſſe autem, & operari cum ſint diuerſi ordinis debent primariò reſpici, nõ poſſunt autem reſpici ab vna tantum potentia, ſed à duabus.

216. Occurret aliquis ad idem argumentum, quod ſi eſſe, & operari in creatis diſtinguuntur realiter, ſicut etiam debent realiter diſtingui potentia quę reſpicit eſſe, & potentia quæ reſpicit operari, etiam in diuinis eſſe, & operari deberent diſtingui virtualiter, & ſic eſſentia diuina, & natura diuina diſtinguerẽtur virtualiter, quod tamen negant plures Thomiſtæ, & N. Salmant. 1.p.& nos cum illis, quę enim in creatis diſtinguũtur realiter, translata ad diuina diſtinguuntur virtualiter. Sed contra, nam licet quæ in creatis diſtinguuntur realiter ſecundum ſe, & ſecundum proprios conceptus translata ad diuina diſtinguantur virtualiter; non tamen quæ in creatis diſtinguuntur realiter ratione limitationis, vt contingit in noſtro caſu; nam eſſe, & operari in creatis diſtinguuntur realiter ratione limitationis, quatenus eſſe eſt ita limitatum vt ſit tãtum eſſe, & operari, eſt tantum operari. Cœterum in diuinis eſſe non eſt tantum eſſe, ſed eſt tantæ eminentiæ vt ſit ſuum operari; & operari non eſt tantum operari ſed eſt tãtæ eminentiæ vt ſit ipſũ eſſe, in diuinis namque cum non detur conceptus accidentis, ſequitur quod operari quod in creatis eſt accidens translatum in Deum ſit ſubſtantia, & ſub conceptu ſubſtantiæ, & ſic eſſentia, & natura in diuinis neque virtualiter diſtinguantur.

217. Probatur 2. noſtra concl. nam forma ſubſtantialis eſt principium immediatum eſſendi; ergo non poteſt eſſe principium immediatum operandi, ac proinde quatenus operari ſequitur ad eſſe, forma ſubſtantialis quæ eſt immediatum principium eſſendi, erit principium remotum operandi, non proximum. Non enim idem poteſt eſſe principium proximum eſſendi, & operandi. Neque poteſt forma ſubſtantialis ordinari proximè, & immediatè ad actum eſſendi, & ſecundariò ad operationem, ſed ad hanc ſolum radicaliter, modo dicendo §. ſequ. Nam ad actum eſſendi forma concurrit in genere cauſæ formalis, & ad actum operãdi ſi ſemel immediatè concurreret, concurreret in genere cauſæ efficientis, non poteſt autem forma eſſe immediatum principium efficiens, ſed tantum informans. Soluuntur argum. in contrarium.

218. Pri-

218. Primum argum. nam forma accidentalis v. g. calor eſt immediatum, & proximum principium operandi ſaltē *vt quo*; ergo etiam forma ſubſtantialis. Conſeq. probatur, nam formæ nobiliori debet concedi effectus nobilior, nec poteſt aliquid concedi formæ ignobiliori, quod nobiliori non concedatur, patet autem quod operari ſit quid nobiliſſimum, quod etiam in Deo reperitur. Reſp. negando conſequen. ad probationem dico, quod formæ ſubſtantiali conceditur totum id, quod ipſi non repugnat, vt eſt informare, & operari radicaliter; operari autem proximè ſibi repugnat ratione ſuæ limitationis.

219. Secundum argum. nam formæ ſubſtantiali conceditur cauſalitas finalis, & formalis, imò etiam materialis, ſaltē vt conſtituit compoſitum; compoſitum namque eſt materia, ſeu ſubiectum accidentium; ergo etiam debet illi concedi cauſalitas efficiens. Reſp. quod ſubſtantia poteſt exercere cauſalitates cauſæ formalis, finalis, & materialis, non tamen efficientis, quia hæc ſibi repugnat non illa, quia ex hoc quod exercent cauſalitatem cauſæ efficientis ſpecificatur ab aliquo extra, non ex hoc quod aliam cauſalitatem exerceat; finis namque trahit ad ſe; ſubiectum eſt in ſe, forma componit vnum per ſe cum materia, &c.

220. Tertium argum. nam ſubſtantia Angelica vnitur immediatè cum ſuo intellectu per modum ſpeciei impreſſæ, & cum eodem intellectu concurrit immediatè ad intellectionem; ergo non repugnat, quod ſubſtantia ſit immediatè operatiua. Reſpondent aliqui, quod eſſentia Angeli vt fungitur officio ſpeciei reſpectu proprij intellectus non concurrit efficienter, ſed tantum formaliter, & obiectiuè. Melius reſpondetur 1. nullam eſſe implicantiam quod ſubſtantia concurrat immediatè ad operationem in eſſe intelligibili, quoniam ſubſtantia in hoc eſſe eſt propter operationem. Reſp. 2. quod ſubſtantia neque in eſſe intelligibili concurrat effectiuè immediatè ad operationem, ſed tantum radicaliter, quatenus intellectus ab ea emanauit non ſolum vt eſt intellectiuus aliorum extra, ſed etiam vt eſt intellectiuus propriæ eſſentiæ ſibi formaliter, & obiectiuæ vnitæ.

§. 3. *An potentiæ operatiuæ ſint inſtrumenta ſubſtantiæ ad operationem, ſeu productionem ſubſtantiæ, an ſolum diſponant.*

221. Prima ſententia eſt Scoti, eius diſcipulorum, & aliquorum aliorum, quod potentiæ operatiuæ, ſeu accidentia non aliter concurrant ad productionem ſubſtantiæ quam diſpoſitiuè, non effectiuè inſtrumentaliter; cum enim velint iſti, quod ſubſtantia producatur immediatè ab alia ſubſtantia, ſicut accidens ab accidente, ſequitur quod accidentia, ſeu virtut. ; operatiuæ, ſeu productiuæ aliorum accidentium non aliter concurrant ad productionem ſubſtantiæ niſi diſpoſitiuè.

222. Noſtra ſententia ſeq. concluſ. explicatur. *Accidentia, ſeu potentiæ operatiuæ ſunt inſtrumenta ſubſtantiæ ad productionem alterius ſubſtantiæ*, & ſic calor v.g. in virtute ignis attingit alium ignem, ac proinde eſt inſtrumentum ignis à quo dimanat ad productionem alterius ignis. Hanc concl. tenent omnes Thomiſtæ, pro quo videri poſſunt N. Complut. *hic diſp.* 10. *q.* 5. Ratio conſtat ex dictis §. præcedenti, nam cum ſubſtantia nequeat eſſe immediatè operatiua, debet operari, ac proinde aliam ſubſtantiam producere per ſuas virtutes, quæ ſunt ipſius inſtrumenta, &c. Deinde.

223. Probatur 1. dantur plura accidentia ſeparata à ſubſtantia quæ producunt ſubſtantiam, ſed eam non producūt vt cauſæ principales, neque tantum diſpoſitiuæ; ergo vt cauſæ inſtrumentariæ, & in virtute ſubſtantiæ. Minor conſtat, nam accidentia non poſſunt eſſe cauſæ principales, vt patet ex dictis ſupra, neq; tantum diſpoſitiuę cum non detur ſubiectum quod diſponatur; ergo &c. Maior probatur, nam ſemen animalis ab eodē animali deciſum, & ſeparatum, imò ipſo ani-

animali non exiſtente, & mortuo, producit aliud animal. Præterea accidentia vini conſecrati, concurrunt inſtrumentaliter, imò inſtrumentaliter conuertunt guttam v. g. aquæ in vinum, ſi illis miſceatur; ergo hoc ipſum præſtabunt quãdo ſunt cum ipſa ſubſtantia coniuncta; non enim magis accidentia ſunt virtutes ſubſtantiæ eum ſunt ab illa ſeparata, ac cum ſunt cum illa coniuncta, ac proinde ſi accidentia vini ſeparata à ſubſtantia, vt in Euchariſtia, producunt ſubſtantiã, non virtute propria, ſed ipſius ſubſtantiæ cuius manent virtutes, à fortiori id præſtare poterunt cum ſunt coniuncta cum ipſa ſubſtantia.

224. Occurrunt aduerſarij, quod ſemen animalis, & accidentia vini conſecrati concurrunt tantum diſpoſitiuè ad productionem ſubſtantiæ, non vt virtutes inſtrumentariç. Sed contra, nam ſi accidentia, & ſemen ſolum diſpoſitiuè concurrerent ad productionem ſubſtantiæ, deberet aſſignari cauſa principalis efficiens quam diſponerent ad productionem ſubſtantiæ; ſed nulla ſubſtantia datur in accidentibus vini conſecrati, quam accidentia diſponant ad productionem ſubſtantiæ vini, ergo, &c.

225. Occurrunt alij, quod productio illius ſubſtantiæ vini non fiat nec ab accidentibus neq; diſpoſitiuè, neq; à ſubſtantia vini cum nõ detur, ſed vel à Deo, vel cęlis, aut à corpore circumſtante, &c. Sed contra, nam loquendo de Deo nulla eſt repugnantia quod non poſſit eã cauſare, cœterum cum poſſimus inuenire cauſam naturalem, non debemus recurrere ad Deum miraculosè agentem. Neque etiam poteſt ea ſubſtantiæ productio tribui cælis, quia cæli ſunt cauſa vniuerſalis non particularis, nec poſſumus conſtituere cęlos cauſas particulares, vt in productione ranarum ex guttis pluuiæ tempore æſtiuo, niſi quando non poteſt aſſignari cauſa naturalis particularis, quod non contingit in noſtro caſu.

226. Probatur 2. nam ſi ſubſtantia eſſet immediatè operatiua, & non medijs ſuis potentijs, ſeu accidentibus ſequeretur quod non poſſet dari corruptio formæ perfectioris; ſed hoc eſt falſum, & contra experientiam, forma namque ignis expellit, ſeu corrumpit formam animalis, &c. ergo ſubſtantia non eſt immediatè operatiua. Sequela probatur, quoniam à proportione minoris inæqualitatis non datur actio, ſed quanto forma eſt perfectior, eſt etiam actiuior, & magis reſiſtit quam forma imperfectior; ergo ſi ſubſtantia eſſet immediatè operatiua, non poſſet forma imperfectior expellere aut corrumpere formam perfectiorem. Oppoſitum autem contingit in accidentibus, virtutes namque formæ imperfectioris poſſunt eſſe fortiores virtutibus formæ perfectioris, vt calor qui eſt virtus ignis, eſt fortior virtutibus animalis, & ſic animal poteſt ab igne conſumi.

227. Probatur 3. nam ſi forma eſſet immediatum operandi principium, & non eius virtutes, ſeu potentię, aut accidentia, ſequeretur quod forma ſemper operaretur, ſicut ſemper informat; hoc eſt falſum, & contra experientiam, non enim ſemper forma ſubſtantialis producit ſimilem formam ſubſtantialem; ergo, &c. Sequela probatur, quia ex eo, quod forma eſt immediatum principium eſſendi, & viuendi, qui eam habet ſemper eſt, & viuit, ergo ſi forma eſt immediatum principium operandi, qui eam habebit, ſemper operabitur. Ideo namque forma non ſemper ſentit, aut intelligit, aut mouetur, quia iſta non præſtat immediatè per ſe ipſam; ergo ſi præſtat operationem per ſe ipſam immediatè, ſemper operabitur; ſicut quia immediatè per ſe ipſam præſtat eſſe, & viuere, ideò ſemper hæc præſtat, ita ſi immediatè per ſe ipſam præſtaret operationem; ergo nõ medijs ſuis inſtrumentis, ſemper, & continuò eam præſtaret.

228. Occurres pro aduerſarijs, quod ſicut potentia viſiua, aut intellectiua, & alia quæcumque ſemper informat ſubiectum, & tamen non ſequitur quod habẽs illam ſemper operetur, ita ex eo quod forma informat, & eſt principium operatio-

rationis, ſequitur quod ſicut ſemper informat, ita ſemper operetur; ſed contra, nam ideo potentia operatiua ſemper informat, & non ſemper operatur, quia in ſui operatione ab alio dependet; dependet enim à forma tanquam à principio radicali, dependet ab obiectis, &c. At ſi forma eſſet immediatè operatiua à nullo dependeret, cum eſſet primum, & immediatum operandi principium.

§. 4. An ſubſtantia licet non ſit immediatè operatiua, ſeu non influat immediatè in effectum, influat tamen in ſua inſtrumenta, ſeu in ſuas potentias.

229. Prima ſententia eſt, quod licet ſe ſola non ſit operatiua, ſimul tamen cum ſuis virtutibus operatur, eo modo quo artifex, nec ſe ſolo producit effectum artis, nec ſolum inſtrumẽtum id efficit, ſed vtrumque ſimul; vnde inſtrumentum defert virtutem principalis agẽtis ad effectum; quocirca diximus ſupra, quod eadem actio, v.g. ſciſſio & eſt à ferra vt eſt ſciſcio vt ſic, & eſt ab artifice vt eſt ſciſſio artificioſa; eodẽ modo philoſophantur in inſtrumentis naturalibus. Sic tenent plures iuniores. Secunda ſententia tenet, quod ſubſtantia non præſtat influxum in effectum, præſtat tamen illum immediatè in inſtrumentum, & iſte influxus eſt ipſa inſtrumenti eleuatio, hæc enim in alio non conſiſtit niſi in influxu quem ſubſtantia præſtat in ſua inſtrumẽta, ſeu in ſuas virtutes.

230. Noſtra ſententia ſequenti concluſ. explicatur. *Subſtantia nec præſtat influxum in effectum ſimul cum inſtrumento, nec præſtat in ipſum inſtrumentum, ſed inſtrumenta à principio emanarunt cum illa virtuoſitate, & eleuatione, vt ſubſtantiam producant; vnde ſemper ſunt eleuata, &c.* Pro hac concl. videantur N. Complut. *hic diſp.* 10. *qu.* 6. Quod ſubſtantia non præſtet influxum ſimul cum inſtrumento in effectum, conſtat ex dictis §. præcedẽti, aliàs eſſet immediatè operatiua, quod ibi reprobauimus; neque enim ſubſtantia eſt immediatè operatiua ſe ſola, neq; aſſociata ſuis inſtrumentis, hoc enim probant noſtra argumenta.

231. Quod autem ſubſtantia neque præſtet immediatum influxum in ipſa ſua inſtrumenta, etiam conſtat ex dictis §. præcedenti, tunc enim ſubſtantia eſſet immediatè operatiua, attingeret enim immediatè illum influxum. Tum quia vel ille influxus eſt ſubſtantia, vel accidens, non ſubſtantia, quia hæc non poteſt recipi in accidente, ſi eſt accidens, inſtrumẽtum per illud remanebit inſufficiens ad producendam ſubſtantiam vti prius. Tũ etiam quia ſi accidens hoc in accidente receptum poteſt producere ſubſtantiam, ex eo quod eſt à ſubſtantia, etiam ipſum inſtrumentum poterit ſic à principio emanare, vt abſque alio ſubſtantiam attingere poſſit.

232. Nihilominus adhuc probatur 1. varijs experimentis. Primò in generatione viuentium, in qua generans medio ſemine generat aliud ſibi ſimile ſine aliquo actuali influxu, cum non ſit præſens, vel etiam non ſit, vt §. præcedenti dictũ eſt. Secundò in ſpeciebus ſacramentalibus, quæ generãt ſubſtantiam v.g. vermis cum tamen non adſit ſubſtantia præſtans influxum. Tertiò in radijs ſolaribus, qui in concauo ſpeculi per refractionem producunt ſubſtantiam ignis, & tamen abeſt ſubſtantia ſolis, &c.

233. Probatur 2. nam ſi accidens; quod eſt inſtrumentum ſubſtantiæ indigeret aliqua virtute ſuperaddita, ſeu actuali influxu ſuperaddente virtutem, & non ſufficeret quod emanaret ita eleuatum, & confortatum, etiam illa virtus ſuperaddita cum ſit accidens, & de ordine potentiæ, & virtutis operatiuæ, vt ſunt ſubſtantiæ inſtrumenta, deberet per aliã virtutem eleuari, & confortari, & ſic daretur proceſſus in infinitũ. Ne ergo hoc dicamus, teneamus cum D. Thoma, & Thomiſtis quod formę accidentariæ in prima ſui emanatione emanant ſic eleuata, & confortata, vt abſq; nouo influxu, & confortatione poſſint producere ſubſtantiam.

234. Con-

234. Confirmatur, & explicatur, notando quod accidens ſumi poteſt dupliciter. Primò ſecundum ſe, & abſolutè prout ſcilicet abſtrahit à ſubiecto ſiue vitali, ſiue non vitali, ſiue mixto, & ſi hoc modo ſumatur non eſt virtus ſubſtantiæ, nec hoc modo poteſt producere ſubſtantiam, ſed ſolum poteſt producere accidens cum quo eſt proportionatum, vt calor calorem, &c. Secundò ſumi poteſt accidens v.g. calor prout dimanat à determinato ſubiecto, cuius eſt forma operatiua, & hoc modo eſt virtus ſubſtantię; calor namque prout dimanat à viuente, & eius potentia nutrire, eſt virtus ſubſtantiæ viuentis: & prout dimanat ab igne, eſt eius potentia operatiua, eiuſque virtus, & inſtrumentum ad productionẽ alterius ignis. Dicitur ergo accidens virtus, & inſtrumentum ſubſtantiæ prout dimanat à ſubſtantia determinata, & ſic à principio ſuæ dimanationis poteſt producere ſubſtantiam, cum dimanet vt potentia operatiua illius, & productiua ſubſtantię, & proportionata cum ſubſtantia producta, in ratione ſubſtantiæ à qua dimanat, à qua ſine nouo influxu in virtute primæ productionis manet aſſumptum, & eleuatum vt operetur ſubſtantiæ productionem. Hinc videmus, quod calor vt dimanat ab igne, producit ignem, vt dimanat ab animali, producit carnem: vt dimanat à planta, producit partem plantæ, &c. Vnde ſicut in moralibus mandatarius in virtute prioris mandati, exequitur voluntatem mandantis, nec indiget nouo mandato, ſeu nouo influxu mandãtis, ita accidentia non indigent nouo influxu, & quaſi mandato ſubſtantiæ ad ſingula opera, ſed ſibi ſufficiet prius mãdatum, prioruè influxus quo exierunt a ſubſtantia, ſeu quo dimanarunt ab ea. His benè penſatis facilè ſolui poſſunt argumenta, quę ab aduerſarijs in contrarium fieri poſſunt. Videantur N. Complut. loco citato.

§. 5. *An dimanatio accidentium, ſeu proprietatum ab eſſentia, ſit vera, & propria actio.*

235. HVius difficultatis reſolutio iã ferè habetur ex dictus, cum enim oſtenderimus ſubſtantiam non eſſe immediatè operatiuam, neq; ſimul cum ſuis potentijs, neque ſola, etiam reſpectu ſuorum inſtrumentorum, ſequitur quod eorum emanatio, ſeu reſultantia non ſit vera, & propria actio, quocirca ſolet hęc emana tio vocari ſimplex quædam reſultantia qua in vim actionls agentis qua produxit ſubſtantiam, emanant accidentia; tamen quia Suarez *diſp.* 18. *metaphy. ſect.* 3. Ruuius, & alij putant quod proprietates, paſſiones, & accidentia dimanantia ab eſſentia, non dimanent in virtute actionis generantis, ſed per veram actionem diſtinctam, & ſic quod reſultãtia, ſeu emanatio ſit propria, & immediata actio ſubſtantię; ideo placet cum N. Complut. *hic diſp.* 10. *qu.* 7. breuiter hanc difficultatem examinare, vt qui plura voluerit, conſulat dictos Complut.

236. Vera, & communis ſententia ſequenti concluſ. explicatur. *Emanatiõ accidentium non eſt vera, & propria actio ſubſtantiæ, ſed emanant in virtute actionis generantis ſubſtantiam, quoties ponuntur, aut poni petunt ſimul cum ſubſtantia, vt ſunt propria paſſiones, & virtutes inſtrumentaria, ſeu forma operatiua, &c.* Pro hac concluſione citant dicti Complut. plura D. Thomæ teſtimonia, & ferè innumeros hanc concluſionem tenentes, quos non referimus ne actum agamus.

237. Probatur 1. nam ſi emanatio accidentium eſſet vera, & propria actio ſubſtantiæ, iam ſubſtantia eſſet immediatè operatiuam; ſed iam probauimus in pręcedentibus ſubſtantiam non eſſe immediatè operatiua; ergo emanatio accidentium nõ eſt vera, & propria actio ſubſtantiæ, ſed emanant in virtute actionis generantis producentis ſubſtantiam. Maior probatur, quoniam vbi eſt vera, & propria actio, ibi eſt vera, & propria efficien-

efficientia, & operatio; ergo ſi ſubſtantia producit veram, & propriam actionem habebit propriam efficientiam, & operationem.

238. Probatur 2. ex illo communi dicto, quod qui dat eſſe, dat conſequentia ad eſſe, ſed generans, ſeu producens ſubſtantiam dat eſſe ſubſtantiæ; ergo etiã debet dare conſequentia ad eſſe;ſed proprietates, ſeu paſſiones, aut accidentia, quæ habet ſubſtantia, ſeu quæ emanant à ſubſtantia in inſtanti generationis cum ſint complementum quoddam ſubſtantiç, ſunt quid conſequens ad eſſe illius, ergo cum generans det eſſe ſubſtantię, debet etiam illi dare conſequentia ad illius eſſe ſcilicet paſſiones, proprietates, &c. ac proinde iſta non producentur ab ipſa ſubſtantia, ſed à dante eſſe ſubſtantiæ, videlicet à generante.

239. Probatur 3. nam terminus ſecundarius debet eſſe, & produci in virtute actionis qua ponitur primarius; ſed paſſiones reſultantes in inſtanti generationis ſunt terminus ſecundarius eiuſdẽ generationis; ergo debent poni in virtute actionis qua ponitur terminus primarius, ſcilicet ſubſtantia. Maior conſtat, hæc namque eſt natura termini ſecundarij vt fiat in virtute actionis qua ponitur primarius, quod enim propriam terminat actionem, eſt terminus primarius, licet vna actio aliam ſupponat, quoniam actio voluntatis ſupponit actionem intellectus, & tamen amor qui eſt terminus actionis voluntatis non dicitur terminus ſecundarius actionis præſuppoſitæ intellectus. Minor etiam conſtat, nam paſſiones quæ conſequuntur ad ſubſtantiam in inſtanti generationis, ſunt complementum eiuſdem generationis, ac proinde erunt terminus ſecundarius illius.

240. Probatur 4. nam nihil poteſt efficienter agere naturaliter quandiu nõ habet eſſe completum per proprias paſſiones, & proprietates; ergo ſubſtantia non poteſt ſaltem connaturaliter per veram, & propriam actionem attingere ſuas proprietates. Conſeq. conſtat, nam antequam ſubſtantia habeat ſuas proprietates, & paſſiones non dicitur eſſe connaturaliter. Antecedens probatur, quia nihil connaturaliter agit quandiu non eſt completè exiſtens, ſeu quandiu non habet eſſe quietum, & non ſunt cõpletę omnes cauſalitates pertinentes ad eſſe; ſed ſubſtantia in inſtanti generationis non eſt completè exiſtens, quandiu non intelliguntur paſſiones, ſeu proprietates illius; ergo quandiu non intelliguntur dictæ proprietates non poterit ſubſtantia connaturaliter agere. Maior conſtat, quoniã agere ſupponit eſſe, & actiones ſunt ſuppoſitorum, & exiſtentium. Minor probatur, quia paſſiones exiſtunt eadem exiſtentia qua exiſtit ſubſtantia, exiſtentia namque prius afficit ſuum terminum primarium, deinde ſe extendit ad terminum ſecundarium; ergo, &c. Et per hæc facilè ſolui poſſunt, quæ in contrarium ab aduerſarijs obijciuntur, maximè ſi attendantur quæ ſequenti §. dicuntur.

§. 6. *A quo aqua v. g. calefacta reuocetur ad priſtinam frigiditatem.*

241. Licet difficultas de ſola aqua calefacta proponatur, tamen vniuerſaliter intelligi debet de omni ſubiecto recuperante ſuas paſſiones, aut proprietates, ſiue recuperante ſuam perfectionem, aut intenſionem illarum quãdo à contrario remittuntur; de qua re prima ſententia eſt, quod aqua calefacta reducatur ad priſtinam frigiditatem ab aere ambiente, qui ob vapores, & frigidas exalationes frigidus eſt, & ſic ſua frigiditate remittit paulatim calorem, eumque ad interitum perducit, & aquam ad priſtinam reuocat frigiditatem. Hanc ſententiam poſt Burleum ſequitur Toletus *lib. 2. cap. 1. q. 2. in ſolut. 2.* Secunda ſententia eſt Auerrois *2. de anima comm. 115.* quod aqua calefiat à quibuſdã vaporibus, quibus ſublatis aqua infrigidatur. Tertia ſent. Auicennæ *lib. 1. ſufficien. cap. 5.* quod illa infrigidatio fiat immediatè à forma ſubſtantiali. Quarta eſt Pauli Veneti, qui dicit quod aqua per acci-

accidens ſe infrigidat, quatenus intendit ſe condenſare, ex qua condenſatione deſtruitur calor, & producitur frigus. Quinta ſent. eſt Aegidij dicentis, quod per accidens ſe infrigidat, quatenus per ſe corrumpit calorem ex quo producitur frigiditas. Sexta ſent. eſt Forliuienſis, quod partes calidæ infrigidentur à partibus minus calidis, ſed frigidis. Septima ſent. eſt, quod frigiditas formalis producatur à frigiditate virtuali quæ etiam in aqua calida remanet; de his ſententijs facit mentionem Toletus loc. cit. quas deſumpſit ex Soto 2. *phy.* q 1.

242. Cæterum omnes iſtæ ſententiæ videntur falſæ. Prima quidem quoniam experientia conſtat, quod aqua calida reducitur ad maiorem frigiditatem, quã ſit acr ambiens, & circumſtans. Secunda eſt magis falſa, quia notum eſt, quod aqua in ſe recipiat calorem Item 3. ſent. eſt falſa, quia ponit formam ſubſtantialẽ eſſe immediatè operatiuam. Quarta etiã ſent. eſt falſa, quoniam infrigidatio eſt cauſa condenſationis, & prius eſt quod aqua infrigidetur, quam condenſetur. Quinta ſent. eſt falſa quia ponit naturam per ſe intendere corruptionem. Sexta falſa eſt, quoniam partes magis frigidæ non poſſunt intendere alias niſi ad eum gradum caloris quem habent, & non ad antiquam, & maiorem frigiditatem. Septima demum eſt falſa, quia duas ponit in aqua frigiditates, virtualem, & formalem, nam licet in mixtis ratione temperamẽti præter quatuor qualitates actuales ſenſibiles dentur aliæ virtuales inſenſibiles, vt patet in vino, pipere, &c. in quibus latet quædam vis interior calefaciendi, vt conſtat experientia, & docent medici peritiſſimi Chriſtophorus à Vega *lib.* 1. *artis medendi*, Vallcſius *lib.* 1. *contron. medicarum cap.* 12. Paramatus *lib. de temperamentis cap.* 26. In elementis tamen non dantur tales qualitates virtuales; nullus namque poteſt eſſe harum vſus, qui non poſſit præſtari à qualitatibus actualibus. Nec valet quod harum vſus eſt aquam v. g. calefactam ad priſtinam frigiditatem reuocare, nam vinum calefactum amoto igne ſe ipſum reuocat ad frigiditatem actualem, cum tamen in eo nulla ſit frigiditas virtualis, cum ſit virtualiter calidum, vt docet Ariſtotel. *in problem. ſect.* 2. *q.* 1. & cum eo communiter Philoſophi, exceptis Plutarcho *problem.* 5. *Decadis* 3. & Macrobio *lib.* 7. *Saturnalium cap.* 6. *&* 8.

243. Magis probabilis videtur ſent. Auic. *lib.* 1. *ſuffic.* Maioris *in* 4. *diſt.* 12. *q.* 3. *concl.* 1. Soncin. 9. *metaphy. qu.* 8. *ad* 1. Fonſec. 3. *metaphy. cap.* 2. *q.* 6. *ſect*: 5. & aliorum, quod aqua reuocetur ad priſtinam frigiditatem à forma, à qua frigiditas fluit tanquam à ſubiecto. Sed forma non eſt ſubiectum frigiditatis niſi *vt quo*, non *vt quod*, ſi intelligant hoc modo, admitti poteſt, quod ſcilicet fluat ab aqua tanquã à ſubiecto *quod*, & ab eius forma tanquam à ſubiecto *quo*, & in virtute generantis, non per actionem aquę, aut formæ illius, vt iam diximus, cum ſubſtantia non ſit immediatè operatiua.

244. Magis etiam probabilis eſt ſent. Caiet. 1. *p. q.* 54. *art.* 3. Sot. *lib.* 2. *phy. qu.* 1. Bann. 1. *p. qu.* 77. *art.* 1. *dub.* 1. Scaligeri *exerc.* 184. *aduerſus Cardanum num.* 6. & aliorum dicentium, quod aqua reuocetur ad priſtinam frigiditatem à frigiditate exiſtente, quantumuis enim aqua calefiat, quandiu manet forma aquæ, ſemper remanet aliquid frigiditatis, & ab iſta reuocatur aqua ad antiquam frigiditatem, quandiu namque manet ſubſtantia aquæ, ſemper manet entitas frigiditatis, & calor ſolum deſtruit gradus intenſionis illius, & ſic ab entitate frigiditatis cum vno, aut altero gradu intenſionis, producuntur gradus à calore deſtructi.

245. Sed dices contingere poſſe, quod frigiditas manens in aqua ſit multo minor quam caliditas vt ſi caliditas ſit, vt 5. frigiditas non poterit eſſe niſi vt tria cum aqua non poſſit habere niſi octo gradus ſiue vnius, ſiue vtriuſque qualitatis ſimul; ergo tunc à frigiditate minus intenſa, non poterit expelli calor magis intenſus. Reſp. notando quod frigiditas v. g. dupliciter ſumi poteſt, ſcilicet ſecũdum

dum intenſionem, & ſecundum virtuoſitatem, actiuitatem, & virtutem. Secundum intenſionem ſumitur iuxta gradus, quos habet; at ſecundum virtutem accipitur ſecundum vim, & efficaciam operandi vt eſt virtus, & inſtrumentum ſubſtantiæ. Licet ergo frigiditas in caſu argumenti ſit minor calore ſecundum intenſionem, eſt tamen maior ſecundum efficaciam; tum quia eſt in proprio ſubiecto, & calor in alieno, vbi violenter manet; tum quia in proprio ſubiecto, & quaſi propria domo vires frigiditatis augentur, & è contra vires caloris langueſcunt, & remittuntur ex abſentia proprij ſubiecti, & ſic patet quod minus non agit in maius, ſed maius in minus.

246. Communis ſententia Thomiſtarum eſt, quòd illa reuocatio aquæ ad priſtinam frigiditatem fiat à generante aquā tanquam à principio *quod*, ſeu quod fiat ab aqua tanquam à principio *quod* in virtute actionis generatiuæ in aqua virtualiter manentis, & à forma aquæ tanquā à principio remoto *quo* in virtute actionis generatiuæ eiuſdem aquæ, quæ *vt quo* genita eſt; & ab entitate eiuſdem frigiditatis manentis in aqua, tanquam à principio *quo* proximo, quatenus etiam in illa manet virtus generantis in virtute. Et ſic volunt Caietanus, Sotus, & Bannes relati, & alij communiter, pro quo videri poteſt Capreolus *in* 2. *diſt.* 6. *q. vnica ad* 9. *Scoti*. Ratio eſt, quia ſicut generans nititur reducere grauia, & leuia ad proprium centrum, qua ratione dicuntur moueri à generante; ita generans v.g. aquam conatur eam reducere ad centrum ſuæ frigiditatis; quando eſt extra illud.

§. 7. *Quomodo exiſtentia concurrat ad actionem agentis, vbi de fortuna, & fato remiſſiuè.*

247. Conſtat ex dictis ſupra, quod ratio formalis agendi remota eſt forma ſubſtantialis, & ratio formalis agendi proxima eſt forma accidentalis; v.g. in igne ratio formalis agendi remota eſt forma ignis, & ratio formalis agendi proxima eſt calor, & ſic quoad rationem formalem agendi ſiue proximam, ſiue remotam excluditur exiſtentia. Difficultas eſt an exiſtentia ſit conditio ſine qua non, an vero modus agendi. Conditio ſine qua non, eſt aliquid extrinſecum agenti, vt approximatio reſpectu ignis, quæ à Deo ſuppleri poteſt; poteſt namque Deus eleuare ignem ad producendum calorem in locum diſtantem, vt ſupra de inſtrumentis diximus, quod ſcilicet non eſt neceſſe, quod actio inſtrumenti contingat locum vbi poni debet effectus principalis agentis. At modus eſt quid intrinſecum agenti, & rei cuius eſt modus, & iſte eſt inſupplebilis à Deo, vnde cum obſcuritas ſit modus neceſſarius ad fidem, ſicut certitudo, aut euidentia in ſcientia perfecta, & naturali, ideo non poteſt dari fides ſine obſcuritate, neque ſcientia ſine euidentia.

248. Modo quæritur an exiſtentia requiratur ad agendum tanquam conditio ſine qua non, an tanquam modus intrinſecus. Eſt prima aliquorum modernorum ſententia, quod exiſtentia requiratur ad agendum tanquam conditio, ſine qua non, eo modo quo approximatio eſt conditio ſine qua non in agente phyſico, v.g. in igne vt agat; ex quo inferunt quod poſſit Deus per rem non exiſtentem, vt per ignem non exiſtentem producere calorem aut alium ignem, cum poſſit Deus ſupplere conditionem ſine qua non. Communis ſententia ſequentibus numeris explicatur.

249. Dico 1. *Exiſtentia non requiritur ad agendum, vt conditio ſine qua non*. Ratio clara eſt, nam conditio ſine qua non eſt quid extrinſecum agenti, vt approximatio

matio, at exiſtentia eſt modus intrinſecus rei, tum in ratione entis, cum ſit vltimus actus eſſentiæ, & reuocatur ad genus eſſentiæ cuius eſt actus; tum in ratione agendi, quoniam ſine exiſtentia non poſſumus cõcipere cauſam agentem; quod enim non eſt, non poteſt concipi cauſa eius quod eſt; nec poteſt aliquid tribuere alteri, v.g. exiſtentiam; quam in ſe non habet.

250. Dico 2. *Exiſtentia requiritur ad agendum in cauſa efficiente tanquam modus intrinſecus, & omnino indiſpenſabilis, ſiue illa ſit cauſa principalis, ſiue inſtrumentalis.* Conſtat ex dictis præcedenti numero, nihil enim nõ exiſtens poteſt producere exiſtens, aliàs daret res quod non habet. Tum quia exiſtentia requiritur ad agendum, non tanquam ratio formalis, neque tanquam conditio, ergo tanquam modus intrinſecus. Non tamen ſemper agens ad hoc vt agat, vt cauſa principalis debet formaliter exiſtere, ſed ſufficit, quod exiſtat virtualiter in ſua virtute; vt patet in animali, quod vt agat per ſuum ſemen, non eſt neceſſe quod exiſtat actu in ſe, ſed ſufficit quod formaliter extiterit, & exiſtat virtualiter in ſua virtute, v.g. in ſemine. In virtute autem ipſa, ſeu in inſtrumentis ſemper requiritur exiſtentia formalis, & actualis, cum iſta non exiſtant in aliqua virtute relicta cum hoc ſit cauſæ principalis. Hic ſolent aliqui agere de fortuna; & fato, ſed de hac re egi ſufficienter in meis conſilijs *conſil.* 11. explicans illud commune dictum. *Audaces fortuna iuuat, timidoſque repellit*, qui voluerit alia videre conſulat N.Complut. hoc loco, & alios.

†

DVBIVM VIII.

De cauſa finali.

§.1. *Quid, & quotuplex ſit finis; & an omne agens agat propter finem.*

251. OMnes Philoſophi hoc loco, & alibi definiunt finem cum Ariſt. *tex.* 31. quod ſit id *cuius gratia aliquid ſit*. Allicit namque finis ſua bonitate agens ad operandum, & ſic media quæ aſſumuntur, illius gratia fiunt, vt ex dicendis magis conſtabit. Finem namque eſſe operis cauſam, notum eſt apud omnes, cum Ariſt. ſæpiſsimè id affirmet, & ante ipſum Plato, licet aliqui antiquorum abſtulerint à natura finem, putantes omnia fieri ex neceſsitate, vel à caſu, vt aduertit Ariſtot. à *tex.* 75. Quod autem finis ſit verè cauſa, probatur ab eodem Ariſt. *tex.* 29. ea ratione, quia ſæpe interroganti *propter quid* de re aliqua, ſi reſpondetur per finem, quieſcimus, & putamus nos ſcire cauſam; vt propter quid ambulas? propter ſanitatem. Quæ ratio fundata videtur in cõmuni ſenſu omnium hominum; & re vera cum finis ſit id *cuius gratia*; manifeſtè patet eſſe cauſam.

252. Finis variæ ſunt diuiſiones, quas retulimus 1. 2. *diſp.* 1. *dub.* 1. pro quibus videri poſſunt N.Complut. hoc loco. Illa celebris eſt, & notatu digna ſumpta ex Ariſt. 2. *de anima tex.* 35. ſcilicet in finem *cuius*, & in finem *cui*. Finis *cuius*, eſt ille pro quo acquirendo, & adipiſcendo agens mouetur, vt ſanitas reſpectu ægroti. Finis *cui* eſt ille propter quem talis finis acquiritur, qualis eſt ipſe ægrotus. Vterque autem iſte finis, vt Ariſt. indicat poteſt dici eſſe id *cuius gratia*, diuerſo tamen modo, nam primus eſt id, cuius acquirendi gratia agens mouetur, & communiter ipſe ſolus finis cuius gratia appellatur. Alius autem finis poteſt dici eſſe id, in cuius gratiam, tanquam ſubiecti, vel tanquam alicuius cui prior finis debeatur tanquam bonũ ipſius, & iſte abſolutè dicitur finis *cui*.

253. Nonnulla controuerſia eſſe poteſt

teſt quiſnam horum finium ſit præſtantior & cui maximè nomen finis debeatur. Ad quam breuiter mihi videtur ita reſpondendum, quod ſcilicet poſita diuiſio, non ſit in fines adæquatos, quorum vterque poſſit per ſe exercere munus finis, ſeu cauſæ finalis, ſed eſt diuiſio in duas rationes integrantes vnum adæquatum finem, qui abſolutè dici poſsit finis *cuius gratia*; & ratio eſt, quia finis cuius gratia non exercet ſuã cauſalitatem niſi in ordine ad finem *cui*, neque finis *cui* exercet rationem finis ſine aliquo ordine ad finem *cuius gratia*. v.g. ægrotus non operatur quicquam propter ſanitatem in abſtracto, ſed propter ſanitatem ſibi acquirendam; neque item accipit medicinã propter ſe ipſum abſolutè, ſed propter ſe ſanandum; quare neque ſolus æger, neque ſola ſanitas ſunt abſolutè integer finis, ſed ſanitas vt acquirenda ægroto: vnde patet finem *cuius gratia*, & finem *cui*, non eſſe duos fines adæquatos, ſed duas rationes integrantes vnum adæquatum finem.

254. Ex quibus colligitur, quod finis *cuius gratia* non rectè dicatur medium ad finem *cui*, ſicuti calor acquiſitus per ambulationem poteſt dici medium ad ſanitatem; nam medium, vt medium ſemper dicit ordinem ad aliud bonum vlterius acquirendum, ſicut calor ad ſanitatem; at finis *cui* non eſt aliquod bonum vlterius acquirendum per finem *cuius gratia*, ſed eſt id cui debetur finis cuius gratia vt bonum illius. Quocirca hæc duo non ſe habent vt medium, & finis, ſed potius vt forma, & ſubiectum. Id autem quod dixi de fine *cuius gratia*, & fine *cui*, dici etiam debet de poſſeſsione ipſius finis, nempè quod acquiſitio ipſius finis formaliter, ſeu ipſius poſſeſsio non ſit nouus aliquis finis à re poſſeſſa, ſed vnum integrat finem cum re poſseſſa; ſanitas namque vt poſſidenda mouet ægrotum ad talem finem, &c. Poteſt tamen poſſeſsio dici finis formalis, res autem poſſeſſa dici poteſt finis obiectiuus.

255. His poſitis difficultas non eſt, an homo aliquando operetur propter finẽ hoc enim notum eſt, & ab antiquis conceſſum. Nec eſt difficultas in animantibus, tantum enim abeſt quod negari poſsit vt nonnulli opinati ſunt eſſe in eis aliquid rationis, quia agere videntur propter finem, quam ſententiam Plutarc. *in lib. de placitis cap.* 30. tribuit Anaxagoræ, eamque ſecutus eſt Laurentius Valla nobilis Grammaticus, *in lib. de Dialectica cap.* 9. quod tamen eſt manifeſtè falſum, nam propter quædã opera ad quę animantium ſpecies ſunt determinata à natura nullum admittendum eſt in illis veſtigium rationis, ſed potius contrarium, omnia enim faciunt ex naturę inſtinctu, & quia determinantur ita, vel ita ab obiectis ſine vlla deliberatione, vt docet Ariſt. 3. *de anima tex.* 57. Vnde ſemper faciunt idem, & eodem modo, quare hoc ſupponitur hoc loco.

256. Sed quæres hic quid ſit iſte inſtinctus in animantibus? Reſp. nihil aliud eſſe niſi inclinationem quandam, & propenſionem naturalem in eorum imaginatione, quæ poſita hac, vel illa ſpecie, huius aut illius obiecti, aut facta aliqua mutatione in ipſa inclinat ad hoc, vel illud faciendum, aſſequendum, vel fugiendum. Vnde etiam neceſſariò ſequitur in appetitu ſimilis propenſio; & per has potentias determinantur cęteræ potentiæ ad hoc, vel illud opus; ad eum ferè modum quo vnaquæque corda cytharæ ſi tangatur ſuum reddit ſonum, & ſic de alijs muſicis inſtrumentis; ita enim Deus diſpoſuit vnumquodque animal iuxta ſuam naturam, vt ſi aliquo modo veluti tangatur, ſiue ab extrinſeco, ſiue ab intrinſeco hanc, vel illam operationem neceſſariò edant. Huiuſmodi inſtinctum etiam nos experimur in parte ſenſitiua, iraſcimur namque naturaliter niſi à ratione reprimamur ſi verbo, aut maledicto laceſsimur, & idem de alijs paſsionibus.

257. Excluſis ergo tum homine, tum animantibus, difficultas eſt de alijs efficiẽtibus, an ſcilicet operentur propter finem, quandoquidem carent cognitione, & ita non videntur poſſe moueri propter finem. Tamen ſententia eſt Ariſt. cum omnibus, quod etiam hæc agentia agant propter finem, vt multis probat idem Ariſt. à *tex.* 75 Rationes Ariſtotelis ad ſequentem ſummã reuoco.

258. Pri-

258. Prima ratio eſt, quoniam res naturales, vel ſemper, vel vt in plurimum tendunt in idem, ſemper enim lapis mouetur deorſum: vnumquodque animal, & vnaquæque planta habent ſua organa, & partes ſimiles alteri eiuſdem ſpeciei; ergo res naturales non operantur à caſu, & fortuito, ſed veluti conſulto, & propter aliquem finem; quod enim fit à caſu, neque ſemper, neque vt in plurimum fit, vt conſtat experientia. Neque dicere poſſunt, quod hæc omnia fiant ſolùm ex neceſsitate materię; cur enim materia in vna re ſemper habet neceſsitatem ad vnum, in alia ad aliud niſi quia tota ipſius neceſsitas eſt propter aliquem finem.

259. Secunda ratio, nam ars imitatur naturam, ſed opera artis ſunt propter aliquem finē, ergo etiam opera naturæ. Ideo namque ars dicitur imitari opera naturæ, ſeu naturam, quoniam ſi natura faceret opera artis, faceret ſicut facit ars. Tertia ratio, quia aliqua fiunt in natura, quæ dicuntur errores, & peccata naturæ; ergo in natura eſt aliquis finis, alioquin non dicerētur peccata naturæ; ideo enim peccaſſe dicitur, quia natura in illis non eſt aſſecuta ſuum finem; ſicuti peccata artis ſunt, quādo artifex ita malè operatur, vt ſuum finem non conſequatur, aliàs ſi natura ex nullo fine operatur, cur potius animal habens duo capita diceretur monſtrum, quā homo habens vnum caput; peccata autem naturæ dicuntur illa, quæ propter defectū, vel exceſſum valde recedunt ab iis, quæ vt plurimum fiunt in quibus natura non aſſequitur ſuum finem.

260. Quarta ratio Ariſtotelis eſt, quia natura operatur paulatim, & per quoſdam gradus procedendo, vt manifeſtè indicet ſe ad aliquem finem tendere, quo acquiſito quieſcat. Arbor v.g. quia non poteſt ſemper durare, cum ſit corruptibilis, producit ſemen ad conſeruandam ſpeciem, aptum ad hunc ipſum finem, nam prius decidit in terrā, poſtea paulatim putreſcit, dein germinat, & creſcit vſque dum ad perfectum ſtatum arbor perueniat, & ſic de alijs, ex quibus patet naturam maximè propter finem operari. Hæc ferè Ariſtoteles.

261. Nonnulla difficultas eſt inter Philoſophos, an hæc agentia naturatia dicantur agere, & mouere ſe propter finem, aut ad finē, an potius agi, & moueri à Deo ad ſuos fines? Ego puto hanc quæſtionem eſſe de nomine, in re namque puto omnes conuenire. Vnde putarem quod quando agens naturale agit propter finem, poteſt dici & quod agat, & quod agatur, & quod moueat ſe in finem, & quod moueatur ad finem, ſub diuerſa quadam conſideratione; nam quatenus hæc agentia naturalia ſunt à Deo cognoſcente ita ordinata, & diſpoſita vt operentur in ſuos fines, poſſunt dici agi, & moueri à Deo in ſuos fines. Cæterum quatenus ipſa verè in ſuo ordine ſunt efficientia ſuarum operationum ad illos fines, dici poſſunt agere, & ſe mouere in finem. Hinc ex communi modo loquendi, animantia dicuntur mouere ſe, & operari propter finem; & plantæ dicuntur producere ſemen ad conſeruationem ſpeciei; & ignis dicitur generare ignem, &c.

262. Sed obijcies 1. nam agere propter finem, ſeu mouere ſe ad finem eſt agere ex cognitione finis, ſed agentia naturalia non cognoſcunt finem; ergo non agunt propter finem, ſed aguntur à Deo cognoſcente ad ſuos fines. Reſp. quod maior accipi poteſt nimis ſtrictè, & limitatè, & concedi poteſt. Poteſt etiam accipi latius, negari poteſt; nam agere propter finem eſt etiam operari, & ſe mouere ad aſſequendū aliquid etiam incognitum, quo pacto omnia dici poſſunt agere propter finem. Neque tamen hic modus loquendi eſt improprius ob cauſam dictam.

263. Obijcies 2. nam elementa, vt ſupra diximus dicuntur moueri ab Ariſt. ad ſua loca non à ſe, ſed à generante, quoniā à generante accipiunt impetum ad motū; ergo agentia naturalia propter candē cauſam debent dici moueri à Deo potius, quā à ſe. Reſp. quod ſi hoc argumentum eſſet verum, deberet etiam dici quod elementa moueantur à Deo, non à generante, quia neque generans cognoſcit locum, & finem illius motus, ſed Deus. Dico ergo, quod agentia naturalia poſſunt dici moueri à Deo propter cauſam dictam; negandum

tamen

tamen ex alia ratione, quod non poſſint dici etiam moueri à ſe, maximè quando habent in ſe ipſis, primum motus principium.

264. Obijcies 3. quoniam ita ſe habẽt res naturales cum operantur ad aſſequendos ſuos fines, ſicut à ſagittario ſagitta cũ tendit in eum locum ad quem immittitur, ſed ſagitta non dicitur moueri à ſe, ſed à ſagittario ad locum ab ipſo intentum; ergo, &c. Reſp. negando antecedens, nam ſagitta non mouetur naturaliter ad locum intentum à ſagittario, ſed præter naturam, & violenter ex impetu arcus; at agentia naturalia mouentur ex propria natura.

§. 2. *Quænam ſit ratio cauſandi in fine.*

265. LOquimur præcipuè de agentibus operantibus per cognitionem, & maximè de hominibus ex quo facilè colligetur quid de alijs dicendum ſit. In homine ergo operante propter aliquem finem hæc omnia poſſunt conſiderari. 1. Cognitio qua homo cognoſcit talem finẽ, vt ſuum bonum. 2. Obiectum iſtius cognitionis. 3. Bonitas, & conuenientia talis obiecti, propter quam amatur. 4. Poſſibilitas, aut futuritio talis obiecti. 5. Amor ipſius. 6. Reliqua omnia quæ adhibentur ad conſequendum tale bonum, ſiue ſint operationes, ſiue media ad illam conſecutionem; ex quibus quæritur quid ſit prima ratio cauſandi, quæ conditio, quæuè cauſalitas, de quibus poſtea.

266. Quantum ad primam rationem cauſandi, eſt prima illorum ſententia, qui putant hanc eſſe ipſam bonitatis apprehenſionem, ſeu cognitionem, ita quod ipſa res bona, aut bonitas illius ſe habeat materialiter reſpectu finis, apprehenſio verò formaliter, & ſic dicunt finem formaliter cauſare ſecundum eſſe apprehenſum, ſeu cognitum; hoc eſſe apprehenſum, ſeu cognitum vocant eſſe intentionale, ſeu eſſe in anima, prout opponitur ad eſſe reale, quod res habet extra animam, & ita dicũt finem cauſare ſecundum eſſe intentionale, non autem ſecundum eſſe reale. Sic Auicenna *6. metaph. cap. 5.* Medina *1. 2. q. 1. art.* 1 Soncin. *5. metaph. q. 3.* & alij.

267. Noſtra ſententia ſeq. concluſ. explicatur. *Apprehenſio non eſt formalis ratio cauſandi finis, ſed eſt conditio ſine qua non.* Vnde ita ſe habet apprehenſio finis reſpectu eiuſdem, ſicut approximatio reſpectu agentis v. g. ignis, eſt enim apprehenſio veluti quædam boni approximatio ad ipſum agens, quod operari vult propter finem. Hanc ſententiam tenent D. Tho. Caiet. Iauel. Ferrar. & alij quos referunt, & ſequuntur N. Complut. hic *diſp. 14. q. 4. n. 25.*

268. Probatur 1. nam illa eſt formalis, & prima ratio cauſandi in fine, cui poteſt conuenire definitio finis, vt ſit id cuius gratia, ſed hæc non eſt, neque eſſe poteſt apprehenſio boni, ſed eſt ipſa bonitas finis, quæ poteſt mouere, & allicere voluntatẽ ad ſui acquiſitionem; ergo, &c. Maior nota eſt, cum ſit à definitione ad definitum. Minor etiam nota eſt, quia quando homo operatur ad aſſequendam ſcientiam, aut diuitias, id cuius gratia operatur, non eſt apprehenſio ſcientiæ, aut diuitiarum, quæ iam habentur in mente, ſed eſt ipſa ſcientia, diuitiæ, & poſſeſſio, quatenus quãdam habent bonitatem veram, aut ſaltem putatam.

269. Probatur 2. nam illa eſt prima cauſandi ratio in fine, & id cuius gratia, ad quam acquirendam diriguntur media, & qua acquiſita exiſtimat homo acquiſiuiſſe ſuum finem, propterea enim illa dicuntur media, quia ſunt ad finem; ſed huiuſmodi ratio nõ eſt ipſa cognitio, aut apprehenſio diuitiarum, ſed ſunt ipſæ diuitiæ ergo apprehenſio, ſeu cognitio non eſt ratio cauſandi, ſeu finalizandi, ſed ipſa bonitas.

270. Probatur 3. quoniam in agentibus ſine cognitione, finis eſt vera cauſa realis, vt patet ex dictis, & tamen in illis non præcedit illa finis apprehenſio, ergo apprehenſio finis non eſt vniuerſaliter prima ratio, & propria finalizandi, ſeu cauſandi, ſed ipſa bonitas finis, tanquam id cuius gratia, quod reperitur in omni fine; ſolum autem differentia eſt inter agentia

per

Digitized by Google

per cognitionem, & ſine cognitione, quod iſta ſecunda ex modo operandi ſuę naturæ, & ex neceſſaria propenſione quam habent ad ſuos fines, ſemper ſunt, quantum eſt ex ſe, veluti in actu primo applicata ad operandum, & ſemper actu operarentur niſi eſſet impedimentum, & ita non exigunt vt finis approximetur illis per cognitionem. At verò animantia ex modo connaturali operandi exigunt vt finis approximetur illis, cum quo ſtat, quod prima ratio finalizandi ſit eadem in omnibus.

271. Probatur 4. nam apprehenſio finis potius eſt cauſa efficiens, aut certè concurrit in genere cauſæ efficientis ad operationes, & media propter finem acquirendum; ergo non eſt ipſa ratio cauſandi, ſeu finalizandi, alioqui finis vt finis, eſſet efficiens. Antecedens patet, quia homo non operatur propter finem, niſi vt determinatus per cognitionem, & conſequenter cognitio conſtituit hominem cauſam efficiẽtem in actu primo. Homo enim non eſt efficiens in caſu noſtro, niſi inquantum cognoſcens, & ita cognitio eſt id vnde motus, & pertinet ad cauſam efficientem. Tũ quia illud eſt ratio formalis finalizandi, ſeu mouendi, & alliciendi voluntatem, in quod voluntas tendit tanquam in ſuum obiectum, ſed hoc non eſt apprehenſio boni, ſed bonum apprehenſum in quantum eſt bonum; ergo bonum inquantum bonũ eſt ratio formalis finalizandi. Minor conſtat, quoniam voluntas non ſpecificatur niſi à fine, & bono, vnde bonum, & finis ſunt idem.

272. Ex quibus infertur 1. multò minus dici poſſe volitionem, & amorem finis eſſe primam rationem finalizandi, ſeu cauſandi in fine. Ratio clara eſt, nam volitio, & amor ſunt potius effectus finis, quam ratio illius. Infertur 2. poſſibilitatem, & futuritionem finis non eſſe rationem finalizandi, ſed conditionem ſine qua non. Quod non ſint prima ratio finalizandi patet, quia non ſunt *id cuius gratia*, operatur namque agens propter ipſam rem bonam, quam apprehendit poſsibilem, & futuram, non propter poſsibilitatem, & futuritionẽ. Quod autem ſint conditio ſine qua non, etiam patet, quoniam nulla res naturalis ordinatur ad finem impoſsibilem. Tum quia experientia conſtat neminem operari ob finem quem iudicat impoſsibilem. Sufficiet tamen ad hoc vt homo operatur ob aliquem finem, quod illum apprehendat futurum, non tamen operabitur ob futuritionem.

273. Infertur 3. primam rationem formalem finalizandi, ſeu cauſandi in fine nihil eſſe aliud niſi bonitatem rei apprehenſæ in quantum eſt cuius gratia, ita vt res ipſa apprehenſa materialiter apprehenſa vt quædam res, ſe habet vt materia reſpectu finis, eadem verò res in quantum bona eſt, & conueniens ſecundum inſtitutum operantis habet ſe vt formale reſpectu finis, non quidem ſub quacumque ratione, ſed quatenus *id cuius gratia*, qui eſt proprius modus cauſandi finis, nam bonum, vt bonum poteſt conſiderari ſpecificatiuè, vt eſt quædam paſsio entis, & hoc modo non eſt cauſa finalis, at bonum, inquantum bonum, eſt *id cuius gratia*, eſt cauſa finalis. ſicut calor vt calor non eſt cauſa efficiens, niſi quatenus eſt principium *vnde motus*. Soluuntur argum. in contrarium.

274. Primum argum. eſt, nam omnis cauſa ſecundum illud eſſe in quo præcipuè eſt cauſa, debet præcedere ſuum effectum, cum ſit prior ſuo effectu; ſed finis non procedit neceſsariò ſuum effectum ſecundum eſſe reale, ſemper autem præcedit ſecundum eſſe apprehenſum, ergo apprehenſio eſt ratio formalis cauſandi in fine. Reſp. quod omnis cauſa debet pręcedere ſuum effectum, vel realiter, & ſecundum exiſtentiam, vt ſunt reliquæ cauſæ, vel ſaltem in intentione operantis, vt finis: præcedere autem in intentione non eſt præcedere ipſam intentionem, & apprehenſionẽ finis, vt falsò putant aduerſarij, ſed eſt eſſe primum, quod reſpicit intentio; prius enim intentio reſpicit finem, & poſtea media; quare finis eſt primò intentum. Quocirca finis ſecundum ſuam bonitatem, vel realem, vel apparentem non ſemper præcedit effectum in intentione agentis. Deinde etiamſi ipſa intentio præcedat non tamen eſt ratio cauſandi, ſed ſola conditio, ſicut

ſicut etiam præcedit potentia operatiua, cum tamen non ſit ratio finalizandi. Quod autem facit intentio in agentibus per cognitionem, faciunt propenſiones agentium naturalium ad ſuos fines, vt ſcilicet ſint tãtum conditiones ad agendum, non ratio agendi.

275. Secundum argum. quia ex diuerſa apprehenſione diuerſificantur eſſentialiter appetitus ex D.Th. 1.*p.q.*8.*art.*2. vnde appetitus naturalis differt à ſenſitiuo, & hic à rationali, quia appetitus naturalis fertur in bonum non cognitum; appetitus ſenſitiuus fertur in bonum ſolo ſenſu cognitũ. At appetitus rationalis fertur in bonum cognitum per intellectum; ergo cognitio, ſeu apprehenſio boni pertinet formaliter ad conſtituendum finem; quandoquidem ſpecificant appetitus, qui non ſpecificantur niſi à fine. Reſp. diſtinguendo antecedens; ex diuerſa apprehẽſione, & cognitione diuerſificantur appetitus tanquam ex ratione formali ſpecificante, negatur: tanquam ex ratione proponente obiecta ſpecificantia, conceditur. Diuerſæ namque apprehẽſiones proponunt diuerſas rationes boni, & appetibilis, quæ diuerſos appetitus ſpecificant, & in hoc ſenſu intelligitur D. Thomas, loco citato.

§.3. *An bonitas, quæ in fine eſt ratio finalizandi, debeat eſſe realis.*

276. Pro quo ſciendum eſt, quod tripliciter aliquid poteſt non eſſe reale, aut dici non reale. Primò quando in ſe non eſt ens, vt chymera, aut quid ſimile. Secundò quando in ſe eſt ens reale, tamen eſt impoſsibile operanti, vt eſſe Angelum, eſt aliquid reale, impoſſibile tamẽ eſt hominem eſſe Angelum. Tertiò quando & in ſe eſt ens reale, & poſſibile, tamẽ re ipſa non eſt bonum operanti, ſed potius malum, vt eſt cruciari in inferno eſt aliquid reale, & poſſibile operanti, non tamen eſt bonum homini, quodcumque ex his adſit non poteſt dici quod talis finis, aut bonum ſit reale reſpectu operantis, ſed tantum bonum apparens, vt patet conſideranti.

277. Quærimus ergo, an finis debeat eſſe bonum reale, ita vt nullum habeat defectum ex illis tribus, aut quid ſimile. Cõmunis, & vera ſententia cum Ariſt. hoc loco *tex.* 31. *&* 5. *metaph. cap.* 2. *&* 8. *ethyc. cap.* 2. eſt quod in agentibus per cognitionem non ſit neceſse quod finis ſit aliquod bonum reale, ſed vel *verum, vel apparens, ita vt ratio boni, vel veri, vel apparentis ſit ratio adæquata finis.* Vnde motio finis vocatur aliquando ab Ariſt. metaphorica non quia non ſit realis, ſed quia non eſt effectiua, ſed intentionalis, ſeu animalis, quatenus requirit apprehenſionem, ſeu cognitionem; quocirca dicitur metaphorica reſpectiuè ad cauſalitatem efficientem.

278. Patet hæc communis ſententia clara, & manifeſta experientia; homines namque eodem prorſus modo operantur ſiue propter bonum verum, ſiue propter bonum apparens, dummodo exiſtiment hoc bonum apparens eſſe verum bonum, licet reipſa non ſit verum bonum, ſed apparens. Hæc tamen res non eſt ita intelligenda, vt quod mouet voluntatem ſit bonũ cognitum vt apparens, ſeu ſub ratione apparentis, ſed verum bonum, malè tamen applicatum, cui ſcilicet non debet, aut ſic conceptum, vt ſit aliquo modo aptum vt ſit finis. Quoniam bonum apparens intantum habet rationem finis, inquantum exiſtimatur eſſe verum bonum, & vt eſt quaſi indutum vera bonitate. Et ſic bonũ verum per ſe eſt finis, quia eſt id per quod adæquatè habet bonum apparens vt ſit finis. Si enim homo cognoſcat quod tale bonum non eſt ſibi verum bonum, nunquã operabitur propter illud, & multò minus ſi cognoſcat quod eſt impoſſibile; ideo namque homo in tali caſu operatur, quia apprehendit vt verum bonum. Igitur bonũ verum eſt per ſe finis, bonum autem apparens eſt finis per accidens. Hinc videmus ex alijs operibus naturę, quod Deus, & natura nunquam ordinant cauſas naturales ad bonum tantum apparens, ex quo colligitur quod tale bonum non eſt per ſe finis, ſed tantum per accidens.

279. Sed quæres 1. quando finis eſt tantum bonum apparens, ſecundum quod eſſe tunc cauſabit, an ſecundum eſſe appre-

prehenſum, an ſecundum eſſe reale, quod non habet? Reſp. notando quod eſſe apprehenſum poteſt accipi dupliciter. Primò obiectiuè, hoc eſt ſecundum illud eſſe quod habet obiectiuè in apprehenſione. Secundo formaliter, & quaſi reduplicatiuè vt ſcilicet ratio cauſandi ſit apprehenſio, vt cum dicitur, lapis inquantum calidus calefacit, ſenſus eſt quod ratio calefaciendi ſit calor lapidis. In hoc ſecundo ſenſu eſt, falſa interrogatio, ſeu non intelligitur in hoc ſecundo ſenſu, quoniam apprehenſio in quocumque fine ſiue verò ſine apparente non eſt ratio cauſandi, ſed conditio tantum. At in ſenſu primò admitti debet, & intelligi interrogatio, ſenſus enim eſt, quod finis apparens eſt cauſa finalis formaliter per illud eſſe quod habet obiectiuè in intellectu quatenus eſt id cuius gratia; & ſic tam in fine vero, quam apparente prima ratio cauſandi eſt bonum inquantum bonum, licet malè apprehenſum, & applicatum rei cui non conuenit. Poteſt etiam dici quod finis ille ſit cauſa inquantum, apprehenſus formaliter, ſi particula, *inquantum*, reduplicet conditionem finis qua non; vt cum dicimus ignis calefacit inquantum approximatus, & in hoc ſenſu poteſt propoſitio concedi non ſolum in fine apparente, ſed etiam in verò, cum hoc modo omnis finis cauſet inquantum apprehenſus.

280. Quæres 2. an homo agere poſſit propter priuationem, cum priuatio nō ſit bonum reale, ſed tātum apprehenſum? Reſp. certum eſſe poſſe hominem agere propter priuationem, vt ne ab hoſte capiatur, ne occidatur, ne malum patiatur, &c. Sicut etiam poteſt operari propter obſeruantiam præceptorum negatiuorū, ne ea violet, ſiue ne tranſgrediatur. Difficultas eſt quomodo priuatio poſſit mouere, ſeu eſſe finis cum non videatur verum bonum. Dico quod priuatio dici poteſt verum bonum, & per ſe, ſi nihil aliud deſit, nam re vera bonum eſt homini carere operibus malis, doloribus, &c. quo ſenſu pſalmiſta vocauit humiliationem bonum ſuum cum dixit. *Bonum mihi quia humiliaſti me*. Dicitur autem priuatio bonum verum, & reale, prout bonum verum diſtinguitur à bono apparente; negari namque non poteſt quin priuatio quandoque non ſit bonum fictum, aut imaginarium, ſed re ipſa bonum. Quod ſi bonum, & ens & verum accipiantur prout ſignificant aliquid poſitiuū quo ſenſu accipi ſolet verum ens, &c. tunc priuatio ſicut eſt ens abuſiuè, ita dicetur bonum abuſiuè, ſiue priuatiuè, cum quo ſtat quod licet priuatio ſit bonum priuatiuum, poteſt tamen dici verum bonum, prout diſtinguitur ab apparente, & ficto. Bene verum eſt, quod priuatio non eſt bonum, abſolutè vt priuatio eſt, ſed vt priuatio alicuius rei non conuenientis, malæ, &c. Eſt namque verè bonum carere malo, etiam ſi nullum aliud bonum ſuperaddatur.

281. Quæres 3. an etiam malū poſſit dici finis; non quidem primarius, & per ſe intentus, ſed ſecundarius, & intētus per aliud? Affirmant illi qui dicunt quod obiectum adæquatum ſit non tantū bonum, ſed etiam malum, aut quid vtrique commune, propterea quia voluntas fertur non ſolum in bonum amando, ſed etiam malum fugiendo. Sed iſta vera non ſunt, quia finis, & obiectum voluntatis debet eſſe illud vltimum, & optimum propter quod cætera fiunt, malum autem hanc rationem non participat, ſed ſolum bonum, ideo namque voluntas odit malum quia contrariatur bono, quod eſt eius finis, & quia bonum eſt carere malo, atque ita odit malum propter bonum. Licet ergo voluntas dici poſſit odiſſe malū inquantum malum, quia tamen hoc facit cum aliquo ordine ad bonum, quatenus malum contrariatur bono, ideo finis adæquatus voluntatis rectè dicitur eſſe bonū, vt bonum, ſeu vt appetibile; pro eodem enim nunc accipitur bonum, & appetibile, vt in omnibus artibus docet Ariſt. 1. *ethic.* quod bonum eſt finis illorum, & tamen docent non ſolum quomodo aſſequamur bonum, ſed etiam quomodo fugiamus malum.

§. 4. *Quanam ſit cauſalitas finis.*

282 PRima, & ſatis communis modernorum ſententia eſt (nam apud antiquos hæc difficultas non reperitur expreſſa) quod cauſalitas finis in agentibus per cognitionẽ ſit motio quædam metaphorica, reſpectu cuius finis dicitur mouens metaphoricè. Hæc motio metaphorica ſecundum huius ſententiæ auctores, duo inuoluit, vnum quaſi radicaliter, & eſt ipſa apprehenſio finis. Aliud eſt actus amoris in appetitu, qui propriè, & formaliter dicitur intentio, quatenus intendit tale bonum; & hæc propriè eſt motio metaphorica. Dicitur autem finis reſpectu huius mouens metaphoricè, quia non mouet niſi vt quoddam bonum, pulchrum, & appetibile, alliciendo media apprehenſione voluntatem ad ſe ipſum amandum, & ita dicitur trahere ad ſe voluntatem. Hoc ergo modo mouere, & trahere, eſt mouere metaphoricè, ad differentiam veri, & proprij mouentis, ſcilicet efficientis, qui eſt à quo motus, non id cuius gratia, & ad quem eſt motus. Vnde finis, & efficiens opponuntur ex diametro, cum efficiens ſit à quo motus, & finis ad quem.

283. Sed dices, nam bonum eſt id cuius gratia eſt finis, & motus ad ipſum, ergo non eſt principium. Reſp. diſtinguendo conſequens; non eſt principium à quo motus, conceditur, non eſt principium ad quem motus, negatur. Finis namque non opponitur cuilibet principio, ſed maximè efficienti. Idem verò finis quia eſt principium, & primum in intentione, rectè dicitur principium, & primum in ſuo genere, & quia ſic eſt cuius gratia, rectè dicitur finis, & ſic quodammodo relatiuè opponitur efficienti. Si autem per finem intelligamus primum, & vltimum, vt cum dicimus principium hominis eſt generatio, & vltimum mors, nihil facit ad nos, qui per principium, & finem intelligimus cauſas rerum explicatas.

284. His poſitis vt veris dicũt huius ſententiæ auctores, quod hæc motio metaphorica ſit cauſalitas finis, quia finis nunquam cauſat in actu ſecundo media, & operationes ad ſe acquirendum, niſi per apprehenſionem, & amorem ſui. Sed contra, nam apprehenſio finis, vt vidimus, propriè eſt conditio ſine qua non, ſicut approximatio in agente: deinde amor, & intentio finis potius eſt effectus finis, quã cauſalitas vt dicetur §. ſeq. Tum quia per cauſalitatem intelligitur id per quod tanquam quaſi medium in actu ſecundo cauſa cauſat, cuiuſmodi non eſt motio metaphorica in ordine ad acquiſitionem finis, vt ex dictis conſtat, & ex dicendis conſtabit. Tum etiam quia hæc hea motio metaphorica ſolum reperitur in agẽtibus per cognitionem, non in agentibus purè naturalibus.

285. Occurrunt ad hoc vltimum aduerſarij, quod motio metaphorica reperiatur etiam ſuo modo in agentibus naturalibus, quatenus in illis eſt propenſio naturalis ad ſuos fines, ſicut in homine eſt amor, & intentio finis, quod autem facit amor, & intentio finis, facit illa propenſio, &c. Sed contra, nam licet illa propenſio naturalis poſſit ſecundum quandam proportionem dici intentio, non tamen poteſt dici motio metaphorica; nam nomen *motio* dicit actum ſecundum, & operationem aliquam, non actum primum, alioquin in homine duplex eſſet motio metaphorica, ſcilicet propenſio voluntatis in actu primo ad ſuum bonũ, & actus amoris. Tum quia nemo dicit, quod inclinatio ſeu potentia materiæ ad ſuum finem, ſcilicet formam, ſit motio metaphorica, niſi pluſquam metaphoricè loqui velit.

286. Secunda, & etiam ſatis communis ſententia, quam etiam tuentur N. Complut. hoc loco eſt, quod cauſalitas finis ſit ipſa actio agentis quatenus eſt propter finem; ita vt eadem actio quatenus ab agente ſit cauſalitas ipſius, & quatenus eſt ad finem ſit cauſalitas finis. Exẽpli gratia ambulat aliquis propter ſanitatem, ipſa ambulatio vt eſt ab agente, eſt cauſalitas ipſius, vt autem eſt propter ſanita-

nitatem, eſt cauſalitas ipſius, ſanitatis.

287. Verum hęc ſententia debet magis explicari, quoniam ſic intellecta ſuas patitur difficultates; nam dantur multa, quæ dependent à fine non ſolum quando ſiunt, ſed etiam poſtquam facta ſunt. Imò multæ res ſecundum Ariſt. verè, & propriè dependent ab aliquo fine etiam ſi nunquam ſint factæ per actionem agentis, ac proinde ipſa actio agentis non poteſt eſſe cauſalitas finis. Exemplum vtriuſque eſt materia prima, quæ ſecundum Ariſt. nunquam facta eſt, & tamen eſſentialiter dependet à forma tanquam à fine. Item tota mundi machina ſecundum Ariſt. dependet à Deo tanquam ab vltimo fine, & tamen hæc ſecundum ipſum non eſt facta. Præterea accidentia poſtquam facta ſunt dependent à ſubſtantia tanquam à fine, & ſic de alijs multis. Deinde etiam ſi dicamus materiam eſſe factã, vt re vera facta eſt ſecundum fidem, non tamen dependet à forma per ſolam actionem, per quam facta eſt, ſed per ſuam eſſentiã. Vnde patet actionem non poſſe eſſe vniuerſalem cauſalitatẽ. Quare Ariſt. *de part. anima cap. 5.* definit finem, quod ſit *id cuius gratia aliquid conſtat vel conditum eſt.* Vbi poſita eſt illa particula *conſtat*, quia multa dependent à fine etiam poſtquam facta ſunt, aut etiam ſi facta non ſint, cõſtãt, & ſunt propter finem. Demum quia ipſæ actiones, & motus per Ariſt. *7. metaph. tex. 23.* & alibi, ſunt effectus finis; ſunt enim propter finem tanquam propter id cuius gratia, ac proinde ſunt effectus finis, ac proinde non videntur cauſalitas finis; cauſalitas namque eſt id quo cauſa, in actu ſecũdo cauſat ſuum effectum. Poſſet tamẽ dici actio quæ eſt ad media cauſalitas finis, in ordine ad media, quatenus eſt id quo finis cauſat media. Item poteſt dici quod actio ſit cauſalitas finis, vbi reperitur, non tamen vniuerſaliter.

288. Si quis ergo vellet cauſalitatem finis vniuerſalem aſſignare, dicere poſſet eam eſſe ipſum effectum primum finis, quicumque ille ſit ſiue actio vbi datur, ſiue aliud ad modum quaſi actionis, dummodo ſit propter finem. Effectus ergo erit cauſalitas finis, non quomodocumque conſideratus, ſed quatenus intelligitur actu ordinatus, & dependens à fine tanquam à cuius gratia.

289. Pro quo ſciendum eſt, quod res habentes finem ſunt in duplici differẽtia, aliæ ſunt quæ eſſentialiter ſunt propter finem, vt neque fieri, neque eſſe poſſint ſine ordine ad ſuum finem, vt creatura reſpectu Dei; materia reſpectu formæ, accidentia reſpectu ſubſtantiæ, &c. Aliæ sũt quæ non ſunt eſſentialiter propter talem finem, ſed accidentaliter ex extrinſeca aliqua ordinatione v.g. ambulatio non eſt eſſentialiter propter ſanitatem, ſed hic, & nunc ad illam ordinatur ex voluntate operantis, quæ ordinatio nihil eſt aliud, niſi quod talis operatio ſit intuitu talis finis. In illis ergo primis, cauſalitas finis & effectus, ſeu res ipſa inquantum eſt effectus finis, quatenus eſt propter aliud tanquam propter id cuius gratia. In iſtis ſecundis eſt etiam res ipſa, vt ſubſtat determinationi extrinſecæ, qua eſt volita, propter talem finem ex intentione operãtis. Ratio eſt, quia intantum iſtæ res in actu ſecundo intelliguntur cauſari à fine, inquantum intelliguntur eſſe propter ipſum tanquam propter id cuius gratia, ergo ſi vlla eſt cauſalitas finis, diſtincta à ratione cauſandi, in hoc conceptu ſatis intelligitur, & explicatur, in quo explicatur modus particularis cauſandi finis & explicandi dependentiam effectus à fine. Vnde patet cauſalitatem finis ſecundum id quod dicit in recto, non eſſe aliud niſi ipſum effectum quicumque ille ſit prout dependet à fine ſiue iſte effectus ſit actio, ſiue aliud quidpiam. Quod ſi aliqui aſſignant pro cauſalitate ipſam actionem agentis vt dependet à fine; ideo eſt, quia ſolum loquuntur de finibus agentium, ſeu efficientur operantium.

†

§. 5. *Quos effectus habeat finis.*

295. PLura requiruntur ad conſequẽdum finem, de quibus dubitatur an ſint effectus illius. Primo namque loco requiritur ipſum operans cum ſuis potentijs, & inſtrumentis, quod operans ſolet etiam eſſe ſubiectum receptiuum finis. 2. Requiritur in agentibus per cognitionem, apprehenſio finis. 3. Requiritur intentio, & amor eiuſdem finis. 4. Conſultatio, & electio mediorum, cum voluntate exequendi illa. 5. Requiruntur multæ operationes ad facienda, ſeu ponenda media. 6. Ipſamet media. Demum actio conſecutiua finis, ſiue ſit effectiua illius, ſiue tantum acquiſitiua; & de his quæritur an ſint effectus finis. Ratio autem vniuerſalis, & clarum indicium ad cognoſcendum quinam ſit effectus finis, eſt videre an illi rei conueniat eſſe propter illum finem, tãquam propter id cuius gratia, ex quo colligetur quid dicendum ſit in particulari.

291. Conueniunt omnes quod conſultatio, electio mediorum, & omnis operatio quę intercedit ad facienda media, & ipſamet media inquantum talia, ſunt effectus finis, hæc enim ſunt propter finẽ tanquam propter id cuius gratia. Ipſum verò operãs, aut patiens aliquid propter finem, aliquando eſt effectus finis, aliquando nõ; effectus quidem eſt, quando ipſum ſecundum ſuam ſubſtantiam eſt propter illum finem: non eſt autem, quando ipſum ſecundum ſe non eſt propter illum finem, ſed eius operationes tantum. Homo v.g. operans propter ſanitatem non eſt effectus ſanitatis, ſed eius operationes quas propter illam facit. Vnde quando dicitur quod ſanitas eſt finis huius, vel illius hominis, intelligi debet non ſecundum ſuam ſubſtantiam, ſed inquantum operatur propter illam. E' contra verò non ſolum operationes hominis, & omnium creaturarum dependent à Deo tanquam à fine vltimo(excipitur peccatum) ſed etiam ipſa ſubſtantia creaturarum, &c. Eadem ratione colligendum eſt, an potentiæ quælibet ſint, vel non ſit propter aliquem finem.

292. Quantum ad amorem, & intẽtionem finis, qui eſt actus voluntatis, certa res eſt, quod ſit effectus finis tanquam cuius gratia, quia ſi obijciatur alicui aliquod bonum tanquam per ſe amabile ſiue vt honeſtum, ſiue vt delectabile, vt ſcientia, ſanitas, diuitiæ, &c. poteſt voluntas illud amare propter ſe, & deſiderare tanquam bonum, tunc ille actus amoris erit propter illud bonum tanquam propter id cuius gratia. Vnde actus ſpei quo deſideramus beatitudinem æternam, reſpicit illud bonum vt finem, & conſequenter dependet ab illo in genere finis. Item æger deſiderat ſanitatem tanquam bonum ſuum, & ſic ſanitas eſt id cuius gratia reſpectu huius deſiderij. Et ratio videtur eſſe, quia in agentibus per cognitionem ſufficit ſi præcedat apprehenſio finis, & boni vt poſſit operans propter illud aliquid facere, apprehenſio enim eſt ſicut approximatio in agente. Quare ſicut agens approximatum materiæ aptæ, ſtatim poteſt agere, ita bonum approximatum per cognitionem, ſtatim poterit eſſe id cujus gratia; vnde actus amoris conſequens ad cognitionem boni, poterit eſſe propter illud bonum, tanquam propter id cuius gratia.

293. Sed obijcies, nam obiectum poteſt dici efficiens reſpectu operationũ quæ fiunt à potentia vitali, ergo non poteſt dici cauſa finalis, nihil enim eſt propriè efficiens, & finis: ſed in illo caſu bonum illud eſt obiectum voluntatis, & amoris, ergo non poteſt eſſe finis. Reſp. quod ſi hoc argumentum valeret neque electio mediorum, aut amor illorum, qui ſunt actus voluntatis, & pendent ab illo eodem bono tanquam ab obiecto eſſent effectus finis, quod eſt contra omnes, & contra rationem. Pro ſolutione argum. nota, quod circa actum cognitionis, qui præcedit actum appetitus ſiue ſenſitiui, ſiue rationalis eſſe duas probabiles ſententias, aliqui namque dicunt quod ille actus concurrat ad actum appetitus in genere cauſæ efficientis, ſaltem determinando potentiam ad operandum iuxta

ſuum

ſuum modum naturalem. Alij verò dicunt, quod ille actus ſolum concurrat vt conditio ſine qua non, ſeu vt approximatio obiecti. Iuxta primam ſententiam idem obiectum amoris eſt cauſa efficiens & finalis ſub diuerſa tamen ratione. Eſt cauſa efficiens quatenus per ſuam ſpeciẽ determinat potentiam cognoſcentem ad talem cognitionem, & media cognitione determinat appetitum ad actum amoris, & ſic à primo ad vltimum, obiectum eſt aliquo modo primum mouens, ac proinde efficiens. Eſt cauſa finalis quatenus eſt bonum, & id cuius gratia. At iuxta ſecũdam ſententiam obiectum non eſt niſi finis, cum non concurrat ad actum amoris vt cauſa efficiens, ſed tantum vt conditio, & approximatio obiecti.

294. Cæterum ob contrariam rationem prima cognitio finis, quæ ſupponitur ad amorem non eſt propter illud bonum tanquam propter id cuius gratia homo eſt operaturus, & ita non eſt effectus illius in genere finis, ſed efficientis, modo explicato. Aduertendum tamen eſt, quod poteſt contingere vt ęger v. g. cognoſcat ſanitatem non cognoſcendo, quod ſit bonum ſuum, ſecundò cognoſcendo quod ſit bonum ſuum, qui actus ſunt aliquando diuerſi, aliquando eſt vnus, & deinde ſequitur amor ſanitatis. Poteſt etiam conſequi quædam alia volitio qua ęger vult perſiſtere in contemplatione ſanitatis, tanquam bonum ſui. Igitur ille actus cognitionis quo æger non reſpicit ſanitatem tanquam bonum ſuum non eſt ad illam tanquam ad id cuius gratia, quia in agentibus per cognitionem omnis effectus ſupponit cognitionem finis, quæ eſt veluti approximatio, ſed ille actus non ſupponit cognitionem boni; ergo non eſt propter illud, tanquam propter finem. Vnde non eſt vera iſta cauſalis; ideo ęger illo primo actu cognoſcit ſanitatem, quia ſanitas eſt id cuius gratia, adhuc enim cognoſceret ſanitatem etiamſi nihil vellet facere propter illam, ſed ſpernere propter aliud bonum, quod ſignum eſt illam cognitionem non pendere à ſanitate in quantum eſt id cuius gratia reſpectu ægri. Dico inquantum eſt id cuius gratia reſpectu ęgri, quia ſi ſanitas conſideretur in quantum ens, & verum, ſic poterit dici finis illius cognitionis; omnis namque cognitio eſt propter verum inquãtum verum, ſumpto nomine veri latè prout cum ente conuertitur. Quia ergo verum eſt finis intellectus operantis, ideo illa cognitio dici poteſt propter ſanitatem tanquam propter bonum, & finem, non quidem ęgri inquãtum eſt æger, & vt bonum ſuum, ſed inquantum verum eſt bonum quoddam naturale intellectus, in quo caſu non dicitur homo operari ex cognitione, ſed cognitionem, vnde non eſt neceſſaria alia cognitio. Quia tamen in his caſibus non conſideramus abſolutè ſanitatem, aut quamcumque aliam rem vt eſt ens, & verum, ſed vt eſt bonum appetitus, & voluntatis, ideo abſolutè dicimus primã illam cognitionem non pendere à ſanitate tanquam à fine, at eadem cognitio prout continuatur poſt actum voluntatis per quem volumus permanere in tali cognitione quatenus placet cognitio finis, poteſt hoc modo ſine dubio eſſe propter illũ finẽ, tanquã propter id cuius gratia.

295. Quod ſi loquamur de delectatione, & gaudio, & huiuſmodi quæ conſequuntur acquiſito fine, non dependent per ſe à fine, niſi tãquam à cauſa efficiente aliquo modo, quia ſunt veluti paſſiones finis; vnde potius ipſa habent rationem finis quatenus ſunt coniuncta cum fine. Si autem præcisè comparentur ad finem ipſum non ſunt effectus illius, niſi in genere cauſæ efficientis, quatenus finis acquiſitus eſt veluti quædam forma determinans agens ad iſtos actus. Demum ſi loquamur de illa operatione per quam immediatè acquiritur, ſeu producitur finis, vt eſt ambulatio reſpectu ſanitatis, eſt effectus finis, cum fiat ob gratiam illius.

296. Sed obijcies 1. nam multi ex effectibus finis, ſunt operationes; quæ nõ ſunt effectus finis, niſi quatenus ſunt propter illum tanquam propter id cuius gratia; ergo in his effectibus cauſalitas finis

finis non diſtinguitur ab ipſo effectu neque ratione; hoc autem eſt falſum, nam cauſalitas cauſæ debet aliquo modo diſtingui ab ipſo effectu, cum cauſalitas ſit id quo cauſa producit ſuum effectum. Reſp. quod in cauſa finali cauſalitas, & effectus etiam reduplicatiuè, & quatenus effectus non diſtinguitur ab ipſa cauſalitate, quoniam effectus vt effectus explicat proprium modum cauſandi finis, propriam dependentiam à fine, & hoc, quod eſt fieri cuius gratia, ſeu in gratiā finis. Vel dicas quod effectus vt in fieri per dependentiam à fine eſt illius cauſalitas, vt in facto eſſe; & in eſſe quieto eſt effectus.

297. Obijcies 2. nam omnis effectus debet realiter dependere à ſua cauſa, ſed effectus finis non poteſt realiter ab eo dependere maximè quādo finis non exiſtit, ſed eſt acquirendus, vt ſanitas acquirenda ab ægro per medicinam, aut ambulationem; ergo &c. Nihil enim poteſt realiter dependere à re non exiſtente. Reſpond. quod ea quæ eſſentialiter ſunt propter finem, ab illo dependēt realiter, vt ſunt creaturæ reſpectu Dei, vt iſta dependentia ſit non ſolum in genere cauſæ efficientis, ſed etiam finalis, quia reuera creaturæ v. g. ſunt ad finem, dependent ad finem, ſunt ob gratiam illius. Quæ verò ſunt ad finem, ſeu quæ fiunt propter aliquem finem ex inſtituto, etiam dependent à fine, ſeu ad finem, licet aliàs eſſet impoſſibilis, quoniam dependere in genere cauſæ finalis nihil eſt aliud quā quod effectus non poneretur niſi concurrente tali cauſa in ſuo genere, agens nāque hic, & nunc non operaretur niſi ille finis eſſet principium in eius intentione, & ſic effectus hoc modo dependet a fine.

DVBIVM IX.

De cauſis inter ſe collatis.

298. EX dictis ſupra ſatis colligere licet, quod ſi cauſæ ad inuicē comparentur quantum ad exiſtentiam, hic ordo ſeruatur, vt efficiens ſit prior, poſtea finis totalis, ſcilicet compoſitum, deinde forma, & tandem materia. Si tamen loquamur de homine, prius erit efficiens; deinde anima rationalis, hæc enim tribuit exiſtere compoſito, non cōpoſitum illi, deinde compoſitum, & vltimò materia. Quod ſi cauſæ comparentur quantum ad perfectionem, cauſæ intrinſecæ ſunt imperfectiores extrinſecis: & inter cauſas intrinſecas, forma eſt perfectior materia; illa enim eſt actus, hæc potentia. At inter cauſas extrinſecas, finis eſt perfectior efficiente, tum quia finis eſt cauſa efficientis, ipſum namque mouet, cauſa autem eſt nobilior ſuo effectu, maximè cum eſt æquiuoca, vt eſt finis reſpectu efficientis. Tum etiam quia finis in cauſando nullam aliam ſupponit cauſam, & ſic eſt nobilior. Hinc dicit D. Tho. opuſc. 31. §. 2. *Finis eſt cauſa cauſarum, quia eſt cauſa cauſalitatis in omnibus cauſis*. Si demum cauſæ intrinſecæ comparentur cum extrinſecis, tunc extrinſecæ ſunt nobiliores, quia intrinſecæ cauſant per modum partis, quod eſt cauſare modo imperfecto, non ſic intrinſecæ, ſed vt dicta clarius intelligas.

299. Quæres 1. quodnam genus cauſæ ſit alijs prius? Reſp. notando, quod inter cauſas eſt quadruplex ordo, ſecundum quod quadrupliciter poſſunt ad inuicem comparari. Primus ordo eſt ex parte effectus, ſecundus ex parte intentionis, tertius ex parte executionis, & 4. ex parte rationis agendi. Ex parte effectus, materia eſt prior, deinde forma, poſtea efficiens, poſtremò finis; nam in effectu cauſæ intrinſecæ ſunt priores; & materia cum ſit ſubiectum generationis, eſt prior forma, quæ eſt terminus *quo* illius. Subſequitur efficiens à quo procedit

dit effectus; demum finis Ex parte intentionis finis eſt prior, quia primò intenditur, deinde efficiens qui mouetur à fine; ſequitur forma quam efficiens intendit introducere, & deinde materia in quam introducitur. Ex parte executionis efficiens eſt prius, deinde materia circa quam ſuam exercet actionem, poſtea forma per actionem producta: demum finis, quia quod eſt primum in intentione, eſt vltimum in executione. Ex parte rationis agendi, forma eſt prior, quæ eſt prima ratio agendi, deinde efficiens quod agit media forma, poſtea finis quia magis aſſimilatur formæ quam materiæ, ac tandem materia, quæ nullius eſt actiuitatis.

300. Quæres 2. an ratio cauſæ in communi ſit ſynonyma? Reſp. notando; quod cauſa poteſt ſumi tum pro re, quæ eſt cauſa, tum pro relatione quam dicit ad effectum. Sotus 2. *phy. qu. 3. in ſolut. 2.* docet quod ratio cauſæ in communi ſit ſynonyma. Sed hæc ſententia non placet; nam id quod complectitur ſubſtantiam, & accidens, ſubſtantiam increatam, & creatam non poteſt eſſe ſynonymum, ſed ratio cauſæ in communi ſi ſumatur pro re, eſt huiuſmodi; ergo, &c. Altera etiam pars probatur, nam relatio quæ complectitut relationem realem, & rationis, non poteſt eſſe ſynonyma, ſed huiuſmodi eſt cauſa ſi ſumatur pro relatione, ergo, &c. In cauſa creata ad ſuum effectum datur relatio realis. At in cauſa increata ad creaturam datur tantum relatio rationis. Vnde cauſa efficiens, & finalis non poſſunt habere vnam rationem ſynonymam ſeu vniuocam ob rationem factam. Materia, & forma ſi ſumantur in tota ſua latitudine dicunt rationes analogas. Quod ſi ſumantur pro materia, & forma phyſica ſecundum aliquos vniuocantur tum in ratione entis, tum in ratione ſubſtantiæ, tum in ratione cauſæ phyſicæ, at ſecundum nos, nequaquam, cum omnis conuenientia ſumatur ab actu, quo caret materia prima.

301. Quæres 3. an vna cauſa poſſit eſſe cauſa alterius? Reſp. affirmatiuè, in diuerſo genere cauſæ, nam ſanitas eſt cauſa potionis amaræ, & potio amara eſt cauſa ſanitatis. Materia eſt cauſa formæ eam ſuſtentando, & forma eſt cauſa materiæ eam actuando. In eodem tamen genere cauſæ hoc eſſe nequit, nam efficiens non poteſt eſſe cauſa ſui, licet poſſit eſſe cauſa alterius efficientis, vt patet in creatis eſt cauſa filij, & iſte alterius filij, non tamen ſui Patris, vide n. 338.

302. Quæres 4. in quo genere cauſæ forma formam expellat? Reſp. notando, quod dubium intelligi poteſt tum de forma accidentali reſpectu formæ accidentalis, & reſpectu formæ ſubſtantialis: tum de forma ſubſtantiali, reſpectu formæ ſubſtantialis. Deinde aut loquimur de forma generantis, aut rei genitæ; v.g. an forma embrionis expellatur à forma leonis generãtis, an à forma leonis geniti, & in quo genere cauſę. Item an forma frigiditatis in ligno expellatur à calore exiſtente in igne, an à calore introducto, & recepto. De hac re.

303. Dico 1. forma introducta expellit aliam in genere cauſæ finalis, nam ſi agens ſit intellectu præditum per cognitionem formæ introducendæ conatur expellere aliam à ſubiecto, & ſic ex amore, & bonitate formæ introducendæ expellit aliam, vt patet in ſtatuario, qui ex fine formæ ſtatuæ expellit formam ligni, &c. Quod ſi agens ſit intellectu deſtitutum mouetur ad introducendam formam nouam ab inclinatione naturæ, aut ab agente alio operante per intellectum, vt a Deo, vel intelligentia.

304. Dico 2. Forma generantis expellit formam rei quę corrumpitur in genere cauſæ efficientis, vt forma ſubſtantialis eam expellit vt efficiens *quo* radicaliter, & proximè medijs ſuis potentijs operatiuis: illud enim quo efficiens operatur concurrit vt efficiens quo, vt patet. At forma generantis accidens, vt calor producens alium calorem v.g. in aqua, expellit frigus in genere cauſæ efficientis proximè, quod enim producit efficienter formam aliam formam expellentem, cẽſetur eam efficienter expellere, licet for-

ma producta non niſi formaliter expellat aliam. An autem calor productus in aqua ſolum expellat frigus formaliter, an etiam efficienter ab eodem ſubiecto; videtur quod ſolũ formaliter, licet enim calor habeat efficientiam producendo alium calorem, non tamen videtur habere efficientiam immediatam erga frigus ipſum expellendo. Dixi *videtur*, quoniã non eſt improbabile quod calor agat in frigus ipſum debilitando, & attenuando, & illud ſic demum expellat.

305. Dico 3. Forma expellit formã in genere cauſæ formalis ab eodem ſubiecto, & ſic forma ignis expellit formaliter à materia ligni formam eiuſdem ligni: & calor productus v. g. in aqua, expellit formaliter frigus. Vnde in genere cauſæ formalis prius forma ignis dat ſe ipſum materiæ ligni. In genere tamen cauſæ materialis prius forma ligni expellitur per formam ignis, licet hæc fiant in eodem inſtanti. Sicut prius eſt, quod ventus aperiat feneſtram tum in genere cauſæ efficientis: tum formalis, at in genere cauſæ materialis prius eſt quod feneſtra aperiatur, & præbeat ingreſſum aeri.

306. Quæres 5. quarum cauſarum vices poſſit Deus ſupplere? Reſp. & dico 1. *Deus poteſt de potentia abſoluta ſupplere omnem cauſam efficientem, & finalem*. Ratio eſt, quia Deus poteſt omnia præſtare, quæ non implicant contradictionẽ, aut non inuoluunt imperfectionem, quod autem Deus ſuppleat dictas cauſas extrinſecas nulla inuoluitur contradictio, aut imperfectio quam Deus ſupplere nõ poſſit, ergo, &c. Hinc infertur non poſſe Deum ſupplere cauſalitatem formæ eſſentialiter, & intrinſecè componentis, nec materiæ, quia inuoluunt imperfectionem componentis, & partis; ſi autem Deus harum cauſarum vices ſuppleret, intrinſecè, & eſſentialiter componeret creaturas, quod implicat.

307. Dico 2. *Non poteſt Deus ſupplere vices cauſæ materialis ſuſtentantis, ſuſtentando v.g. accidentia in genere cauſæ materialis, poteſt tamen ea ſuſtentare in genere cauſæ efficientis.* Prima pars patet, nam aliàs Deus eſſet ſubiectum, & pars componens concreta accidentalia ex ſubiecto, & accidente. Secunda pars conſtat in Sacramento Euchariſtiæ, vbi in genere cauſæ efficientis ſuſtentat accidẽtia illa, de quo ſuo loco.

308. Dico 3. *Poteſt Deus ſupplere genus cauſæ formalis extrinſecæ.* Patet, nam poteſt Deus eſſe obiectum potentiæ, vt intellectus, & voluntatis, eſt enim ens, & bonum. Poteſt etiam eſſe obiectum ſcientiæ vt metaphyſicæ naturalis, & metaphyſicæ ſupernaturalis, ſeu Theologiæ; obiecta autem potentiarum, & ſcientiarum, ſeu habituum, habent rationem formæ extrinſecę determinantis. Obſerua tamen non eſſe temere iudicandum de diuina omnipotentia, res enim diuinæ non ſunt menſurandæ ex debilitate noſtri intellectus, plura enim poteſt facere Deus, quæ ab intellectu creato comprændi nequeunt, vt ſunt myſteria diuina; quæ credi, non inueſtigari debet humana ratione cum ſint incompræhenſibilia.

§. 1. *An vnus, idemque effectus poſſit procedere à duabus cauſis totalibus, & eiuſdem ordinis.*

309. Difficultas præſens celebris eſt, & non procedit de cauſis diuerſi generis, cum cuiuſuis effectus quatuor ſint cauſæ communes. Neque procedit de materia, & forma, quia cum iſtæ intrinſecè cauſent, impoſſibile eſt has multiplicari quin non multiplicetur effectus. Nobis etiam certum videtur, vt oſtẽdimus in 1.2. quod eiuſdem effectus non poſſint eſſe plures cauſæ finales totales, & non ſubordinatæ. Vnde procedit difficultas de cauſis efficientibus non ſubordinatis, quia Deus, ſol, & homo generant hominem. Nec de non ſubordinatis partialibus, quia ſi multi homines ferant lapidem quiuis illorum eſt cauſa partialis immediata, & inadæquata. Vnde ſenſus eſt, an eiuſdem effectus poſſint eſſe mul-

multæ cauſæ efficientes totales, & non ſubordinatæ.

310. Prima ſententia eſt, quod idem effectus poſſit etiam naturaliter produci à duabus cauſis adæquatis, & totalibus, ſimul, quatenus earum quælibet adæquatè effectum produceret. Tribuitur Nominalibus cum quibus conuenit Hurtad. *diſp. 13. de anima ſect. 7.* Auerſa. *qu. 16. ſect. 5.* & alij quantum ad cauſas finales. Secunda ſent. eſt, quod id fieri nequeat naturaliter, ſaltem quoad cauſas efficientes, bene tamen ſupernaturaliter, Sic Suarez *diſp. 26. metaph. ſect. 4.* Ariaga *diſp. 7. num. 116.* Hierony. Pla. *in 2. phy. quæſt. 4.* Caiet. 1. *p. q. 52. art. 3.* licet oppoſitum teneat 3. *p. q. 67.* & alij.

311. Noſtra ſententia ſeq. concl. explicatur. *Nec naturaliter, nec ſupernaturaliter poteſt idem effectus dependere à pluribus cauſis adæquatis ſimul, & ſemel.* Sic tenent D. Tho. 1. *p. q. 52. art. 3.* & alijs in locis, Capreol. Caiet. *3. p. q. 67. art. 6.* Ferrar. Iauell. Soncin. & alij, quos referunt, & ſequuntur N. Complut. *diſp. 15. qu. 3. num. 31.* quibus addo Pontium *diſp. 11. q. 3.* dicentem eſſe ſententiam Scoti, & omnium ſuorum. Eandem ſententiam tenet Lerma *hic lib. 2. q. 20.* Prima pars conſtabit ex probatione ſecundę ſi enim non poteſt hoc fieri ſupernaturaliter, neque naturaliter fieri poterit.

312. Probatur ergo 1. non poſſe ſupernaturaliter eundem effectum prodire à duplici cauſa totali eiuſdem ordinis, nã in tali caſu effectus penderet per ſe, & nõ pẽderet per ſe ab alterutra, imò à neutra, & quælibet ex illis cauſis eſſet adæquata & non eſſet adæquata, ſed hæc implicãt; ergo, &c. Maior probatur, nam effectus dependeret per ſe à qualibet cauſa, quia quælibet eſſet adæquata; non dependeret, quia nihil dependet ab eo quo non poſito adhuc ſequitur effectus; ſed ablata alterutra cauſa adhuc poneretur effectus; ergo, &c. Hoc argumento vtuntur communiter tam Thomiſtæ, quam Scotiſtæ, & illud fusè proſequuntur Noſtri Complut.

313. Probatur 2. nam vna, eademq; cauſa non poteſt ſimul, & ſemel producere plures effectus adæquatos, licet ſucceſſiuè id facere poſſit; ergo nec vnus effectus poteſt habere plures cauſas. Antecedens, licet concedatur ab aduerſarijs, probatur, nam aliàs ſequeretur quod dictus effectus eſſet adæquatus virtuti productiuæ ipſius, & non eſſet adæquatus; ergo, &c. Conſeq. conſtat ex paritate rationis, quia tam ſequitur cauſam non eſſe adæquatam, quæ aliam cauſam admittit, quam effectum non eſſe adæquatum, qui admittit alium effectum; ergo ſi ex pluribus effectibus ſequeretur neutrum eſſe adæquatum, ita ex pluribus cauſis ſequitur neutram eſſe adæquatam.

314. Probatur 3. nam ita ſe habet productiuitas in cauſa, ſicut producibilitas in effectu; ſed productiuitas in cauſa eſt ita limitata in ordine ad effectum tantæ, & non maioris perfectionis, vt non poſſit ſe extendere ad gradum vlteriorẽ; ergo etiam producibilitas in effectu debet eſſe ita limitata vt non poſſit ſe extẽdere niſi ad cauſam ſuam determinatam, & quæ adæquatè, & totaliter, eum producat, ac proinde non poterit reſpicere aliam, & aliam adæquatam, &c.

315. Probatur 4. quoniam cauſa huius ſpeciei, v. g. equus non poteſt producere effectum alterius ſpeciei, v. g. bouem; ergo neque cauſa huius numeri, ſeu quæ eſt hæc numero, non poterit producere effectum illum numero quẽ producit alia cauſa. Antecedens non negabũt aduerſarij, aliàs equus poſſet producere bouem, cum tamen bos in eius virtute non contineatur. Conſeq. probatur tum ex paritate rationis, ita enim ſe habet cauſa huius ſpeciei ad effectus alterius ſpeciei, ſicut cauſa huius numeri, ad effectum alterius numeri. Tum ex ratione ipſa, quia ideo cauſa huius ſpeciei non poteſt producere effectus alterius ſpeciei quia eius virtus productiua determinatur ad effectus huius ſpeciei, non alterius. Sed etiam hæc cauſa numero eſt determinata ad hunc effectum numero; ergo, &c. Vnde ſicut vnaquæque cauſa in ſpecie reſpicit collectionem ſuorum effectuũ in

in ſpecie, ita hæc cauſa numero reſpicit ſuam collectionem in numero, & illa ſuã, &c. Vnde ſicut agens per ſuam formam ſpecificam determinatur ad producendos ſuos effectus talis ſpeciei: ita per ſuam formam numericam, ſeu per ſuam indiuiduationem determinatur ad producenda hæc indiuidua, vt non poſſit attingere indiuidua ad quæ alia cauſa numero diſtincta determinatur; aliàs differentia indiuidualis ſolum limitaret formam ſpecificam in ratione eſſentiæ, & non in ratione principij operatiui, quod eſt falſum. Hinc rectè dixit S. Doctor *Quodlibet 5. art. 8. Impoſſibile eſt eundem filium naſci ſiue ſit alius Pater, ſiue alia mater; ſicut etiam eſt idem numero ſigillum, ſiue ſit alia cera, ſiue aliud corpus ſigilli, ex cuius impreſſione certa ſigilla tur*. Anima namq; rationalis per ſuam differentiam indiuidualem limitatur ad talem indiuidualem effectum formalem, vt hæc numero anima conſtituat hunc numero hominem, vt alium numericè diſtinctum conſtituere non poſſit; ita quoad virtutem operatiuã ita determinabitur vt producat hunc numero effectum non illum quem alia producit.

316. Confirmatur hoc argum. quoniam in forma ſpecifica à ſuis omnibus indiuiduis abſtracta continetur virtus operandi, communis omnibus indiuiduis; ergo illa virtus per differentias indiuiduales limitatur ad tale indiuiduum. ac proinde ſic limitata non poteſt eſſe principium operandi niſi ſtales determinatos effectus ſibi non alteri proprios, qui ab alia indiuiduali virtute prodire non poterunt. Ex quo manifeſtè infertur id quod iam tactum eſt, quod vnaquæque forma ſolum poteſt eſſe principium producendi effectuum indiuidualium ſuæ collectionis, ad quos ratione ſuæ differentiæ indiuidualis eſt limitata, determinata, & coarctata. Soluuntur argumenta in contrarium.

317. Primum argumentum nã quælibet creatura v.g. ignis dependet eſſentialiter à Deo mediante actione quæ ſola ſufficeret ad ignem ponendum, & nihilominus idem ignis dependet totaliter ab alio igne, ergo reſpectu eiuſdem effectus poſſunt dari duo concurſus totales. Nec valet dicere, quod in caſu dicto iſti concurſus ſunt diuerſi ordinis, & cauſarum ſubordinatarum. Nam contra eſt, quoniã nihil refert, quod ſint diuerſi ordinis quãtum ad hoc, ſi enim idem effectus qui eſt totaliter ab vna cauſa poteſt eſſe ab alia totaliter, non implicabit quod ſit ab alia quacumque etiam eiuſdem ordinis, & argumenta iam facta de omnibus conuincunt de aliquibus, neque de alijs conuincent. Reſp. quod reuera neq; in cauſis ſubordinatis effectus producitur omnino totaliter à cauſa ſuperiori, & inferiori, nam à Deo v. g. ignis producitur totaliter, ſed ſub ratione entis, & ab igne ſub ratione talis entis; quocirca quando producitur à ſolo Deo, tunc Deus non concurrit ſolum vt cauſa vniuerſalis, ſed etiam vt particularis, prout ſcilicet continet eminenter virtutem ignis. Deinde neque cauſa inferior v. g. ignis producit alium ignem totaliter, & ſub omni ratione, ſed tantum ſub ratione particulari, ſcilicet vt eſt tale ens. Hinc eſt, quod licet cauſa prima poſſit producere v. g. ignem ſe ſola, non tamen ignis poteſt ſe ſolo producere ignem ſed omnino indiget concurſu cauſæ primæ, vt ſupra vidimus.

318. Secundum argum. quoniam poſſunt duo homines baptizare eundem puerum, item poſſunt plures ſacerdotes conſecrare eandem hoſtiam, vt qui ordinantur ſimul cum Epiſcopo eandem hoſtiam, eundemque calicem conſecrant; ergo, &c. Reſp. concedendo antecedens, & negando conſeq. nam cum inſtrumenta in dictis caſibus eleuentur per vnam eandemque virtutem cauſæ principalis, non concurrunt abſolutè vt duo, & per duas virtutes, ſed vt vnum, ratione vnius virtutis principalis agentis. Quando ſeorſim applicantur, ſunt duo per duos quaſi virtutes, ſeu motiones. At quando ſimul applicantur non concurrunt, niſi inadæquatè, & vt duo, ſed vt vnum, per vnam virtutem adæquatam, & duas inadæquatas.

319. Ter-

319. Tertium argum. Si Deus applicaret duos ignes ad idem lignum, vterque combureret; non enim eſt maior ratio de vno, quam de alio, &c. Reſp. quod in tali caſu vel nullus combureret, vel tãtum vnus quem Deus determinaret, vel vterque concurreret partialiter ad illam combuſtionem, neque enim poſſet vterq; toto conatu concurrere.

320. Quartum argum. nam vnaquęque ſpecies v.g. leonis habet virtutem productiuam cuiuſuis leonis; ergo quilibet leo poteſt producere quemlibet leonem, aliàs ſpecies non ſaluaretur in vno tantum indiuiduo. Reſp. ex dictis, quod licet ſpecies leonis habeat virtutem producendi quemlibet leonem, tamen ſpecies limitatur in quolibet indiuiduo per differentiam indiuidualem ad tales numero leones propriæ ſcilicet collectionis, non alterius.

321. Quintum argum. quia idem numero cadauer produci poteſt à duplici cauſa adæquanta, & ſufficienti, quarum vtraque produceret illud, vt ſi quis accipiat duo vulnera lethalia, ergo, &c. Reſp. quod cadauer, ſeu forma cadaueris non producitur à vulnere v.g. ſed a cœlis vt ſuo loco dicemus, vulnus autem ſolum corrumpit diſpoſitiones conſeruatiuos formæ, ex qua forma deſinit, & forma cadaueris reſultat; nullum enim datur agens particulare ordinatum ad corruptionem, ſed hæc intenditur ab agente vniuerſali, ob bonum commune.

322. Sextum argumentum quoniam demus quod duo ſacerdotes ſimul, & ſemel etiam in diuerſis locis conſecrent diuerſas hoſtias, tunc producunt per duas actiones conuerſiuas idem corpus Chriſti; ergo de facto contingere poteſt, quod idem effectus producatur à duabus cauſis totalibus. Nec valet reſpondere vt ad 2. quod illi ſacerdotes eleuentur per eandem virtutem cauſæ principalis, nam licet ſit eadem virtus prout ſe tenet ex parte cauſæ principalis, non eſt tamen eadem vt ſe tenet ex parte ſacerdotum conſecrantium, qui duplici motione in ſe ipſis recepta mouentur. Nec etiam valet quod in dicto caſu corpus Chriſti non abſolutè fit, ſed ex pane, ac proinde prout hoc modo fit eſt diuerſum numero ex diuerſis conuerſionibus. Nam contra eſt, quia licet conuerſiones ſint diuerſæ, corpus tamen Chriſti, quod eſt terminus illarum eſt idem numero, nec diuerſitas conuerſionum ponit diuerſitatem termini. Reſp. vtramque ſolutionem poſſe ſuſtineri. Ad rationem contra primam dico quod re ipſa, & abſolutè virtus principalis agentis eſt vna, licet varietur vt ita dicam inſtrumentaliter, vbi autem eſt vna virtus conuerſiua principalis non poteſt dici quod idem effectus prodeat à duplici cauſa adæquata. Ad rationem contra ſecundam ſolutionem dico, quod eſt quidem idem corpus Chriſti materialiter numericè, non tamen numericè formaliter, prout ſcilicet fit per duas conuerſiones; eo modo quo terminus duarũ viarum eſt idem materialiter numericè, non numericè formaliter. Imò poteſt idẽ terminus reſpectu diuerſorum motuum diuerſificari etiam ſpecificè, vt terminus motus ſurſum, & deorſum, dato quod varientur ſpecie.

§. 2. *An idem effectus poſſit eſſe à pluribus cauſis totalibus diuiſim.*

323. Poteſt difficultas intelligi tam de productione effectus de nouo, aut de conſeruatione illius, quam de productione eiuſdem effectus diuiſim, aut ſucceſſiuè, & etiam de reproductione eiuſdem effectus corrupti. Certum mihi videtur, quod idem effectus poſſit ab vna cauſa produci, & ab alia conſeruari, cum tamen conſeruatio ſit quædam productio nam eadem numero ſpecies ab obiecto producta, conſeruatur à memoria tum ſenſibili, tum intelligibili. Præterea calor productus in aqua ab vno igne, poteſt ab alio conſeruari, cum tamen ſit vnus, & idem numero calor ex vnitate ſubiecti. Difficultas præſens procedit potiſſimè de eodem effectu quoad produci an ſcilicet calor v. g. qui hic, & nunc producitur ab hoc igne, produceretur ab alio

alio ſi ſub iiſdem circumſtantiis fuiſſet applicatus.

324. Prima ſententia affirmat poſſe fieri ſupernaturaliter, non tamen naturaliter. Sic Murcia 2. *phy. diſp.* 4. *q.* 8. Franciſcus de Raeonis *tract. de principijs ſect.* 2. & alij. Secunda ſententia tenet poſſe fieri etiam naturaliter. Sic Nominales, Scotus cum ſuis, Suarez, & alij relati à N. Complut. *diſp.* 15. *q.* 4. *n.* 46. quibus addo Auerſam *q.* 16. *ſect.* 4. & Pontium *diſp.* 11. *q.* 3. qui dicit duo. Primum, quod idem numero effectus, qui producitur ab vna cauſa poſſet ab alia cauſa produci eiuſdem ſpeciei, & virtutis, ſi eodem modo, & eidem paſſo applicaretur in iiſdem circumſtantiis etiam naturaliter. Secundum, quod idem effectus ſemel corruptus poſſet iterum produci etiam naturaliter ab eadem, vel à diuerſa cauſa, ſi applicaretur eidem materiæ, & Deus vellet concurrere ſimili concurſu quo concurrebat antecedenter ad eius productionem. Et pro vtroque citat Scotum cum ſuis.

325. Noſtra ſententia duplici concl. explicatur. Prima concl. *Non poteſt idem numero effectus, qui producitur ab vna cauſa produci ab alia ſi in iiſdem circumſtantijs applicaretur; licet ſit eiuſdem ſpeciei, & virtutis.* Pro hac ſent. citant N. Complut. D. Tho. quem *n.* 315. citauimus, eiuſq; verba retulimus; citant Capreol. Soncin. Iauel. Sot. alioſque quibus addo Conimbric. 1. *phy. cap.* 9. *qu.* 11. Amicum 2. *phy. tract.* 14. & Lermam *lib.* 2. *q.* 20. *n.* 2. & communiter tenetur à recentioribus in ſchola D. Thomæ.

326. Probatur 1. nam de ratione effectus eſt, quod per ſe dependeat à propria cauſa; ergo non poteſt produci ab alia. Conſeq. conſtat, aliàs penderet per ſe, & non penderet per ſe. Antecedens probatur, nam forma quæ eſt radix operationis, & productionis ita limitatur per differentiam indiuidualem vt non poſſit tribuere niſi ſuum effectum formalem, non alium quem tribuit alia forma, aliàs hæc forma non eſſet hæc, nec haberet hanc numero hæcceitatem; ergo per eandem differentiam indiuidualem ita limitabitur vt non producat niſi hos numero effectus, ac proinde hic numero effectus pendebit eſſentialiter ab hac numero cauſa vt non poſſit dependere ab alia.

327. Occurrunt aduerſarij, quod dependentia per ſe poteſt dupliciter accipi, primò vt nihil aliud ſit quam quod effectus accipiat ſuum eſſe ab alio, à quo dicitur dependere, cum quo ſtat vt illud poſſit accipere ab alia cauſa ſi applicetur. Secundò vt dependentia per ſe ſit idem ac dependentia eſſentialis, quam res illa habet quæ non poteſt eſſe ab alia, & hoc modo effectus non pendet per ſe à ſua cauſa, ſed tantum primo modo. Sed contra nam effectus dependet à ſua cauſa per ſe hoc ſecundo modo, ergo, &c. Probatur antecedens, expendendo rationem factam, nam differentia indiuidualis taliter limitat formam vt tribuat ſolum hũc numero effectum formalem, non illum quem tribuiſſet alia forma ſi fuiſſet applicata, aliàs hæc forma non diſtingueretur indiuidualiter ab alia, formæ autẽ indiuidualiter diſtinctæ non poſſunt non producere effectus indiuidualiter diſtinctos; ſed etiam differentia indiuidualis limitat eandem formam in eſſe operatiui, vt ſit hoc operatiuum non aliud, ergo ita limitabit vt producat hoc indiuiduum, hunc effectum non illum alium quem produceret alia.

328. Probatur 2. quoniam de ratione actionis eſt, quod ita egrediatur ab hac cauſa, vt non poſſit egredi ab alia; ergo etiam effectus qui ab hac actione producitur ita eam terminabit vt non poſſit terminare aliam actionem, ac proinde ita depẽdebit ab hac cauſa media hac actione, vt non poſſit dependere ab alia. Si enim ſemel ab alia cauſa produci poſſet, deberet per aliam actionem produci. Antecedens eſt certum, & non negatur ab aduerſarijs, cum enim actio ſit cauſalitas huius cauſæ, ſit egreſſio ab hac, & non ab alia, ac proinde ſit hæc, & non alia, ſequitur quod nõ niſi ab hac cauſa egredi poſſit. Conſeq. etiam eſt certa, nam huius actionis. hic debet eſſe terminus

non

non alius, actiones namque diſtinctæ, diſtinctos debent habere terminos; maximè quia actio tranſiens de qua loquimur, ſecundum valde communem ſententiam vel identificatur cum termino, vel ab eo indiuiduatur tanquam à ſubiecto in quo recipitur.

329. Occurrit Pontius loco cit. concedendo antecedens, & negando conſeq. quia non eſt inconueniens, quod diuerſæ actiones poſſint terminari ad eundem terminum, aliàs non poſſet ſe ſolo producere effectum cauſæ ſecundæ, quia vt ſe ſolo produceret ipſum, deberet habere aliam actionem realiſſimè diſtinctam ab actione cauſæ ſecundæ, quæ vt ſupponitur, nequit exiſtere abſque cauſa ſecunda, quia eſſentialem habet connexionem cum ipſa. Sed contra, quia implicat quod diuerſæ actiones terminentur ad eundem terminum, quod probo, tum quia actiones ſpecificantur à termino, ergo vbi eſt vnus, idemque terminus non poſſunt eſſe diuerſæ actiones productiuæ. Hoc argumentum maximè pungere debet Pontiũ, qui putat, quod vnus idemque effectus non poteſt pendere à duplici cauſa adæquata, & totali; nam ſi nõ implicat, quod duæ actiones terminentur ad vnum, eundemque terminum, ſequitur non implicare, quod idem effectus pendeat à duplici cauſa adæquata operante per diuerſas actiones. Tum quia ſi poſſunt plures actiones ſucceſſiuè terminari ad eundem terminum, ſeu effectum, quare non ſimul? Nec exemplum quod adducit Pontius de Deo, illi fauet; nam ideo Deus poteſt ſe ſolo producere effectum quem in genere cauſæ efficientis producit cauſa ſecunda, quia Deus continet in ſe eminẽter virtutem cauſæ ſecundæ, non ſic cauſa ſecunda, cum vna non contineat eminenter virtutem alterius, ſed vnaquæque continet ſuam.

330. Probatur 3, ad hominem contra Scotum, & ſuos, qui admittunt, quod idem numero effectus non poſſit ſimul pendere à duabus cauſis adæquatis, ea ratione ducti, quia dependeret, & non dependeret; ſed hoc idem ſequeretur ſi poſſet idem effectus produci, diuiſim à duplici cauſa adæquata; ergo, &c. Minorem probo, nam in hoc caſu dependeret à cauſa A. vt ſupponitur, non dependeret, quia poteſt eſſe ab alia ſi applicetur. Tum quia eſſe numericum alicuius effectus per ſe, & eſſentialiter dependet ab eſſe numerico ſuæ cauſæ, ſicut eſſe ſpecificum effectus, dependet eſſentialiter ab eſſe ſpecifico ſuæ cauſæ, ergo ſicut ab hac forma ſumitur eſſe ſpecificum effectus, ab eadem, & non ab alia ſumetur eſſe numericum eiuſdem effectus.

331. Secunda concl. *Effectus ſemel corruptus non poteſt iterum naturaliter, ſiue ab eadem, ſiue à diuerſa cauſa etiam ſi applicetur eidem materiæ, tametſi Deus vellet concurrere ſimili concurſu tantum naturali, quo prius concurrit.* Hæc eſt communis Thomiſtarum, vt videbimus in *tract. de gener. & corrupt.* & colligitur ex communi dicto ex Ariſt. quod *à priuatione ad habitum non datur regreſſus, naturaliter*; vnde eadem numero ſanitas nulla arte redit, tametſi medicina eidem ſuppoſito applicetur.

332. Ratio concluſionis pro nunc eſt, quia oſtendi non poſſet quin de facto plures effectus reproducerentur naturaliter, maximè cum non conſtet eſſe aliquod diuinum decretum de non concurrendo; imò ſi ſemel cauſa poſſet effectum ſecundum ſe reproducere, exigeret quod poneretur concurſus Dei, & Deus deberet illum ponere ſi vellet operari iuxta naturalem exigentiam cauſarum ſecundarum, quod cum conſtet dictum concurſum non poni, ſignum eſt non dari dictam exigentiam cauſarum ſecundarum ad reproducendos effectus corruptos, ac proinde non poſſe naturaliter reproduci. Soluuntur argum. in contrarium.

333. Primum argumentum. Si effectus qui producitur ab vna cauſa non poſſet produci ab alia, oporteret, quod cauſa eſſet determinata ad illum producendum, ſed nulla cauſa eſt determinata ad producendum aliquem effectum in indiuiduo, ſed tantum in ſpecie; ergo effe-

effectus qui producitur ab vna cauſa poteſt produci ab alia. Maior nota eſt ex doctrina aduerſariorum. Minor conſtat ex dictis ſupra de cauſa efficiente, quod ideo debeat cauſa ſecunda determinari à prima, quia eſt indeterminata ad indiuiduum, licet ſit determinata ad ſpeciem v. g. ignis eſt quidem determinatus ad producendum ignem, & quoad hoc non indiget determinari à cauſa prima, non eſt determinatus ad producendum hunc ignem in indiuiduo, ac proinde indiget determinari à Deo. Reſp. quod ignis indiget determinari ad aliquod indiuiduū ignis ex ijs quæ ſunt in ſua collectione, aut ſerie, eſt tamen determinatus ad aliquem ſuæ collectionis, & non poteſt extendi, nec determinari à Deo ad aliquem collectionis alterius, cum ratione ſuæ differentiæ indiuidualis determinetur ad effectus ſuæ collectionis, non alterius.

334. Secundum argumentum. Eadem domus, quæ eſt producta ab hoc artifice, potuiſſet produci ab alio ſi fuiſſet applicatus; ergo etiam idem effectus naturalis qui eſt ab hac cauſa potuiſſet eſſe ab alia ſi fuiſſet applicata. Reſp. 1. negando conſequen. Ratio diſcriminis eſt, quia in artificialibus res non fit de nouo, ſed tantum componuntur partes, quæ iam erant factæ, hæc autem compoſitio poteſt fieri eodem modo ab vno, ac ab alio. Non ſic in naturalibus vbi fit compoſitum de nouo, quod autem recipit eſſe de nouo ab vno, non poteſt idem recipere ab alio. Reſp. 2. negando antecedens, nam licet domus materialiter quæ fit ab vno poſſit etiam fieri ab alio, non tamen formaliter, quoniam forma domus v. g. quæ fit ab hoc artifice ita dependet ab illo vt non poſſit fieri ab alio.

335. Tertium argum. nam in quolibet indiuiduo reperitur virtus quæ eſt in alio eiuſdem ſpeciei, ergo quod poteſt fieri ab hoc indiuiduo poterit fieri ab alio ſi eidem materiæ applicetur; vnde hoc lignum à quolibet igne comburi poteſt. Reſp. quod in quolibet indiuiduo reperitur virtus quæ eſt in alio quoad ſpeciem, non tamen quoad indiuiduum, vbi autem eſt virtus indiuidualiter differens, etiam effectus debent eſſe indiuidualiter differentes.

336. Quartum argum. nam eſt eadem ratio productionis, & conſeruationis, ſed vna, & eadem res poteſt ab vna cauſa produci, & ab alia conſeruari; ergo etiam poterit à duplici cauſa produci. Reſp. quod non ſemper cauſa quæ producit effectum eam conſeruat; nam homo producit hominem, non tamen eum ſeruare poteſt. In aliquibus cauſis æquè facilè eſt producere, & conſeruare, vt patet in Deo, & ſole producente lumen. Loquendo ergo de conſeruatione quæ eſt continuata productio, quæque realiter nō diſtinguitur à prima productione, tunc res quæ non producit, neque conſeruat. Quod ſi loquamur de rebus quæ ab vna cauſa producuntur, & ab alia conſeruari poſſunt, tunc poſſunt ab vna produci, & ab alia conſeruari, vt patet de calore producto ab vno igne in aqua, & ab alio conſeruari, imò poteſt à duplici conſeruari, modo ſcilicet ab vna, modo ab alia, non tamen produci; & ratio diſcriminis eſt, quia in productione res recipit identitatem, non in conſeruatione, ac proinde implicat quod eandem numero entitatem recipiat, à duplici cauſa, non tamē implicat quod eadem entitas conſeruetur à duplici cauſa.

337. Quintum argum. nam ſi duo corpora penetrentur habebunt idem numero *vbi*, ergo duæ cauſæ poſſunt producere eundem numero effectum. Reſp. quod ſi duo corpora penetrentur non habebunt idem numero *vbi*, ſed diuerſa, quia ad vnitatem *vbi* non ſolum requiritur vnitas loci, ſed etiam vnitas rei locatæ, & ſic in dicto caſu eſſent duo *vbi*, non vnum, &c.

§. 3. *An cauſæ ſint ſibi inuicem cauſæ.*

338. SVppoſitis ſuperius dictis 301. rem hanc breuiter abſoluo, & dico 1. *Cauſa efficiens, & finalis ſunt ſibi inuicem cauſæ*, vt patet in deambulatione quæ eſt cauſa efficiens ſanitatis, & ſanitas eſt cauſa finalis deambulationis. Vnde finis mouet efficientem ad agendum, & agens producit in executione finem; hinc illud. *Quod eſt primum in intentione eſt vltimum in executione*; nam ſanitas vltimo producitur, quæ primo mouit voluntatem ad media.

339. Dico 2. *Materia eſt cauſa formæ, & forma materiæ*. Materia cauſat formam illam ſuſtentando, & recipiendo; & forma eſt cauſa materiæ, quatenus eam actuat, informat, certam, ac definitam naturam illi tribuit, vagam, & indefinitam illius potentiam coercet, ac definit, & limitat.

340. Sed contra arguit 1. Auicenna, nam à cauſa perpetua procedit effectus perpetuus, ſed materia eſt cauſa perpetua per Philoſophum dicentem materiam eſſe ingenerabilem, & incorruptibilem, ergo ſi ſemel cauſaret formam, deberet eſſe perpetua; nulla autem forma cauſata, ſeu educta ex materia eſt perpetua. Reſp. quod licet materia ſit incorruptibilis, forma tamen educta eſt corruptibilis, quia forma educta non eſt effectus adæquatus materiæ, ſi enim eſſet adæquatus non corrumperetur, vt patet in formis cœlorum.

341. Arguit 2. nam ab ente in potentia non poteſt cauſari ens in actu; ſed materia eſt ens in potentia; ergo ab ea cauſari non poteſt, forma quæ eſt ens in actu; perfectum namque non poteſt contineri in imperfecto, ab eoque cauſari, cum nemo det quod non habet. Reſp. quod ens in potentia non poteſt cauſare ens in actu tribuendo illi entitatem in actu, poteſt tamen illud cauſare, fulciendo, & ſuſtentando.

DISPVTATIO QVARTA.

In lib. 3. Phyſicorum de motu.

1. RECTO ordine procedit Philoſophus, quoniam poſtquam in primo, & ſecundo libro egit de principijs motus, in hoc tertio agit de ipſo motu. Diuiditur iſte liber in 8. capita. In primo capite præmittit aliquas diuiſiones ad motus intelligentiam, vt entis, in ens in actu, & ens in potentia. In 2. capite tradit motus definitionem, eamque explicat. In 3. docet motum eſſe in mobili, & diſputat an actio, & paſsio cum motu identificentur, partemque reſoluit affirmatiuam. In 4. capite oſtendit pertinere ad phyſicum agere de infinito, variaſque proponit infiniti acceptiones. In 5. capite diſputat an dari poſsit infinitum in potentia, & non in actu. In 6. capite proſequitur eandem materiam. In 7. capite adducit vetam infiniti definitionem. In cap. 8. occurrit quibuſdam argumentis, quæ cap. 4. adduxerat ad probandum infinitum in actu. Vt autem omnia iſta maneant explicata, ſit.

DVBIVM I.

De motu in communi.

§. 1. *An ſit recta motus definitio.*

2. QVoad quæſtionem an ſit motus, nullo modo eſt difficultas, licet aliqui antiqui, fortè diſputationis gratia motum negauerint, vt Parmenides, & Meliſsus quos refert Ariſt. 1. *phyſ. tex.* 10. Et Zeno quē refert idem Ariſt. 6. *phyſ. tex.* 75. contra quam ſententiam non eſt diſputandum, ſed ambulandum. Quorum argumenta vt quod ſi daretur motus res mora deberet eſſe aliquando in ſpatio inæquali, nam ſi ſemper ſit in ſpatio æquali non mouebitur. Quod res in quocumque inſtanti non mouetur, quia motus non poteſt eſſe in inſtanti, & ſic nunquam mouebitur. Quod tantum moueretur Teſtudo, quantum Acchilles, & huius generis alia quę ex infra dicendis de motu ſucceſsiuo, ſoluta manebunt.

3. Motum in communi definit Ariſt. tex. 6. *Actus eius quod potentia exiſtit, inquantum huiuſmodi*. Quæ definitio ſic ſolet communiter tradi. *Motus eſt actus entis in potentia, prout in potentia*. Hanc definitionem omnes fatentur eſſe ingenioſiſsimam, & ſubtiliſsimam, & ita non parum cognitu difficilem, vt fatetur idem Ariſt. *tex.* 15. Ad hanc definitionem inueſtigandam ita pròceſsit Ariſt. Res quælibet, vel ſunt actu tales, vel potentia, vt ſubſtantia, vel eſt actu ſubſtantia, vel potentia: vel eſt actu quale, vel potentia quale, & ſic de alijs.

Digitized by Google

alijs. Vel vt alij intelligunt, res vel ſunt actu ſolùm, vt Deus, vel ſunt potentia, & actu. Res quæ eſt in potentia ad aliquid tripliciter conſiderari poteſt. Primò quando eſt præcisè, & abſolutè in potentia, vt nihil habeat actus, & tunc res non poteſt dici moueri. Secundò, quando iam acquiſiuit illud ad quod erat in potentia, & neque tunc dici poteſt moueri, ſed mota eſſe; nihil enim mouetur ad id quod iam habet. Tertiò quando ſe habet medio quodam modo, vt neque abſolutè ſit in potentia, neque abſolutè in actu, ſed in via, & tendentia ad actum; quatenus enim eſt in via, eſt aliquo modo in actu, & quatenus nondum acquiſiuit terminum, eſt in potentia, & talis actus medius eſt motus, & propterea vocatur actus imperfectus, & indeterminatus *tex.* 14. *&* 15. quia nunquam eſt totus ſimul, ſed aliquid eſt, & aliquid non eſt. Aliquid quidem eſt, quia ſi nihil illius eſſet, non eſſet actus actuans aliquid. ſcilicet mobile, ſi totus eſſet ſimul, non eſſet actus imperfectus.

4. Hoc poſito ſic definitio motus intelligitur, vt colligitur ex Zabarella, Permaſio, Vicomercato, Piccol. & alijs communiter. Dicitur enim primo motus *actus*, ſcilicet formalis, non enim poteſt motus eſſe niſi in mobili, vt in ſubiecto, ac proinde debet eſſe actu informans, & per hanc particulam tanquam per genus, conuenit motus cum quacumque alia forma informante. Sumitur autem hoc loco nomen *actus* latè pro quauis forma ſiue perfecta, ſiue imperfecta. Dubitant aliqui an Ariſt. vſus ſit nomine *Enelechia*, quod accipitur pro actu perfecto; an nomine *Energia* quod poteſt ſignificare tam actum perfectum, quam imperfectum, & communiter ſoluitur quod vſus fuerit hoc poſteriori vocabulo.

5. Dicitur 2. in definitione motus *entis in potentia*, ſeu *eius quod exiſtit in potentia*, ſcilicet ad aliquam formam, ſeu actum perfectum, quod nihil eſt aliud niſi mobile. Vnde ſenſus eſt, quod motus ſit actus mobilis. Noluit autem Ariſt. me iudice, quicquid alij dicant vti hoc nomine mobilis, quia mobile non intelligitur ſine motu, & ſic ignorato motu, ignoratur mobile inquantum mobile. Et quia hæc definitio futura erat exacta, & poterat explicari per aliquid notius, ideo loco mobilis, poſuit *exiſtentis in potentia*, hoc enim notũ eſt, etiam ignorato motu, explicitè, & diſtinctè; ſignificat enim omne illud, quod poteſt habere aliquam formam, ſed nondum habet illam, & ita eſt in potentia ad eam; & per hanc etiam particulam non excluditur forma; albedo enim v. g. quæ eſt in homine, eſt actus hominis exiſtentis in potentia ad ſcientiam, & alias formas, quæ tamen formæ non ſunt motus. Dicitur autem *entis in potentia*, non *ſubſtantiæ*, aut *corporis*, quia nondum probatum erat an ſola corpora moueãtur; quare vſus eſt particulis vniuerſalioribus, quicquid ſit illud, quod exiſtit in potentia. Sed aduerte quod dicitur entis in potentia, non ad ipſum motum, ſed ad terminum motus, qui eſt actus perfectus, ſiue ſit ſubſtantia, ſiue qualitas, &c. Quod ſi intelligeretur ad ipſum motũ tunc idem poneretur in definitione ſui ipſius. Et per potentiam intellexit Ariſtot. potentiam receptiuam, & ſubiectiuam.

6. Dicitur 3. *prout*, vel *inquantum*, aut *quatenus in potentia*, per quam particulam diſtinguitur motus ab omni alia forma, in hacque particula conſiſtit maximè ſubtilitas definitionis, ſignificat autem illa reduplicatio, quod motus eſt ille, qui ita actuat potentiam, vt id quod prius erat in potentia, veluti habitualiter, & in actu primo, nunc ſit in potentia actualiter, & in actu ſecundo, & ſic motus & actus actuãs potentiam inquantum eſt in potentia, ideſt conſtituens potentiam in actu ſecundo. Per quod excluditur omnis alia forma, nam materia, quæ erat in potentia calida, quando recipit calorem conſtituitur actu calida non in potentia calida; at quando calefit, per calefactionem conſtituitur in potentia calida, non in potentia in actu primo, hoc enim habebat prius, ſed in potentia in actu ſecundo, qui actus ſecundus eſt calefactio per quam ſubiectum denominatur calefieri, & eſſe in actu ſecundo ad calorem in potentia; & ſic dicitur calefactibile in actu ſecundo. Vnde calor inquantum calor nõ poteſt

Digitized by Google

poteſt dici actu calefactibilis inquantum calefactibile, ſed actus calidi inquantum calidum, quia calor formaliter non conſtituit calefactibile, vt calefactibile in actu ſecundo, ſed potius calidum, at è contra calefactio non conſtituit calidum in actu ſecundo, ſed calefactibile; dum enim res calefit, eſt calefactibilis in actu ſecundo. Motus ergo eſt actus entis in potẽtia, quia eſt talis actus, vt conſtituat aliquid in actu ſecundo in potentia ad terminum vlteriorem.

7. Sed obijcies 1. nam quidquid eſt, vel eſt actus, vel potentia, vel compoſitum, ſed motus non eſt actus, non potentia, nõ compoſitum; ergo, &c. Reſp. quod motus eſt actus imperfecti, ſeu eſt partim actus, & partim potentia, quatenus conſtituit ſubiectum partim in actu, & partim in potẽtia ad vlteriorem actum.

8. Obijcies 2. quia dicta definitio cõuenit alij, ergo, &c. Antecedens probatur, nam calor vt tria v. g. conſtituit ſubiectum in potentia proxima ad calorem vt quatuor; Item diſpoſitiones ad formam v. g. ignis conſtituunt materiam in potentia proxima ad eandem formam; ergo definitio motus de facto conuenit iſtis, & alijs ſimilibus. Reſp. negando antecedens. Ad probationem dico, quod dictæ formæ cõſtituunt ſubiectum in actu primo, non in actu ſecundo; non enim per illas formas intelligitur materia, ſeu ſubiectum moueri, ac propterea non ſunt motus, ſed actus perfecti. Per actus autem perfectos non intelligimus actus vltimos, vt forma ſubſtantialis in ſua linea; neque intelligimus actum cui nulla pars deſit, ſicut calor vt octo dicitur perfectus, & calor vt tria dicitur imperfectus, ſed dicuntur actus perfecti in comparatione motus, quia ipſi formaliter non conſtituunt ſubiectum in actu ſecundo mobile, ſeu in via ad vlteriorem terminum; nam calor non conſtituit materiam ſeu ſubiectum vt calefactibile, ſed vt calefactum, etiamſi ſit calor vt vnum, & propterea non ſunt motus, neque actus mobilis, inquantum mobile, ſed ſunt actus perfecti.

9. Obijcies 3. Illud eſt motus quo poſito actuatur potentia eius quod exiſtebat in potentia, ſed poſito calore actuatur potentia ſubiecti, quod prius erat in potentia ad calorem, ergo calor eſt motus; & idem dici poteſt de qualibet forma, omnis enim forma actuat materiam, quæ prius erat in potentia ad ipſam, & ſic definitio motus conuenit cuilibet formæ. Reſp. diſtinquendo maiorẽ, illud eſt motus, &c. quod actuat potentiam vt maneat in actu ſecundo in potentia ad formam, conceditur, vt maneat ſubiectum in actu primo negatur; vt autem conſtat ex dictis, forma ita actuat ſubiectum vt maneat tantum in actu primo, non in actu ſecundo.

10. Obijcies 4. quod eſt in actu ſecundo calefactibile inquantum huiuſmodi, ſeu inquantum calefit dicit ordinem ad terminum, qui eſt calor, calefactio namque debet eſſe ad aliquem terminum, ſed hic terminus non poteſt eſſe niſi actus, nam calefactibile in quãtum huiuſmodi dicit potentiam, ergo eius terminus qui eſt calor dicit actum conſtituentem calefactibile. Reſp. diſtinguendo maiorem, dicit ordinẽ ad calorem tanquam ad actum conſtituentem ipſum calefactile in actu ſecundo negatur; nam calefactibile hoc pacto non conſtituitur per calorem, calor namque conſtituit calidum; dicit ordinem ad calorem vt ad terminum, & finem acquirendũ, & per quem conſtituitur in eſſe calidi, conceditur, & negatur conſeq. motus enim non eſt quilibet actus, ſed actus conſtituens calefactibile, vt ſic in actu ſecundo. Ex dictis colligitur quomodo à definitione motus excludatur creatio, nam motus exigit ſubiectum præexiſtens, quod per ipſum conſtituatur in actu ſecundo in potentia ad aliquid. Non ſic creatio cum ſit ex nihilo, ſeu ex nullo præſuppoſito ſubiecto.

§. 2. Qui-

§. 2. *Quibus motibus conueniat motus, definitio.*

11. NOmen motus, ſeu mutationis variè ſolet vſurpari, nam aliquando ſumitur pro mutatione ſimpliciter quæ eſt generatio, & corruptio ſubſtantialis, per quas res dicitur fieri, aut corrumpi, cum tamen per cœteros motus res non dicatur fieri ſimpliciter, ſed ſecũdum quid, & cum addito, vt fieri alba, nigra, calida, quanta, &c. & ſic motus in communi latius patet mutatione, comprehendit enim ipſam, & aliquid amplius. Secundò accipitur mutatio pro quocumque tranſitu ex vno termino in alium, dependenter tamen à ſubiecto, quo ſenſu diximus 1. *phyſ.* tria eſſe principia mutationis in communi, & hoc modo mutatio compræhendit tam mutationes inſtantaneas, quæ ſcilicet vnico inſtanti perficiuntur, vt eſt illuminatio, viſio, intellectio, &c. quam ſucceſsiuas, quæ indigent tempore vt perficiantur, vt eſt motus localis, calefactio, &c. Siue huiuſmodi mutationes habeant perfectum, & completum ſubiectum, vt ſunt mutationes accidentales, ſiue imperfectum, vt generatio ſubſtantialis cuius ſubiectum eſt materia prima. Et in hoc ſenſu multi accipiunt nomen motus, vt etiam comprehendit ſub ſe mutationes inſtantaneas. Difficultas ergo præſens eſt an Ariſt. in definitione motus comprehenderit non ſolùm motus ſucceſsiuos, ſed etiam mutationes inſtantaneas; quæ ſaltem ſunt actus imperfecti. Pro quo nota, quod mutatio inſtantanea eſt duplex, vna quæ eſt actus perfectus, vt eſt intellectio, volitio, & omnes ſenſationes, quæ ſunt fieri, & termini, & dicuntur actiones de prædicamento qualitatis, & nõ ſunt purum fieri, ſed fieri, & factum eſſe. Aliæ ſunt mutationes, quæ ſunt actus imperfecti, & ſunt illæ quarum actiones ſunt verum fieri, & ſunt illę quibus mouemur ad alias formas, vt eſt generatio ſubſtantialis. Conueniunt communiter quod mutationes inſtantaneæ, quæ ſunt actus perfecti non continentur ſub definitione motus, quoniam ſub hac definitione continentur illi motus, aut mutationes, qui ſunt actus rei exiſtentis in potentia, non in actu, vt dictæ mutationes, nam intellectio v. g. eſt actus intellectus exiſtentis in actu per ſpeciem; Tum quia intellectio non eſt conſtituens intellectum in via ad terminum, cũ intellectio non habeat de neceſsitate terminum, ſicut nec ſenſationes, vt patet in viſione. Difficultas ergo procedit de alijs mutationibus inſtantaneis, vt eſt generatio ſubſtantialis.

12. Prima ſententia dicit, quod ſub dicta definitione motus comprehendantur ſolum motus ſucceſsiui, qui ſcilicet indigent tempore, vt perficiantur. Sic Maſius, Pereira, Conimb. & alij apud N. Complut. *hii diſp.16. q.2. n.11.*

13. Noſtra ſententia ſeq. concl. explicatur. *Sub definitione motus comprehenduntur tam motus ſucceſſiui, quam mutationes inſtantaneæ, quæ ſunt actus imperfecti, vt eſt generatio, & corruptio ſubſtantialis, &c.* Pro hac ſent. citant dicti Complut. Ariſt. D. Tho. Ferr. Tolet. Onniam, Ruuiumque, quibus addo, Lermam hoc loco. Hurtad. Auerſ. Arriag. & Pontium, qui dicit eſſe ſententiam Scoti, & omnium ſuorum.

14. Probatur 1. ex Ariſt. nam poſtquam Ariſtoteles tradidit definitionem motus, eam exemplicauit in generatione, & corruptione, in alteratione, acretione, & decretione, in motu ſecundum locum, imo, & in motu artificiali, & violento dicens. *Hoc autem motum eſſe, hinc perſpici licet, quod cum id ædificari poteſt, qua ex parte, &c.* Nec valet quod Ariſt. exemplificauerit in generatione, largo modo, prout eſt idem quod alteratio, nam fruſtra exemplificaſſet poſtea in alteratione.

15. Probatur 2. nam idem Ariſt. 5. *phyſ. tex.*8. excludit generationem propriè dictam, & rigoroſè à motu rigoroſo, ſeu ſucceſsiuo de quo ibi loquitur, ergo hoc loco vbi non loquitur de motu ita rigoroſo, eam includit. Vnde *tex.*4. *&* 14. accipit pro eodem motum, & mutationem, cũ tamen mutatio fiat in inſtanti. Quare cũ Ariſt. dicit motum eſſe actum entis in potentia prout in potentia, ita intelligi debet vt ſit talis actus per quem formaliter ſubiectum

biectum eſt in potentia ad vlteriorem formam, ſiue poſterius tempore ponendam, vt in motu ſucceſſiuo, ſiue poſterius natura, vt in motu inſtantaneo. Vnde licet illuminatio, & lumen ſint in aere in eodem temporis inſtanti, tamen aer per illuminationem formaliter tanquam per aliquid prius natura intelligitur eſſe in via, & tranſitu ad vlteriorem terminum, ſcilicet ad lumen, & ita per illuminationem præcisè, ac formaliter acceptam aer eſt in potentia ad vlteriorem terminum; & in hoc ſenſu competit illi motus definitio, & idem eſt de alijs mutationibus inſtantaneis, quæ ſunt actus imperfecti, &c. Soluuntur argum. in contrarium.

16. Primum argum. ſumitur ex definitione motus, quoniam non videtur cõuenire mutationi inſtãtaneæ, quæ eſt actus imperfecti ſicut nec illis, quæ ſunt actus perfecti, nam motus eſt ille actus per quẽ mobile conſtituitur verè, & propriè in potentia ad aliquem terminum, illa namque vocabula propriè ſunt accipienda; ſed mutatio inſtantanea non eſt huiuſmodi; ergo, &c. Maior conſtat. Minor probatur, quoniam id quod verè, & propriè eſt in potentia ad aliquid, debet neceſsariò excludere priuationem illius, vt patet ex terminis, ſed quando mutatio eſt inſtantanea v.g. illuminatio, tunc in aere non eſt verè, & propriè priuatio luminis neque tota, neque pars, vt notum eſt; ergo quando mutatio eſt inſtantanea ſubiectum non eſt verè in potentia ad aliud. Nec valet quod ſubiectum tunc in aliquo priori quatenus habet mutationem intelligitur eſſe in potentia; nam contra eſt, quia in illo priori non habet verè priuationem, ſed imaginariam quandam, & fictam, quæ ſicuti non eſt verè terminus à quo mutationis ita verè non conſtituit ſubiectum in potentia, ſed imaginariè. At motus hic definitus verè, & propriè debet conſtituere ſubiectum in potentia. Reſp. diſtinguendo maiorem: motus eſt actus per quem mobile conſtituitur propriè in potentia ad aliquem terminum, ponendum tantum in poſteriori temporis, negatur; in poſteriori natura, conceditur. Deinde diſtinguitur maior ſequẽs: id, quod conſtituit aliquid propriè in potentia ad aliquid ponendum in poſteriori temporis, debet excludere priuationem illius, conceditur: quod eſt in potentia ad aliquid ponendum in poſteriori natura debet excludere priuationem illius negatur. Cum enim tunc ſubiectum non ſupponatur eſſe ſub priuatione pro priori tempore, non eſt neceſse quod pro eodem priori ſupponatur cum vera, & reali priuatione; quod ſi ſubiectum ſupponatur priuatum ante inſtans mutationis, tunc ſuffic t quod priuatio ſupponatur in termino à quo, ſeu in ſubiecto ante inſtans mutationis. Benè verum eſt, quod licet in inſtanti mutationis nõ intelligatur eſſe priuatio realiter, poteſt tamen intelligi cum fundamento in re, vt conſideranti patebit.

17. Secundum argum. nam motus definitus ab Ariſt. debet eſſe actus imperfectus, qui ſcilicet relinquat ſubiectum partim in actu, partim in potentia; ergo debet terminari ad terminum diuiſibilem, cuius pars acquiritur, & alia non eſt acquiſita, ſed acquirenda. Vnde Ariſt. *hoc lib. tex.* 1. poſt motum dicit eſſe agendum de infinito, *quia motus eſt de genere continuorũ*, ideſt rerum diuiſibilium in quibus appareat aliqua ratio infiniti. Et alibi dicit, quod quando eſt motus non datur eſſe ſaltem totus terminus, & quod omnis motus eſt imperfectus, vt extenuatio, diſciplinatio, itio, ædificatio, &c. qui ſunt actus imperfecti, non enim quis ſimul it, & iuit; nec ædificat, & ædificauit, &c. Et 8. *phyſ. tex.* 40. probans nihil poſſe mouere ſe ipsũ, vt ſecundum partem ſit mouens, & motum dicit. *Amplius autem determinatum eſt, quod mouetur id, quod mobile eſt, hoc autem eſt potentia cum mouetur non actu; quod autem potentia eſt, ad actum pergit, eſt autẽ motus actus mobilis imperfectus, &c.* Reſp. concedendo antecedens, & negando conſeq. conſtat ex dictis. Ad loca Ariſt. dico quod cum definierit motum in communi prout præſcindit à ſucceſſiuo, & inſtantaneo, non mirum quod aliquando exemplificet in motu ſucceſſiuo, & aliquando in inſtantaneo, vt viſum eſt. Hoc ergo loco agit de motu in dicta communitate, cuius dixe-

dixerat naturam eſſe principium, patet autem quod non ſolum natura motus ſucceſſiui eſt principium, ſed etiam motus inſtantanei, &c. Tum quia ille motus hic definitur ab Ariſt. cuius conſideratio ſpectat ad phyſicum, ſed hic eſt motus vt comprehendit etiam mutationem inſtantaneam, vt generationem, ergo, &c. Poſtea in alijs libris deſcendit ad motus ſucceſſiuos, propterea de illis loquitur, &c.

§. 3. *An motus realiter diſtinguatur à termino ad quem.*

18. PRima ſent. eſt, quod motus diſtinguatur ſola ratione ratiocinata, ſeu diſtinctione rationis cum fundamento in re. Sic Maſius *hoc loco* q. 4. citans Capreol. Soncin. Ferrar. Iauell. alioſque. Secund. ſententia eſt, quod motus diſtinguatur à termino tanquam res à re. Sic Aureolus, Argentinas, Venetus, & alij apud N. Complut. *diſp. 16. q. 3. n. 26.*

19. Noſtra ſent. ſeq. concl. explicatur *Motus eſt entitas vialis, modalis, & imperfecta, ac proinde non identificata cum termino ad quem, ſed diſtincta realiter non tanquam res à re, ſed tanquam modus à re.* Sic tenent communiter Thomiſtæ, vt teſtantur dicti Complut. ſupra n. 27. Quod motus non identificetur cum termino ad quem, probatur, nam motus tranſit acquiſito termino; producto namque calore tranſit calefactio, ergo calefactio, quæ eſt motus ad calorem non identificatur cum calore. Nec valet dicere quod ad hoc ſufficiat diſtinctio rationis ratiocinatæ, nam contra eſt, quia motus non ſolum quoad rationem, ſed etiam quoad realitatem tranſit; ergo, &c. Antecedens probatur; nam poſſunt eſſe in rerum natura agens, mobile, & terminus ſine motu; ergo motus diſtinguitur realiter ab omnibus iſtis. Conſeq. conſtat. Signum namque euidens diſtinctionis inter aliqua eſt quando poſſunt ad inuicem ſeparari realiter, vt vnum realiter maneat, alio realiter pereunte. Antecedens probatur, nam ignis v.g. manet, non calefaciens aquam, aliàs ſi aquam non calefaceret, nõ maneret. Aqua manet tum ſine igne, tum ſine calefactione. Calor, qui eſt terminus calefactionis, ſeu motus, manet ſine igne, vt eo extincto, & ſine calefactione, vt amoto igne, qui eſt agens, & producens motum calefactionis in aqua, manet calor, ergo, &c.

20. Nec valet reſpondere pro aduerſarijs, quod licet maneat calor qui eſt terminus motus, ſeu calefactionis, non tamen manet calor vt acquiſitus ſine motu. Sed contra 1. nam ad ſaluandam diſtinctionem inter motum, & terminum non eſt neceſſe quod terminus maneat, vt acquiritur reduplicatiuè, ſed ſufficit vt maneat ſpecificatiuè. 2. quia terminus motus licet non maneat ſine motu, vt acquiritur, manet tamen vt acquiſitus per motum; nam calor in aqua manet vt acquiſitus per calefactionem, non vt creatus vt reſultans, vt emanans ab aqua.

21. Præterea probatur, nam nihil poteſt dependere à ſemetipſo, aut cauſare ſe ipſum; ſed ſi terminus non diſtingueretur à motu, idem cauſaret ſemetipſum; ergo. Maior nota eſt, aliàs idem dependeret, & non dependeret. Minor probatur, quia motus eſt cauſa efficiens termini, vt generatio eſt cauſa hominis, calefactio eſt cauſa caloris, & ſic de alijs; ergo, &c. Deinde idem terminus entitatiuè poteſt terminare plures motus, ergo motus diſtinguitur realiter à termino. Conſeq. conſtat quia aliàs vnus, idemque terminus identificaretur cum duobus, aut pluribus agentibus realiter diſtinctis, & cũ duobus motibus, aut pluribus realiter diſtinctis, ex quo ſequeretur quod diſtinguerentur, & non diſtinguerentur, cum identificarentur cum vno tertio: Antecedens etiam conſtat, nam idem homo eſt terminus generationis, & reſurrectionis. Idem Corpus Chriſti D. eſt terminus generationis, & tranſubſtantiationis, &c.

22. Quod autem motus non diſtinguatur tanquam res, & res à termino, ſed tanquam modus, conſtat, cum enim motus ſit via ad rem, ſeu terminum, non poteſt eſſe res, ſed modus; ſi enim ſemel motus eſſet res, non eſſet via ad rem; ſi eſſet res non eſſet quid viale, & imperfectum, ſed quid

quid ſiſtentiale, & perfectum, res enim dicit quid ratum, firmum, & ſtabile. Soluuntur argum. in contrarium.

23. Primum argum. deſumunt ex Ariſt. hic *tex*. 4. vbi dicit quod motus non eſt aliud, quam res ad quam eſt motus, quæ eſt terminus; ergo non diſtinguitur realiter à termino. Reſp. 1. quod Ariſt. intelligi debet, quod non eſt alia res à termino, eſt tamen modus. Vnde motus in ratione rei non diſtinguitur à termino, benè tamen in ratione viæ, & modi. Reſp. 2. Ariſtotelem ſolum voluiſſe, quod motus non eſt alia entitas completa, & perfecta à termino. Reſp. 3. intelligi quod motus non eſt res aliqua pertinens ad diuerſam ſpeciem à termino, ſed reuocatur ad ſpeciem illius; imperfectũ namque reuocatur ad ſpeciem ſui perfecti.

24. Secundum argum. nam res in fieri, & facto eſſe non diſtinguuntur; ſed motus, & terminus ſunt ſicut res in fieri, & facto eſſe; ergo non diſtinguuntur. Maior nota eſt. Minor probatur, nam quando intelligimus formam v.g. calorem in fieri, intelligimus moueri ad ſe ipſam in facto eſſe. Reſp. concedendo maiorem, & negando minorem, nam motus non eſt terminus, ſeu forma in fieri, ſed eſt ipſum fieri formæ, ſeu termini.

25. Tertium argum. Si motus diſtingueretur realiter à termino ſequeretur, quod quoties aliquid mouetur ad aliquem terminum reciperet in ſe duplicem realitatem, ſcilicet motus, & termini. Et ſic aqua v.g. dum calefit, acciperet realitatem calefactionis, & caloris; ſed hoc eſt falſum, ergo, &c. Minor probatur, nam tunc ſubiectum moueretur duplici motu, vno quo reciperet motum, v.g. calefactionem, alio quo reciperet calorem. Reſp. concedendo maiorem, & negando minorem, nam motus, & terminus non cauſant duos motus, cum enim comparentur vt via, & terminus, non ponunt in numero. Vel dicas nõ eſſe duos motus, ſed motus, & terminus.

§. 4. *An motus localis ſubiectetur in mobili.*

26. Difficultas de ſolo motu locali procedit, nam motus generationis videtur quod ſubiectetur in mobili, v.g. in materia vbi recipitur forma, quæ generatur. Item motus alterationis, augmentationis, &c. ſubiectantur in mobili, ſcilicet in alterato, &c. Difficultas ergo ſolum eſt de motu locali, de quo. Prima ſententia eſt, quod motus localis ſubiectetur non in mobili, ſed in loco. Sic tenent Soncin. Gregor. Heruæus, & Fonſeca apud N. Complut. *diſp*. 16. *q*. 4. *n*. 35.

27. Noſtra ſententia ſeq. concl. explicatur. *Motus localis non ſubiectatur in loco in quo res mouetur, ſed ſubiectatur in ipſo mobili* Hæc concluſ. eſt communis, pro qua videri poſſunt dicti Complut. Maſius, Conimbric. Ruuius, Soto, & alij hoc loco. Ratio communis eſt, quia ibi eſt tanquam in ſubiecto motus, vbi eſt eius terminus, ſed terminus motus ſcilicet *vbi* non eſt in loco, ſed in locato, ſeu mobili; ergo etiam motus. Maior conſtat, nam motus eſt via ad terminum, eſt fieri termini, eſt ipſa termini productio, ſicut calefactio eſt ipſa ignis productio; via autem ad rem, fieri rei, rei productio, ibi ſunt vbi eſt res quæ producitur. Minor probatur, nam *vbi*, quod eſt terminus motus localis, nihil eſt aliud niſi præſentia localis, ſeu præſentia ad locum, ſeu quam id quod facit rem eſſe præſentem loco; ſed id quod facit locatum eſſe præſentem loco, non poteſt non eſſe in ipſo locato, ſeu mobili; ergo, &c. Tum quia ibi eſt forma, vbi ſuam tribuit formalem denominationem, ſicut ibi eſt albedo, vbi eſt album, quod ab albedine denominatur; ſed motus tribuit ſuam formalem denominationem mobili; ergo eſt in mobili. Maior eſt nota. Minor probatur, nam effectus formalis motus eſt moueri, ſed hic eſt in mobili, vt patet, ergo, &c.

28. Primũ argum. nam Ariſt. 8. *tex*. 59. dicit, quod motus localis eſt omnium perfectiſsimus, quia mobile nullam formam ſibi

ſibi inhærentem acquirit,& ideo minus in potentia cenſetur, quod localiter mouetur, quam quod alio motu. Reſp. Ariſtotelem ſolum velle quod forma per motũ localem acquiſita ſit minus abſoluta, & minus perfecta,quam forma acquiſita per alterationem, v.g. *vbi* namque eſt minimè entitatis. Hæc ſolutio conſtat ex verbis, quæ poſtea ſubdit dicens. *Vt cum quia alteratur, qualitas; dum quid augetur, & decreſcit quantitas*.

29. Secundum argum. quoniam terminus motus localis eſt locus,ſed locus eſt in locante cum ſit vltima ſuperficies corporis ambientis. Minor conſtat. Maior probatur, nam ille eſt terminus motus localis, qui acquiritur per eundem motũ; ſed per motum localem acquiritur locus; ergo locus eſt terminus motus localis. Reſp. negando maiorem. Ad probationem dico, quod mobile non intendit acquiſitionem loci, ſed vbicationem, ſeu præſentiam ad locum. Licet enim verum ſit quod per motum localem acquiratur etiam locus, tamen locus non eſt quid productum per motum, ſed præſentia ad illum. Vnde pręſentia ad locum eſt terminus intrinſecus motus,& locus ipſe ad ſummum eſt terminus extrinſecus.

§. 5. *An motus dicat aliquid poſitiuum realiter diſtinctum ab vnione mobilis ad formam ad quam mouetur.*

30. PRima ſententia negat,ita Pontius *diſp.* 13. *n.* 18. vbi dicit hanc ſententiam in re communem eſſe. Vult ergo Pontius quod in motu locali, motus nil aliud dicat niſi realem vnionem mobilis ad locum. Motus alterationis nihil eſt per ipſum niſi vnio realis, v.g. aquæ ad calorẽ. Motus augmentationis eſt realis vnio ſubiecti, quod augetur ad quantitatem.

31. Sed hæc ſententia mihi non videtur vera, nam motus alterationis, cum ſit actus imperfecti non eſt vnio ad formam, ſed eſt via, productio, & fieri formæ. Tum quia prius eſt quod forma producatur, quam quod vniatur, vnio namque ſupponit formam productam, nec vnio poteſt dici motus, ſed nexus,& copula formæ productæ, aut poſitæ in ſubiecto. Tum etiam quia poteſt calor v. g. vniri aquæ abſque motu, ergo vnio formæ cum ſubiecto non eſt motus; conſeq. conſtat, quoties enim vnum ſeparatur ab alio, & poteſt eſſe ſine illo, non eſt illud. Antecedens probatur, quoniam ſi Deus produceret aquam calidam, ſeu cum calore,tunc non daretur motus, cum tamen daretur vnio formæ. Deinde manet vnio caloris cum aqua tranſacta calefactione, ſeu finito motu calefactionis; ergo motus calefactionis non eſt vnio caloris cum aqua.

32. Occurrit Pontius, quod licet motus ſit ipſa vnio caloris cum aqua, tamen connotat aliquid prærequiſitum,& ſic motus præter vnionem dicit negationem exiſtentiæ eiuſdem vnionis pro inſtanti, aut tempore immediatè præcedenti. Nunquam enim poteſt aliquod ſubiectum moueri quin recipiat vnionem ad aliquid, quam non habuit antecedenter, dum exiſtebat ante motum, ſeu abſque motu. Vnde motus, inquit, formaliſsimè ſumptus eſt vnio cum negatione exiſtentiæ pro tẽpore, aut inſtanti immediatè præcedenti. Sed contra nam poteſt intelligi vnio formę cum ſubiecto cum negatione exiſtentiæ pro tempore, aut inſtanti præcedenti abſque eo quod intelligatur motus; ergo motus non eſt vnio cum dicta negatione. Antecedens probatur, nam ſi Deus ponat ſe ſolo calorem in aqua intelligetur vnio eiuſdem caloris cum negatione pro tempore, aut inſtanti præcedenti, & tamen non intelligetur motus, cum dictus calor non ſit à Deo productus per motum, vt ſuppono; ergo, &c. Tum quia calor vnitus aquæ in hoc inſtanti, & connotans negationem pro priori, nihil aliud dicit niſi quod in hoc inſtanti eſt vnitus aquæ,cum prius non eſſet vnitus, ſed hoc non dicit motum, nec aquam moueri, ſed vnionem; ergo,&c.

DVBIVM II.

De actione, & paſſione tum inter ſe, tum cum motu collatis.

§. 1. *An motus ſit quid ſuperius ad actionem, & paſſionem.*

33. PRima ſententia eſt, quod motus ſit quid ſuperius ad actionem, & paſsionem, ſeu quod ſe habeat vt genus, & actio, & paſsio vt quædam ſpecies. Sic Soto *hic q. 2. concl. 3. §. quæritur*, & alij, quos refert Onnia hic. Secunda ſent. eſt, quod non motus ſit ſuperior ad actionem, & paſſionem, ſed ipſa actio ſit ſuperior ad motum, & paſſionem, ſic aliqui Neoterici.

34. Noſtra ſent. ſeq. concl. explicatur. *Nec motus eſt ſuperior ad actionem, & paſſionem, nec actio eſt ſuperior ad motum, & paſſionem.* Sic tradunt communiter Philoſophi hoc loco, pro quibus videri poſſunt N. Complut. *hic diſp. 17. q. 1. n. 3. & 5.* qui hoc probant ex eo quod actio, paſsio, & motus ſunt vna numero entitas; & actio, & paſsio ſunt vnus numero motus; cœterum ad hanc rationem poſſet quis reſpondere quod licet actio, & paſſio ſint idem motus, eademvè entitas, tamen habent diuerſas formalitates, quatum vna poteſt eſſe ſuperior alia.

35. Aliter ego probo concl. nam actio, & paſsio pertinent ad diuerſa prædicamēta, ergo nullam poſſunt habere rationem ſuperiorem genericam in qua conueniant; prædicamenta namque ſunt primò diuerſa, in nullo vniuocè conuenienia. Imò prædicamenta neque analogicè conueniunt niſi in ratione entis, & accidentis. Tum quia ſi motus eſſet ſuperius ad actionem, & paſsionem (idem dic ſi actio eſſet ſuperior) ſequeretur quod ad multiplicationē actionis, & paſsionis, deberent multiplicari motus, cum ſuperius multiplicetur ad multiplicationem ſuorum inferiorum. Tum etiam quia, vt ſupra dicebamus, motus cum ſit quid imperfectum in nullo ponitur prædicamento, in nullaque determinata ſpecie, ſed reuocatur ad ſpeciem, & prædicamentum ſui termini, quod autem eſt huiuſmodi, non poteſt eſſe ſuperius ad duo prædicamenta, ſcilicet ad actionem, & paſsionem.

36. Primum argum. deſumitur ex Ariſt. *cap. 3. huius libri*, D. Tho. ibidem, & cæteris expoſitoribus, qui ſæpe dicunt quod actio eſt motus prout ab agente, & paſsio eſt motus prout in paſſo, ergo motus eſt quid ſuperius ad actionem, & paſſionem, aliàs actio, & paſsio non definirētur per motum. Tum quia implicat intelligere actionem, & paſſionem ſine motu, cum actio prædicamentalis ſit fieri termini, & paſſio ſit recipi illius, fieri autem, & recipi non intelliguntur ſine aliquo motu, aut mutatione. Reſp. concedendo antecedens; & negando conſeq. dicitur namque quod actio eſt motus prout ab agente, quatenus actio, & paſſio non habent aliam entitatem niſi entitatem motus; vnde illæ prædicationes non ſunt formales, ſed materiales. Quod autem non poſsint intelligi actio, & paſsio ſine motu nihil refert, cum plura dentur quorum vnum non eſt de eſſentia alterius, & tamen non poteſt intelligi ſine eo; nam figura non poteſt intelligi ſine quantitate, & tamen quantitas eſt ſolum ſubiectum figuræ. Sicut nec modus poteſt intelligi ſine re cuius eſt modus; nec relatio ſine termino, & tamen res non eſt de eſſentia modi, nec terminus relationis, nec è contra.

37. Secundum argum. nam actio, & paſsio ſunt eſſentialiter motus, ergo motus eſt quid ſuperius ad actionem, & paſſionem. Conſeq. conſtat. Antecedens probatur, quia per actionem, & paſsionem res aliter ſe habet nunc quam prius, ergo ſunt motus. Motus namque eſt id quo res mutatur, ſeu quo res aliter ſe habet nunc quā prius; per calefactionem namque mutatur agens, cum tranſeat ex non calefaciente ad calefaciens; & per paſsionem mutatur paſſum cum ex non calefacto, v.g. fiat calefactum. Reſp. negando antecedens. Ad probationem dico quod actio, qua actio non mouet agens, ſed qua eſt idem cum motu, ſeu qua dicit motus entitatem. Similiter

liter paſsio, vt paſsio non mouet paſſum, ſed qua includit, & eſt idem cum entitate motus. Quando enim noua forma aduenit ſubiecto, mutatur ſubiectum, eum tranſeat à non eſſe ſub forma, ad eſſe ſub illa, non tamen forma eſt ipſe tranſitus, cum ratio formæ formaliter ſit informare, non trahere ſubiectum à non eſſe ſub illa, ad eſſe ſub illa, hoc enim eſt proprium motus, quæ omnia magis conſtabunt ex mox dicendis.

§. 2. *An actio, paſſio, & motus diſtinguantur & quomodo.*

38. Prima ſententia eſt, quod actio, paſsio, & motus, ita inter ſe realiter diſtinguantur, vt in nullo identificentur, ac proinde, & formaliter, & entitatiuè diſtinguantur. Sic docent illi, qui ponunt actionem prædicamentalem eſſe in agente, motum in mobili, & paſsionem in eodem mobili, ſeu paſſo, vt tenent Scotiſtæ, vt poſtea videbimus. Secunda ſent. eſt, quod actio, paſsio, & motus ſola ratione ratiocinata diſtinguantur. Sic Ruuius, Maſius, & alij hoc loco. Tertia ſent. dicit quod motus, & paſsio ſola nominis appellatione diſtinguantur. Sic Suarez *diſp.* 49. *ſect.* 2.

39. Noſtra ſententia ſequenti concl. explicatur. *Actio, paſsio, & motus ſunt tres formalitates diſtinctæ ante intellectum, & identificatæ in eadem entitate motus.* Hæc eſt communis Thomiſtarum, pro qua referunt N. Complut. *diſp.* 17. *n.* 13. Caiet. Banne. Ferr. Gonzal. Capreol. Flandr. Zanard Sot. Nauar. Armer. alioſque.

40. Quod actio, paſsio, & motus ſint tres formalitates realiter diſtinctæ, probatur, nam actio, & paſsio ex vna parte directè pertinent ad diuerſa prædicamenta, & motus pertinet ad prædicamentum, vt *qualitatis* ſi ſit qualitas, *quantitatis* ſi eſt quantitas, *vbi* ſi eſt motus localis, ſubſtantiæ. ſi terminus ſit ſubſtantia, vt in generatione ſubſtantiali; ſed quæ pertinent ad diuerſa prædicamenta debent diſtingui ſaltem formaliter ante intellectum; ergo, &c. Tum quia actio, paſsio, & motus antecedenter ad omnem operationem intellectus habent diſtinctas formalitates, & tales vt proprijs, & varijs omninò definitionibus definiantur; ergo diſtinguuntur formaliter, & non per intellectum. Actio namque definitur, quod ſit egreſſus ab agente. Paſſio eſt receptio actionis in paſſo. Et motus eſt via, fluxus, & tendentia ad terminũ. Præterea actio eſt cauſalitas efficiẽtis, qua ſcilicet efficiens agit in actu ſecundo. Paſſio eſt id quo ſubiectũ recipit in actu ſecũdo, & motus eſt id quo mobile mouetur in actu ſecundo; ſed iſta non poſſunt non afferre diuerſas formalitates ante intellectũ; ergo, &c.

41. Quod autem actio, paſſio, & motus ſint vna, eademque entitas docet Ariſt. *hic cap.* 3. dicens. *Hæc enim vnum quidem ſunt, ratio tamen non vna, ſimiliter, & in mouente, & in motu.* Idem tradit *tex.* 22. Ratio eſt quia idem eſt entitatiuè, id quo mouens mouet, quo mobile mouetur, & quo paſſum patitur; ergo, &c. Antecedens probatur, nam eodem impulſu, quo quis iacit ſagittam, aut mouet lapidem, ſagitta mouetur, lapis impellitur; ita eadem actio eſt qua agens aliquid mouet, qua mobile mouetur, & in ipſo mobili recipitur. Præterea ſi actio, paſſio, & motus diſtinguerentur entitatiuè, quoties agens ageret, res triplici motu moueretur, recipiendo ſcilicet tres entitates; ſed hoc dici nequit, cum mobile non moueatur ab vnico agente, niſi vnico motu, ergo, &c. Demum ſi actio, paſſio, & motus diſtinguerentur realiter entitatiuè, ſequeretur quod entitas motus poſſet eſſe ſine entitate actionis, & paſſionis, & entitas paſſionis ſine entitate actionis, & motus; entitates namque realiter diſtinctæ poſſunt ad inuicem ſeparari. Quod autem hæc ſint falſa, conſtat, quia nec actio de prædicamento actionis, poteſt eſſe ſine paſsione, aliàs non eſſet fieri, ſed factum eſſe; nec motus poteſt eſſe ſine paſſione, aliàs non eſſet via ad terminum, &c.

42. Nota hic obiter non benè Pontiũ reprehendere N. Complut. quod malè teneant quod actio, paſſio, & motus ſint tres formalitates diſtinctę ante intellectũ, licet

licet identificentur in vna, eademque entitate motus, quia per ipſos nulla datur diſtinctio actualis ante intellectum, quæ non ſit realis, quæ enim identificantur inter ſe, aut cum alia tertia entitate non poſſunt habere vllam diſtinctionem actualem ante intellectum. Nec video, inquit, quomodo ſi realiter aliqua identificantur poſſint habere diſtinctionē realem actualem. Cęterum deſinat Pontius reprehendere Com. plut. cum benè loquantur, & ſecundum veram doctrinam Thomiſticam, quæ admittit diſtinctionem realem formalitatum ante intellectum, & identificationem earumdem formalitatum quoad entitatem; nulla namque eſt repugnantia, quod in vna eademque entitate reperiantur plures formalitates realiter formaliter diſtinctæ, non realiter entitatiuè. Argumenta quæ in contrarium fieri poſſunt facilè ex dictis ſolui poſſunt.

§.3. *An motus habeat rationem ſubiecti* quo *reſpectu actionis, & paſsionis.*

43. Prima ſententia negat, pro qua citant N. Complut. Murciam, alioſque ſuppreſsis nominibus, quibus addo Pontium *diſp.13.n.22.* vbi inſurgit contra dictos Complut, quos ibi citat dicto *nu.22.* cuius inſtantias poſtea ſoluemus.

44. Noſtra ſententia ſeq. concl. explicatur. *Motus habet rationem ſubiecti quo reſpectu actionis, & paſsionis, & ſic quoties iſta in vnam, eandemque entitatem coincidunt, tunc actio, & paſsio non inhærent ſubiecto niſi medio motu.* Sic Ariſt. D. Tho. Onnia, Suarez, & alij quos referunt, & ſequuntur N. Complut. *diſp.* 17. *n.*22. Ratio concluſionis eſt, quia actio, & paſsio ſunt quædam affectiones motus; ergo motus habet rationem ſubiecti quo reſpectu illarum. Antecedens conſtat, nam motus ſecundum ſe nec dicit eſſe ab agente, vt actio, nec dicit eſſe in paſſo, vt paſsio, ſed dicit eſſe viam, & tranſitum, ac proinde actum imperfecti; huius viæ affectio eſt eſſe ab agente, ſeu à termino à quo, & recipi in paſſo cum termino ad quem, ſed id quod eſt ratio affectionis, & quaſi paſsionis ſe habet vt ſubiectum *quo*. ergo, &c. Tum quia formalitas actionis, & paſsionis, vt dicebamus, identificantur cum entitate motus, ergo actio, & paſsio non erunt in ſubiecto niſi media entitate motus; ac proinde motus erit ſubiectum *quo* actionis, & paſsionis.

45. Primum argum. Pontij eſt, nam vel ſubiectantur inſeparabiliter de potentia etiam abſoluta in eodem ſubiecto, & identificabuntur realiter, & tunc nec alterum reſpectu alterius poteſt eſſe ſubiectū *quo*; vel ſubiectantur in diuerſis ſubiectis, & ſic etiam neutrum poteſt eſſe ſubiectū *quo*, quia ſubiectum *quo* ſe tenet ex parte ſubiecti quod, in quo etiam ſubiectum *quo* ſubiectatur. Reſp. quod ſubiectantur inſeparabiliter etiam de potentia abſoluta in eodem ſubiecto, & identificantur realiter entitatiuè, non formaliter, & ſic entitas motus, cum ſua formalitate poteſt eſſe ſubiectum *quo* formalitatis actionis, & paſſionis.

46. Secundum argum. nam impoſsibile eſt quod aliquid moueatur ad aliquā formam, quin patiatur recipiendo illam formam, ergo inquit Pontius, non abſtrahit motus à paſsione ſic, vt poſsit eſſe ſubiectum *quo* ipſius, & conſequenter falſum eſt fundamentum Complut. conſiſtens in eo quod motus abſtrahat à paſsione. Reſp. concedendo antecedens, ita tamen quod ipſa forma non ſit ipſe motus, ſed terminus illius. Deinde negatur conſeq. vt enim dicebamus motus ratione ſuæ entitatis, & formalitatis, eſt ratio quare actio, & paſsio recipiantur in ſubiecto.

47. Tertium argum. nam ſubiectum *quo* alicuius formæ non poteſt prædicari de eadem forma in abſtracto; vnde non valet. Albedo eſt quantitas, ſed motus prædicatur de actione, & paſsione, nam benè dicimus, actio eſt motus ab agente: paſsio eſt motus in paſſo, ergo, &c. Reſp. ex dictis ſupra, quod iſtæ prædicationes ſunt verè ſolùm in ſenſu identico non formali.

48. Quartum argum. Accidens prædicatur in concreto de ſuo ſubiecto; ſed actio, & paſsio non poſſunt prædicari de motu; ergo motus non eſt ſubiectum actionis

nis, & paſſionis. Vnde concretum actionis, eſt agens, & concretum paſſionis, eſt paſſum. Reſp. concedendo maiorem,& negando minorem, nam rectè dicitur. Actio eſt motus ab agente, ſeu eſt procedens ab agente; & paſſio eſt motus vt in paſſo, ſeu eſt receptum vt quo in paſſo. Denominatio autem agentis, & paſſi non ſunt denominationes inuoluētes motum, ſed actionis, & paſſionis. vt formæ quædam ſunt. Agens denominatur ab actione tanquam à forma extrinſeca. Et paſſum denominatur à paſſione tanquam a forma intrinſeca. Imò ex his colligitur maior confirmatio noſtræ concluſ. cum enim motus ponatur in definitione actionis, & paſſionis,& non ponatur tanquam genus, vt diximus ſupra, debet poni vt ſubiectum. Subiectum namque accidentis ponitur in definitione illius, vt diximus in Logica.

49. Quintum argum. Subiectum ſiue *quo*, ſiue *quod* debet ſupponi ab eo, quod in eo ſubiectatur; ſed motus non ſupponitur ad actionem, ſed eſt poſterior illa; actio namque eſt cauſa motus; ergo motus non poteſt eſſe ſubiectum quo ſaltem actionis. Reſp. quod ſubiectum debet eſſe prius eo quod in eo ſubiectatur in genere cauſæ materialis,licet poſſit eſſe poſterius in genere cauſæ efficientis. Actio ergo eſt prior motu in genere cauſæ efficientis,& poſterior in genere cauſæ materialis.

§. 4. *An actio tranſiens ſubiectetur in agente, an in paſſo.*

50. Notandum 1. aliam eſſe actionē immanentem,aliam tranſeuntē Actio immanens eſt illa, quæ ſuum producit effectum in ipſo agente, vt eſt intellectio quę verbum in intellectu producit, & omnis ſenſatio ſiue producat, ſiue non producat terminum vt eſt viſio eſt immanens. At actio tranſiens eſt illa per quam producitur terminus in diſtincto ſuppoſito, aut ſaltem in diſtincta parte ſuppoſiti, vt calefactio per quam ignis v. g. producit calorem in aqua,vel per aquā vt cum vna pars aquæ calefacta calefacit aliam. An autem nutritio ſit actio immanens, aut tranſiens, dependet ab illa quæſtione an actio cauſet nutritionem in eadem parte, an in diuerſa, de qua ſuo loco.

51. Notandum 2. quod actio immanens alia eſt ſubſtantia, licet ſignificetur ad modum actionis vt eſt intellectio, & volitio in Deo, de qua non diſputamus hoc loco, cum enim ſit ſubſtantia, in nullo eſt ſubiecto. Alia eſt actio immanens quæ eſt accidens, vt eſt intellectio, volitio, & ſenſationes in nobis, & de iſtis certa res eſt, quod ſint in ſubiecto à quo fiunt, cum nec actiones ipſæ, nec earum termini quando eos producunt tranſeant in externam materiam, quare procedit difficultas de ſolis, actionibus tranſeuntibus. Actio autem tranſiens ſumi poteſt dupliciter. Primò vt eſt quædam habitudo agentis ad paſſum, qua ratione dicit relationem, quæ non niſi in agente eſſe poteſt, cum ſit relatio ipſius agentis ad paſſum. Secundò ſumi poteſt vt eſt quid abſolutum, & de prædicamēto actionis,& eſt quidam egreſſus ab agēte, quo medio agens tanquam per ſuam cauſalitatem producit effectum in aliena materia, de qua.

52. Prima ſententia eſt, quod actio tranſiens ſubiectetur in agente. Sic Scotus *in 4.diſt.13.q.* 1. quem eius diſcipuli communiter ſequuntur. Eandem ſententiam ex Thomiſt. ſequuntur Caietan. *q.* 25. *art.* 1. Nazar. *ibid. controu. vnica,* Zumel, Ripa, Torres, & alij apud N.Cōplut. *diſp.* 17. *q.*4. *num.* 28. exiſtimantes hanc eſſe mentem Ariſtotelis, & D.Thomæ. Secunda ſententia eſt, quod actio tranſiens eſt in agente inchoatiuè, at cōſumatiuè eſt in paſſo, & hoc modo putant concordare vtramque ſententiam, & diuerſa teſtimonia Ariſtotelis, & D. Th. Sic aliqui moderni.

53. Noſtra ſententia ſequenti concluſ. explicatur. *Actio tranſiens abſoluiè, et ſimpliciter eſt in paſſo.* Pro hac ſententia Ferrer. refert Alexand. Themiſt. Simplicium, & Philop. Maſius hic referens Soncin.

Soncin. Iauel. Sot. Tolet. & alios, Complut. referentes Suarez, & Ruuium dicētem oppoſitam ſententiam in ſententia Ariſtotelis non eſſe probabilem. Eandem ſententiam ſequitur Hieronymus Pla. hoc loco alios referens, & Lerma hic, & alij paſſim.

54. Probatur teſtimonijs Ariſt. & D. Thomæ. Ariſtot. hic tex. 20. ſic habet. *Aut neque actum alterius in altero eſſe inconueniens eſt; eſt enim doctio actus docentis in quodam enim, & non deciſus, ſed huius in hoc*. Quem locum ſic explicat D. Thomas ibid. dicens. *Dicit ergo primo quod non eſt inconueniens actum vnius eſſe in altero. quia doctio eſt actus docentis, ab eo tamen in alterum tendens continuè, & ſine aliqua interruptione. Vnde idem actus eſt huiuſmodi, id eſt agentis vt à quo, & tamen eſt in patiente vt receptus in eo*. Et 9. metaphy. tex. 16. dicit idem Ariſt. *Aedificatio namque in ædificato ſimul & fit, & eſt cum domo*. D. Tho. 1. p. qu. 18. art. 3. ad 1. dicit. *Quod ſicut dicitur in 9. metaphy. duplex eſt actio; vna quæ tranſit in exteriorem materiam, vt calefacere, & ſecare; alia quæ manet in agente, vt intelligere, ſentire, & velle. Quarum hæc eſt differentia, quia prima actio non eſt perfectio agentis quod mouet, ſed ipſius moti; ſecunda autem actio eſt perfectio agentis*. Alia plura teſtimonia Ariſtotelis, & D. Thomæ referunt N. Complut. loco citato. Quod ſi aliquando Ariſtoteles, & D. Thomas videntur dicere actionem tranſeuntem eſſe in agente, intelligi debent quoad denominationem agentis, quam actio tribuit ipſi agenti, quæ denominatio licet extrinſeca ſit, & ſumatur, à forma tranſeunte, in alioque recepta, tamen eſt ad modum denominationis intrinſecæ. Vel certè loquuntur de actione vt dicit relationem ad paſſum, vt *nu.* 51. aduertimus. Sed agamus rationibus.

55. Prima ratio, nam vt ſupra vidimus, actio, paſſio, & motus ſunt vna, & eadem entitas, licet ſint tres formalitates in ea, ſed paſſio, & motus ſunt in paſſo, ſeu mobili; ergo etiam actio. Maior eſt Ariſtotelis, & probata fuit ſupra. Minor eſt etiam Ariſt. hic cap. 3. vbi dicit. *Hinc clarum eſt, quod motus eſt in eo quod mouetur*. Et 3. de anima cap. 2. dicit. Quod ſi & motus, & affectio, et *paſſio in eo ſunt quod fit*. Et 9. metaphy. cap. 9. habet. *Atque omnino motus ipſe in eo eſt quod mouetur*; ergo ſi motus per Ariſtotelem eſt in mobili, etiam actio, quę cum ipſo identificatur erit in mobili, ſeu in paſſo.

56. Secunda ratio, quoniam omnis actio quæ eſt in agente, ſeu in principio productiuo à quo elicitur, eſt immanens; ergo ſi omnis actio eſt in agente, omnis erit immanens. Reſpondent aduerſarij notando, quod actio ſumi poteſt tripliciter. 1. pro motu fluente ab agente, & hoc modo non eſt in agente, ſed cum identificetur cum motu eſt in mobili vbi eſt motus. 2. pro relatione agentis ad patiens, & hoc modo eſt in agente, cum hoc ſit quod refertur ad patiens. 3. pro actu quo mediante agens reuocatur de potentia ad actum, & cum hoc modo nō idenrificetur cum motu, non eſt neceſſe, quod ibi ſit vbi eſt motus. Actus namq; qui reuocat agens de potentia ad actum, non poteſt non eſſe in agente, aliàs non reuocaret illud de potentia ad actum, nec agens denominaret. Sed contra, nam agens non reuocatur de potentia ad actū ſeu de non agere ad agere, per aliquid in ſe receptum, ſed per aliquid in paſſo productum, vt nu. ſequenti conſtabit. Tranſit namque agens v. g. ignis de potentia ad actum per operationem, ſeu per calefactionem. Aliter namque tranſit de potentia ad actum potentia paſſiua, & aliter potentia actiua; illa namque tranſit de potentia ad actum per receptionem alicuius. At potentia actiua non tranſit de potentia ad actum per receptionem alicuius, ſed per actionem, quatenus prius non agebat, modo agit. Quando potentia eſt partim actiua, & partim paſſiua, prius agit, deinde actionem recipit, vt contingit in potentijs operantibus per actiones immanentes. At quando potentia eſt purè actiua, vt contingit in actionibus tranſeuntibus, nihil recipit.

57. Ter-

57. Tertia ratio, quia ſi ſemel actio eſſet in agente, ſequeretur, quod agens actione tranſeunte, quæ ſcilicet aliquid ponit in alieno ſuppoſito aliter ſe haberet nunc quam prius, cum modo habeat intrinſecè actionem quam prius non habebat, ac proinde omne quod agit moueretur; ſed hoc eſt falſum; ergo, &c. Minorem probo, nam Deus agit in tempore per ſolam creaturarum mutationem ergo, &c.

58. Reſpondent quod Deus nõ agit ad extra actione formaliter tali, ſed tantum virtualiter tali, & ſic Deus agendo ad extra non mutatur, benè tamen creatura quæ agit ad extra per actionem formaliter talem. Sed contra nam ſi de ratione actionis tranſeuntis eſt mutare ſubiectum, ſequitur quod vbi agens agit per actionem formaliter talem, mutabitur formaliter, vt agens creatum, & vbi agens agit per actionem virtualiter talẽ, mutabitur virtualiter, vt agens increatũ; quod tamen dici non poteſt. Quod ſi dicas Deum neque virtualiter mutari dicẽdum erit non eſſe de ratione tranſeuntis eſſe in agente, cum hoc per ſe afferat mutationem. Præterea per omnem mutationem acquiritur aliquis terminus primò, & per ſe, vt ſubſtantia, vel quantitas, aut qualitas, vel vbi, &c. ergo ſi omne agens per actionem tranſeuntem habet in ſe actionem, mutabitur, ac ſubinde acquiret vel ſubſtantiam, vel quantitatẽ, vel qualitatem, vel vbi; ſed hoc eſt abſurdum, ergo, &c.

59. Quarta ratio. Si actio tranſiens ſubiectaretur in agente, ſequeretur, quod per quamlibet actionem tranſeuntem deberet neceſſariò produci aliquis duplex terminus, vnus in re externa quæ patitur, & alius in ipſo agente. V. g. ignis per calefactionem deberet producere calorem in ligno v. g. deinde cum iſta calefactio ſit ſubiectiuè in igne, deberet in eodem igne producere aliquem terminum, vbicumque namque datur actio, quæ eſt eſſentialiter fieri, vt eſt actio tráſiens, debet neceſſariò dari eius terminus immediatus, qui ſit ſuum factum eſſe.

Soluuntur argum. in contrarium.

60. Primum argum. nam omne agens creatum dum agit ſiue per actionem immanentem, ſiue per tranſeuntem ſemper aliter ſe habet ac prius, ergo ſẽper mutatur; ſed hæc mutatio non fit niſi recipiendo actionem; ergo actio recipitur, ſeu ſubiectatur in agente. Reſp. concedendo antecedens, & eius conſequentiam, & negando minorem ſubſumptam; nullum enim agens mutatur, aut aliter ſe habet nunc ac prius per actionem tráſeuntem. Corpora cæleſtia cum agant in hæc inferiora medio motu locali in ipſis recepto per illum, non per actionem tranſeuntem mutantur. Hæc inferiora etiam ſemper mutantur dum agunt quatenus de potentia reducuntur ad actum per determinationem primæ cauſæ; etiam quia agunt actione tranſeunte per potẽtias operatiuas, quæ dum agunt, repatiũtur à contrarijs, non quia in ſe ipſis recipiant ipſas ſuas actiones, cum recipiantur in paſſo, aliàs non eſſent tranſeuntes, nec eſſet per quid diſtinguerentur ab immanentibus.

61. Secundum argum. nam omnis forma denominans debet ſubiectari in ſubiecto denominato, ſed actio eſt forma denominans agens, ergo debet in eo ſubiectari. Tum quia ſi actio eſſet in paſſo deberet illud denominare agens, non paſſum. Tum etiam quia effectus formalis actionis qui eſt agere, eſt in agente; agens namque eſt illud quod agit; ergo etiam in agente debet eſſe forma, ſeu actio tribuens illum effectum. Reſp. quod forma denominans intrinſecè debet eſſe in ſubiecto denominato, nòn forma denominans extrinſecè, vt eſt actio. Quod autem actio ſit in paſſo, & non denominet illud agens, ſed paſſum, ideo eſt, quia actio non eſt in paſſo ſub ratione actionis, ſed ſub ratione paſſionis. Ad illud, quod dicitur de effectu formali actionis, qui eſt agere, & eſt in agente, dico quod iſte effectus eſt ſecundum denominationem, non ſecundum eſſe, cum actio ſecundum eſſe non ſit in agente, ſed ab agente.

62. Ter-

62. Tertium argum. Ibi eſt actio vbi eſt potentia actiua, ſed potentia actiua eſt in agente, ergo etiam eius actio. Vel ſic. Perfectio ibi eſt, vbi eſt ſubiectum quod perficitur, ſed actio eſt perfectio,& ſubiectum quod perficitur eſt agens; ergo actio eſt in agente. Reſpon. negando maiorem, cum enim de ratione actionis tranſeuntis ſit eſſe *ab* ſcilicet agente non poteſt eſſe ſubiectiuè vbi eſt potentia. Nec actio eſt perfectio agentis, niſi per modum ſigni, quatenus ſignificat ſui agentis perfectionem.

63. Quartum argum. nam ſequeretur idem accidẽs poſſe eſſe naturaliter in pluribus ſubiectis, hoc eſt falſum; ergo, &c. Sequela probatur, quia demus quod idem ignis numero calefaciat duo ligna ſimul, tunc eſt vna actio, cum ſit vnus tantum ignis calefaciens, & tamen ſi reciperetur in paſſo, eſſet duplex, cum paſſum ſint duo ligna. Reſp. quod in eo caſu calefactio vt dicit *ab* agente, eſſet vna, vt tamen dicit *in*, eſſet duplex, ac proinde abſolutè eſſet duplex, cum vnitas numerica accidentis ſumatur à ſubiecto.

64. Quintum argum. nam actio eſt vel fundamentum, vel ratio fundandi relationem agentis ad paſſum, ſed relatio eſt in agente; ergo etiam eius fundamẽtum, vel ratio fundandi. Reſp. quod fundamentum relationis agentis ad paſſum, nõ eſt actio, ſed potentia actiua *vt quo*, & ſubiectum *vt quod*; actio autem, ſiue ſit tantum conditio, ſiue ratio fundandi, poteſt hęc munia exercere, vt pręciſè dicit *ab* ſcilicet agente.

DVBIVM III.

De infinito.

§. I. *An in æternis idem ſit eſſe, & poſſe.*

65. HOc axiomate vtitur Ariſt. *cap.* 4. ad probandum contra veteres Philoſophos dari infinitum, nam vbi poſſe non diſtinguitur ab eſſe, ſeu vbi nulla datur potentia, ſed ſimplex,& indiuiſibilis actus, oportet eſſe infinitatem. Infinitum enim eſt illud cui nihil poteſt addi, vbi autem nulla eſt potentia, nulla poteſt eſſe additio, ac proinde erit infinitum. Prima ergo ſententia eſt quod dictum axioma neque ſit verum, neque ab Ariſtotele ex propria ſententia propoſitum. Sic Simplicius ex græcis interpretibus, & Burleus ex latinis.

66. Noſtra ſententia ſequenti concluſ. explicatur. *Dictum axioma & eſt verum, & ex propria ſententia ab Ariſtotele prolatum.* Sic D.Thomas, Themiſtius, Philop. Magnus Albertus, Auerroes, Aegidius, Soto, Vicomercatus, Villalpandus, Iandun; Iauel. Toletus, Ferrar. 2. *contra gent. cap.* 91. & alij communiter hoc loco. Pro quo nota, quod pro æternis non intelligimus ſolum Deum, ſed omnia, quæ neque ortum, neque interritum habent, vti ſunt Angeli, anima rationalis, cœli, & materia prima. Nota præterea, quod quantum ad præſens duplex eſt potentia, alia actiua, quæ per Ariſtotelem eſt principium tranſmutandi aliud in quantum eſt aliud, vt eſt potentia ignis ad calefaciendum. Alia paſſiua, & eſt principium vt tranſmutetur ab alio, vt aliud eſt, vt eſt potentia aquæ, vt calefiat, & tranſmutetur ab igne. Item potentia paſſiua alia eſt ad actum eſſentialem, vt potentia materiæ ad formam, alia ad actũ accidentalem, vt potentia ſubiecti ad accidentia. Demum nota ſenſum axiomatis non eſſe ſemper excludere omnem diſtinctionem, etiam virtualem, ſed vt ſit vniuerſalis, eſt quod in æternis quoties

datur

datur poſſe, ſeu potentia, toties datur eſſe, & hoc modo dictum axioma etiam in materia prima verificatur; cum enim materia prima non poſſit eſſe ſine forma, ſequitur nullum dari tempus, aut inſtans reale in quo detur materia, cum ſua potentia, & non detur eſſe, ſeu forma ad quam eſt in potentia. Claritatis tamen gratia, rem explico ſequentibus dictis.

67. Dico 1. *In Deo ad intra idem eſt eſſe, & poſſe*. Res clara eſt, quoniam quidquid Deus ab æterno potuit eſſe in ſe, re ipſa fuit; vnde quia potuit eſſe ſapiens, iuſtus, miſericors, trinus, & vnus, &c. de facto ſic fuit, & de Deo ad intra maximè, & potiſſimè verificatur. Hinc quia Deus ab æterno potuit generare filium, de facto ab æterno genuit, &c. Dico 2. *Loquendo de Deo ad extra, non eſt idē eſſe, & poſſe.* Ratio eſt euidens, nam Deus ab æterno potuit producere mundum, quem tamen non produxit, ſed in tempore. Item multa producet temporibus futuris, quæ adhuc producta non ſunt. Item multa poteſt abſolutè creare, quæ tamen non creabit, &c. Vnde in his rebus non ſunt idem eſſe, & poſſe, nec in hoc ſenſu verificatur dictum axioma.

68. Dico 3. In ſubſtantijs ſeparatis, ſeu Angelis, & in corporibus cœleſtibus, idem eſt eſſe, & poſſe reſpectu actus ſubſtantialis, non tamen reſpectu actus accidentarij, dempta cognitione propriæ ſubſtantiæ, & amore naturali eiuſdem, quoad iſta namque Angeli ſemper ſunt in actu ſecundo, & nunquam fuerunt, nec erunt ſine iſtis actibus; quoad alios tamē actus accidentarios non neceſſarios, ſed liberos ſiue immanentes, ſiue tranſeuntes, non eſt idem eſſe, & poſſe. Ratio horum eſt, quoniam quoad primos actus quicquid efficere potuerunt à primo ſuæ creationis inſtanti, fecerunt. Non quoad iſtos ſecundos actus, quoniam multa efficere poſſunt, quæ non efficiunt; nam poſſunt hūc lapidem mouere quem non mouent; poſſunt hoc cubiculum illuminare, quod non illuminant, &c.

§. 2. *An pertineat ad phyſicum agere de infinito.*

69. Pro intelligentia difficultatis notandum eſt, infinitum eſſe variū. Primum eſt infinitum ſecundum eſſentiā, vt Deus, cuius eſſentia nullis omnino clauditur terminis. Secundum eſt infinitum ſecundum virtutem, ſeu ſecundum potentiam, & eſt ipſemet Deus, cuius potentia eſt prorſus infinita cum ſit ſuæ eſſentiæ omnino æqualis. Tertium eſt infinitum ſecundum durationem, & ſunt omnia ſequentia, primo loco eſt Deus, deinde intelligentiæ, poſtea anima rationalis, cœli, & elementa, quæ nunquam excident. Solus Deus eſt æternus omni modo; alia ſolum à parte poſt. Quartum eſt infinitum ratione indeterminationis, vt materia prima quæ nullam ſibi determinat formam, ſed poteſt quamcumque recipere. Quintum eſt infinitum ſecundum quantitatem, quod duobus modis poteſt intelligi, vno modo quando ipſa nullis finibus clauderetur. Alio modo vt claudatur, vt tamen diuidi poſſit in infinitas partes. Si daretur quantitas infinita primo modo, eſſet infinita ſimpliciter, & in actu. Secundo modo eſſet infinita tantum ſecundum quid, & in potentia, & dicitur infinitas ſyncategorematicè.

70. His poſitis ſequutus communem ſententiam, dico 1. *Quod agere de infinito ſecundum eſſentiam, ſcilicet de Deo, propriè pertinet ad metaphyſicum. Ad phyſicum autem ſolum pertinet agere de Deo, vt eſt principium motus, et naturæ*. Primum patet, ad metaphyſicum namque pertinet agere de Deo, & intelligētijs, tanquam de nobiliſſimis entibus. Tum quia infinitas ſecundum eſſentiam, eſt quidam modus, & quaſi affectio primi, & ſupremi entis, quod eſt metaphyſicæ conſiderationis. Secundum etiam patet, nam cum ad phyſicum ſpectet agere de ente mobili, de primis rerum principijs, de natura naturata, ad eandem etiam pertinebit agere de primo efficiente entis mobilis; de primo rerum omnium principio, de natura naturante, &c.

71. Dico 2. *Agere de alijs infinitis pertinet potiſſimè ad phyſicum.* Vnde pertinet ad phyſicum agere de infinito ſecundum potentiam vt fecit Ariſt. 8.*phyſ.* in extremis capitibus oſtendens quam vim habeat prima intelligentia reſpectu cæli, quod mouet. Ad phyſicum etiam ſpectat agere de infinito ſecundum indeterminationem, ſcilicet de materia prima, de qua egimus ſupra. Item ad phyſicum pertinet agere de infinito ſecundum durationem, maximè rerum ſublunarium, vt animæ rationalis, elementorum, & etiã cœlorum. Et tandem pertinet ad phyſicum agere de infinito ſecundum quantitatem, vt conſtabit ex infra dicendis.

72. Sed obijcies 1. nam quod non eſt, non poteſt cadere ſub conſideratione phyſica; ſed infinitum nullum eſt, dempto Deo infinito per eſſentiam; ergo nullum infinitum, dempto Deo, cadere poteſt ſub conſideratione phyſica. Reſp. negando maiorem, ſub conſideratione namq; phyſica non ſolum cadit, quod eſt, ſed etiam quod non eſt, maximè quando aliqui volunt eſſe quod ſub diſputatione verſatur. Tum quia phyſica non ſolum conſiderat id quod eſt, ſed id quod non eſt, quando à parte rei datur fundamentum illius quod non eſt, quod contingit in infinito, cuius fundamentum datur à parte rei, vt quantitas, qualitas, &c.

73. Obijcies 2. quoniam phyſicus, vt philoſophus naturalis, ſolum agit de ente naturali, principijs, & proprietatibus illius, ſed infinitum non continetur ſub ente naturali, ergo non pertinet eius conſideratio ad philoſophum naturalem. Maior nota eſt. Minor probatur, nam ens naturale, eſt ens mobile, ſed infinitum ſi daretur eſſet ens immobile, nam omnia occuparet, ſicut enim Deus, quia eſt infinitus ſecundum eſſentiam occupat omnia iuxta illud. *Cælum, & terram ego impleo*, qua ratione dicitur quod Deus eſt vbique per eſſentiam, &c. Ita ſi daretur infinitum v. g. ſecundum quantitatem occuparet omnem locum; ergo, &c. Reſp. quod infinitum ſi daretur contineretur ſub ente naturali, ſaltem ratione materiæ, vt quantitatis, qualitatis, &c. Bene verum eſt, quod infinitum ſi daretur v. g. in quantitate, ſecundum ſuam formalem eſſentiam non haberet rationem principij, quoniam ratio principij eſt conſtituta in quadam carentia, & priuatione principij, & finis, aut ſaltem finis; priuatio autem non poteſt eſſe principium influens, licet poſſit eſſe principium à quo mutationis, vt ſupra vidimus. Si tamen daretur infinitum ſecundum ſubſtantiam non eſſet principiatum, neque principium; non principiatum, quia eſſet limitatum; non principium, quia non eſſet materia, nam hæc limitatur per formam, neque forma, quoniam hæc dat rei eſſe determinatum. Neque finis, quia infinitum caret fine; Nec efficiens, quoniam oporteret eſſe maioris virtutis quam infinitum, vt ageret in aliud, cum non poſſet producere aliud infinitum, & ſi poſſet, deberet eſſe maioris virtutis conuertendo finitum in infinitum.

§. 3. *An dari poſſit infinitum in actu in aliquo genere, naturaliter.*

74. Dicimus in aliquo genere, vt ſubſtantiæ, quantitatis, qualitatis, &c. nam certum eſt, quod infinitum in omni genere de facto datur, & eſt Deus O. M. & ſic de ſolo infinito in aliquo genere inquirimus, an dari poſſit. Ariſt. ſolum diſputat hoc loco de infinito in quantitate, quod quinque modis ſumi poſſe docet *cap.* 4. Primò vt ſignificat id quod caret omni extenſione, vt punctum, anima rationalis, &c. & dicitur infinitũ negatiuè, quia neque eſt infinitum, neque propriè finitum, cum careat quantitate determinata finiente. Secundò vt ſignificat id quod habet extenſionem omni termino carentem, vt ſi daretur linea in infinitum. Tertiò vt ſignificat id quod habet finem, tamen difficile pertranſiri poteſt, eo quod habeat trãſitum exitu inexplicabilem. Quartò vt ſignificat id quod poteſt habere terminum, illum tamen de facto non habet, vt circulus. Quintò vt ſignificat id cui addi poteſt abſque fine,

ne; vel à quo detrahi poteſt ſine fine: illud vocatur infinitum additione: hoc vocatur infinitum detractione, ſeu diuiſione; & vtrumque dicitur infinitum in potentia. Infinitum in actu vocatur infinitum categorematicè, quaſi infinitum per ſe à termino categorematico qui eſt terminus per ſe, vt homo, leo, Petrus, &c. Infinitum in potentia vocatur ſincategorematicè, à termino ſincategorematico, qui non eſt terminus per ſe, & ratione ſui, ſed alterius, vt omnis, nullus, &c.

75. Definitur infinitum ab Ariſtot. hic cap. 7. vt ſit id *Cuius ſemper eſt aliquid extra*, ſeu cuius partes accipientibus ſemper reſtant plures accipiendæ. Hæc definitio vt multi interpretes obſeruant, ſi diuerſimodè intelligatur conuenit tam infinito in actu, quàm infinito in potentia. Pro quo obſerua, quod partes ſunt in duplici differentia, aliæ namque ſunt proportionales, aliæ ſunt determinatæ, & alio nomine dicuntut aliquotæ. Proportionales ſunt quæ ſemper ſumuntur minores, & minores, ſeruata tamen proportionalitate, ita vt proportionem quam ſeruant inter ſe, & cum diuiſo primæ partes in quas fit diuiſio, eandem ſeruent reliquæ; v.g. quantitas 8. palmorum, diuiditur in partes proportionales hoc modo. Primò in duas partes æqualis magnitudinis, ſcilicet 4. palmorum. Deinde altera pars 4. palmorum diuiditur in duas partes quarum quælibet ſit duorum palmorum. Rurſus altera pars duorum palmorum diuiditur in duas partes, quarum quælibet eſt magnitudinis vnius palmi. Ad hæc altera ex illis in duas medietates, & ſic in infinitum. In his tamen diuiſionibus ſemper partes cuiuſuis diuiſionis inter ſe ſunt æquales, & ſeruāt quæuis ex illis proportionem dimidij ad duplum cum toto diuiſo, ob quod vocantur proportionales.

76 Partes determinatæ ſunt quę certam habent magnitudinem vt ſi diuidatur vlna in 4. partes vnius palmi, per hāc enim diuiſionem ſtatim abſumitur totū diuiſum. Poſt hæc partes determinatæ, aliæ ſunt ſe cōmunicantes, v. g. in ligno duorum palmorum partes communicantes ſunt cum diuiditur lignum in duas partes, à principio ligni vſque ad mediū, datur pars vnius palmi, deinde diuiditur alia pars in duas partes æquales à media parte primi palmi vſque ad mediā partem alterius in quam primo fuit facta diuiſio, reperitur altera, & ſic in infinitū, dummodo quātum additur parti per nouam diuiſionem, tantum detrahatur à præcedenti. Aliæ ſunt non ſe communicantes, & ſunt illæ quorum quælibet eſt extra aliam, vt ſi vlna prima ſui diuiſione diuidatur in duos palmos, quælibet pars palmaris eſt extra aliam. Aliqui partes communicantes confundunt cum partibus proportionalibus, ſed hoc quod dictum eſt videtur verius.

77 Ex quibus facilè colligitur quod ſi dicta infiniti definitio intelligatur de partibus determinatis non ſe communicantibus, conuenit infinito in actu. Si verò intelligatur de partibus proportionalibus, aut de partibus determinatis ſe communicantibus, conuenit infinito in potentia. His poſitis conueniunt omnes communiter dari de facto infinitum in potentia tam ſecundum additionem, quā ſecundum detractionem. Nam data quacumque magnitudine poteſt dari alia maior, & dato quocumque numero, poteſt dari alius maior, ſemper tamen citra infinitum actu. Ita docet Ariſt. hic cap. 6. dicens. *Relinquitur ergo infinitatem eſſe vi, et poteſtate*. Quod detur infinitum per accretionem in potētia docet idem Ariſt. dicens. *Nam ignis quidem accretio in infinitum progreditur*. Quod autem detur etiā infinitum in potentia ſecundum detractionem, conſtabit ex infra dicendis, nam omne continuum eſt diuiſibile in infinitū, quia continuum diuiditur in partes continuas, ſiue extenſas, ſed quælibet pars continua, ſeu extenſa, eſt diuiſibilis, ergo omne continuum eſt diuiſibile in partes diuiſibiles, ac proinde in infinitum.

78. Difficultas ergo præſens eſt an detur actu infinitum in actu naturaliter. Prima ſentētia fuit veterum Philoſophorum apud Ariſt. hoc loco, præcipuè Anaximan-

ximandri, & Anaxagoræ quod infinitum in actu non ſolum ſit poſſibile viribus naturæ,ſed etiam quod de facto detur,quod etiam defendebat quidam admittens infinitum ſpatium imaginarium extra cœlū, quod non eſt ſolum pura negatio, ſed quid poſitiuum, ſcilicet infinita quædam intercapedo, & capacitas quædam poſitiua ad recipiendos infinitos mundos ſi darentur.

79. Noſtra ſententia ſequenti concl. explicatur. *Nec datur actu infinitum, nec naturaliter dari poteſt*. Hanc concl. tradit, & probat validiſſimis argum. Ariſtoteles hoc lib. 3. præſertim *cap. 5. & 6*; quē ſequuntur omnes Philoſophi hoc loco, & Theologi volentes ſolum Deum O.M. eſſe infinitum, & omnia extra Deum eſſe finita, & limitata, quod colligitur ex illo Sap. 12. *Omnia feciſti in numero, pondere, & menſura*, quæ enim conſtant numero, pondere, & menſura,non poſſunt eſſe infinita.

80. Quod de facto nullum detur infinitum in actu, probatur, nam nihil actu datur cui non poſſit fieri additio, quodq; non claudatur terminis tum phyſicis, vt quantitatis, aut alterius accidentis determinati, aut metaphyſicis, ſcilicet generis, & differentiæ, ergo nullum datur infinitum in actu. Conſeq. nota eſt, additio namque repugnat infinito, ſicut & claudi terminis, tum phyſicis, tum metaphyſicis. Antecedens probatur, quod enim nihil ſit cui non poſſit fieri additio, tum quantitatis, tum qualitatis, &c. conſtat, quia poteſt Deus extra cœlum aliquod corpus creare, & totum hunc mundum augere, & tunc fieret aliqua additio cuicumque rei de facto in hoc mundo exiſtente. Tum quia omnia quæ ſunt in mundo habent terminum, & clauduntur intra vltimum cœlum, ac proinde habebunt terminum phyſicum. Habent etiam terminum metaphyſicum generis, & differentiæ, vt patet; ergo, &c.

81. Quod autem nec de poſſibili infinitum dari poſſit viribus naturæ probatur, tum quia naturæ vires ſunt finitæ. Tū etiam quia ſi viribus naturæ dari poſſet infinitum in actu, vel eſſet intra cœli ambitum, vel extra cœlum; non extra cœlum, quia cum ibi actu nihil ſit, nihil fieri poteſt naturæ viribus, cum natura ex nihilo nihil efficiat. Neque ſub cœli ambitu quoniam hic finitus eſt,& limitatus, ac proinde ſub eo nihil poteſt eſſe infinitum, quæ omnia magis conſtabunt ex infra dicendis.

82. Sed obijcies 1. nam, vt diximus, datur de facto à parte rei infinitum in potentia, tam additione, quam detractione, ſeu diuiſione, ergo etiam dari poterit naturæ viribus infinitum in actu. Conſeq. probatur, tum quia fruſtra eſt illa potentia quæ non poteſt reduci ad actum. Tum quia illa potentia eſt à parte rei in rebus naturalibus, ergo poterit naturaliter reduci ad actum. Reſp. negando conſeq. Pro quo nota quod quando dicitur dari infinitum in potentia tum additione, tum detractione hoc dicitur, non quia in rebus naturalibus ſit potentia ad hoc vt in illis infinita fiat additio, aut ſubtractio, ratione quarum fiat infinitum in actu, ſed quia illa quæ dicuntur in potentia non habent repugnantiam, vt fiant maius, & maius, aut minus, & minus, ſemper tamen citra infinitum, vt ſemper ſint in compleri, & nunquam in completo eſſe. Hæc ſolutio deſumitur ex Ariſt. hic cap. 6. vbi ſic fatur. *Relinquitur ergo infinitum eſſe vi, & poteſtate. Sed quod eſſe poteſt, non ita accipiendum eſt, vt ſi hoc ſtatua eſſe poſſit, quod etiam aliquando ſtatua erit, ſic infinitum aliquod, quaſi re ipſa ſit futurum.*

83. Obijcies 2. vbi datur potentia actiua infinita, ibi poteſt dari effectus infinitus; effectus namque debet poſſe correſpondere ſuæ cauſæ, ſed in Deo, vt eſt naturæ auctor datur potentia actiua infinita; ergo debet poſſe dari effectus infinitus illi correſpondens, aliàs fruſtranea eſſet potentia Dei, vt eſt naturæ auctor. Reſp. diſtinguendo maiorem, ibi poteſt dari effectus infinitus in actu negatur; in potentia, conceditur: vel ibi poteſt dari effectus infinitus in ſe, negatur; quoad modum, conceditur. Creatio namque eſt effectus infinitus quoad modum fiendi

rei

rei ex nihilo; ad creandum namque requiritur virtus infinita, vt alibi oſtendo. Quod autem non detur effectus infinitus in ſe correſpondens potentiæ Dei infinitæ, non eſt ob defectum diuinæ omnipotentiæ, ſed ob defectum rei infinitæ quæ fieri nequit, vt ex infra dicendis conſtabit.

84. Obijcies 3. nam in quantitate dantur infinitæ partes ſi non diuiſæ, ſaltem diſtinctæ; ergo dantur de facto plura entia infinita. Reſp. negando conſequẽtiam, nam cum omnes partes quantitatis exiſtãt per vnicam exiſtentiam totius, non poſſunt dici plura entia actu, cum ens dicatur actu ab actu exiſtendi, vbi autem eſt vnus actus exiſtendi, ibi eſt tantũ vnum ens in actu, cum ens dicatur ab actu eſſendi. Quare in quantitate ſunt infinitæ partes vnica exiſtentia exiſtentes, ac proinde vnicum tãtum erunt ens actu. Maximè quia non omnes habent potentiam ad exiſtendum per ſe cum ſint proportionales, aut communicantes, ſolæ namque aliquotæ certæ, & determinatæ id habent.

85. Obijcies 4. poteſt dari linea habens infinitas partes aliquotas v. g. palmares, ergo poteſt dari infinitum in actu. Conſeq. conſtat, nam per infinitum actu nihil aliud intelligimus niſi ens habens partes aliquotas infinitas. Antecedens probatur euidenter, nam detur columna rotunditatis, & longitudinis vnius palmi, tunc in ea columna ſunt vel infinitæ lineę à ſupremo deorſum, vel datur vna linea ab extremo ad extremum columnæ, gyrans, & conſtituens omnes illius partes, ſed in illa linea dantur infinitæ partes palmares; ergo, &c. Reſp. quod licet illa linea habeat partes infinitas palmares, tamen illæ partes cum exiſtant vnica exiſtentia, non ſunt plura entia actu, vt ex dictis num. præcedenti conſtat. Tum quia omnes illæ lineæ certis terminis clauduntur, vt & ipſa columna cuius ſunt lineæ.

86. Obijcies 5. nam in ſententia Ariſtotelis qui poſuit mundum ab æterno dantur infinitæ animæ rationales, ſed iſtę habent propriã exiſtentiam; ergo, &c. Reſp. quod mentem Ariſt. de æternitate mũdi examinabimus de cœlo, & mundo. Pro nunc dico, quod data illa ſententia de æternitate mundi à parte ante, adhuc non ſequitur dari infinitum actu, licet darentur infinitæ animæ, quia licet animæ rationales habeant propriam exiſtentiã, tamen cum ſint eſſentialiter partes non poſſunt dici plura entia actu, cum nomine entis actu, intelligatur ens completum, ſed de hoc ſuo loco.

§. 4. *proponitur argumentum mathematicum ad probandum infinitum in actu in quantitate.*

87. Argumentum hoc deſumunt ex angulo contingentiæ, & rectilineo. Pro quo ſciendum, quod angulus contingentię vocatur à mathematicis ille angulus quem faciunt duæ lineæ, alia recta, & alia circularis ad punctum in quo ſe tangunt. v. g. ſi planum tangeretur à ſphæra in puncto, linea circuli, & linea plani facerent angulum contingentiæ. Angulus verò rectilineus, eſt ille; qui fit à duabus lineis rectis ſe tangentibus in vno puncto. Hoc poſito demonſtrat Euclides *lib. 3. propoſit. 16.* omnem Angulum rectilineum quantumcumque minimum, eſſe maiorem quocumque angulo contingentiæ, quantumcumq; maximo. Hinc formatur argumentum; illa quantitas eſt actu infinita ſecundum extenſionem, in qua poſſunt partes aſſignari in infinitum, æquales, aut maiores vna certa, & determinata; ſed ita ſe res habent in quolibet angulo rectilineo, ergo quantitas illa anguli erit actu infinita. Maior conſtat. Minor probatur, quoniam angulus rectilineus poteſt diuidi in infinitos angulos rectilineos, proportionales, omnis enim quantitas eſt diuiſibilis in infinitum, ſed hi anguli erunt maiores aliquo angulo contingentiæ aſſignato, ac proinde in aliquo erunt æquales, & ſic erunt finitæ in infinitum in vno angulo partes æquales, aut maiores vna certa, & determinata.

88. Reſpon-

88. Reſpondét aliqui, quod angulus non eſt quantus. Sed hoc eſt falſum, angulus namque eſt maior, & minor, cum nihil aliud ſit quam inclinatio vnius lineę ſuper aliam, terminata ad aliquod punctum, quod certè non poteſt non eſſe quātitas. Reſpondent alij, quod partes non ſint actu in illo angulo, nam hoc aliqui ſic impugnant, quia ſufficit quod ſint in potentia, dummodo poſſint aſſignari vna extra aliam. Alij etiam dicunt quod angulus non eſt quantus determinatè, niſi determinentur lineæ anguli ſecundum longitudinem, ſi autem ita fieret angulus contingentiæ, & rectilineus, eſſent partes communicantes, & aliquis angulus contingentiæ eſſet maior aliquo rectilineo; nam non repugnat inquantitate finita poſſe aſſignari partes infinitas æquales commnnicantes. Sed hoc eſt contra mathematicos qui non menſurant angulum à longitudine ſed ab inclinatione linearum, & ita omnes recti anguli ſunt æquales, etiam ſi vnus contineatur breuibus lineis, & alius longioribus.

89. Reſp. 1. ex dictis, quod dato toto argumento, adhuc nihil ſequitur contra nos, nam illæ partes cum non habeant propriam exiſtentiam; ſed exiſtant per exiſtentiam totius non ſunt plura entia in actu, ſed vnum totum. Reſp. 2. poſſe quidem in angulo rectilineo ſi diuidatur ſemper per dimidia, aſſignari partes in infinitum proportionales inter ſe, æquales tamen vni certè quantitati, aut maiores angulo contingentiæ, ex hoc tamen non ſequitur infinita extenſio actu in angulo rectilineo, quia angulus contingentiæ non eſt pars commenſurabilis, ſed diuerſæ rationis, & ordinis ab angulo rectilineo propter diuerſitatem linearum. Dicitur autem incommenſurabilis, & diuerſę rationis quia quantumcumque creſceret angulus contingentiæ, numquam neque per ſe, neque per ſui multiplicationem adæquabit minimum angulum rectilineum, & ita non eſt pars aliquota, ideſt quæ aliquoties multiplicata adæquat totum, tales autem partes deberent eſſe æquales in quantitate in infinitum ſi quantitas eſſet infinita in actu. Angulus autem contingentiæ non eſt huiuſmodi, vt Euclides demonſtrauit.

§. 5. *An per diuinam potentiam poſſit dari aliquod infinitum in actu.*

90. VT certa ab incertis ſeparemus. Notandum 1. eſſe omnino certum non poſſe dari infinitum ſecundū perfectionem eſſentialem, hoc enim eſt Dei proprium, & nulli à Deo communicabile. Ratio eſt euidens quoniam impoſſibile eſt infinitum ſecundum perfectionem ab alio dependere; eo namque ipſo quod aliquid ab alio pendet, debet neceſſariò habere eſſe communicatum ab illo à quo pendet: pendere autem ab alio, & habere eſſe communicatum excludit infinitam perfectionem; infinita namque perfectio ſtare nequit cum dependentia ab alio. Cum autem ſit de eſſentia omnis creaturæ dependere à Deo, ſequitur nullam creaturam poſſe habere infinitam perfectionem eſſentialem. Tum quia ſi creatura haberet infinitam perfectionem, eſſet æqualis cum Deo, non coſtaret genere, & differentia, & eſſet independens contra eius eſſentiam, cum dependentia ſit aliqua imperfectio.

91. Notandum 2. quod in eſſentialiter ſubordinatis non poteſt dari infinitū in actu, ſiue ſubordinata ſint ſpecies eiuſdem generis, ſiue ſint cauſæ. Ratio primi eſt, quia nulla ſpecies eſt eiuſdem perfectionis eſſentialis cum alia, ſpecies enim ſunt ſicut numeri; vnde ſi eſſent infinitæ ſpecies ſub eodem genere, neceſſariò quæ cæteras perfectione ſuperaret, eſſet infinita ſecundum perfectionem eſſentialem, quod omnes negant. Ratio ſecundi eſt, quia in cauſis ſubordinatis non poteſt dari infinitum actu ſecundum numerum, vt docet Ariſt. 2. *metaphy. cap.* 2. quia cauſæ ſubordinatæ ſecundum numerum indigerent tempore infinito, & conſequenter nunquam ederent effectum. His poſitis.

92. Prima ſententia eſt, non implicare contradictionem dari poſſe infinitum

in

in actu, tam in extenſione, ſeu quantitate, continua, aut diſcreta, quam in intenſione, ſeu qualitate. Sic tenent Nominales cum Ochamo *quod lib.* 2. *q.* 5. quos aliqui recentiores ſequuntur, præſertim Hurtad. & Ariaga hoc loco, Faſolus 1. *p. q.* 7. Pontius *hic diſp.* 14. *n.* 4. *concl.* 2. Secunda ſententia eſt, repugnare infinitum in magnitudine, ſiue extenſione, non tamen in multitudine. Sic Amicus hic citans alios.

93. Noſtra ſententia ſequenti concl. explicatur. *Nullum omnino dari poteſt infinitum neque ſecundum magnitudinem, neque ſecundum multitudinem, ſeu numerum, neque ſecundum intenſionem.* Sic tenent omnes Thomiſtę quos referunt, & ſequũtur N. Complut. hoc loco, quibus addo Auerſam *q.* 24. *ſect.* 5. & Lermam *lib.* 3. *q.* 5. *cum ſeq.*

94. Probatur 1. Implicat dari infinitum ſecundum eſſentiam, ergo etiam implicat dari infinitum ſecundum quantitatem tam diſcretam, quam continuam, ſeu ſecundum extenſionem, & numerum, & ſecundum qualitatem, ſeu intenſionem qualitatis. Antecedens præterquam quod conſtat ex dictis *n.* 90. adhuc ſic oſtendi poteſt, quoniam ſolus Deus eſt actus puriſſimus ac proinde eſt ſuum eſſe; ſed nihil creatum eſt ſuum eſſe, aliàs eſſet Deus, ergo omne creatum eſt in potentia ad eſſe, aut ſaltem eſt compoſitum ex eſſe, & eſſe; ſed hoc eſt non eſſe infinitè perfectum ſecundum eſſentiam: infinita namque perfectio ſecundum eſſentiam debet excludere etiam potentiam ad eſſe, & omnem compoſitionem. Tum quia ideo Deus eſt infinitè perfectus ſecundum eſſentiam, quia omnem perfectionem creaturarum eminenter continet; ſed nulla creatura poteſt ita ſe habere; ergo &c. Ideo namque Deus continet omnem perfectionem creaturarum etiam poſſibilium quia ab eo habent etiam ipſum eſſe poſſibile, ſed nulla dari poteſt creatura à qua omnes aliæ haberent eſſe poſſibile: ergo, &c.

95. Modo probat conſeq. primi enthimematis; nã omne ens vel dicit eſſentiam, vel exiſtentiam, ſed ſi daretur infinitum ſecundum quantitatem, aut qualitatem; eſſet ens; ergo vel diceret eſſentiã, vel exiſtentiam, ſed non diceret exiſtentiam, ergo eſſentiam, ac proinde eſſet infinitum ſecundum eſſentiam, quod omnes negant. Probatur vltima minor; nam quod eſt infinitum ſecundum exiſtentiã, debet etiam eſſe infinitũ ſecundũ eſſentiã, quia eſſentia debet ſuæ exiſtentiæ proportionari. Niſi per infinitatem ſecundum exiſtentiam intelligant durationem, de qua modo non diſputamus, ſed diſputabimus infra, an ſcilicet potuerit aliquid creari ab æterno, ac proinde durare per æternitatem. Tum quia ſi daretur albedo intenſa in infinitum, eſſet infinita ſecundum eſſentiam, & perfectionem, ergo etiam ſi eſſet quantitas infinitè extenſa, eſſet infinita ſecundum eſſentiam, & perfectionem; ita enim ſe habent gradus, & intenſio reſpectu albedinis, ſicut extenſio, & partium latitudo reſpectu quantitatis. Tum quia ens vt ſignificat eſſentiam eſt attributum tranſcendens quantitatem, & qualitatem, ergo ſi darentur quantitas, & qualitas infinita ſecũdum rationem quãtitatis, & qualitatis, eſſentetiã infinita ſecundum eſſentiam, & ens vt dicit eſſentiã.

96. Sed dices, quod ſi daretur quantitas infinita ſecundum magnitudinem, aut multitudinem, non ob id eſſet infinita ſecundum eſſentiam, quod ſic oſtenditur, tum quia componeretur ex genere, & differentia, & ſic eſſet limitata; tum quia quantitas decem palmorum eſt æqualis perfectionis eſſentialis cum quantitate mille palmorum, ac proinde eſſet æqualis perfectionis cum quanritate infinita ſi daretur. Reſp. quod ex hoc argum. ſequitur maior confirmatio noſtræ concluſionis, nam ex illa ſequeretur, quod quãtitas infinita ſi daretur, & eſſet infinita ſecundum eſſentiam, vt probant noſtræ rationes, & non eſſet infinita ſecundum eſſentiam, vt probat hoc argumentum. In illo namque caſu componeretur ex genere, & differentia, & non componeretur, cum eſſet infinita, &c. Item in illo caſu quantitas infinita eſſet perfectior quantitate 10. palmorum, cum illa careret termino,

minò, compoſitione, &c. non iſta; & non eſſet perfectior, cum eſſet de genere quātitatis, nec magis quātitas decē palmorū.

97. Probatur 2. Deus vt pote agens per intellectum nihil poteſt determinatè facere, niſi intelligat determinatè quod vult facere, & omnia quæ ad illud ſunt neceſſaria, ſed infinitū in actu, & illa quæ ad illud ſunt neceſſaria, non ſunt determinatè à Deo intelligibilia; ergo Deus non poteſt facere infinitū in actu. Maior nota eſt, omne enim creatum, & creandum cōprehendi debet ſub certa intentione creātis, aliàs Deus non eſſet perfectiſſimum agēs per intellectum. Minorem probo, nam ab infinito in actu ſi daretur, quacumque parte ſublata; imò ſublato dimidio, & infinitis dimidijs adhuc remanebit infinitum in actu; ergo Deus non poteſt determinatè cognoſcere quantum perfectionis aut extenſionis, aut intenſionis ſit neceſſarium ad faciendum infinitum, aut creaturam infinitam, quia poſita quacunque perfectione poſſet poni minor, & minor, & tamen illa creatura eſſet infinita, & ſic Deus non poteſt cognoſcere quantū perfectionis determinatè requiratur vt creatura ſit infinita, & vt ſine illa non eſſet infinita.

98. Confirmatur, & explicatur hæc ratio in omni genere entis, quandoquidē ſi Deus vellet creare infinitos homines, nō poſſet determinatè intelligere quot eſſent neceſſarij ex illis poſſibilibus ad numerū infinitum. Ponentur ſecundum ſe infiniti, ſi Deus ex iſto numero infinito iam creato auferret mille homines, vel illi qui remanerent eſſent infiniti, vel non. Non poteſt dici hoc ſecundum, quoniam ſi qui remanent ſunt finiti, etiam ſi adderentur alij mille erunt finiti, & numerabiles; finitum enim additum finito non facit infinitum. Ergo illi qui remanſerunt ſunt infiniti, & conſequenter non erunt neceſſarij tot homines ad infinitum. Idem argumentum fieri poteſt ſi auferantur alij mille, & ſic deinceps, nam infinitum non finitur per ablationem quamcumque finitam; ergo non poteſt Deus determinatè cognoſcere quot homines ſunt neceſſarij ad numerum infinitum.

99. Dices, quod ad numerum infinitum hominum, ſunt neceſſarij omnes homines poſſibiles. Sed contra, quia ſi ex illis relinquerentur centum, aut mille adhuc reliqui eſſent infiniti. Idem argumētum fieri poteſt in qualitate, nam ſi Deus vellet creare calorem infinitè intenſum, non poſſet determinatè cognoſcere quot gradus eſſent neceſſarij ad illam infinitam intenſionem, quoniam ſublatis quibuſcūque gradibus finitis, adhuc illa intenſio remaneret infinita. Idem etiam argumentum fieri poteſt in quantitate continua, ablata enim quacumque parte finita, adhuc illa quantitas eſſet infinita. Idem patet in Angelis, ſi enim Deus crearet Angelum infinitæ perfectionis, adhuc eſſet infinitus ſi non haberet tantam perfectionem, ſed tantum dimidium illius. Nō eſt igitur determinatè cognoſcibile quantum requiratur in creaturis ad hoc vt ſint infinitæ. Ex dictis colligitur quod infinitum in actu non ſolum non poteſt fieri, ſed neque cognoſci à Deo, neque eſſe obiectiuè in mentè Dei, ſed tantum infinitum in potentia, vt poſtea videbimus.

100. Probatur 3. nā ſi Deus poſſet facere infinitū in aliquo genere, vel ſpecie, ſequeretur quod poſſet facere omne poſſibile, in illo genere, vel ſpecie v.g. ſi Deus poſſet creare infinitos homines, vel leones, poſſet creare homines omnes poſſibiles, quod aliqui vocant infinitum adęquatum hominum, alia verò infinita vocant inadęquata, ſed conſequens eſt falſum; ergo & antecedens. Maior conſtat, nulla nāque eſt repugnantia quod ſi Deus poteſt creare infinitos homines, quod non poſſit creare omnes poſſibiles, cum poſſibiles non ſint niſi infiniti, aut niſi maius infinitum materialiter. Minor probatur, nam ſi Deus crearet omnes homines poſſibiles, iam diuina omnipotētia eſſet exauſta, cum poſtea nullum alium hominem creare poſſet, quod omnino videtur abſurdū, cum enim creatura ſit quædam participatio diuini eſſe, quod eſt inexauſtum, nec poſſit participari totum, ſequitur quod ſit aliquando ita participatum, vt non poſſit amplius participari.

101. Pro-

101. Probatur 4. nàm ſi daretur infinitum in quantitate continua, aut diſcreta, aut in intenſione qualitatis, vt vult Pontius poſt Nominales, ſequeretur poſſe dari infinitum maius alio; ſed hoc eſt falſum; ergo, &c. Maior probatur, nam tunc temporis plures eſſent oculi quam homines, item plures eſſent capilli quam homines; ergo, &c. Confirmatur 1. nam demus quod omnes illi infiniti homines crearentur cum ſingulis libris, & quod ſinguli proicerent ſuos libros in vnum cumulum, tunc poſſent ſinguli accipere ex illo cumulo 100. libros, & ſic abſque noua librorum multiplicatione ſinguli haberent 100. libros cũ ſinguli ante proiectionem haberent ſolum vnum librum. Idem argumentum ex oppoſito fieri poſſet ſi illi infiniti homines poſt creationem proicerent ſuos capillos in vnum cumulum, ſi poſtea ſinguli acciperent ſolum vnum capillum ex illo cumulo, totus cumulus exauriretur, ſi ita ſint infiniti homines ac capilli. Confirmatur 2. nam ſi ex illis infinitis hominibus deſtruerentur 100. aut 1000. adhuc remanerent infiniti vt prius, quæ omnia videntur abſurda.

102. Pontius hoc loco citato *n.* 14. reſpondet tripliciter. Primò quod idem argumentum fieri poteſt contra infinitos homines poſſibiles, quos Deus actu videt in ſua eſſentia, aut omnipotentia, nam videt eſſe poſſibiles cum ſuis dentibus, oculis. & capillis. Vel ergo eos videt cum maiori numero capillorum, &c. vel cum æquali, quidquid nos dicemus, dicet ipſe in caſu quo infiniti homines crearentur. Sed contra, nam homines poſſibiles non ſunt actu infiniti, ſed tantum in potentia; in infinito autem in potentia poteſt dari maioritas, & minoritas.

103. Reſpondet 2. quod re vera argumentum eſt inſolubile, non tamen negari debet concl. quia contra oppoſitam concl. militat argum. deductum ex poſſibilibus cognitis à Deo, quod, inquit, æquè inſolubile eſt; & ſimiliter argum. deductum ex æternitate à parte poſt; nam animæ rationales poſt 100. annos non durabunt tandiu quam animæ creatæ hodie, licet intercedat differentia durationis 100. annorum, & tamen illæ durabũt in infinitum, non minus quam hæ. Vel ergo vnum infinitum eſt maius alio; vel poteſt non eſſe maius, licet vnum includat aliquas partes, quas non includit aliud.

104. Sed cõtra, nam ſi ſemel argum. eſt inſolubile, debet ſua concluſio relinqui. Nec milat contra noſtram ſententiam argumentum deductum ex poſſibilibus à Deo cognitis, quia cum iſtæ non ſint infinitæ in actu, ſed tantum in potentia, non mirum, quod vnum infinitum in potentia ſit maius alio, quia facta quacumque additione, aut detractione ſemper manet potentia, cum iſta potentia nunquam ſit ſatianda, & explenda, ſed ſemper ſit in ſatiari, & in expleri. Nec etiam valet contra nos argumentum deductum ex æternitate à parte poſt, quia licet animæ creandæ poſt annos 100. no ſint minus duraturæ à parte poſt, quã illæ quæ creantur nunc, magis tamen durant quæ creantur modo à parte ante, ſeu in hoc tempore antecedenti, quam illæ quæ creabuntur, nam quando illæ creabuntur, iam iſtæ durarunt per annos 100.

105. Reſpondet 3. melius, quod ex noſtro argum. ſolum ſequitur quod daretur vnum infinitum maius alio materialiter, non tamen formaliter in ratione infiniti. Vnde ſi Deus crearet infinitos homines in ratione infiniti tot eſſent oculi, tot dentes, tot capilli, quot homines. Sed contra, nam licet oporteret ſic dicere, vt poſtea magis dicemus ſi daretur infinitũ in actu, tamen negari non poteſt quin hoc ſit maximum inconueniens, & contra lumen naturale, ob quod negari omnino debet poſſibilitas infiniti in actu. Nam ſi darentur infiniti homines darentur duo infinita oculorum, cum omnes hominès habeant duos oculos: vnde demus quod ſeparatim Deus in vno loco crearet oculos dextros, in alio ſiniſtros, eſſent duo infinita, non minus ac ſi crearet duas qualitates intenſas: tunc enim vna v.g. gratia ſanctificans in anima Chriſti habe-ret

ret ſuam infinitam intenſionem; & alia gratia ſanctificans in anima B. Virginis, haberet ſuam; tunc iſtæ duæ gratiæ infinitè intenſæ vniantur, & ambæ ponantur in anima Chriſti,erunt ne in eo caſu infinitum tantum maius materialiter,cum prius eſſent duo infinita formaliter an etiam formaliter?Tum quia naturæ lumine notum eſt,quod totum eſt maius ſua parte non ſolum materialiter, ſed etiam formaliter. Modo ſic.diuidatur infinitum in duas partes,vtraque erit infinita,& minor formaliter ſuo toto,ſicut totum erit formaliter maius ſua parte.Diuidatur ergo infinitum hominum in duas partes, & partes hominis v. g. oculi diuidantur, &ſeparentur, facient duo infinita formaliter minora ſe ipſis copulatis,&c.

106. Ad 1. confirmationem *n.* 101. reſpondet Pontius, quod vnuſquiſque ex illis infinitis hominibus poſſet accipere plures libros v.g. 100. cum tamen prius ſinguli haberent ſolum vnum antequam libri in cumulum proicerentur, quia cum libri ſint infiniti, non finientur etiam ſi ſinguli accipiant centum. Sed contra, nam ſinguli homines ſolum vnum librū in cumulo repoſuerunt, ergo ſinguli ſolum vnum recipere poſſunt, aliàs libri ex eo quod in cumulum ſunt repoſiti ita creuiſſent vt fierent centum infinita, cum tamen antea eſſent ſolum ſemel infiniti, non enim implicant multiplicari infinita, cum etiam in Deo videamus plures infinitates; tot enim ſunt, quot ſunt perfectiones in eo; nam miſericordia eſt infinita in ſua linea; iuſtitia eſt infinita in ſua linea, & ſic de alijs diuinis perfectionibus.

107. Aliter reſpondet Faſolus 1. *p. q.* 7. *dub.* 6. *n.* 14. quod in tali caſu ſinguli homines ſolum accipient ſuum, ſeu vnum librum, non plures. Hanc reſpōſionem impugnat Pontius, nam ſi Deus videt illum cumulum librorum eſſe infinitum, videt, quod ſinguli poſſunt accipere duos aut plures, aliàs non eſſent infiniti. Poſtea concludit. *Sed in re vndequaque inexplicabili, non eſt curioſius in qualibet difficultate inſiſtendum.* Sed quorſum amplectitur ſententiam habentem difficultates quas nequit explicare, relicta ſententia quam eius magiſter amplexus eſt vt ipſe fatetur. Maximè quia neque affert pro ſe argumenta alicuius conſiderationis. Primum eſt, quia infinita iſta non repugnāt,cum nulla poſſit aſſignari repugnantia in infinito in actu quæ non poſſit aſſignari in infinito ſyncategorematico, quod tamen omnes admittunt. Quanti enim roboris ſit hoc argum. conſtat ex dictis. Secundum argumentum eſt, quod omnis collectio infinitorum hominum non repugnat poni ſimul, patet namque ex dictis quot repugnantiæ ſint in hoc. Vide noſtras rationes iam poſitas. Sed ſoluamus alia argumenta quæ contra nos fieri poſſunt, maioris apparentiæ.

108. Primum argum. nam quicquid Deus cognoſcit creaturarum poſſibilium poteſt facere, non enim minus ſe extendit diuina omnipotentia quam diuina cognitio; ſed Deus cognoſcit infinitas creaturas poſſibiles v.g. infinitos homines;ergo poteſt Deus facere infinitos homines v.g. Quod ſi dicas poſſe quidem Deum facere ſucceſſiuè tot homines quot cognoſcit, ſed non ſimul. Contra eſt, quia in rebus permanentibus tot poteſt Deus facere ſimul, quot ſucceſſiuè;ſed ſucceſsiuè poteſt facere infinitos; ergo etiam ſimul. Quando enim Deus creat homines non acquirit maiorem virtutem ad creandum, cum ſit omnipotens; neque maior virtus requiritur ad creandos homines ſimul quā ſucceſſiuè,ac proinde quę Deus poteſt facere ſucceſſiuè, & per totam æternitatem creando ſingulis diebus vnum hominem, poteſt facere ſimul. Et confirmatur,nam faciat Deus in hoc inſtanti tot Angelos, quot facere poteſt ſucceſſiuè, vel tunc Deus crearet infinitos Angelos, vel finitos. Si primum habemus intentum, ſecundum dici nequit,quia aliàs Deus non eſſet omnipotens, cum non poſſet facere plures quam finitos Angelos; ergo, &c.

109. Reſp. concedendo maiorem, & diſtinguendo minorem. Deus cognoſcit infinitos homines v.g. factibiles actu, negatur,

gatur. In potentia, conceditur; eo enim modo poteſt Deus producere creaturas, quo cognoſcit eſſe producibiles, ſed non ſunt producibiles niſi finitæ in infinitum. Quomodo autem creaturæ ſint infinitæ obiectiuè in mente diuina, poſtea dicetur. Vnde ſolutio inter arguendum tradita ad modum dictum intellecta, optima eſt. Ad replicam dico, quod ſine dubio in rebus permanentibus poteſt Deus tot facere ſimul, quot ſucceſsiuè; ſed neque ſucceſsiuè poteſt facere Deus infinitum in actu, neque poteſt facere omnes creaturas collectiuè, vt aliquando verum eſſet dicere. Deus fecit omnes; ſolum enim poteſt facere finita in infinitum, quod eſt infinitum in potentia, ſeu ſyncategorematice. Sic etiã poteſt Deus facere ſimul finita in infinitũ, quæ tamen poſtquã facta fuerint, ſemper erunt finita. Ad confirmationẽ dico illã petitionem implicare in adiecto, ſcilicet; Faciat Deus in hoc inſtanti tot Angelos, quot poteſt facere ſucceſsiuè. Implicat enim in adiecto, quod Deus faciat tot Angelos, quot poteſt facere, quoniam Deus non poteſt facere tot, quin plures.

110. Secundum argum. Deus habet infinitam potentiam ad creandũ; ergo poteſt facere actu infinitum, ſicuti ſi daretur calor infinitæ virtutis, poſſet producere calorem infinitum. Confirmatur, quia omnis potentia debet habere aliquem actũ adæquatum, ſed iſtæ reſpectu infinitæ potentiæ Dei debet eſſe infinitus; ergo, &c. Reſp. ex dictis ſupra, quod ad infinitatem omnipotentiæ Dei ſufficit infinitas modi rei, ſcilicet facere rem ex nihilo. Deinde etiam ſufficit quod poſsit producere infinitum in potentia, ad hoc enim verè requiritur virtus infinita. Dices quod etiam homo poteſt facere infinitum in potentia, vt infinitas intellectiones, quas faciet per totam æternitatem. Reſp. quod intellectiones hominis ſolum poſſunt eſſe infinitæ materialiter, & ſecundum numerum, nõ ſecundum perfectionem; vnde poterit aſſignari ſumma, & perfectiſsima. Item homo nequit producere plures, & plures ſimul in infinitum. Cæterum Deus poteſt etiam ſimul producere plures, & plures creaturas perfectiores, & perfectiores in infinitum; & ex nihilo, non ſic homo.

111. Ad exemplum de calore infinitæ virtutis, dico quod ſi daretur iam poneremus dari creaturam actu infinitam, & ita mirum non eſſet ſi produceret alium calorem actu infinitum. At illa negata nihil ſequitur, maximè ex abſurdis iam recenſitis. Ad confirmationem dicas quod diuina omnipotentia non eſt ad actum infinitũ categorematicè, ſed ſyncategorematicè tãtum, vel eſt ad actum infinitum quoad modum, non quoad rem in actu, vt dictum eſt, producendo ſcilicet rẽ ex nihilo. Quare ſicut potentia intellectiua hominis, vel Angeli non eſt ad actum adæquatum in ordine ad numerum intellectionum, quia ſemper poteſt ponere alias, & alias, & ſicut potentia materiæ non eſt ad actum adæquatum formarum quoad numerum: & ſicut potentia quantitatis, non eſt ad actum adæquatum diuiſionis, quia ſemper poteſt magis, ac magis diuidi in infinitum. Ita potentia diuina non eſt ad actum adæquatum creaturarum actu, quia ſemper poteſt plures, & plures producere in infinitum.

112. Tertium argum. quia poſſibili poſito in eſſe nullum ſequitur abſurdum; ſed in mente Dei, aut in Diuina Omnipotentia ſunt infinitæ creaturæ poſsibiles actu, ergo abſque vllo abſurdo poſſunt poni in actu. Reſp. quod poſsibili poſito in eſſe eo modo quo eſt poſsibile, nullum ſequitur abſurdum, conceditur: ſi ponatur in eo alio modo, negatur. Creaturæ autem poſsibiles non ſunt poſsibiles niſi finitæ in infinitum, & hoc modo poſſunt poni in eſſe, non ſimul, quia hoc modo non ſunt poſsibiles.

113. Quartum argum. nam poteſt Deus in quocumque inſtanti aſsignabili in hac hora, creare vnum Angelum; ſed inſtantia aſsignabilia in hora, ſunt infinita, ergo Angeli in illis creati erunt actu infiniti. Reſp. quod quodlibet inſtans aſsignabile in vna hora, poteſt ſumi diſtributiuè, & collectiuè. Deus in ſingulis inſtantibus diſtributiuè acceptis poteſt creare vnum Angelum, & ſic in vna hora poteſt creare tot Angelos, quot voluerit, quia poterit aſsi-

aſsignare tot inſtantia, quot voluerit. In omnibus tamen collectiuè acceptis non poteſt Deus creare Angelos, quia non poſſunt omnia colligi, ita quod in fine horæ omnia ſint aſsignata, nam inſtantia non poſſunt aſsignari niſi finita in infinitum, non actu infinita.

§.6. *Soluuntur alia argumenta grauiora contra noſtram ſententiam.*

114. QVintum argum. in ordine, quia ſi Deus eſſet agens neceſſariū ex neceſsitate ageret, & ageret ſecundum vltimum ſuæ potētiæ, ac proinde tunc produceret omnia quæ poſſet, ad quæ ſe extendit ſua omnipotentia, ergo tunc crearet infinitum in actu, omnia ſcilicet poſsibilia, quæ in Diuina eſſentia omnia actu repreſentantur. Sed Deus non eſt minus potens vt agens liberum quam eſſet, ſi eſſet agens neceſſarium; ergo ſi tunc poſſet producere infinitum in actu; etiam modo poterit. Reſp. quod data illa ſuppoſitione impoſsibili, quod Deus eſſet agens neceſſarium, vel nulla eſſet creatura poſsibilis, vel ſolum finitæ, vel ſi eſſent finitæ in infinitum, non poſſent adhuc ſimul à Deo produci, ſed ſucceſsiuè, ſemper tamen actu finitæ. Sicuti partes temporis licet fierent ab agente neceſsario, tamen quia ex natura ſua implicat, vel tempus eſſe totum ſimul vel infinitum, & infinitum ſyncategorematicum poni totum ſimul; ita in caſu, quod Deus eſſet agens neceſſarium, & vellet diuidere quantitatem, non totam ſimul diuideret, quia hoc contra naturam illius eſt, ſic ſi Deus vellet creare omnes creaturas poſsibiles, nihil efficeret, cum ſit contra earum naturam, quod ſint omnes ſimul.

115. Sextum argum. quia omnia abſurda, & argumenta, quæ fiunt ſi daretur infinitum in actu, poſſunt fieri in infinito, quod eſt in mente Dei, & tamen ibi nihil valent, neque ibi vllum poteſt eſſe, aut imaginari abſurdum; ergo neque hic. Maior probatur, quia cum Deus cognoſcat infinitos homines poſsibiles: infinitas cogitationes hominum, & Angelorum futuras per totam æternitatem, &c. Peti poteſt an in mente Dei ſint plures obiectiuè homines, an oculi, an dentes, & capilli. Deinde: ſint in mente Dei infiniti homines habentes ſinguli vnum librum, & illos ponere in cumulo poſsibili, an tunc Deus cognoſcat, quod poſsibiliter poſſunt ſinguli ſolum vnum librum extrahere an duos, aut centum, &c.

116. Reſp. quod neque obiectiuè in mente diuina concedendum eſt infinitum categorematicum in creaturis, ſeu creaturarum poſſibilium, ſed ſolum ſyncategorematicè. Ratio videtur clara, quia Deus ita cognoſcit creaturas poſſibiles ſicut ſunt in ſe poſsibiles, cognitio namque diuina rectiſsima eſt, nec poteſt aliter cognoſcere res niſi ſicuti ſunt in ſe, ſed creaturæ poſsibiles, vt iam viſum eſt, in ſe ipſis, & in ſua poſſibilitate non ſunt niſi finitæ in infinitum; ergo non aliter erunt obiectiuè in mente Dei, propter quam rationem, ea quæ poſuimus contra infinitum categorematicum non currunt in hoc caſu. Cum enim petunt an ſint plures homines, quam capilli obiectiuè in mente Dei, reſponderi debet, neque plures, neque pauciores, quia tam homines, quā capilli ſunt aliquid in ſe indeterminatum; vnde non poteſt fieri huiuſmodi comparatio. Neque etiam dici poſſunt æquales niſi negatiuè, quatenus nō ſunt plures, neque pauciores; hæc enim omnia minus, maius, & æquale non reperiuntur niſi in rebus intrinſecè certis, ſicut dicitur de partibus quantitatis, quod in vno palmo non ſunt plures partes, nec pauciores quoad numerum, quam in vno digito, aut toto cælo, ob rationem dictā de qua re dicemus infra de quantitate.

117. Septimum argum. per quod impugnatur ſolutio præcedens eſt, quoniam infinitum ſyncategorematicum eſt illud, quod nunquam eſt totum, ſed partim eſt actu, partim potentia, ſed creaturæ poſſibiles ſunt omnes actu, & ſimul obiectiuè in mente Dei, omnes enim ſimul cognoſcuntur, & repreſentantur in Diuina eſſentia, ergo omnes ſunt actu obiectiuè in mente Dei, ac proinde infinitæ actu, & categorematicè. Reſp. diſtinguendo maiorem. Infini-

finitum ſyncategorematicũ eſt illud quod nunquam eſt totum, totalitate ſibi intrinſeca, ſed partim eſt, partim non eſt, conceditur; quod nunquam eſt totum totalitate, aut ſimultate ſibi extrinſeca, negatur. Infinitum namque ſyncategorematicum poteſt eſſe ſimul totalitate, & ſimultate extrinſeca. Ad diſtinctionem maioris diſtinguenda eſt minor. Sed creaturæ poſſibiles ſunt omnes actu, & ſimul obiectiuè in mente Dei actualitate, & ſimultate ſibi intrinſeca, negatur: extrinſeca, conceditur. Haberent autem ſimultatem ſibi intrinſecam, ſi ipſis per ſe conſideratis in ſuo eſſe poſſibili non repugnaret eſſe ſimul à parte rei, tunc enim etiam obiectiuè in mente Dei haberent eandem ſimultatem. Illud autem repugnat, vt dictum eſt, tum quia Deus cognoſcit res ſicuti ſunt, ideo neque obiectiuè in mente Dei habent hãc ſimultatem intrinſecam. Quia tamen omnes terminant ſimul vnam, eandemque cognitionem diuinam à qua comprehenduntur, ideo dicuntur eſſe ſimul ſimultate ſibi extrinſeca, quia ſcilicet cognitio diuina eſt tota ſimul.

118. Huius rei clarum habemus exẽplum in tempore, poteſt enim quis in vnico inſtanti cognoſcere tempus vnius horæ, ſicut Deus cognoſcit nunc omne tempus poſsibile ſimul, tunc enim illud tempus obiectiuè in mente cognoſcentis poteſt dici eſſe totum ſimul, ſimultate ſibi extrinſeca, quatenus cognitio eſt tota ſimul, non tamen eſt ſimul ſimultate ſibi intrinſeca, quia eſſe temporis eſſentialiter conſiſtit in ſucceſsione partium, vt eius partes non ſint ſimul etiam obiectiuè in mente cuiuſcumque. Vnde ſi quis vellet cognoſcere tempus cum ſimultate intrinſeca partium, non cognoſceret tempus ſicuti eſt; ſunt ergo eius partes ſimul ſolum ſimultate extrinſeca, & idem contingit in ſimultate creaturarum reſpectu cognitionis Diuinę, vt ex ſe liquet.

119. Præterea ſi illud argumentum concluderet ſequeretur quod Deus nullũ infinitum ſyncategorematicum cognoſceret; nullumvè eſſet in mente diuina, quod conſtat eſſe falſum. Nam ſi quis petat an Deus cognoſcat ſimul omnes partes quantitatis? reſpondebitur affirmatiuè, non tamen quod ſint actu infinitæ, ſed finitæ in infinitum, &c.

§. 7. *Soluuntur aliqua quæſita ſcitu dignißima pro complemento huius materiæ de infinito.*

120. Quæres 1. an dici poſsit quod omnes creaturæ poſsibiles in mente diuina ſint aliquid certum, & determinatum? Reſp. affirmatiuè, loquendo de determinatione extrinſeca, quatenus ſcilicet terminant cognitionem diuinam, certam, & determinatam; in ſe tamen, & in ſua poſsibilitate non ſunt aliquid certũ & determinatum, ſed ſunt finitæ in infinitum, Deus autem determinatè cognoſcit quidquid eſt cognoſcibile, eo modo quo eſt cognoſcibile, etiamſi in ſe ſit aliquid indeterminatum.

121. Quæres 2. quare in priuationibus, quas ſupra diximus eſſe infinitas in vna materia non valent rationes, quas ſupra fecimus contra infinitum in actu? Reſp. quia priuationes non ſunt creaturæ, neque factæ ſunt à Deo actione ad ipſas terminata; Tum etiam quia non ſunt participationes diuinæ eſſentiæ, vt periculum ſit quod Diuina eſſentia exauriatur ab infinitis priuationionibus. Tum & maximè quia iſtæ priuationes propriè non habent rationem infiniti categorematici, licet omnes actu exiſtant ſuo modo. Ratio eſt; quia priuationes non habent in ſe, & ex ſe eſſe, nec vllam determinationem, ſed omnem determinationem habent à formis oppoſitis per quas cognoſcuntur, formę autem oppoſitæ ſunt finitæ in infinitum. Ex eo autem quod actu non ſunt formæ, non habent determinationem intrinſecam, cum ex ſe nihil ſint, ſed ſolum habent determinationem quandam extrinſecam à ſubiecto in quo ſunt, vt diximus de creaturis reſpectu cognitionis diuinæ. Vnde argumenta ſupra poſita nihil euincunt contra infinitas priuationes.

122. Quæres 3. an infinitum ſit innumerabile, & impertranſibile? Reſp. quod ſi dare-

daretur infinitum in numero, & in extenſione, nullo modo poſſet numerari, & pertranſiri, non ſolum finito tempore, ſed neque infinito. Vnde non placet, quod dicit Pontius quod ſi quis viueret infinito tempore, & etiam infinito tempore moueretur v.g. ſuper lineam infinitam, poſſet numerare omnes partes infiniti, eaſque pertranſire. Imò addit, quod ſi modo daretur actu, cognoſceret Deus omnes partes illius, & etiam poſſet ſignificare nobis illarum numerum; nos tamen noſtra experientia non poſſemus peruenire ad illam cognitionem, &c. Hæc enim omnia videntur falſa, nam de ratione infiniti eſt quod non claudatur terminis, ac proinde quod nec numerari, nec pertranſiri poſsit, nec tempore infinito, imò eſt implicantia in terminis dicere quod poſset pertranſiri ab illo, qui viueret infinito tempore, cum neque tempus infinitum ſit pertranſibile. Nec verum eſt, quod Deus cognoſceret omnes partes infiniti, & eas poſſet enarrare nobis, aliàs non eſſet infinitum, cum tum cognitione diuina, tum humana terminaretur.

123. Quæres 4. an vnum infinitum, ſi daretur, poſſet eſſe maius alio? Reſp. negatiuè in ratione infiniti, ſed omnia eſſent æqualia; materialiter tamen vnum poſſet eſſe maius alio, quantum ſcilicet ad incluſionem, nam infinitum ex ſolis oculis dextris minus includit, quam infinitum conflatum ex oculis dextris, & ſiniſtris, vt conſtat ex dictis.

124. Quæres 5. an infinito ſi per impoſsibile daretur, aliquid addi, aut detrahi poſset? Reſp. quod infinito formaliter nihil poſſet addi, aut detrahi, quia facta quacumque additione, aut detractione finita, ſemper remaneret formaliter infinitum. Materialiter tamen ſaltem ex qua parte non eſt infinitum, poſſet & addi, & detrahi v.g. ſi ab hoc loco inciperet linea, quæ vſque in infinitum protenderetur, ex iſta parte poſſet fieri additio, & detractio, non tamen ex illa parte qua protenditur in infinitum, cum nullus ad eam pertingere poteſt, vt illi aliquid addat, aut detrahat.

125. Quæres 6. an infinito ſi daretur poſſet conuenire figura, & motus? Reſpõdet Pontius, quod poſſet conuenire tum figura circularis corpori infinito, tum etiã motus localis, circularis. Primum probat, quia aliàs non poſſet dari corpus infinitũ, cum figura ſit de ratione corporis. Deinde corpus circulare, poſſet circulariter moueri, infinito tempore. Si autem daretur linea infinita licet non poſſet moueri motu directo ſecundum longitudinem, poſſet tamen moueri ad latus, quia nihil impedit. Deinde dicit, quod corpus circulare, quod tempore infinito poſſet ab hoc puncto in idem redire, poſſet in inſtanti pars illa, quæ infinitè diſtat ab hac parte poni in loco huius partis, & hæc pars in loco illius. Cœterum iſta benè oſtendunt impoſsibilitatem infiniti, quoniam implicat corpus infinitum habere figuram circularem, hæc enim clauderet intra ſe illud corpus, ac proinde non eſſet infinitum. Nec valet hoc non implicare dummodo intra illum circulum claudantur partes infinitæ. Hoc opus hic labor eſt, quomodo infinitæ partes aliquotæ poſſint claudi intra terminos circuli, ab eoque limitari, vt vltra non protendantur; infinito autem implicat ſeptum, & clauſura. Implicat etiam corpus infinitum moueri circulariter, dato quod daretur infinitum cum figura circulari; nam quomodo poſſet pars quæ infinitè diſtat ab alia, in inſtanti poni in loco alterius, vt concedit Pontius? maximè cum motus nec fiat in inſtanti, nec in inſtanti poteſt fieri tranſitus infinitus, maximè cum illud corpus non niſi infinito tempore moueretur.

DISPV-

DISPVTATIO QVINTA.

In librum 4. Phyſicorum, de loco, & tempore.

1. LIBER iſte quatuordecim habet capita. In 1. capite docet Ariſt. pertinere ad phyſicũ agere de loco, & inquirit an ſit locus. In 2. cap. quærit in quo conſiſtat natura loci. In 3. cap. explicat quot modis aliquid poſſit dici eſſe in loco, & an aliquod dici poſſit eſſe in ſe ipſo. In 4. cap. aſsignat loci definitionem. In 5. cap. explicat quomodo vltima ſphæra ſit in loco. In 6. cap. docet quod diſputatio de vacuo pertinet ad phyſicum, & proponit quæſtionem an vacuum detur in natura. In 7. cap. definitionem vacui aſsignat. & oſtendit non dari vacuũ, & argumenta in contrarium ſoluit. In 8. & 9. capite confirmat non dari vacuum in natura. In 10. cap. quærit an ſit tempus. In cap. 11. tempus definit. In cap. 13. explicat aliqua aduerbia temporis, vt nunc, aliquando, &c. In cap. 14. probat vnicum eſſe tempus numericè, & ſpecificè, numerum videlicet primi mobilis, quo omnia menſurantur. Vt autem omnia iſta maneant explicata, ſit.

DVBIVM I.

De Loco.

§. 1. *An locus ſit quoddam internallum.*

2. SVpponimus 1. diſputationem de loco pertinere ad phyſicum, non ad metaphyſicum, vt aliqui dixerunt, nam ad illum pertinet tractare de loco, ad quẽ pertinet tractare de motu locali, qui non niſi in loco fit; tractare autem de motu locali pertinet ad phyſicum, vt vidimus in principio huius tractatus. Sed dices 1. nã omne quod eſt, in loco eſt, ergo locus eſt affectio entis in communi, ſed agere de affectionibus entis in communi pertinet ad metaphyſicum, ergo ad eundem pertinebit agere de loco. Reſp. quod non omnia entia ſunt in loco, ſed tantum corporea; ac proinde locus non eſt affectio entis in cõmuni, ſed tantum entis mobilis, quod eſt obiectum philoſophiæ. Dices 2. quod locus eſt quantitas, ſed agere de quantitate pertinet ad mathematicum, ergo etiã agere de loco. Reſp. quod de quantitate agunt & philoſophus, & mathematicus, ſed ſub diuerſa ratione. Mathematicus agit de quantitate ſecundum ſe vt abſtrahit à materia ſenſibili, & Phyſicus de eadem agit, vt eſt ſenſibilis, &c.

3. Supponimus 2. locum eſſe, quod conſtat ex viciſsitudine corporum in eadẽ parte; qua ratione Ariſtoteles ex viciſsitudine formarum demonſtrauit materiam eſſe.

eſſe. Tum quia experimur multa corpora tendere ſurſum, multa deorſum, & multa verſus alias poſitionis differentias, ſed hæc non poſſunt fieri abſque loco, ergo, &c. Sed dices 1. nam omne ens corporeum eſt in loco, locus eſt ens corporeum; ergo erit in loco; & ille alter locus erit ens corporeum, ac proinde erit in loco, & ſic in infinitum. Reſp. quod locus non eſt in alio qua locus eſt, ſed qua accidens eſt, & tanquam in ſubiecto. Dices 2. quod accidentia corporis ſunt in loco in quo eſt corpus, ſaltem per accidens; ergo ſi locus eſt in corpore tanquam in ſubiecto, locus erit in loco per accidens, & ſic erit proceſſus in infinitum. Reſp. non dari proceſſũ in infinitum, quia in corporibus tandem deueniendum eſt ad aliquod, quod non eſt in loco, ſaltem ſecundum partem ſuperiorem, vt eſt vltimum cœlum.

4. Variæ fuerunt antiquorum ſententiæ de loco. Prima erat quod locus ſit quoddam corpus verè dimenſum, & per omnia diffuſum in quo ſunt reliqua corpora. Hanc ſententiam reiecit Ariſt. nam aliàs daretur penetratio, quod eſſe nequit naturaliter, tum quia tale corpus deberet eſſe immobile, contra naturam corporis. Tum etiam quia ſi hoc corpus, quod eſt aliorum locus non eſſet in loco, cum non ſit maior ratio huius quam aliorum, neque alia eſſent in loco. Videatur Ariſtoteles *tex.* 8.

5. Secunda ſententia erat, quod locus ſit materia corporum, aut forma ipſorum ex Ariſt. *tex.* 15. Quam etiam ſententiam impugnauit idem Ariſt. quoniam locatum aliquando deſerit locum, & acquirit alium, cum tamen homo v.g. non deſerat materiã aut formam ſuam dum mouetur. Tum quia res mouentur ad ſua loca, non ad materiam, & formam, quas habent. Tum etiã quia totum compoſitum ex materia, & forma eſt in loco; ergo locus non poteſt eſſe materia, aut forma; aliàs idem eſſet locus, & locatum.

6. Tertia ſententia communior apud antiquos eſt, quod locus ſit quoddam interuallum, ſeu ſpatium illud, quod continetur inter latera continentis, vt ſi v.g. eſſet vas aere plenum, & deſtitueretur aere, & non haberet intra ſe aliud corpus, illud ſpatium eſſet interuallum. Hanc ſententiam quatuor modis intelligebant. Quidam enim dicebant hoc ſpatium, ſeu interuallum, eſſet ens reale poſitiuum, ſcilicet quędam ſubſtantia immobilis, & indiuiſibilis, ſparſa per totum vniuerſum. Alij dicebant eſſe tres dimenſiones à corpore ſeparatas, videlicet longitudinem, latitudinem, & profunditatem. Alij volebant quod interuallum non eſſet quid poſitiuum, ſed vacuum, & inane, manens inter latera locantis. Demum alij volebant, quod interuallum nihil ſit aliud quam ſpatium quod reperitur inter latera continentis, quod æqualem habet magnitudinem cum corpore locato, quod ſpatium non eſt aliquid reale diſtinctum à re, quæ eſt in loco, ſed ſolùm ratione. Hanc ſententiam ſequutus eſt Valleſius *contron.* 13. & probabilem indicat Tolet. *hic q.* 3. Hanc ſententiam ſequuntur aliqui moderni quatenus dicunt, quod locus nihil ſit aliud, niſi ſpatium quoddam imaginarium inter latera locantis, nam expulſo aere à vaſe per immiſsionem vini imaginamur, quod receptiuum vini ſit illud ſpatium, illa intercapedo inter latera vaſi. Sic Auerſa, & Amicus hic.

7. Dico 1. *Locus non eſt ſubſtantia.* Probatur, nam ſi locus eſſet ſubſtantia, vel eſſet ſubſtantia corporea, vel incorporea, neutra eſt; ergo, &c. Non eſt ſubſtantia corporea, & quantitate affecta, quia tunc eſſent duo corpora in eodem loco, & ſic naturaliter fieret penetratio. Neque eſſet ſubſtantia incorporea, quoniam incorporeum nequit ambire, & continere rem corpoream; locus namque continet locatum, & ambit.

8. Dico 2. *Locus non eſt illa trina dimenſio à corpore ſeparata*, quoniam nec trina dimenſio poteſt eſſe ſine quantitate, nec quantitas poteſt viribus naturæ dari ſeparata à corpore, vel ſubſtantia. Tum quia ſequeretur dari naturæ viribus penetrationem huius trinæ dimenſionis, cum trina dimenſione corporis locati.

9. Dico 3. *Locus non eſt vacuum, ſeu ina-*

Digitized by Google

maue. Tum quia, vt poſteà dicemus, vacuum non datur in rerum natura. Tum quia locus debet eſſe quid reale, ac proinde, vel eſt ſubſtantia, vel accidens; ſed vacuum neutrum eſt; ergo, &c. Non eſt ſubſtantia, vt iam probatum eſt; non eſt accidens, quia nulli ſubiecto inhæreret. Tum etiam quia hic loquimur de loco reali, non de loco imaginario, ergo, &c.

10. Dico 4. *Locus diſtinguitur realiter à re locata, ac proinde non poteſt eſſe ſpatium ſola ratione à re locata diſtinctum.* Ratio eſt, quia locus, & res locata ita ſe habent, vt vno realiter manente, pereat alterum, ſed locus, & res locata ita ſe habent, nam pereunte locato manet locus; ergo locus, & res locata diſtinguuntur realiter. Quod autem pereat res locata manente loco, tenet Ariſtoteles, quatenus ex viciſsitudine rei locatæ probat dari locum.

11. Sed obijcies 1. Si daretur vas omni corpore deſtitutum in illo eſset capacitas ad recipiendam trinam dimenſionem corporis locati, quæ capacitas ſola ratione diſtingueretur à corpore, quod poſset eſſe in loco, ergo in loco eodem modo repetitur capacitas ſola ratione diſtincta à corpore locato. Reſp. diſtinguendo antecedens. In eo eſset capacitas ad recipiendam trinam dimenſionem, diſtinctam à ſuperficie loci, negatur: eadem cum illa, conceditur: vel ſic: in eo eſset capacitas poſitiua, &c. negatur. negatiua, aut priuatiua conceditur.

12. Obijcies 2. Ita ſe habet locus ad locatum, ſicut materia prima ad formas; eſt enim locus in potentia ad plura locata, ſicuti materia prima eſt in potentia ad plures formas, & quemadmodum materia prima non ſatiatur vnica forma, ita nec locus vnico locato, ſed materia prima nunquam eſt omni forma deſtituta; ergo neque locus qui eſt potentia ad locatum, erit abſque dimenſionibus locati, & ſic in loco erunt dimenſiones ſola ratione diſtinctæ à dimenſionibus locati. Reſp. hoc argumentũ ſolùm probare, quod locus ſit capacitas ad locatum, & ad dimenſiones illius, & quod naturaliter non poteſt dari ſine dimenſionibus locati, nõ tamen probat quod locus ſit dimenſiones, ſed capacitas ad illas, ſicut materia non eſt forma, ſed capacitas ad formam.

13. Obijcies 3. nam locus debet eſse æqualis cum re locata, ſed non poteſt eſse æqualis niſi ſit interuallum; ergo locus eſt interuallum; ſuperficies namque ambientis eſt maior re quæ ambitur. Reſp. ipſa namque ſuperficies loci eſt æqualis cum re locata, cum enim ſit indiuiſibilis non poteſt afferre exceſsum, vt ex dicendis videbitur.

§. 2. *Quid ſit locus.*

14. Relicta eorum ſententia, qui dicunt locum eſse ipſum *vbi*, vbi namque non eſt locus, ſed quid conſequẽs locum, vt ex dictis in Logica conſtat. Prima ſententia eſt, quod locus pertineat formaliter ad ſecundam ſpeciem qualitatis. Hæc eſt ſententia Ianduni apud Tolet. *q. 4.* notans quod in loco ſunt duo, ſubiectum ſcilicet, & eſt ſuperficiens pertinens ad prædicamentum quantitatis, & virtus cõſeruatiua locati, & hæc eſt formale loci, & pertinet ad ſecundam ſpeciem qualitatis. Secunda ſententia eſt Scoti *in quodlib. q. 11* vbi affirmat locum eſse formaliter relationem diſtantiæ, ſeu continentiæ, & immobilitatis.

15. Noſtra ſententia ſeq. concl. explicatur. *Locus eſt formaliter ſuperficies, ac proinde pertinet formaliter ad prædicamentũ quantitatis.* Sic tradunt communiter Philoſophi poſt Ariſtotelem hoc loco ſic locum definientem, ſcilicet: *Locus eſt vltima ſuperficies corporis ambiẽtis immobilis primi.* Dicitur *vltima*, ideſt immediata ſuperficies corporis ambientis. Dicitur *immobilis*, vt poſtea videbitur, quia de ratione loci eſt immobilitas. Dicitur *primi*, vel *primum*, aut *prima* ad denotandum locum proprium & ad excludendum communem. Vnde illa particula *primi* coniungi debet cum illa particula *corporis*, vt fiat ſenſus, quod locus eſt vltima ſuperficies corporis primi, ideſt, immediatè ambientis.

16. Verùm antequam probemus concluſionem notandum 1. Locum multifor-

mitet diuidi ab auctoribus hoc loco. Primò diuiditur in intrinſecum, & extrinſecum. Locus intrinſecus dicitur *ubi*, quod potius eſt quid conſequens locum quam locus; eſt enim id quo res locata commenſuratur, & coaptatur, ſeu eſt in loco. Locus extrinſecus eſt id ad quod habet præſentiam, & in noſtro caſu, eſt ſuperficies corporis ambientis. Secundò diuiditur locus in circumſcriptiuum, & definitiuum. Locus circumſcriptiuus eſt ille, qui ita continet, & ambit locatum, vt vna pars locati correſpondeat vni parti loci, alia aliæ, & totum toti. Locus definitiuus eſt res præſens ſine dicta correſpondentia partis ad partem, & totius ad totum. Tertiò diuiditur locus in proprium, & communem. Proprius eſt ille, qui vni ſoli correſpondet, & communis eſt, qui correſpondet pluribus, continetvè plura locata. Quarta diuiſio eſt in naturalem, & violentum: naturalis eſt ille in quo res quieſcit cum in eo eſt, ad illumque inclinat, cum extra eſt. Violentus eſt ille in quo res detinetur contra ſuam inclinationem. Quinta diuiſio eſt loci per ſe, & per accidens. Locus per ſe eſt ille in quo res per ſe manet, locus per accidens eſt ille in quo res manet per accidens. Differentiæ loci ſunt ſurſum, & deorſum, dextrorſum, & ſiniſtrorſum, antrorſum, & retrorſum.

17. Notandũ 2. quod in orbibus duplex reperitur ſuperficies, vna quæ appellatur externa, extima, ſiue conuexa; & alia quæ appellatur interna, citima, ſiue concaua. v.g. in Orbe Lunæ ſuperficies, quæ eſt verſus nos, eſt interna, at ſuperior eſt externa. Solent plerique docere, quod ex his ſuperficiebus ſolum illa quæ interna eſt, ſit locus; alia verò minimè. Nobis tamen opinio hæc minimè placet; in ea namque ſumus ſententia, quod quæuis ſuperficies contigua cum ſuperficie alterius corporis ſit locus illius corporis, ſiue talis ſuperficies ſit ſuperior, ſiue inferior, ſiue dextra, ſiue ſiniſtra, ſiue anterior, ſiue poſterior, ſiue concaua, ſiue conuexa, ſiue plana, quod ex dicendis conſtabit. Ex quo ſequitur, quod omne corpus locans ſit locatum & è contra, ſecundum diuerſam rationem; vt ſi ſint duo lapides contigui, quemadmodum ſuperficies vnius penes quam ſit contactus cum alio lapide, eſt locus illius; ita ſuperficies alterius eſt locus huius, ex communi tamen modo loquendi, illa ſuperficies dicitur locus, quæ habet rationẽ continentis proximi, & immediati, vt ex tradita loci definitione colligitur.

18. His poſitis probatur concl. Nam id eſt formaliter locus cui conueniunt cõditiones loci ab Ariſt. & ab alijs philoſophis communiter aſſignatæ, ſed iſtæ conueniunt ſuperficiei; ergo, &c. Minor probatur, nam de ratione loci eſt quod contineat locatum ex *tex.* 31. & hæc conditio conuenit ſuperficiei, vt patet. Secunda conditio loci eſt, quod non ſit quid rei locatæ, ſed quod poſſit manere mutato locato, & hæc etiam conditio conuenit ſuperficiei; ſuperficies namque aeris locantis aquam non eſt neque pars, neque quid intrinſecum aquæ, aut è contra. Vnde ſi homo eſſet pars aeris, non eſſet in illo tanquam in loco, ſed tanquam in toto, vt patet ex *tex.* 34. Tertia conditio eſt quod locus ſit æqualis locato, neque maior, neque minor, & hæc etiam conditio conuenit ſuperficiei continenti, nam tam locans, quam locatum ſecũdum vltimas ſuperficies ſunt æqualia, illæ enim ſuperficies ſunt ſimul. Quarta conditio eſt, quod locus poſſit deſeri à locato, quod currit in caſu noſtro. Quinta conditio eſt, quod locus habeat ſurſum, & deorſum, quod etiam conuenit ſuperficiei, cum enim ſuperficies continens, & ambiens corpus, ſit circumcirca *illud* extenſa, poteſt in illa aſſignari aliqua pars centro terræ vicinior, alia remotior, vicinior dicitur deorſum, & remotior ſurſum.

19. Sed obijcies 1. nam ideo vltima ſuperficies corporis continentis eſt per ſe locus, quia ipſa primò continet locatum; ſed ſuperficies corporis contenti per ſe primò continetur à loco, ergo ipſa per ſe primò erit in loco, & corpus cuius eſt ſuperficiens erit ſolùm in loco per accidens. Reſp. negando minorem, ſuperficies enim locati non continetur à loco niſi per accidens, quatenus continetur corpus illius, ipſa enim per ſe eſt ſimul cum ſuperficie

conti-

continente, nam corpus continens, & contentum ſe tangunt, vt habeant extrema ſimul.

20. Obijcies 2. nam quodlibet corpus trinæ dimenſum debet occupare locum ſibi æqualem, ac proinde locum trinè dimenſum; ſed ſuperficies non eſt trinè dimenſa, ergo non eſt locus. Reſp. diſtinguendo maiorem: debet occupare locum ſibi æqualem ſecundum extremā ſuperficiem, conceditur; ſecundum profunditatem negatur. Licet enim ſuperficies non ſit trinè dimenſa, eſt tamen æqualis ſuperficiei locati.

21. Obijcies 3. Locus ex *tex.* 48. debet conſeruare locatum, vt in ipſo minus patiatur, ſed ſuperficies non conſeruat locatum; ergo non eſt locus. Reſp. diſtinguendo minorem: ſuperficies mathematicè conſiderata, aut abſtracta à reliquo corpore & qualitatibus ſenſibilibus non conſeruat locatum, conceditur; vt conſiderata phyſicè, vt eſt ſuperficies talis corporis habentis tales qualitates, negatur. Sed dices, quod vnum cælum eſt in alio tanquam in loco, & tamen non conſeruatur ab illo, ergo, &c. Reſp. quod hæc conditio competit loco reſpectu corporis indigentis; quod non currit in cęlis.

22. Obijcies 4. Si Deus annihilaret terram, & aquam ſeruato aere, relictoque vacuo inter latera aeris, poſtea deijceret lapidem ex aere, hic lapis non moueretur ad vltimam aeris ſuperficiem, ſed ad centrum terræ, ſeu mundi, ergo eius locus naturalis non eſt ſuperficies. Reſp. negando antecedens, tunc enim lapis ille moueretur vſque ad vltimā aeris ſuperficiem, vt eſſet intra ipſam, & non amplius, non enim poteſt dari motus elementorum in vacuo, vt poſtea dicemus.

23. Obijcies 5. Mobile dum mouetur pertranſit aliquod ſpatium vndequaque diuiſibile, quale eſt ipſum, ergo non pertranſit ſolam ſuperficiem continentis, quæ non eſt diuiſibilis ſicut eſt ipſum mobile; ergo locus non eſt ſola ſuperficies. Reſp. diſtinguendo antecedens: pertranſit ſpatium diuiſibile, coexiſtendo ſimul, & quaſi penetratiuè cum illo, negatur, pertranſitiuè expellendo illud, & ſuccedendo in locum illius, conceditur; hoc enim modo lapis v.g. dicitur pertrāſire totum aerem, qui eſt diuiſibilis ſicut ipſe lapis, quatenus per ſuam præſentiam excludit aerem, & ſuccedit in locum illius, hoc autem fieri poteſt etiamſi non attingat immediatè aerem, qui non eſt ſuus locus niſi ratione ſuperficiei.

24. Obijcies 6. Poteſt Deus mouere localiter aliquod corpus extra cœlum, aut in vacuo, vbi nulla eſt ſuperficies; ergo locus non eſt ſuperficies. Reſp. quod motus ille qui tunc fieret non eſſet motus localis actu, ſed tantum potentia, eſt namque motus localis ex natura ſua acquiſitiuus loci, actu autem nullum acquirit, & ideo non eſſet actu motus ad locū, ſed tantum in potentia.

25. Ex quibus infertur 1. locum non eſſe qualitatem, quia de ratione loci eſt vt contineat rem locatam, & ſit cum illa æqualis, &c. qualitas autem nec continet locatum, nec eſt illi æqualis, ergo, &c. Infertur 2. quod locus formaliter ſumptus non eſt relatio continentiæ, quia hæc non dicit continentiam, nec æqualitatem, ſed eſt purum *ad*, poteſt tamen dici, quod locus ſit relatio conſecutiuè, quia ad locū conſequitur.

26. Infertur 3. quod locus non eſt *vbi*, nam omne quod incipit eſſe debet eſſe, vel productio, vel productum; ſed motus localis incipit eſſe, ergo vel eſt productio, vel productum; ſed motus nō eſt productus, quia omne productum fit per motum, vel mutationem, ad motum autem nec datur motus, nec mutatio 5. *phyſ.* 1. ergo eſt productio, ſed omnis productio habet terminum productum; ergo motus localis habet terminum productū; ſed terminus productus per motum localem non eſt motus localis; ergo *vbi* quod producitur per motum localem non eſt motus localis, ac ſubinde neque locus. Tum quia per motum localem producitur hoc quod eſt rem eſſe in loco, quod eſt *vbi*, & terminus. Tum quia illa diſtinguuntur realiter, quæ ſunt in diuerſis ſubie-

ſubiectis, ſed ita ſe habent locus, & *vbi*, ergo, &c. locus namque eſt in locante, cum ſit ſuperficies locantis, at *vbi* eſt in locato, ergo &c.

27. Infertur 4. quod locus formaliter ſumptus pertinet ad quantitatem, vt dictum eſt; ratio eſt, nam id pertinet ad quantitatem cui conueniunt affectiones quantitatis, ſed loco conueniunt affectiones quantitatis; ergo, &c. Minor probatur, nam locus in ſua latitudine complectitur locum naturalem, artificialem, & violentum, ſed his conueniunt affectiones quantitatis; ergo, &c. Continere, & eſſe æquale ſunt affectiones quantitatis conuenientes loco naturali, artificiali, & violento.

28. Sed quæres 1. quænam ſuperficies propriè ſit de ratione loci? Reſp. eſſe vltimam, hæc enim ſola eſt æqualis locato. Pro quo nota quod locus dicit duo ſcilicet corpus locans, & vltimam ſuperficiem illius; corpus locans eſt locus *vt quod*, & ſuperficies eſt locus *vt quo*, ſeu eſt id quo corpus locans continet locatum. Quando dicimus quod locus eſt æqualis locato, intelligi debet de loco *vt quo*, non de loco *vt quod*, certum namque eſt qood corpus locans vt tale, eſt maius locato.

27. Quæres 2. an locus conſtet ex ſuperficie tanquam ex genere, & immobilitate, tanquam ex differentia, ita quod ſuperficies ſit genus loci, & immobilitas ſit illius differentia, an verò ſuperficies, & immobilitas comparentur tanquam ſubiectum, & forma? Toletus, & alij apud N. Complut. *diſp.* 19. *q.* 4. dicunt quod ſuperficies, & immobilitas comparantur tanquam genus, & differentia, vt ſuperficies ſit genus, vt eſt quid cõmune ad ſuperficiem continentem, & non continentem, & immobilitas ſit differentia. Iandunus, & alij dicunt idem quoad ſuperficiem, quod ſit genus, & differunt quod putent differentiam loci non eſſe immobilitatem, ſed rationem conſeruatiuam locati. Hæc ſententia facilè reijci poteſt tum quia cœlum continens non conſeruat contentum; nec locus violentus conſeruat rem violenter detentam; nullus namque dicit quod lignum contentum ab igne ab eo conſeruetur. N. Complut. loco dicito dicunt, quod ſuperficies, & immobilitas comparentur tanquam ſubiectum, & forma, ex eo quod locus conſtat ex rebus diuerſorum prędicamentorum, ſcilicet ex ſuperficie, quæ pertinet ad prædicamentum quantitatis, & ex figura v. g. concaua quæ pertinet ad prædicamentum qualitatis.

28. Ego puto primam, & tertiam ſententiam facilè poſſe concordari. Dico ergo quod immobilitas non ſit differentia conſtitutiua loci, ſed quod comparetur ad ſuperficiem tanquam forma accidentalis ad ſubiectum, ſicuti eodem modo figura comparatur ad eandem ſuperficiem; & in hoc ſenſu locus componitur ex rebus diuerſorum prædicamentorum. Tamen ſuperficies vt ponitur in definitione loci habet veram rationem generis vt enim eſt ſuperficies vt ſic, communis ad omnem ſuperficiem, eſt genus in dicta definitione, differentia autem contractiua illius vt ſit locus, eſt quod ſit talis ſuperficies, ſcilicet vltima corporis ambientis.

§. 3. *An de ratione loci ſit immobilitas.*

29. Licet omnes Philoſophi tam antiqui, quam moderni admittãt locum eſſe aliquo modo immobilem, tamen in explicanda hac immobilitate variç ſunt ſententię. Prima ſententia eſt Benedicti Pererij hoc loco, Hieronymi Pla, & aliorum dicentium, quod immobilitas non ſit de ratione loci in communi, ſed tantum loci elementorum; de ratione namque loci in communi tantum eſt continere locatum; continere verò immobiliter eſt ſolũ de ratione loci elementorum. Loca autem naturalia elementorum dicuntur immobilia, eo quod elementa naturaliter non feruntur niſi in ſua loca determinata.

30. Secunda ſententia eſt, quod locus materialiter, vt dicit ſuperficiem ambien-

bientem, non eſt immobilis, bene tamen vt dicit continentiam, & commenſurationem rei locatæ, & eſt locus formaliter. Hanc ſententiã Aſtrudillo *q.* 2. tribuit Coronallo. Tertia ſententia eſt quorumdam apud D. Tho. *opuſc.* 52. qui dicunt locum eſſe immobilem, quia non mouetur ad motum locati, vt ſuperficies aeris qui me ambit, dicitur immobilis, quia per ſe non mouetur ad motum mei. Quarta ſententia eſt quod locus eſt immobilis per ſe, quia non petit moueri ad motum locati, mouetur tamen per accidens; ſic Auer. quem ſequuntur Burleus, & Iandunus hoc loco. Hæc ſententia coincidit cum præcedenti. Quinta ſententia eſt Scotiſtarum dicentium locum eſſe immobilem per æquiualentiam, quia licet aer circundans, & ambiens turrim fluat, accedit tamen alius qui idem præſtat ambiendo, &c. Sexta ſententia eſt Conimbric. hoc loco, qui dicunt quod licet locus vt præcisè dicit ſuperficiem realem, non ſit immobilis, bene tamen quatenus hæc ſuperficies realis connotat aliam imaginatiam, aut punctum imaginarium.

31. Pro intelligentia noſtræ ſententiæ nota, quod ſuperficies poteſt conſiderari dupliciter, ſcilicet materialiter, & formaliter. Superficies materialiter, eſt ſuperficies huius, vel illius aeris; huius, vel illius aquæ; at ſuperficies formaliter, eſt ipſa ſuperficies, vt dicit tantam, vel tantam diſtantiam à polis, vel centro terræ. Locus ergo formaliter non dicit ſuperficiem materialiter, ſed formaliter. Si enim ſuperficies materialiter eſſet locus, iam ſuperficies vaſis eſſet locus aquæ in eo contentæ, quod negat Ariſt. cum aqua in eodem vaſe contenta mutet locum ſimul cum vaſe. Tum quia ſi ſuperficies continens locatum præcisè eſſet locus, poſſet aliquod corpus moueri localiter, & non mutare locum, vt cum lignum in aqua mouetur ad motum aquæ, cum ſemper ab eadem materialiter ſuperficie aquæ contineatur, cum tamen in omniũ ſententia tunc lignum cum aqua motum mutet locum. Et è contra poſſet aliquid mutare locum, & non moueri vt cum aer ambiens turrim à ventis mutatur, & alius ſuccedit, & turris non mouetur localiter. Similiter arbor in aqua non mouetur, & tamen aqua fluens circum ipſam ſemper mouetur. Locus ergo eſt ſuperficies cõtinens locatum ſecundum ordinem talis diſtantiæ, & poſitionis in vniuerſo, ita quod licet ſuperficies ſint materialiter diuerſæ, vt tamen ſibi inuicem ſuccedunt in eadem diſtantia, cenſentur vna, & eadem formalis ſuperficies; ſicuti eſt idem homo licet continuè mutentur aliquæ partes, & corrumpantur per calorem naturalem, & aliæ per nutritionem ſuccedant. Similiter eſt idem numero ignis cum diuerſa ligna in eadem fornace ſucceſſiuè ſubminiſtrantur vt pabula, &c.

32. His poſitis Noſtra ſententia ſequenti concluſione explicatur. *Immobilitas eſt de ratione loci, & conſiſtit in ſuperficie formaliter accepta, vt dicit talem diſtantiam ad polos mundi, aut ad centrum terræ, ſeu vt dicit talem poſitionem in vniuerſo.* In hac concluſione conſentiunt omnes non tantum Thomiſtæ, ſed etiam Scotiſtæ dicentes locum eſſe immobilem per æquiualentiam, quæ per ipſos nihil eſt aliud quam ſucceſſio diuerſarum extremitatum, ſeu ſuperficierum in iiſdem muneribus obeundis, vt in menſuratione, continentia, ſeu ambitu rei locatæ cum eadem diſtantia ad precipuas, & immobiles partes mundi. Ratio concluſionis conſtat ex dictis num. præcedenti, quia ſi locus eſſet ſuperficies materialiter, arbor in aqua fluminis perpetuò decurrentis perpetuò mutaret locum, cum perpetuò mutet ſuperficiem, quod tamen eſt contra ſenſum omnium, omnes namque putant illam arborem ſemper manere in eodem loco, quantumuis mutet ſuperficiem materialiter, idem dicendum eſſet de turri cum ſuperficies aeris ambientis mutatur à ventis.

33. Sed obijcies 1. nam immobilitas loci adhuc non explicatur ſufficienter per ſuperficiem formaliter vt dicit ordinem, ſeu relationem diſtantiæ ad immobiles mundi partes; ergo, &c. Antecedens probatur,

batur, nam & ipſa relatio diſtantiæ cum ſubiectetur in ſuperficie deſtruitur ad deſtructionem ſuperficiei; ergo etiam relatio diſtantiæ non eſt immobilis. Reſpon. quod etiam relatio diſtantiæ poteſt accipi materialiter, & formaliter. Materialiter deſtruitur ad deſtructionem ſui ſubiecti, at formaliter manet, cum vna ſuccedat in locum alterius, modo quo diximus de ſuperficie.

34. Obijcies 2. quia manente eadē diſtantia etiam formaliter adhuc res poteſt mutare locum; ergo non rectè immobilitas loci explicatur per illam diſtantiam formaliter. Antecedens probatur exemplo familiari, & manifeſto. Demus quod quis ad motū nauis moueatur ad orientem, & ipſe motu proprio per ipſam nauem æquali velocitate moueatur ad occidens, tunc iſte motu proprio verè mouetur, & mutat locum, & tamen habet eandem diſtantiam ad immotas mundi partes, quoniam cum illo duplici motu, proprio, & nauis, manet ſemper in eadem diſtantia; ergo, &c. Reſp. negando antecedens, ad probationem dico, quod licet ſecundum apparentiam, & motum pedū videatur moueri motu progreſſiuo, tamen cum ratione motus æqualis ſemper maneat in eadem diſtantia, propriè non mouetur, ſed manet in eodem; quocirca ille motus videtur tūc eſſe ad modū motus ſaltationis ſurſum, nō tamen mutando corpus de loco in locum. Idem curreret ſi homo poneretur intra rotam, & illa moueretur, tunc homo diceretur moueri ad motum rotæ, & tamen ſimul cum rota maneret in eodem loco, ſeu in eadem diſtantia ſalem adęquata.

35. Obijcies 3. quia detur caſus, quod Deus deſtrueret partes immotas huius mundi, vt polos, & terræ centrum, adhuc homo exiſtens in hoc noſtro templo S. Mariæ de Victoria, poſſet in illo quieſcere, & moueri vt prius, & ſic & eſſe in loco, & eum mutare, & tamen tunc non daretur illa dilatio diſtantiæ ad dictas partes immobiles, ergo tunc immobilitas, & vnitas numerica loci non deſumeretur à dicta diſtantia. Reſp. cum Soto *hic q.* 1. & alijs, quod tunc relatio diſtantiæ non eſſet realis, ſed vel rationis, vel tranſcendentalis, cum non haberet terminum actu exiſtentē reſpiceret tamē eaſdem partes imaginarias, quæ ſi reproducerentur, reſpicerentur.

36. Obijcies 4. Demus quod Deus me omnino immoto permanente moueat totum hoc vniuerſum per immenſa illa, & vaſtiſſima ſpacia imaginaria, quæ ſunt ſupra cœlum tunc maneret eadem diſtantia ad partes immotas vniuerſi, & tamen mutarem locum cum toto vniuerſo, alio namque modo ſe haberet tunc, ac nunc; ergo vnitas, & immobilitas loci nō deſumitur à dicta diſtantia. Reſp. quod tunc re uera ego manerem in eodem loco vt prius, cum conſeruarem eandem diſtantiam ad partes immobiles huius vniuerſi. An autem vniuerſum ipſum tunc temporis mutaret locum, ex infra dicendis colligi poterit. Pro modo dico, quod vnitas loci totius vniuerſi dependet ex immobilitate, ſeu diſtātia ad quædam puncta imaginaria, quæ ſi mutentur, locus vniuerſi mutabitur.

§. 4. *An locus naturalis habeat vim conſeruatiuam, & attractiuam locati.*

37. De loco naturali procedit difficultas, quoniam locus violentus, vt ſupra diximus potius habet vim deſtructiuam, & expulſiuam locati, & locatum ſi poſſet nunquam poneretur in loco violento. Quantum ad primum, an ſcilicet locus naturalis habeat vim conſeruandi locatum, eſt prima ſententia Soti *hic q.* 2. *ad* 2. Valleſij *lib. 6. de ſacra philoſophia*, Lermæ *hic q.* 4. & aliorum, quod locus naturalis non habeat vim conſeruandi locatum, ſed ignis v.g. conſeruatur in ſua ſphæra à cœlo Lunæ, aer ab alijs cœlis, &c.

38. Noſtra ſententia ſeq. concl. explicatur. *Locus naturalis habet vim conſeruandi locatum.* Sic tenent Ariſt. & D. Thomas citati à N. Complut. & ſic tenent omnes Philoſophi communiter, vt teſtatur Maſius hoc loco. Pro intelligentia

ita notandum 1. quod omiſſis corporibus cœleſtibus, quæ vt perfectiora, ita in naturæ ſede alijs ſunt ſuperiora, inter elementa à prima rerum molitione hic ordo conſtitutus eſt, quod terra quæ infimæ eſt dignitatis in infima mundi regione conſtituta eſt, & conquieſcit. Hanc aqua aliquantulum perfectior ambit; ſuper aquam eminet aer vtraque nobilior, tandē propter ſummam inter elementa perfectionem ignis collocatus eſt, qui à concauo orbis lunæ continetur. Hæc eſt naturalis elementorum diſpoſitio, vt omnibus conſtat. Hinc videmus conari ignem in figura piramidis acuminatum, aerem tranſcendere, & lunæ concauum petere tanquam locum proprium. Aer præterea ſi aquam ſubeat ſtatim per ampullos quaſi ſcaturiendo emergit, & ſi in terræ viſceribus abſcōdatur, & accreſcat, ſiue incraſſetur vt liberè in locum ſuum abeat, tandiu circum clauſtra fremit, & impetu maximo terram concutit, donec indomitæ naturæ ſuæ effrenata vi, quaſi fortiſſimis terræ vinculis fractis, viam aperit, foraſque erumpit.

39. Notandum 2. quod vnumquodque elementum duas habet ex primis qualitatibus, eo modo, quo dicemus in *tract. de generat. & corrupt.* vnam ſymbolam cum elemento viciniori, aliam dyſſimbolam, v. g. ignis habet calorem, & ſiccitatem, & aer habet calorem, & humiditatem; aqua habet humiditatem, & frigiditatem, & terra habet frigiditatem, & ſiccitatem. Ignis ſymbolizat cum aere in calore, aer ſymbolizat cum aqua in humiditate, & aqua ſymbolizat cum terra in frigiditate. Vnum ergo elementum v. g. ignis eſt locus aeris, & ipſum conſeruat ratione qualitatis ſymbolæ; quoad qualitates autem dyſſimbolas cōſeruatur ab influentijs cœlorum, iuxta illud Ariſt. 1. *meteor.* 1. *Oportet enim hunc mundum inferiorem contiguum eſſe ſuperioribus lationibus, vt omnis eius virtus inde regatur, & gubernetur*. Et per hæc probata manet noſtra concluſio.

40. Sed dices 1. nam vnum elementum contrariatur alteri, vt ignis aeri, ergo non poteſt eſſe locus alterius. Nec valet dicere, quod vnum elementum non contrariatur alteri quoad qualitates ſymbolas; & ſic quoad has poteſt vnum eſſe conſeruatiuum alterius; & locus illius. Nam contra eſt, quia etiam quoad qualitates ſymbolas ſuam habent oppoſitionem, quoniam in igne calor qui eſt qualitas ſymbola cum aere, eſt in gradu sūmo, & in aere in gradu prope ſummum ergo, &c. Reſp. quod vnum elementum non contrariatur alteri quoad qualitatē ſymbolam, quod autem in vno, v. g. in igne qualitas ſymbola ſit in ſummo, & in aere prope ſummum nihil officit, quoniā quantò maior eſt calor, tantò magis conſeruat minorem; & ſic minor calor melius conſeruatur à maiori quam à minori, vel æquali maximè cum accedunt influentiæ cœleſtes ſupplentes defectus ſi qui ſunt.

41. Dices 2. nam ſi elementa, aut loca naturalia conſeruarent locata, idem facerent ſuo modo loca reſpectu mixtorum, & ſic piſces in aqua nunquam corrumperētur cum habeant aliquas qualitates cum ipſis ſymbolizantes, item mixta quę ſunt ſuper terram, vt homo, & cętera animalia non deberent corrumpi cū habeant qualitates ſymbolizantes cum terra, aqua, aere, &c. quæ enim reperiūtur in locis vbi conſeruantur, non deberent corrumpi. Reſp. quod etiam mixta conſeruantur à ſuis locis, ſicut elementū conſeruat aliud, & quantò magis mixta habet elementa ſymbola cū elemēto vbi manent, tantò plus conſeruantur, non tamen ob id ſequitur, quod nunquam debeant corrumpi, cum corruptio poſſit aliunde prouenire, vt à cauſis internis agentibus, & patientibus, & externis. Bene verum eſt, quod per ſe loquendo animalia ſymbolizantia magis cum elemētis vbi manent, diutius viuant, vt patet in piſcibus, qui longiorem vitam ducūt, quam animalia ſuper terram, aut in aere viuentia.

42. Quantum ad ſecundum in titulo propoſitum, an ſcilicet loca naturalia habeant vim attractiuam locatorum; omnes

nes conueniunt eam habere, vnde propterea videmus quod quando ſunt extra illa, & ad eadem mouentur, velocius mouentur, quocirca de motu naturali dicitur, quod *eſt in fine velocior*, & conſtat in lapide de turri deſcendente, qui quantò magis accedit ad centrum, tanto velocius mouetur. Non ſic in motu violento, qui quanto magis accedit ad terminū violentiæ, tantò tardius, & renitentius mouetur. Hanc vim trahendi ad ſe locata admittit Ariſt. dicens: *Quod ſi ita eſt profectò eſt vis quadam loco admirabilis, & omnium antiquiſſima*. Hanc etiam vim trahendi in loco, quotidiana docet experientia, videmus namque, quod grauia mouentur deorſum, & leuia ſurſum, taliter quod quantò magis accedunt ad ſuā loca, tantò velocius mouentur, hæc autem maior velocitas non poteſt oriri à grauitate, & leuitate, quia iſtæ qualitates non augentur ex motu, cum non detur cauſa huius augmenti, ergo debet procedere ab ipſo loco habente hanc vim trahendi locata ad ſe, quam vim Ariſtoteles vocauit admirab m, & antiquiſſimam. Admirabilis eſt, quia eſt difficilis explicationis. Et eſt antiquiſſima, quia conceſſa fuit loco à naturæ auctore ab ipſo rerum exordio.

43. Maior difficultas eſt, quomodo locus trahat locatum, an in genere cauſæ efficientis per virtutem in ipſo exiſtentem, vt magnes trahit ferrum, an per quandam ſympathiam, an verò ſolum in genere cauſæ finalis. Prima ſententia eſt quod ea attractio fiat per quandam ſympathiam, ſic quidam moderni, volentes, quod etiam magnes trahat ferrum, & vertatur verſus polum ratione cuiuſdam ſympathiæ, non ratione alicuius virtutis attractiuæ exiſtentis in polo, per quam ſympathiam volunt fieri plura mirabilia. Secunda ſententia eſt, quod iſta attractio fiat tantum in genere cauſæ finalis. Sic Maſius, Pererius, Gratia Dei, & alij hoc loco; vnde dicunt, quod locus tanquam bonum concupitum, & naturale, in quo locata conſeruantur, ea trahat.

44. Dico 1. quod ſtando in doctrina Ariſtoteles, locus debet trahere locatum effectiuè, eo modo quo polus trahit magnatem, & ad ſe conuertit, quo circa hanc vim trahendi in loco vocat Ariſtot. admirabilem, & antiquiſſimam. Tum quia motio in genere cauſæ finalis in rebus ratione, & appetitu carentibus, non eſt niſi ratione propenſionis qualitatum, ſed hæc cum ſit ſemper eadem ſiue locatum multum diſtet, ſiue parum, ſemper eodem modo fiet tractio, & non magis in fine. Cœterum ſi admittamus vim illam tractiuam, facilius ſaluamus, quomodo in fine motus ſit velocior, cum tunc virtus ſit vigoroſior. Quod ſi in polo eſt virtus trahendi, aut vertendi magnatem in tanta diſtantia poterit etiam eſſe in centro virtus trahendi grauia ad ſe, quatenus illa virtus adiuuat grauitatem, &c.

45. Dico 2. quod maior illa velocitas in graui deſcendendi deorſum non prouenit à loco, neque in genere cauſæ finalis, neque efficientis, neque per ſympathiam, ſed ab extrinſeco, vel quatenus partes aeris à quibus mobile impellitur currunt poſt mobile ad impediendum vacuum, illique ſuccedunt citiſſimè, & in illa continua ſucceſſione impellunt idem mobile, & ſic motus intenditur. Vel etiam quatenus partes quæ pelluntur à mobili, facilius diuidunt alias partes proximiores mobilis, ac proinde eſt minor reſiſtentia. Vel etiam quatenus motus eſt cauſa caloris, & calor eſt cauſa raritatis medij, ac proinde aer calefactus facilius cedit, & diuiditur. Ex his omnibus poteſt maior motus velocitas in fine oriri.

§. 5. An

§. 5. *An poſſit dari aliquid abſque vllo loco, vel præſentia locali.*

46. SVarez 4. *de Angelis cap.3.* quem refert, & ſequitur Ariaga hic dicit quod Deus non poteſt creare aliquã rem, quæ nullibi ſit, & non habeat aliquam vbicationem. Communis ſententia affirmat, pro qua Pontius hoc loco refert Vaſquez, & Moncæum. Secundũ noſtra principia res certa eſt, nam Angelus non eſt in loco niſi per operationẽ, ac proinde quando nullam habet operationem erga locum, nullibi eſt. Item diximus in Logica, quod ſubſtantia habet partes ratione quantitatis, & ratione illius eſt in loco, quod ſi ſepararetur à quantitate, nullibi eſſet.

47. Sed obijcies 1. nam ſi daretur aliquid abſque vllo loco, maximè eſſet Angelus, qui à Deo ſolus fuiſſet productus quando mundum creauit, vel ſi ipsũ modo crearet in ſpatijs imaginarijs; ſed iſte Angelus neceſſariò eſſet in loco; ergo, &c. Minor probatur, nam neceſſariò haberet, vel diſtantiam à mundo, qui poſtea crearetur, vel indiſtantiam; ſed diſtantia, & indiſtantia pertinent ad locum, aut vbi; ergo, &c. Reſp. quod tunc ille Angelus nec haberet diſtantiam, aut indiſtantiam poſitiuam, à mundo qui poſtea crearetur, ſed ad ſummum priuatiuam, aut negatiuam. Nec tunc ille Angelus haberet operationem in loco, ſeu externam qua operaretur circa locum cum locus tunc non eſſet. Et ſi Deus crearet aliquem hominem modo in ſpatijs imaginarijs non poſſet dici quod eſſet in aliqua parte determinata illorum ſpatiorum, ratione cuius diſtaret à mundo, cum dicta ſpatia non habeant partes determinatas, licet nos eas fingere poſſemus.

48. Obijcies 2. quoniã Deus poteſt mouere iſtum mundum à loco in quo eſt, & ponere alibi in ſpatijs imaginarijs, ſed tunc eſſet in loco; ergo nihil poni poteſt etiam in ſpatijs imaginarijs quod non ſit in loco. Minor probatur, nam dato illo caſu, quod iſte mundus moueretur in ſpatijs vbi Deus poteſt ponere alios, & alios mundos ſi illos crearet, adhuc conſeruaret diſtantiam ad locum, vbi prius iſte mundus erat. Sicuti ſi Deus modo crearet extra hunc mundum alium, huic noſtro vicinum, tunc haberet tantam diſtãtiam ad noſtrum; ergo, &c. Reſp. quod eo ipſo quod Deus creat rem quantam, & extenſam, iam ponitur locus, quo alia ſint in loco, quæ ſcilicet ab ea conſcribũtur, non tamen tunc ſupponitur locus; vnde quando Deus creauit iſtum mundũ conſtituit locum omnium incluſorum, nõ tamen fuit præſuppoſitus locus in quo crearetur. Quod ſi Deus iſtum mundum moueret, aut transferret, non eſſet tunc motus localis, cum non eſſet motus de loco ad locum, reſpectu totius mundi, vt §.7. ſequenti videbimus explicantes quomodo vltima ſphæra ſit in loco. Quocirca tunc iſte mundus translatus non conſeruaret diſtantiam ad locum priorem cum non eſſet, & ſi alius mundus crearetur non poſſet dici vicinus niſi negatiuè. Non deſunt qui dicant, vt Pontius & alij non poſſe Deum hunc mundum ſecundũ ſe totum mouere, niſi creet de nouo aliquem locum. Sed hoc non placet: non poteſt quidem Deus mouere hunc mundum motu locali acquiſitiuo loci, niſi prius ponatur locus, poteſt tamen illum transferre ad aliquod ſpatium imaginarium, ſicut poteſt ibi alium mundum creare.

49. Obijcies 3. Non poteſt aliquid produci quin habeat aliquam durationẽ; ergo non poteſt aliquid produci quin habeat aliquem locum, aut vbi. Conſequẽtiam putat euidentem Ariaga, quia ſicut ſe habet duratio ad diuerſa tempora, ſiue vera, ſiue imaginaria, ita ſe habet vbi ad diuerſa loca ſiue vera, ſiue imaginaria, & ſicut res non poteſt durare niſi in hoc, aut illo tempore, ita non poteſt vbicari, niſi in hoc, aut in illo loco. Reſp. negando antecedens, loquendo de ratione quę eſt per correſpondentiam ad tempus extrinſecum, poteſt namque Deus creare aliquid quod ſit, & duret, quatenus duratio dicit perſeuerantiam in eſſe, ſine corriſpon-

Digitized by Google

riſpondentia ad tempus ex trinſecum, vt ſi Deus illud deſtrueret, deſtruendo primũ mobile, quod autem haberet correſpondentiam ad tempus imaginarium nihil facit; per hoc enim res non dicitur propriè durare per dictam correſpondentiã, ſicut non dicitur res eſſe in loco ex eo quod ponatur in locis imaginarijs.

§.6. *An formæ ſubſtantiales, & accidentia ſint in loco.*

50. Certum eſt, quod formæ ſubſtantiales elementorum, & omniũ mixtorum ſint aliquo modo in loco, ſicut & accidentia eorum, cum enim coniunguntur cum quantitate, quæ eſt ratio eſſendi in loco circumſcriptiuo de quo loquimur, ſequitur quod aliquo modo ſint in loco ratione eiuſdem quantitatis. Difficultas eſt de modo an ſicut quantitas eſt in loco per ſe, ita etiam ſubſtantia, formæ ſubſtantiales, & accidentia, an ſolum per accidens.

51. Prima ſententia eſt, quod tam ſubſtantia corporea, quam accidentia illius ſint in loco per ſe, & habeant proprium, & diſtinctum vbi à quantitate. Sic tenent Suarez *diſp.* 51. *metap. ſect.* 5. Hurtado *diſp.* 14. *ſect.* 4. Auerſa *q.* 28. Pontius *diſp.* 15. *n.* 36. & alij.

52. Noſtra ſententia ſeq. concl. explicatur. *Subſtantia corporea, formæ ſubſtantiales, imò & anima rationalis, vt eſt actu forma corporis, & omnia accidentia illorum ſunt in loco per vnicam, & eandem præſentiam quantitatis, ac proinde per accidens, ſeu per aliud.* Sic omnes Thomiſtæ pro quo videri poſſunt N. Complutenſ. *diſp.* 19. *q.* 6. quibus addo Vaſq & Ruuiũ apud Pontium loco citato. Ratio clara eſt in via D. Thomæ, quia nihil poteſt habere per ſe præſentiam in loco, quod non habet per ſe partium extenſionem in ordine ad locum, ſed ſola quantitas eſt huiuſmodi, vt oſtendimus in logica; ergo ſola quantitas per ſe poteſt habere præſentiam ad locum, ac proinde eſt in loco.

53. Sed obijcies 1. nam vbi quantitatis non poteſt modificare niſi quantitatem; ergo non poteſt eſſe ratio eſſendi in loco niſi reſpectu quantitatis. Conſeq. conſtat. Antecedens oſtenditur, quia modificatio nõ exercetur niſi in genere cauſæ formalis; forma autem non communicat ſuum effectum formalem niſi ſuo ſubiecto; ergo *vbi* non tribuet eſſe in loco niſi ſuæ formæ, & ſic vbi quantitatis non vbicabit niſi quantitatem. Reſp. quod ſicut quantitas extendendo ſubſtantiam extend t omnia accidentia, quæ ſunt in illa; ita quia *vbi* eſt *vt quo* in quantitate, & *vt quod* in ſubſtãtia, tribuet etiam ſubſtantiæ, & accidentibus illius eſſe in loco.

54. Obijcies 2. ſi deſtruerentur omnia accidentia ſubſtantiæ Petri exiſtentis in hoc cubiculo, adhuc ſubſtantia Petri maneret in eodem loco, & ſi iterum illa accidentia reproducerentur, ponerentur in eo loco per propriam, & nouam præſentiam diſtinctam à præſentia ſubſtantię ergo dantur plures præſentiæ. Reſp. quod in eo caſu ſubſtantia Petri non maneret in loco, ſed nullibi eſſet vt in loco, diceretur ſolum eſſe in mundo definitiuè, non circumſcriptiuè.

§.7. *An vltima ſphæra ſit in loco, & quomodo.*

55. Ratio dubitandi ex vna parte eſt, quia vltima ſphæra non habet ſupra ſe aliquod corpus à quo ambiatur, vt ſupponit Ariſt. Et licet Sancti Patres & Theologi ſupra primum mobile, quod ſecundum Ariſt. eſt vltima ſphęra ponant cœlum empyreum immobile, quod eſt ſedes Dei, & Beatorum, tamen nihil hoc refert ad difficultatem, ponamus enim non eſſe, potuiſſet enim non creari reliquis cęlis remanentibus, & tunc primum mobile non eſſet in loco, vt fatetur Ariſt. Et ex alia parte hæc doctrina videtur falſa ex principijs eiuſdem Ariſt. docuit namque *tex.* 1. omnes exiſtimare, quod omne quod eſt, alicubi eſt, ac proinde vltimum cęlum erit alicubi. Item *tex.* 32. ſic habet, *Primum igitur conſideraſſe*

raſſe oportet, quod non quæritur vtique locus, ſi non motus aliquis ſecundum locum eſſet, propter hæc enim cælum in loco maximè putamus, quia ſemper eſt in motu. Sed vltimum cęlum ſemper eſt in motu, ergo maximè eſt in loco. Tum quia vltima ſphæra per Ariſt. mouetur motu locali, ergo debet eſſe in loco.

56. Variæ ergo fuerunt ſcribentium ſententiæ. Aliqui namque dixerunt vltimam ſphæram nullo modo eſſe in loco, neque propriè moueri localiter. Alij verò dixerunt, eſſe quidem in loco, eius tamen locum eſſe cœlum inferius, ſicut ſi quis diceret locum amphoræ eſſe aquam, quæ in illa eſt. Alij locum ipſius eſſe dicunt ſuam vltimam ſuperficiem. Alij eſſe centrum mundi circa quod mouetur. Pro quo.

57. Notandum ex Ariſt. *tex.* 24. *&* 32. quod dupliciter poteſt aliquid eſſe in alio, & moueri, primò per ſe; ſecundo per accidens, ſeu per aliud. Per ſe dicitur aliquid eſſe in alio tanquam in loco, quod cum ſit diuiſum ab illo, continetur, & circumſcribitur ab eo ratione ſui, vt homo, lapis, terra, &c. quę per ſe ſunt in loco: Per accidens autem dupliciter aliquid poteſt eſſe in loco, aut moueri; primò ſi ſit pars eius, quod per ſe eſt in loco, non tamen diuiſa à ſuo toto, & ideo dicitur eſſe in loco per accidẽs, ſeu per aliud, ſcilicet ratione totius, ita tamen quod ſi diuideretur à ſuo toto, apta eſſet eſſe per ſe in loco, & moueri vt dimidium huius lapidis, quamuis nunc ſit in loco ratione totius, & moueatur ratione totius, per ſe tamen aptum eſt eſſe in loco, & moueri ſi diuidatur à ſuo toto. Alio modo poteſt aliquid eſſe in loco per accidens, ſeu per aliud; quia eſt in loco, aut mouetur illud in quo ipſum eſt; ipſum autem non eſt aptum ſeparari, ita vt ſeparatum ſit in loco, & moueatur per ſe, quo pacto albedo, & nigredo ſunt in loco, & mouentur per accidens, quia mouetur, & eſt in loco corpus in quo ſunt, ipſæ autem ſemper ſunt in loco per accidens.

58. Pono aliam diſtinctionem, quę ſumitur ex Ariſt. *tex.* 34. *&* 44. quod ſcilicet dupliciter aliquid poteſt eſſe in loco, vel actu, vel potentia. Potentia dicitur eſſe illud, quod poteſt intelligi cõtineri intra aliud, ſed quia non diſtinguitur actu ab illo à quo dicitur contineri, ideo non eſt actu in loco, ſed potentia, ſi per ſe conſideretur, quatenus poteſt diuidi, & ita actu contineri. v. g. in hoc lapide pars interior poteſt dici, & concipi vt contenta ab exteriori, actu tamen non continetur propriè, quia non ſunt hæ partes actu in continuo, ſed quia poſſunt diuidi, & ita contineri, dicuntur eſſe in loco in potentia. Actu autem dicitur aliquid eſſe in loco, quod actu eſt diuiſum à ſuo continente. Et hæc ſunt duo fundamenta poſita ab Ariſt. ad ſolutionem difficultatis.

59. His iactis fundamentis Ariſtot. *tex.* 43. ponit doctrinam illam, quod ſcilicet non poſſit aliquid eſſe in loco niſi habeat corpus extra ſe à quo contineatur. *Quare*, inquit, *etiamſi aqua quam videmus maximè indigere loco eſſet tale corpus, quod à nullo contineretur, ſicuti eſt totus mundus*, alludit ad hanc ipſam quæſtionẽ quo pacto totus mũdus ſit in loco, maximè vltima ſphæra *tunc tale corpus non eſſet in loco ſecundum totum, quia ſecundum totum à nullo continetur, neque tamen hinc ſequitur, quod aqua non poſſit moueri, ſicuti de facto mouetur vniuerſum*. Dupliciter autem aliquid poteſt moueri, primò per ſe, vt totum quoddam eſt, ſeu dicitur aliquid moueri vt totum ratione totius, quando ipſum totum transfertur ex vno loco in alium, & hic motus propriè vocatur motus ad locum, vt cum homo ex vno loco tranſit in alium, & illa quæ ita mouentur neceſſe eſt vt ſint per ſe in loco, ſeu in alio tanquam in loco, de quibus loquitur *tex.* 39. *&* 45. Alio modo poteſt totum moueri non vt totum eſt, nec ratione totius ſed per accidens, ſeu per aliud ratione ſcilicet ſuarũ partium, in quibus ipſum totum eſt tanquam continens in ſuis contentis, & hoc modo totus mundus mouetur. Aliquæ namque partes ipſius mouentur ſurſum, vt leuia, aliæ deorſum vt grauia; aliquæ circulari- ter

ter vt cæli, totus tamen mundus non transfertur in alium locum ſecundum ſe totum,& ita ſecundum ſe totum non mouetur;at quia adhuc controuerſia non videbatur ſoluta, nam omne quod mouetur localiter inquantum mouetur debet eſſe aliquo modo in loco, vnde ſi vniuerſum mouetur ratione partium, ratione etiam partium debet eſſe in loco, & non videtur poſſe aſſignari cuicumque parti locus propter vltimam ſphæram, quæ nõ eſt in loco. Ideo ad ſoluendam difficultatem vtitur illa diſtinctione ſuprapoſita, quod aliquid poteſt eſſe in loco, vel actu, vel potentia; partes vniuerſi quæ continentur ab aliquo, vt ſint ab illo diuiſæ, ſunt in loco actu,vt ſunt omnia præter vltimum cælum. Partes autem vltimi cæli non ſunt actu in loco, ſed tantum in potentia,quatenus partes vltimi cæli diſtingui poſſunt in plures circulos inferiores, & ſuperiores, & in alias partes, vt pars quæ ſequitur immediatè à puncto orientis,continet aliam immediatè ſequentem, & ſic deinceps. Rurſus ſecundam aliam diſtinctionem, id quod eſt in loco, vel eſt per ſe, vel per accidens; totus mundus non eſt in loco per ſe, vt totum eſt, ſicut nec mouetur vt totum, ſed per accidens, ideſt ratione ſuarum partium, ſecundum quas poteſt eſſe in loco, vel actu, vel potentia, vt dictum eſt. Totum ergo vniuerſum eſt in loco ratione ſuarum partiũ, & actu quidem ratione aliquarum;vltimũ autem cęlum eſt ſolum in potentia ratione ſuarum partium. Et hæc eſt egregia Ariſtotelis ſolutio ad hanc difficultatem.

60. Ad 1. rationem dubitandi reſp. quod omne quod eſt, alicubi eſt:vel actu, vel potentia: vel per ſe,vel per accidens. Huiuſmodi eſt cælum. Ad 2. reſp. vtrumque optimè eſſe dictum ab Ariſt. primò quod non cognoſceretur locus niſi daretur motus localis,quoniam ex motu venimus in cognitionem quod locus eſt,quod poſſit ab illo deferi,contineri, & conſeruari, & ita quærimus quid ſit huiuſmodi locus. Si enim omnia quieſcerent, poſſet aliquis credere, quod vnaquæque res eſt ſuus locus. Item illud eſt dictum, vt cognoſcamus cælum eſſe in loco, quia continuò mouetur, maximè namque motus indicat locum; ad hoc autem ſufficit, quod ſit in loco in potentia, vel per accidens, vt dictum eſt. Ad vltimam reſp. quod motus cæli non eſt propriè motus localis,ſeu ad locũ,eo quod vltimum cælum non mouetur ad aliud,ſed melius dicitur motus in loco, ſcilicet in illo loco potentiali partium. Et ſic vltimum cælum non debet dici moueri in alio, ſed in ſe ipſo, ratione partium, quia aſsignato quocumque puncto fixo ad orientem v.g. vel occidentem, partes cæli ſucceſſiuè ad illud vel accedunt, vel recedunt, manente immobili toto cælo, vt totum eſt. Poſſet etiam hic motus explicari per ordinẽ ad ſpatium imaginarium, non quia tale ſpatium ſit locus, ſed quia eſt aptum ad explicandum cæli motum.

61. Sed obijcies 1. Illud quod eſt in loco per accidens,aut potentia, debet eſſe in aliquo quod ſit per ſe, & actu in loco; ſed vltimum cælum non eſt huiuſmodi. Maior conſtat. Minor probatur,quia tale cęlum non eſt niſi in ſuis partibus, quæ neque per ſe, neque actu ſunt in loco; ergo, &c. Reſp. nos dicere vltimum cælum in ſententia Ariſt.eſſe per ſe in loco potentia, per ſe enim neque actu, neque potentia eſt in loco, eſſe tamen in loco per accidens,ratione ſuarum partiũ, at partes ipſæ ſunt in loco in potentia. Vnde conceditur, quod id quod eſt in loco per accidens debet eſſe in alio,quod ſit in loco per ſe, vel actu, vel potentia: partes autem cæli ſunt in loco per ſe in potentia, vt iam dictum eſt. Quod autẽ eſt in loco in potentia, non debet eſſe in aliquo quod ſit in loco actu; ſufficit enim vt poſſit diuidi ab eo quod eſt in loco in potentia, etſi id in quo eſt non ſit in loco actu.

62. Obijcies 2. Id quod eſt in loco per accidens debet eſſe pars eius, quod eſt in loco per ſe, ſed vltimum cælum nõ eſt huiuſmodi ratione ſuarum partiũ cum non ſit pars illarum, ergo,&c. Reſp.quod eſt in loco per accidens tanquam contentum, & integrans aliud quod eſt in loco

loco per ſe, debet eſſe pars, conceditur. Quod eſt in loco per accidens tanquam continens id quod eſt in loco per ſe, debet eſſe pars, negatur; vt patet in anima quæ eſt in loco per accidens ratione corporis, & tamen non eſt pars corporis, ſed eſt quaſi continens corpus vt forma, vt docet Ariſt. 1. *de anima tex. 90.* Ob quam cauſam poſuit duos illos modos eſſendi in loco per accidens. Vnde *tex. 4.* dicit aliqua eſſe in loco ſicut anima, & cœlũ, quaſi comparans iſta duo, ſicut enim anima eſt in loco, quia continet id quod eſt in loco, ita cælum vltimum eſt in loco, quia continet id quod eſt in loco, &c.

§. 8. *An duo, aut plura corpora poſsint eſſe naturaliter in eodem loco.*

63. ARgentina *in 4. diſt. 49. q. 1. art. 4.* dicit, quod ſatis probabiliter oſtendi poteſt, quod duo, aut plura corpora poſſint eſſe in eodem loco. Pro intelligentia difficultatis notãdum eſt, quod ratio ob quam duo corpora non poſſunt eſſe in eodem loco, eſt eorum impenetrabilitas, quæ nihil aliud eſt, quam quod corpus quantum, & extenſum in ordine ad locum, in eodem loco non permittat aliud ſimul poni, ſed vel illud expellat, aut ab illo expellatur, ne in locum eius ingrediatur. Hæc autem expulſio non fit in genere cauſæ efficientis, cum quantitas, quæ corpus conſtituit, non ſit operatiua, ſed in genere cauſæ formalis, ratione ſcilicet incompoſſibilitatis formarũ. Quare duo corpora vt ſint in eodem loco, debent ad inuicem penetrari, quod vt fiat, neceſſum eſt, vt vtrumque ab eadẽ loci ſuperficie contineatur, & circumſcribatur, & cum contineri, & circumſcribi non poſsit corpus à loco niſi habeat quãtitatem extenſam in ordine ad eundem locum, vt duo corpora penetrentur, & ſint circumſcriptiuè in eodem loco, oportet, quod vtrumque habeat quantitatem, & ſuam extenſionem in ordine ad locum, & ſolum ab vtroque auferatur effectus ille quantitatis; qui eſt ſecundarius, & poſterior extẽſione in ordine ad locum, ſcilicet expellere aliud corpus. Si namque Deus ab aliquo corpore auferret quantitatem, aut impediret illius extenſionem in ordine ad locum, licet hoc eſſet miraculum, non tamen eſſet nouum miraculum, quod poneretur vbi eſt aliud corpus extenſum, nec tunc fieret penetratio, ſed vnum eſſet in eo loco circumſcriptiuè, nõ aliud quod non haberet extenſionem ad locum, ſed eſſet definitiuè. Quo modo nos dicimus corpus Chriſti in Euchariſtia non eſſe penetratiuè cum quantitate extenſa panis, ex eo quod dictum corpus Chriſti non habet extenſionem ad locum. Hoc poſito.

64. Noſtra ſent. ſeq. concl. explicatur. *Non poſſunt duo, aut plura corpora cum ſua extenſione in ordine ad locum poni, aut eſſe in eodem loco.* Hæc concl. eſt certiſſima, quam tenent omnes Catholici. Conſtat experientia, nam videmus, quod eo ipſo, quod in aliquo loco ponitur vnũ corpus, expellitur aliud ibi exiſtens. Tum quia eſt de ratione quantitatis naturaliter habere extenſionem in loco, propriũque ſitum ab alia quantitate diſtinctum; ſed vbi datur propria extenſio, & proprius ſitus, non poteſt ab alia quantitate præoccupari, aliàs non eſſet proprius, ergo, &c. Tum quia expulſio alterius corporis à loco, effectus eſt ſecundarius, naturaliter indiſpenſabilis, ergo, &c. Aliàs ſi iſte effectus eſſet naturaliter diſpenſabilis ſequeretur, quod non ſolum duo, ſed etiã omnia corpora poſſent naturaliter eſſe in eodem loco, quod patet eſſe euidenter falſum. Demum, quia duo corpora nequeunt naturaliter terminari, & concludi eodem termĩno, cum vnumquodque ſuis terminis, ſeu finibus, aut limitibus terminetur; ſed ſi ponerentur in eodem loco, ſuis limitibus non terminarentur, ſed cõmunibus ergo, &c.

65. Sed obijcies fundamentum Argentinæ, quoniam in ferro candenti reperiuntur duo corpora, ſcilicet ferrum, & ignis, ſed hæc occupant vnum, & eundem locum; ergo, &c. Nec valet dicere, quod in ferro non reperiatur ignis cum ſua quanitate, & extenſione, ſed ſola calidi-

tas

tas ab igne producta, quæ in ferro ſubiectatur, & à quantitate illius extenditur. Nam contra eſt, inquit, quoniam ex operatione venimus in cognitionem ſubſtantiæ, & formæ; ſed in ferro candenti dantur operationes ignis, vt accendere materiam; generare alium ignem; ergo, &c. Reſp. quod ex operatione venimus in cognitionem formæ, aut virtutis illius, ex eo autem quod ferrum candens comburat, aut generat alium ignem, ſolùm infertur, quod ibi ſit virtus ignis, ſcilicet calor, qui in tali gradu, vt virtus ignis poteſt comburere, & generare alium ignem. Vel dicas, quod in poris, & meatibus ferri vbi erant aliquæ partes minutiſſimæ aeris, eo expulſo, reperiuntur aliquæ particulæ ignis, quæ eos effectus producunt.

66. Obijcies 2. nam in vaſe cineribus pleno poteſt ſimul recipi tantum aquæ, ac recipi poſſet in odem vaſe abſque cinere, ſed tunc duo corpora ſunt intra idem vas, ergo, &c. Reſp. quod tunc non ponuntur duo corpora in eodẽ loco, ſed in diuerſis; aqua namque non ponitur in loco vbi ſunt cineres, ſed in eiuſdem cineris poris; cineres namque ſunt multum poroſi, & in illis conſeruatur aer, qui per immiſionem aquæ, aut vini expellitur, & vinum ingreditur, cum vinum ſit ponderoſius. Vel dicas quod cum cineres ſint valdè ſicci abſumunt, & conſumunt aquã, aut vinum, quoad aliquam partem, reliqua recepta in poris, aut meatibus cineris.

§. 9. *An duo, aut plura corpora poſſint eſſe ſimul ſupernaturaliter in eodem loco.*

67. PRima ſententia negat, quam ſequitur Durand. *in 4. diſt. 44. q. 1.* Durandum ſequitur Paludanus *ead. diſt. q. 3.* Pro quo nota, quod natura quantitatis eſt extendere ſubſtantiam, vt habeat partes extra partes, quod duobus modis fieri poteſt, primo in ordine ad ſe, ſeu ad totum, ſecundo in ordine ad locum. Extenſio in ordine ad totum in hoc conſiſtit quod vna non ſit alia, aliumque teneat ordinem in toto, quam non tenet alia, licet vtraque poſſit eſſe in eodem loco. Extenſio in ordine ad locum in hoc conſiſtit, quod vna ſit extra aliam, & alium locum occupet, vt non ſolum ſeruent ordinem ad totum, ſed etiam inter ſe, quantum ad locum. Conueniunt ergo omnes quod ſit de eſſentia quantitatis habere partes extenſas in ordine ad ſe, eaſque tribuere ſubiecto. Difficultas ſolùm eſt, an etiam ſit de eſſentia quantitatis habere extenſionem in ordine ad locum, ratione cuius ſibi vendicet propriũ locum, vt non poſſit admittere aliam quantitatẽ. Secundum fidem, certa res eſt, vt conſtat in Sacramento Euchariſtiæ, quod quantitas poſsit ſeparari ab extenſione in ordine ad locum, cum ibi corpus Chriſti D. eam non habeat, ſed ſit modo indiuiſibili, & ſolum habeat extenſionem in ordine ad ſe, ſeu ad totum. Dato modo quod duo corpora habeant extenſionem in ordine ad locum, quæritur ad duo corpora ſic in ordine ad locum extenſa poſſint per diuinam potentiam eſſe in eodẽ loco. Auctores citati dicunt implicare contradictionem, quod duo corpora penetrentur, & ponantur in eodem loco, quia ita vnumquodque corpus ſibi proprium locum vendicat, vt aliud ab eiuſdem loci ſocietate expellat.

68. Noſtra ſententia ſeq. concl. explicatur. *Poſſunt duo corpora ſupernaturaliter poni penetratiuè in eodem loco.* Sic tenent communiter Theologi, & Philoſophi, pro quo videri poſſunt N. Complut. *diſp. 19. q. 7. n. 56.* Colligitur hæc concl. ex Sacra Scriptura, nam Corpus Chriſti D. glorioſum penetrauit cælos ex Apoſt. ad Hebr. 4. *Habentes Pontificem, qui penetrauit cælos.* Idem corpus exiuit de ſepulchro clauſo, vt docent communiter Sancti Patres: intrauit ad Apoſtolos non per feneſtram, neque per rimulas portæ, ſed per portam clauſam: ianuis clauſis. Idem Corpus ſacratiſsimũ egreſſum fuit de puriſſimo Virginis vtero, eo prorſus intacto, non dilatato, vt vult Durandus; ergo, &c.

69. Probatur 1. nam Deus de facto ſuper-

ſupernaturaliter facit quod quantitas nõ habeat extenſionem in ordine ad locum, vt patet in ſacramento Euchariſtiæ, ergo etiam poteſt facere quod eadem quantitas non habeat effectum expulſionis alterius quantitatis ab eodem loco. Antecedens eſt de fide. Conſeq. probatur, nã tam extenſio in ordine ad locum, quam expulſio alterius corporis ab eodem loco ſunt effectus quantitatis ſecundarij, ergo ſi Deus poteſt ſupplere primum, & magis intimum quantitatis, poterit etiam ſupplere ſecundum minus intimum. Nec valet quod differentia ſit quia ille prior effectus ſecundarius eſt poſitiuus, iſte autem priuatiuus. Nam contra eſt, quoniã Deus poteſt etiam ſupplere effectus ſecũdarios, & formales priuatiuos, cum non ſunt adeo intimi, & proximi, ſed remoti, vt in noſtro caſu contingit, maximè quãdo dependent ab aliquo poſitiuo, quod Deus impedire poteſt; ſed expulſio alterius corporis à loco dependet ab extenſione in ordine ad locum, quam Deus impedire poteſt, vt patet in Euchariſtia; ergo, &c. Soli illi effectus ſecundarij impediri non poſſunt, quando ex eorum impedimento, ſequeretur impedimentum primarij, vt eſt expulſio formæ à materia, ſi enim impediretur expulſio formæ antiquæ non poneretur informatio formę nouæ. At in noſtro caſu ex impedimento expulſionis alterius corporis non ſequitur quin quantitas tribuat ſuum effectũ formalem ſuo ſubiecto, ergo, &c.

70. Probatur 2. Magis repugnat quod duo contraria ponantur ſimul in eodem ſubiecto in gradibus intenſis, quam quod duo corpora ſimul penetrentur; ſed illud primum fieri poteſt per diuinam potentiam, vt omnes tradunt; ergo etiam hoc ſecundum fieri poterit. Maior probatur, nam vnum contrarium repugnat alteri, ratione effectus formalis primarij, qui eſt taliter informare, vt ratione ſuę formæ contrarietur alteri, at penetratio corporum fit impedita expulſione quæ ſolum eſt effectus ſecundarius, & valdè remotus quantitatis; ergo, &c.

71. Primum argum. nam eum ordinem quem ſeruant partes in toto, eundẽ debent ſeruare in loco, ſed eſt impoſſibile, quod in toto vna pars nõ ſit extra aliam, ergo etiam in loco vna debet eſſe extra aliam, ſed ſi duo corpora eſſent ſimul in eodem loco, partes vnius non eſſent extra alias; ergo &c. Reſp. quod tunc temporis partes vnius corporis non eſſent extra alias quantum ad locum, cum eſſent in eodem loco, tamen partes huius corporis eſſent extra alias eiuſdem corporis.

72. Secundum argum. Impoſſibile eſt vt fiat, quod naturæ quantitatis repugnat, ſed repugnat naturæ quantitatis quod duo corpora, ſint in eodem loco; ergo, &c. Minor probatur, nam de natura quantitatis eſt excludere aliam à ſe, & à ſuo loco repellere; ſed hoc non fieret ſi duo corpora eſſent in eodem loco; ergo, &c. Reſp. negando minorem. Ad probationem dico eſſe contra naturam quantitatis non ponere partes extra partes in ordine ad ſe, ſeu ad totũ, non in ordine ad locum, ſicut nec expulſio alterius quantitatis.

73. Tertium argum. Ita ſe habent partes quantitatis ad locum, ſicut partes motus ad tempus, ſed impoſſibile eſt quod partes motus ſint ſimul in eodem tempore; ergo etiam impoſſibile eſt quod partes quantitatis diuerſi corporis ſint ſimul in eodem loco. Reſp. negando maiorem. Eodem quidem modo ſe habent partes quantitatis ad totum, quo partes motus ad tempus; ſicut enim eſt de eſſentia partium ſucceſſiuarum quod vna ſequatur alteri, ita eſt de eſſentia partium permanentium, vt vna ſit extra alteram in ordine ad totum, non in ordine ad locum.

74. Quartum argum. quoniam ita ſe habent duo accidentia ad vnum ſubiectum, ſicut duo corpora ad eundem locũ, ſed duo accidentia ſolo numero diſtincta non poſſunt eſſe in eodẽ ſubiecto, ergo neque duo corpora poterunt eſſe in eodem loco. Maior probatur, nam ideo duo accidentia non poſſunt eſſe in eodem ſubiecto, quia ab illo indiuiduantur, ſed etiam corpora indiuiduantur ab eodem loco, ergo,

ergo, &c. Reſp. quod corpora non indiuiduantur à loco, ſicut accidentia à ſubiecto, ſed corpora, ſeu quantitates indiuiduantur à ſuis ſubiectis; indiuiduatio nãque debet ſumi ab aliquo intrinſeco, locus autem eſt extrinſecus quantitati, & corpori.

75. Quintum argum. nam ſi duo corpora eſſent ſimul in eodem loco per penetrationem, ſequeretur quod vnus, & idem effectus poſſet eſſe à duabus cauſis totalibus; ſed hoc eſſe nequit, vt ſupra vidimus, quia aliàs dependeret, & non dependeret, eſſent illæ cauſæ totales, & adæquatæ, & non eſſent; ergo, &c. Maior probatur, quia idem locus adæquatè repleretur ab vtroque corpore, cum ab vno tantum adæquatè repleretur, ergo &c. Reſp. quod in tali caſu illa duo corpora ſic penetrata conſtituunt vnam, & eandẽ cauſam adæquatam, & totalem repletiuã loci, ac proinde non concurrunt vt duæ cauſæ totales, ſed vt duæ partiales.

§. 10. *An idem corpus poſſit eſſe ſupernaturaliter in pluribus locis circumſcriptiuè.*

76. Prima ſententia affirmat. Pro qua N. Complut. *diſp.* 19. *q.* 8. *n.* 65. referũt Scotum Ricard. Murciam. Ruuium Bellarmin. & Suariũ, quibus addo Ariagam *hic ſect.* 8. & Pontium *diſp.* 15. *q.* 5. *n.* 53. dicentem eſſe ſententiam ferè omnium recentiorum.

77. Noſtra ſent. ſeq. concl. explicatur. *Implicat contradictionem, quod idem corpus ſit circumpſcriptiuè in pluribus locis.* Pro hac concl. citant dicti Complut. D. Tho. D. Auguſt. D. Anſel. D. Bonau. Abulens. Durand. Henrium, Aegidium, Heruæum, Godofredum, Carthus. Capreol. Palud. Ferrar. & Vaſq. quibus addo Lermam *hic q.* 6. *per totam.*

78. Probatur 1. nam vna, & eadem res non poteſt ſimul coexiſtere diuerſis temporibus, vt huic horæ, & horæ ſequẽti, huic anno, & anno ſequenti; ergo neque poteſt coexiſtere ſimul huic loco, & alteri v. g. huic Eccleſiæ, & alteri. Antecedens admittunt aduerſarij. Conſeq. probatur, ita enim ſe habet res ad diuerſa tempora ſicut ſe habet ad diuerſa loca, hinc videmus quod quia Deus per æternitatem amplectitur diuerſa tempora, ita per immenſitatem amplectitur diuerſa loca, & ſi ſemel Deus per æternitatem non amplecteretur omne tempus, neque per immenſitatem amplecteretur omnem locum.

79. Occurrit Pontius negando conſequentiam, quia diuerſa tempora non poſſunt ſimul coexiſtere, bene tamen diuerſa loca. Sed contra, nam ſicut diuerſa tempora non coexiſtunt vni tempori, ita neque diuerſa loca adæquata coexiſtunt vni loco, vnde ita valet argumentũ ad tempora diuerſa, ſicut ad diuerſa loca; vt ſicut diuerſa loca coexiſtunt vni tempori: ita diuerſa tempora vni loco, & sẽper valet argumentum ab æternitate ad immenſitatem, & è contra.

80. Probatur 2. quia ſi vnum, & idẽ corpus poneretur hic Romæ, & Mediolani ſequeretur quod Mediolanum, & Roma coexiſterent ſi idem corpus iſta duo loca occuparet; ſed implicat; implicat namque quod Roma, & Mediolanum coexiſtant, cum ſuppoſita diſtantia non ſint talia. Sequela probatur, ex illo cõmuni principio. *Quæ ſunt eadem vni tertio, ſunt idem inter ſe,* nam Roma, & Mediolanum ſunt eadem vni tertio ſcilicet illi corpori, quoad coexiſtentiam, quia ita Roma, ac Mediolanum coexiſtunt illi corpori; ergo debent coexiſtere inter ſe.

81. Nec valet dicere hoc argum. nõ valere, nam caput, & pedes coexiſtunt eidem animæ, ergo coexiſtunt inter ſe, nam contra eſt, quia caput, & pedes non coexiſtunt eidem animæ adæquatè, ſed tantum inadæquatè, cæterum illa duo loca adæquatè coexiſtunt illi corpori, quæ autem ſunt eadem vni tertio adæquatè, sũt idem inter ſe, non quæ ſunt eadem vni tertio ſolum inadæquatè.

82. Probatur 3. nam de ratione loci circumſcriptiui eſt, quod circumſcribat, & comprehendat locatum, ſitque illi adæquatus; ergo taliter illud terminat, vt non ſinat eſſe extra illum. Implicat namque loca-

locatum adæquare locum, at locum terminare locatum, & quod locatum ſit extra locum, aliàs non terminaret, non circumſcriberet, non adæquaret; quod enim continet aliud tanquam terminus, circũſcribens, & adæquans non ſinit illud eſſe extra. Tum quia ſicut eſt contra rationẽ infiniti quod habeat terminum, ita eſt contra rationem finiti, quod vagetur extra terminum.

83. Occurrit Pontius, quod de ratione loci circumſcriptiui eſt quod circumſcribat, quod comprehendat, quod terminet locatum, quantum ad hoc quod totum locatum in ſe contineat, concedit; quantum ad hoc quod nihil locati, aut totum locatum non poſſit eſſe extra, negatur. Aliud namque eſt quod locus adæquet locatum, illudque terminet, & aliud eſt, quod ita adæquet, & terminet, vt non ſinat eſſe extra. Primum eſt verũ, & admittendum, ſecundum falſum, & negandum. Sed contra, nam de ratione loci eſt ita circumſcribere, adæquare, & terminare locatum, vt non ſinat eſſe extra, ſi enim ſemel ſineret eſſe extra non circumſcriberet, non adæquaret, non terminaret, aliàs iſta poſſent etiam infinito cõpetere, ſi enim non eſt de ratione termini taliter rem terminare, vt ſinat eſſe extra, iam ratio termini infinito competeret, &c. Vide nu. ſequenti.

84. Probatur 4. nam quantitas naturaliter ita determinat corpus, & claudit intra ſe ratione ſuæ ſuperficiei, vt non ſinat eſſe extra; ergo etiam ſupernaturaliter. Antecedens conſtat. Conſeq. probatur, quia quoties forma non poteſt præſtare aliquem effectum naturaliter, neque ſupernaturaliter præſtare poteſt. Vnde eſt differentia inter cauſam formalem, & efficientem, quod Deus poteſt defectum cauſæ efficientis ſupplere non defectus cauſæ formalis; hunc enim defectum non poteſt ſupplere per ſe ipſum cum inuoluat imperfectionem; neque per additionem alicuius formæ, quia forma quæ adderetur vel eſſet naturalis, & tunc eſſet inſufficiens ſicut illa cui adderetur. Vel eſſet ſupernaturalis, & tunc non poſſet præſtare effectum naturalem, vt eſt circumſcribere locatum; ergo, &c.

85. Probatur 5. nam ſequeretur ſi idem corpus poneretur in duplici loco, quod eſſet vnum, & non eſſet vnum, hoc implicat, ergo, &c. Sequela probatur, nã illa non ſunt vnum quæ ſunt ad inuicem diuiſa; ſed illud corpus in duplici loco eſſet à ſe diuiſum; ergo non eſſet vnum, contra ſuppoſitum. Quod autem illud corpus eſſet à ſe diuiſum, oſtenditur, nam illa ſunt diuiſa, inter quæ mediant alia corpora, ſed ſi idem corpus eſſet hic Romæ, & Mediolani, mediarent alia quanta, ſeu corpora; ergo, &c. Tum quia vbi ſunt duæ ſuperficies ambientes ibi non eſt idem corpus, de ratione namque ſuperficiei eſt diuidere vnum locatum ab alio. Tum etiam quia illud corpus vt eſt in duplici loco ita ſe habet, quod habeat duplicem ſuperficiem terminantem, & facientem quod vnum corpus non tangat aliud, ergo quod vnum non ſit aliud, quæ enim non ſe tangunt, non ſunt ſimul, illa enim ſunt ſimul, quorum extrema ſunt vnum, & illa ſunt diuiſa, quorum extrema non ſunt ſimul. Relinquo alia argumenta, vt quod illud corpus in vno loco poſſet calefieri, in alio frigefieri: in vno dormire in alio vigilare, in vno poſſet peccare, in alio mereri, & eſſe in gratia, &c. Soluuntur argum, in contrarium.

86. Primum argum. nam multi, & grauiſſimi auctores dicunt quod Chriſtus D. apparuit aliquando modo extenſo, & circumſcriptiuo, vt cum apparuit D. Petro cum fugeret à carcere, cui Petrus dixit. *Domine quo vadis, &c.* de quo num etiam extat hic Romæ memoria, & tamen tunc non reliquit cælum, vt colligitur ex illo Act. 3. *Quem opportet cælum ſuſcipere vſque ad tempus reſurrectionis hominum.* Et diſt. 2. cap. primæ ex D. Aug. dicitur. *Donec finiatur ſæculum, ſurſum eſt Dominus*, quod etiam docet D. Tho. 3. *p. q.* 76. Addit Pontius quod *in Breuiario Romano legitur de S. Ambroſio, quod ſimul fuerit Mediolani, & adfuerit funeri S. Martini in ciuitate Turonenſi, cui ſimile*

quid etiam refertur de S. Antonio noſtro de Padua, ac alijs Sanctis. Reſp. cum D. Tho. loco citato *art.* 8. quod Chriſtus D. pro illo breui tempore potuit deſerere cœlũ, non tamen ob id priuantur beati eius viſione quia ob illam diſtantiam non impediuntur ab illius viſione. Cum in maiori diſtantia cœli empyrei illum videant, ſi verum eſt quod aliqui dicunt quod eſt maior diſtantia à parte inferiori ad ſuperiorem cœli empyrei quam ſit ab ipſo cœlo empyreo, vſque ad terram, & tamẽ beati vident corpus Chriſti in quacumque diſtantia nec indigent vt clarius videant, quod propius accedant. Ad illud quod dicit de S. Ambroſio dico quod in meo Breuiario Romano non reperitur, quod ſi reperiretur, dicendum eſſet quod non fuerit circumſcriptiuè in duplici loco ſed in vno tantum, in alio apparenter; idẽ dicendum de alijs Sanctis.

87. Secundum argum. De facto corpus Chriſti D. ponitur circumſcriptiuè, & extenſum in cœlo, & ſimul inextenſum, & definitiuè in ſacramento altaris ſub ſpeciebus panis; ergo etiam poteſt poni extenſum in cœlo, & in alio loco. Probatur conſeq. 1. quia omnes implicantiæ quæ adducuntur contra extenſionem in duobus locis, militant etiam contra extenſionem in vno loco, & inextenſionem in alio. 2. Quia difficultas eſt ponere corpus Chriſti inextenſum in altari quam extenſum, nam vt ponatur inextenſum debent fieri duo miracula; vnum quo corpus ponatur in pluribus locis, aliud quo ponatur abſque ſuo modo connaturali, ſcilicet abſque extenſione. At vt ponatur extẽſum ſufficit quod ponatur vnum miraculum quo corpus ponatur in pluribus locis. 3. Quia facilius eſt ponere in materia duas formas connaturales ſimul, quas ſucceſsiuè habere poteſt quam vnã tantum, quã nec ſucceſsiuè poteſt habere naturaliter; ergo facilius etiam erit, quod corpus habeat ſimul duas præſentias circumſcriptiuè quas naturaliter ſucceſſiuè habere poteſt, quã vnam, quam nullo modo naturaliter habere poteſt, vt eſt eſſe modo inextẽſo. 4. Quia vnus locus poteſt ſupernaturaliter circũſcribere duo corpora vt S. præcedenti dictum eſt, ergo etiam ſupernaturaliter poterit idem corpus ſimul circumſcribi à duplici luco.

87. Reſp. concedendo antecedens, & negando conſeq. Ad 1. probationem dico, quod implicantiæ non ſunt ex eo quod idem corpus ſit in pluribus locis vtcumque, ſed quantitatiuè, ſeu circumſcriptiuè, nam inextenſo modo, & ex vi conuerſionis, non dicit implicantias à nobis aſſignatas, vt noſtras rationes conſideranti conſtabit. Ad 2. probationem negatur antecedens, nam licet ad ponendum vnum corpus in vno loco circumſcriptiuè, & in alio definitiuè requirantur duo miracula, & quod ponatur in duplici loco, & quod ponatur modo inextenſo, at vt ponatur in duplici loco modo extenſo, nec vnum, nec centum miracula ſufficiunt. Ad 3. probationem, dico facilius eſſe ponere in materia vnam formam, quam naturaliter habere non poteſt, quam duas quas ſucceſſiuè habere poteſt, hoc enim inuoluit intrinſecam repugnantiam à Deo inſupplebilem, vt ſupra viſum eſt, non illud. Ad 5. dico nullam eſſe repugnantiam quod duo corpora ſint ſimul in eodem loco impediente Deo effectum ſecundarium expulſionis, at maxima repugnantia eſt, quod idem corpus ponatur in duplici loco circumſcriptiuè, vt in noſtris rationibus videre licet.

DVBIVM II.

De vacuo.

89. Vacuum varijs modis accipitur. Primò vocatur quandoque vacuum ſpacium illud imaginariũ, quod extra cœlum concipimus, quod à veteribus vocabatur vacuum extra corpus, inane autem quod concipimus intra aliquod corpus vocabant vacuum intra corpus. Secundò vocatur etiã vacuum illud corpus, v.g. vas non plenum ijs corporibus, quibus aptum eſt repleri, qua ratione dicitur vacua amphora in qua non eſt ille liquor qui prius erat. Et domus dicitur vacua, quæ eſt ſine habitatore. Item dicitur

citur vacuum illud vbi vix aliquid apparet, qua ratione dicitur vacuum totum ſpatium qnod eſt ſupra nos vſque ad cœlum. Cæterum huiuſmodi non ſunt propriè vacua, ſed impropriæ vacui acceptiones. Propriè autem vacuum ſi daretur, eſſet corpus aptum continere aliquid, cum tamen actu nihil contineat. Sicuti ſi Deus in hoc noſtro templo S. Mariæ de Victoria annichillaret aerem, nullo alio corpore introducto, tunc in illo eſſet vacuum, eſſet enim ſuperficies parietum apta continere intra ſe corpus, cum tamẽ non contineret. Hoc vacuum duobus modis ab Ariſt. deſcribitur; primò *tex. 60. & 65.* ſcilicet vacuum eſt *locus non repletus corpore*, ſeu *priuatus corpore*, & tunc nomen vacui accipitur adiectiuè, quaſi dicatur *locus vacuus*. Secundò ſubſtantiuè acceptum definitur ab eodem Ariſt *tex. 67.* quod ſit *non ens*, ſeu *priuatio corporis*; & non eſt aliud niſi ſpacium illud imaginarium, quod re vera nihil eſt, poſſumus tamen imaginari intra latera loci vacui, de quo.

§. 1. *An vacuum de facto detur in natura, aut dari poſſit naturaliter.*

90. Aliqui Philoſophi admittebant vacuum in rerum natura. Cõmuniſſima tamen eſt hoc tempore ſententia non dari vacuum, neque magnum, neque paruum, ſed omnia corpora ita eſſe inter ſe connexa, ſaltem vinculo contignitatis, vt nulla vi naturali corporea diuelli poſſint ab inuicem, nullo alio corpore intercedente, & hæc ſententia veriſſima eſt, & probatur multis, & manifeſtis, & quotidianis experientijs, quas cum paſſim videamus, ab omnibus referuntur. Et primò quidem in vaſis, & clepſidris. Si enim ſit vas ima parte perforatum, & plenum aqua, habens vnicum foramen in ore clauſum, numquam aqua ex infimo foramine egredietur, niſi aperto ſuperiore foramine, aut aliũde aer ingredi poſſit. Item ſit fiſtula ex vno capite immerſa aquæ, & ex alio capite attrahatur aer, nunquam attrahetur niſi aqua aſcendat ad replendum locum aeris attracti. Vnde ſi ex alia parte occurrat aliquid quod attrahi non poſſit, nulla vi attrahetur aer. Prætereа compertum eſt in hyeme, quod ſi exponatur frigori aliquod vas quantumcumque durum, & ſolidum plenum aqua, & ex vi frigoris neceſſe ſit aquam condẽſari, vt occupet minorem locum, ſi nihil aeris ingredi poſſit, neceſſariò frangetur vas, aut eius latera intus attrahentur, ne detur vacuum. Huc etiam reuocari poſſunt multa quæ accidunt aſcenſu aquæ, ne detur vacuum, aut quibus aliqua corpora detinentur immota, aut nõ frangantur, aut frangatur propter hanc cauſam. Ex quibus experientijs manifeſtè colligitur omnia corpora ita eſſe naturaliter inter ſe connexa, vt diuelli non poſſint.

91. Sed quæres primo à quo moueatur aqua ſurſum, quando attracto aere ſubſequitur aqua. Reſp. moueri ſecundum aliquos à virtute attrahente aerem, quæ neceſſariò ſimul attrahit aquam, quæ ab aere diuelli non poteſt. Quare in eo caſu aqua mouetur violenter; vnde ſentitur grauitas, & violentia, ſeu renitentia aquæ ad motum ſurſum, & ſic requiritur proportionata vis ad attrahendum; idem dici poteſt de alijs caſibus quando elementum ad impediendum vacuum mouetur præter, aut contra vim ſuam naturalem. Secundum aliòs, aqua mouetur ab inclinatione naturali quam habet ad impediendum vacuum tanquam malum naturæ, vnde ponunt in aqua duplicem inclinationem, vnam particularem quam habet ad proprium bonum, & per hanc inclinat deorſum, aliam vniuerſalem qua inclinatur ad conſeruationem, & ad bonum vniuerſi, ſicut pars inclinatur ad bonum totius. Illa autem vis ſit in attractione aeris, non ob aſcenſionem aquæ.

72. Quæres 2. à quo moueatur aer quando mouetur ad replendum vacuum, & deſcendit: idẽ dic de aqua quando deſcendit? Reſp. quod ſi aer non debeat deſcendere infra aquam, mouetur à ſe, & idem dic de aqua quando non debet moueri infra corpus grauius, quia tunc iſta elementa non mouentur extra ſuum locum, ſed potius ad occupandũ ſibi locum debitum; niſi tanta velocitate mo-

ueantur vt à ſe ipſis non ſint apta moueri tanta velocitate, tunc enim aut attrahentur à corpore antecedente, aut mouebuntur à dicta inclinatione naturali vniuerſali.

93. Quæres 3. quid ſit illud per quod corpora ita colligantur, vt vno attracto, attrahitur aliud? Reſp. hoc nihil aliud eſſe niſi ipſorum corporum contiguitas, & naturalis quędam exigentia talis inſeparabilitatis, propter finem poſtea dicendum.

94. Sed obijcies 1. nam inter duriſsima ligna; aut etiam ſaxa, & ſilices cum franguntur repetiuntur aliquæ cauitates, quæ antea non poterant eſſe plenæ, ergo erant vacuæ, ac proinde naturaliter dabitur vacuum. Reſp. quod fuerunt prius plenæ, aut aere, qui ibi remanſit clauſus cũ generarentur, aut fuerunt repletæ ſubtiliſſimis exhalationibus, ſeu vaporibus, qui ſæpe reperiuntur commixti corporibus.

95. Obijcies 2. quoniam condenſatio, & rarefactio corporum non poteſt explicari ſine vacuo. Reſp. cum Ariſt. *tex.* 84. negando antecedens; ſunt enim condenſatio, & rarefactio motus ad denſitatem, & raritatem, quæ ſunt quædam qualitates, quod magis explicabitur *de generatione, & corrupt.*

96. Obijcies 3. Augmentatio in viuẽtibus non fit niſi per additionem alimenti ad partes viuentis; ergo debent eſſe in viuente aliquæ vacuitates per quas alimentũ tranſire poſsit. Reſp. quod ſine dubio ſunt quædam vacuitates, quas vocant poros, qui tamen non ſunt omnino vacui, ſed pleni humoribus aut ſanguine, ex quibus accipitur nutrimentum, & per hos defertur alimentum; dicuntur autem illi pori vacui, qui non continent intra ſe partes ſolidas, ſibique continuas, ſed ſunt veluti quoddam vas, &c.

97. Obijcies 4. Detur cyathus aqua plenus adhuc poſſunt immitti nummi aurei ſine aquæ effuſione; ſed hoc explicari non poteſt ſine vacuo; ergo, &c. Reſp. negando minorem, ratio autem eſt, quia extrema vaſis labia ſicca ſunt, & ſic aqua extollitur quaſi in globum ſupra extrema vaſis, & ita aqua cedit locum aureis numis parum loci occupantibus, quod ſi intra cyathum ponantur nimis multi, vt aqua etiam nimis eleuetur, aqua exibit, & diffundetur. Idem argum. fieri ſolet de vaſe pleno cineribus, de quo ſupra.

98. Obijcies 5. Si vacuum non daretur, ſequeretur quod duo corpora ſolida non poſſent ſe tangere, vt duo lapides; ſed hoc eſt falſum; ergo, &c. Sequela probatur, nam ſi duo lapides v. g. ſe tangerent, non poſsent diuelli ne detur vacuum, ſed diuelluntur; ergo datur vacuum, ſaltem ad breue tempus. Ponamus enim quod ſe tangant ſecundum vnum palmum ſuperficiei, cum ſint corpora ſolida, quæ flecti non poſſint, tunc non poteſt attolli vna pars quin attollatur totus lapis ſimul. Hoc mathematicè demonſtrari poteſt: ſint duę lineæ ex eodem centro ductæ, & ſint ſimul & debeat vna attolli ſupra aliam, non poterit vna pars illius attolli niſi tota atollatur, ſi linea ſit inflexibilis, & maneat recta, cum ergo ponamus lapides illos ſolidos, & inflexibiles nõ poterit vna pars eleuari, niſi eleuetur totus lapis. Modo ponamus quod illa ſuperficies in qua ſe tangunt ſit vnius palmi, & fiat in illa circulus, tunc ſic argumentor. Aer non poteſt ingredi inter illos lapides niſi ſucceſſiuè, & per motum localem; ergo quando attollitur lapis prius tempore perueniet ad extremas partes circuli, quam ad medium, in eo ergo inſtanti quando aer erit in primo digito circuli, in medio circuli dabitur vacuum, quia ibi non eſt aer, vt ſupponimus, neque lapis, quia eſt totus ſimul eleuatus, & ab extremo, & à medio circuli. Hoc argum. valet etiamſi corpora illa ſe tangerent in minima ſuperficie, hæc enim ſemper erit diuiſibilis in infinitum, & in illa circulus fieri poteſt. Idem argum. alij proponunt de duobus planis perfectis, quorum vnum eſt ſupra aliud, &c.

99. Reſpondent 1. aliqui cum quibus N. Complut. *diſp.* 20. *q.* 1. *n.* 5. quod tunc pars ſuperior non eleuabitur, niſi prius poſſit eleuari ſecundum aliquas partes, vt detur locus aeri. Sed hæc reſponſio ſuas patitur difficultates, nam dato quod ſimul eleuetur ſecundum vnam partem, cum hęc ſit di-

ſit diuiſibilis non poteſt aer ſimul totum locum illius partis occupare, cum ingreſſus aeris non fiat niſi per motum ſucceſſiuum, & localem.

100. Reſpondent alij 2. quod ille lapis non poſsit diuelli, ſi ſupra alium eleuari debeat, poſſit tamen diuelli ſi ſucceſſiuè depellatur extra planitiem ſuppoſitã, quo pacto ex compreſsione digitorum eijcitur aliquis nucleus ſucceſſiuè, in hoc autem caſu aer non ingreditur inter lapides, ſed ſubſequitur veluti lambentẽ lapidem, & ſic non dabitur vacuum. Cæterum neque hæc reſponſio videtur ſufficiens, tum quia videmus huiuſmodi corpora vtcumq; diuelli, etiam per eleuationem. Tum etiã quia iſte modus ſeparandi duos illos lapides ferè nnquam accidere poteſt; deberent enim ſuperficies in quibus ſe tangunt eſſe omnino planæ, aut vndequaque vniformes, alioquin in illo motu deberet interdum vnus lapis eleuari ſupra alium, aliquando verò deprimi, & ſic daretur vacuum.

101. Reſpondent alij 3. non eſſe poſſibile, quod duo corpora ſe tangant immediatè, ex eo inquiunt quod ſemper intercedat aer, aut aqua, aut quid huiuſmodi tenue, quod firmant ex Ariſtot. 2. *de anima tex*. 113. id aſſerente quod ſi ſe reipſa tangerent, nunquam diuellerentur. Sed quid ſibi velit Ariſt. poſtea dicetur. Sed neque hæc ſolutio placet, nam vix eſt credibile, quod in quocumque caſu, quando maximè duo corpora ſolida ſe inuicem maximo impetu percutiunt, ſemper intercedat aer, vt ne quidem in minima parte ſe tangant immediatè, vt ſi quis malleo maxima vi percutiat ſilicem, aut cum globus ferreus è tormento bellico eiectus, percutit lapidẽ vt in ipſum infigatur, tunc enim videtur omnino dicendum quod aer reſiliat, & quod illa corpora immediatè ſe tangant. Præterea cũ quis ſecuri percutit, & diuidit ligna, aut plumbum, ſine dubio diuidit aerem, quem non diuideret, ſi ſemper inter ſecurim, & plumbum intercederet. Neque illa reſponſio ſoluit difficultatem, quotidie namque videmus, quod ex vehementi percuſsione diuiduntur duriſſimi ſilices, vt vna pars diuellatur ab alia, quæ partes erant continuæ, & nihil inter eas intercedebat, & tamen potuerunt diuelli, & frangi ſine periculo vacui. Si deinde illæ partes vniantur, coniungantur, & fiant contiguæ, poterunt diuelli ſine periculo vacui, vt prius ſine eodem periculo fuerunt diuiſæ cum eſſent continuæ.

102. Meum ſit de hac re iudicium, quod ſcilicet poſſint duo illa corpora ſolida ſe tangere immediatè, neque neceſsarium eſt vacuum, vt ſeparentur. Vel enim intercedit aer, aut aqua, & tunc iſta rareſiunt, vnde eſt neceſſaria tanta vis, vt iſta raritas ponatur, vt patet experientia. Quod ſi nihil intercedat inter corpora ſe tangentia, & illa ſint ſolida, tunc aliquando flectuntur inſenſibiliter, & parum, ita vt ſucceſſiuè ſeparentur partes, & eleuentur, vt aer ſucceſsiuè ingrediatur. Si autem eſſent omnino inflexibilia, tunc loco flexionis fieret pauca aliqua condenſatio partiũ, ſucceſſiuè, incipiendo à proximis, vnde incipit ſeparatio, aut diuiſio, per quam compreſsionem, & condenſationem partes ipſæ aliquantulum ſubſidunt, & ſic ſucceſſiuè diuelluntur, ſicque ſucceſsiuè ingreditur aer. Ad hoc iuuare poſſunt multæ exhalationes, quæ continentur in poris, quæ rarefactæ, poſſunt aeris aduentum præoccupare, & ſic non ſine magna vi frãguntur lapides, aut diuelluntur. Quod ſi prorſus nihil intercederet, & illi lapides nec flecti poſſent, & partes nec comprimi, nec condenſari poſſent, vnus non poſſet ab alio euelli. Si tamen eſſent omnino plani, poſſent ſeparari per dictam expulſionem: naturaliter tamen duo plana perfecta dari non poſſunt. Ad illud quod dicebatur ex Ariſt. dico non velle quod duo corpora ſolida non poſsint ſe immediatè tangere, quia non poſſunt diuelli ſine periculo vacui, ſed ſolùm vniuerſaliter dicit, quod in aere, vel aqua per ſimplicem approximationem, aut paruam aliquam vim nunquã poſſunt duo corpora ſe tangere immediatè, quia aqua, & aer ſunt corpora tenuuia & facilè adhærent, vnde non poſſunt per ſolam approximationem omnino expelli, ſed ſemper aliquæ partes intercluduntur,

quod

quod probat, quia ſuperficies lapidum v. g. ſemper ſunt humidæ, & ſic aliquid aquæ erit in ſuperficie, licet iuxta ponantur. Non tamen negat Ariſt. poſſe dari caſum in quo duo corpora ſe tangant immediatè, ſaltem ſecundum aliquam partem.

103. Sed dices, quod ſi duo lapides inciperent ſe immediatè tangere, ſequeretur dari motum in inſtanti, ſed hoc eſt impoſſibile; ergo, &c. ſequela probatur, nam contactus incipit in inſtanti, fit enim in fine motus approximationis; ergo illi duo lapides ſe tangunt in toto palmo in inſtanti, ergo aer qui erat intermedius diſcedere debet ab illo palmo in inſtanti. Reſp. quod omnis cõtactus corporum, quæ prius non ſe tangebant, & poſtea incipiunt ſe tangere immediatè, ſiue hæc corpora ſint ſolida, ſiue non, incipit ab indiuiſibili, vel puncto, vel linea, & poſtea ſucceſſiuè extenditur ad ſuperficiem ſiue paruam, ſiue magnam, & tunc etiam ſucceſsiuè excluditur corpus, quod erat intermedium. Argumentum ergo factum ſolum probat, quod totus contactus non fit in inſtanti. Fit quidem contactus in inſtanti quoad inceptionem ſui, cum contactus incipiat ab indiuiſibili, non autem quantum ad totum; totus enim fit in tempore, & ſucceſſiuè, & ſic duo illi lapides prius ſe tangunt in parte, quam in toto palmo, & hoc modo ſucceſſiuè poteſt aer ingredi.

104. Sed quæres, an vacuum ſaltem virtute Angelica, aut Diuina fieri poſſit? Reſp. negatiuè quoad virtutem Angelicã, & affirmatiuè quoad virtutem diuinam. Ratio vtriuſque eſt, quia ſolius auctoris naturæ, eſt immutare ordinem naturæ, non Angelorum, vacuum autem eſt mutatio quædam ordinis naturæ, cum ſit contra bonum ipſius, vt ex dictis §. præcedenti conſtat. Vnde dicit Apoſt. Hebræ. 2. *Non enim Angelis ſubiecit Deus orbem terræ*. Tum quia ſi vacuum daretur eſſet miraculum, quod ab Angelis fieri non poteſt; Vnde Angelis obediunt corpora ad nutum, non tamen contra bonum vniuerſi, &c.

§. 2. *Vnde oriatur quod natura tantum abhorreat vacuum.*

105. De hac re non eſt vna omnium ſententia, illa tamen eſt communior, & probabilior, quæ deſumitur ex fine, quoniam ſi daretur vacuum eſſet omnino otioſum imò pernicioſum toti naturæ quantum eſt ex ſe, quare impoſſibile eſt dari vacuum naturæ viribus. Quod autem vacuum eſſet otioſum, patet, quia ad nihilum deſeruiret, cum nihil, vt eſt vacuũ ad nihil deſeruiat, quod etiam colligi poteſt ex ſingulis rebus, ad quas explicandas non eſt neceſſarium vacuum, vt ex dictis §. præcedenti liquet. Quod autem etiam eſſet pernicioſum probatur, nam impediret actiones, & operationes naturales, quæ ſine contactu fieri non poſſunt, vacuum autem tolleret contactum. Tum quia ſi poſſet dari paruum vacuum, poſſet etiam dari magnum, quod ſine dubio eſſet notabile naturæ detrimentum; res enim inferiores nequirent à ſuperioribus conſeruari. Imò neque repleri poſſet per motum, cum in vacuo motus fieri non poſſit, de quo §. ſequenti.

§. 3. *An ſi daretur vacuum poſſet in eo fieri motus, & an inſtanti.*

106. Prima ſententia eſt, quod ſi daretur vacuum nullus in eo poſſet eſſe motus, etiam per diuinam potentiam. Sic tenent Pererius, Iandun. *& alij* relati à N. Complut. *hic diſp.* 20. *q.* 3. Secunda ſent. eſt, quod dato per diuinam potentiam vacuo, tunc naturaliter poſſet in eo eſſe motus, nam poſſet homo qui in eo reperiretur eleuare brachium, vertere caput, ſi non moueri motu progreſsiuo. De alijs motibus vt augmentationis, nutritionis, &c. dicunt quod tunc omnino fient. Sic tenent aliqui moderni. Tertia ſent. dicit quod tunc motus localis fieret in inſtanti, cum nihil eſſet à quo mobile retardaretur, ſic aliqui apud dd. Complut. q. 4. Quarta ſent. tenet, quod tunc poſſet eſſe motus, & eſſet in tempore. Sic dicti Complut.

plur. poſt alios. Quod tunc poſſet eſſe motus per diuinam potentiam, patet, quia nulla in hoc apparet implicantia. Quod autem eſſet in tempore, licet breuiſsimo, etiam conſtat, quoniam eſt de eſſentia motus localis, de quo eſt potiſsima difficultas, quod fiat ſucceſsiuè. Hæc ſent. comuniſſima eſt, & tenenda ſolum examinanda eſt mens Ariſtotelis.

107. Pro quo ſciendum eſt, quod antiqui Philoſophi ponebant vacuum maximè propter motum localem, ſine quo putabant motum eſſe non poſſe. E contra Ariſt. probat, quod motus oſtendit locum non vacuum, & quod ſi daretur vacuum motus eſſe non poſſet, niſi in inſtanti, quod eſt impoſsibile. Tene verba Ariſt. hoc *lib. 4. tex. 36.* vbi ſic habet. *Accidit autem dicentibus vacuum eſſe vt neceſſarium, ſi erit motus: contrarium magis, ſi quis conſideret non poſſe moueri quicquam, ſi ſit vacuum.* Hinc Ruuius, Conimbric. & alij dicunt illationem Ariſtotelis bonam nō eſſe, quod ſcilicet ſi daretur vacuum, vel non eſſet motus, vel eſſet in inſtanti, propter aliquas rationes, quas poſtea referemus, & ſoluemus.

108. Verum puto non eſſe neceſſe deſerere Ariſtotelem, nam optimè defendi poteſt in via Ariſt. quod ſi daretur vacuum motus deberet eſſe in inſtanti licet hoc implicet contradictionem, ac proinde implicabit contradictionem per eumdem Ariſt. dari vacuum. Ad hoc autem inferendum duo ponit Ariſt. vnum ab antiquis etiam ſuppoſitum; alterum manifeſta experientia probatum. Primum eſt, quod elementa in vacuo deberent moueri eadem virtute naturali motiua, quam nunc habent, nam hoc pacto aſſerebant antiqui, qui dicebant vacuum eſſe neceſſarium ad motum localem prout fit de facto à virtute naturali motiua, hoc enim maximè aduertendum eſt, tota enim ratio Ariſtotelis in hoc primo fundamento poſita eſt, nam ſi poneremus in lapide non eandem virtutem motiuam, quam de facto habet, ſed aliam naturalem virtutem per ſe ordinatam ad motū in vacuo ſine ordine ad plenum, tunc illa virtus deberet eſſe ad tantam, vel tantam velocitatem motus, implicat enim motum fieri ſine vlla velocitatis determinatione; quare ſi ponamus dari talem virtutem naturalem per ſe ordinatam ad motum in vacuo ſine ordine ad plenum, deberet eſſe eſſentialiter determinata ad aliquam velocitatem motus. Supponit ergo Ariſt. lapidem illum prorſus eadem virtute naturali, qua nunc in pleno mouetur debere moueri in vacuo.

109. Alterum quod manifeſta experientia probatū ponit Ariſt. eſt, quod duabus ex cauſis oriri poteſt vt vnum corpus alio velocius moueatur, prima quia cœteris paribus habet maiorem virtutem motiuam, ſcilicet grauitatem, aut leuitatem; ideo enim globus plumbeus velocius mouetur deorſum in aere, quam globus ligneus eiuſdem magnitudinis, & figuræ, quia maiorem haber grauitatem. Secunda, quia licet in omnibus prorſus ſint paria, vnum tamen mouetur per mediū tenuius, & minus reſiſtitiuum, alind verò per medium craſius, & magis reſiſtitiuum; ſic ſi globus plumbeus moueatur per aerem, velocius mouetur quam per aquam. Vnde infertur quod medium per quod de facto mouentur corpora facit ad determinationem tantæ, vel tantæ velocitatis motus, vt cum videamus nullum corpus moueri niſi ſub his circunſtantijs, & determinationibus, ſequitur quod nullum corpus de facto habeat virtutem motiuam determinatam ad motum niſi in ordine ad reſiſtentiā pleni in quo mouetur; reſiſtentiam autem dico qua plenum dum ſcinditur reſiſtit, quo modo magis reſiſtit corpus denſum quam rerum.

110. Modo ſic arguit Ariſt. *tex. 70.* debet eſſe aliqua proportio inter reſiſtentiam vnius medij, & reſiſtentiam alterius, nullum enim reſiſtit infinitè aliàs nihil moueri poſſet, quod ſi finitè reſiſtit, erit proportio inter reſiſtentias. Similiter debet etiam eſſe proportio inter velocitatem mobilis dum mouetur in vno ſpatio magis, aut minus reſiſtente, & eadem proportio debet eſſe inter tempora, & velocitatem vtriuſque, & conſequenter poteſt eſſe inter hæc quatuor aliqua proportionalitas, vt dici

vt dici poſſit. *Sicut ſe habet hæc reſiſtentia ad aliam, ita hæc velocitas ad aliam, & hoc tempus ad aliud*, ſiue hæc proportio ſit dupla, ſiue alia quæcumque, ſed in vacuo, aut cum vacuo nulla eſt proportio, cum nihil ſit, ergo nulla eſt reſiſtentia, nec in velocitate, nec in tempore, &c. & ſic motus per Ariſt. eſſet in inſtanti.

111. Sed obijcies 1. quia ſi in vacuo motus deberet fieri in inſtanti maximè quia mobile in vacuo nullam habet reſiſtentiam, ſed hoc vel eſt falſum, vel non ſufficit; ergo nulla eſt ratio cur debeat moueri in inſtanti. Maior videtur conceſſa ab Ariſt. qui propter hanc improportionem inter reſiſtētiam medij, & vacui infert motum fieri in vacuo in inſtanti. Minor probatur, quia ſi ratione præſcindamus ab omni reſiſtentia medij quādo lapis mouetur deorſum in aere, & conſideremus tantummodo quantitatem lapidis vnius palmi, v. g. & aeris, quæ ſit centum palmorum tunc lapis vnius palmi non poteſt coexiſtere, & eſſe præſens in inſtanti centum palmis, nam ipſe deberet eſſe centum palmorum; in inſtanti namque non eſt ſucceſsio partium cum ſit indiuiſibile, ac proinde ſi omnibus coexiſtit, erit omnibus ęqualis, quantitas enim non poteſt coexiſtere quantitati maiori ſe. Ergo præſcindendo à quacumque reſiſtentia medij, & ſolum conſiderando ſimplicem quantitatem, ſi lapis mouetur, neceſſariò moueri debet ſucceſsiuè, etiamſi nullum aliud habeat impedimentum, aut reſiſtentiam. Licet ergo in vacuo nulla alia eſſet reſiſtentia, tamen eo ipſo quod ponimus corpus, quod moueri debet nō eſſe æquale vacuo ſeu non eſſe aptum adimplere ſimul totū vacuum, non poterit lapis in eo moueri in inſtanti, cum non poſsit toti coexiſtere, & ſic mouebitur in tempore, licet à vacuo nullam habeat reſiſtentiam quaſi extrinſecam, cum habeat intrinſecam, prouenientem ab ipſa ratione corporis extenſi non potentis ſimul correſpondere toti ſpatio. &c.

112. Reſp. quod ideo in vacuo motus eſt futurus in inſtanti, quia ibi lapis nullam habet reſiſtentiam in ordine ad quam ſua virtus motiua naturaliter ſit determinata; virtus namque illa non eſt ex ſe determinata in ordine ad reſiſtentiam negatiuam ſine vllo ordine ad poſitiuam, vt dictum eſt, & ſic deberet moueri in non tempore, quia nulla eſt proportio inter reſiſtentiam vacui, & pleni, cum in vacuo nulla ſit reſiſtentia talis à qua determinetur illa potenta motiua. Argumentum autem ſolum probat, quod ex alio capite, quia vacuum non poteſt totum ſimul pertranſiri, ideo implicat motum fieri in inſtanti, non ratione vacui qua tale eſt, &c.

113. Obijcies 2. nam ſi lapis moueretur in vacuo haberet virtutem motiuā determinatam, & finitam, non maiorem quam nunc habet; ergo moueretur eadē velocitate, ſumpta determinatione à virtute motiua, quæ ex ſe, & intrinſecè eſſet determinata; ergo ſi eſſent duo lapide alter maioris, alter minoris virtutis motiuæ, lapis maioris virtutis moueretur maiori velocitate, ac proinde alter non moueretur in inſtanti, aliàs non poſſet excedi à velocitate alterius. Imò cum implicet contradictionem motum eſſe in inſtanti non poteſt virtus motiua eſſe determinata ad aliquid impoſſibile, ac proinde ſi lapis in vacuo moueretur, in tempore moueretur. Reſp. hoc argum. nil aliud probare niſi quod ſi lapis deberet moueri in vacuo per virtutem per ſe determinatam ad illud ſine vllo ordine ad plenum, deberet moueri in tempore, & vnus lapis alio velocius, de quo *non* diſputamus.

114. Obijcies 3. nam ſi intra aerem eſſet vacuum, & lapis deſcenderet ex alto, quando pertingeret ad vltimā ſuperficiem non amplius deſcenderet; ſed hoc eſt falſum; ergo. Minor probatur, nam adhuc retinet ſuam grauitatem. Maior conſtat, quia tunc non inueniret reſiſtentiam, quam prius habebat. Reſp. 1. quod lapis tunc pertingeret vſque ad vacuum, illud tamen non ingrederetur, ſed ſicut quando mouetur in aqua, ſtatim ac attingit ſuperficiem terræ, quieſcit ibi, ita

etiam

etiam quieſceret in vltima parte aeris ſupra vacuum, ac ſi vacuum eſſet corpus impenetrabile. Reſp. 2. quod in tali caſu lapis ille deſcenderet infra aerem, & occuparet aliquam partem vacui, & tunc foret motus in vacuo per accidens, quia ſcilicet partes ſuperiores lapidis, quæ ſunt in aere, propter grauitatem mouerentur, vt eſſent infra aerem, & quia lapis eſt continuus, impelleret inferiores partes infra aerem, & ſic moueretur tunc lapis in vacuo per accidens ad motum partium, quæ per ſe mouentur in pleno, in quo habent ſufficientẽ determinationem ad motum.

§. 4. *An ſi daretur vacuum poſſent in eo fieri alij motus.*

115. IN præcedentibus loquuti ſumus præcipuè de motu locali, modo aliqua expreſsius dicenda ſunt de alijs motibus. De qua re relictis varijs modernorum placitis, promam quæ certiora videntur. Dico ergo 1. *quod ſi Deus poneret hominem in vacuo, eumque viuum conſeruaret, poſſet mouere caput, aut brachium.* Dixi eumque viuum conſeruaret, quia naturaliter viuere non poteſt animal quod indiget reſpiratione. Ratio autem quare tunc homo poſſet ſic ſe mouere eſt, quia in hoc diſcriminantur motus elemẽtorum de quibus diximus §. præcedenti à motibus hominis, v. g. quia motus hominis fiunt ex determinatione voluntatis, & appetitus in tanta, vel tanta velocitate in quocumque medio, vnde non neceſſariò ſumunt ſuam primam determinationẽ in ordine ad plenum, neque fiunt neceſſariò ſurſum, aut deorſum, ſed poſſunt fieri in quamcumq; partem, neque iſti motus fiunt ad hoc vt leuia ſint ſupra grauia, & grauia infra leuia, ſed ſolum in vſum, & commoditatem animalis, quare non faciunt contra hos motus quæ ſupra dicta ſunt de motu locali elementorum, de quo potiſsimè locutus eſt Ariſtoteles. Imò non deſunt tenentes probabiliter; quod dictus homo, miraculosè à Deo conſeruatus in vacuo, abſque nouo miraculo, ſed in virtute præcedentis poſſet moueri motu progreſsiuo.

116. Sed obijcies 1. quod ſi homo moueretur in vacuo faceret nouum vacuum, ſed hoc eſſe nequit; ergo, &c. Sequela probatur, nam illa pars vacui in qua erat homo, erat plena homine; ergo ſi poſtea homo moueretur, remaneret vacua, & ſic fieret nouum vacuum. Minor colligitur ex Ariſt. 2. *cæli tex.* 27. vbi probat quod cælum vltimum debet eſſe figuræ circularis, quia ſi eſſet figuræ quadratæ v. g. eum moueatur circulariter daretur vacuum extra cælũ, nam anguli figurę quadratę in motu relinquerent poſt ſe vacuum, ſicuti in noſtro caſu homo in vacuo, relinqueret vacuum ſi ibi moueretur.

117. Reſp. quod ſi homo moueretur in vacuo non fieret nouum vacuum ex ſeparatione corporum contiguorum, quod vacuum refugit natura, ſed eſſet vacuum quoddam ad quod vitandum natura non curat, vnde poſito illo vacuo nihil obſtaret quominus homo poſſet in eo moueri. Ad Ariſt. dico ibi ipſum ſupponere, quod ſi cælum non eſſet figuræ rotundæ, ſed quadratæ, dummodo ponatur moueri circulariter, extra cælum deberet eſſe aliud corpus, & conſequenter eum nihil ſit inter angulos cæli, ſi enim eſſet aliquid ſolidum impediret motum, deberet dari vacuum, quod Ariſt. reputauit abſurdum. Hoc autem non eſt contra nos, qui putamus dari vacuum miraculosè, &c.

118. Obijcies 2. nam ſi daretur vacuũ, & aliquis homo poneretur in eo, & tangeret pauimentum, non poſſet moueri, quia non poſſet mouere pedem à pauimento, ergo, &c. Item ſi tangeret manu pectus, non poſſet eandem manum dimouere à pectore, cum nõ poſsit ſolui contiguitas corporum nullo intercedente. Reſp. quod ſi volumus congruenter philoſophari à nobis notis, ita res eſſet vt dicit argumentũ, videmus enim nunc non poſſe duo corpora ſeparari, niſi intercedat aliquid. Non tamen ex hoc ſequitur non poſſe corpora moueri in vacuo, poſſet enim homo poni tunc à Deo in medio vacui, vt neque tangeret pauimentum, neque poneret manũ ſupra pectus, & tunc poſſet eam mouere. Vel dicas quod dato eo miraculo ſequerẽtur

tur alia, & quod moueret pedem à pauimento, & manum à pectore abſque eo quod intercederet aliquid. Vel etiam dicas quod poſſet mouere pedem ſupra pauimentum, non erigendo, ſed impellendo, & eodem modo poſſet mouere manum ſupra pectus.

119. Obijcies 3. nam ſi homo poneretur in vacuo, non haberet vbi ſubſiſteret aut figeret pedem; ergo non poſſet moueri. Reſp. quod in eo caſu ſubſiſteret in ſe ipſo, quia in eo caſu ſicut nihil eſt quod ſuſtineat, aut cui ille homo innitatur, ita nihil eſt quod cedat, quod trahat huc, illucque.

120. Obijcies 4. nam ſi homo poneretur in vacuo Deus deberet eſſe illi intimè præſens, ſicuti eſt cuilibet creaturæ; ſed hoc non poſſet eſſe; ergo, &c. Minor probatur; nam tunc Deus eſſet à ſe ipſo diuiſus, nam eſſet in illo homine, & non eſſet in vacuo, ſed extra vacuum, & ſic quatenus eſset in illo homine diſtaret à ſe ipſo, quatenus eſſet extra vacuum. Præterea ſi ille homo moueretur deberet etiam Deus moueri per accidens ad motum illius, ſicut anima mouetur per accidens ad motum corporis. Reſpondent aliqui quod Deus tunc non eſſet à ſe diuiſus, quia eſset etiam in illo vacuo, ſicuti eſt actu extra cœlum in ſpatijs imaginarijs, volunt enim iſti quod Deus ibi ſit, vbi poteſt operari. Sed hoc non placet, Deus namque non eſt in ſpatijs imaginarijs actu, ſed tantum potentia quatenus poteſt ibi aliquid producere. Reſp. ergo quod licet Deus non ſit in vacuo actu, nec in ſpatijs imaginarijs, non tamen in eo caſu eſſet à ſe diuiſus, ſed idem qui eſſet in illo homine, idem prorſus eſſet in cœlo, & in alijs creaturis, neque etiam mutaretur per accidens, quia per motum hominis nulla mutatio fieret in Deo.

121. Dico 2. *Non repugnare quod motus circularis fiat in vacuo.* Conſtat, nam de facto motus circularis non exigit ſpatium extra corpus mobile, vt patet in cælo per Ariſt. *hic tex.* 62. Similiter poſſunt in vacuo grauia, & leuia moueri per accidens, vt ſi homo haberet lapidem in manu, poſſet mota manu mouere lapidem. Item ſi rota eſſet in vacuo, & axis rotæ extenderetur vſque ad plenum, poſſet homo exiſtens in pleno mouere extremum axis, & ita etiam rotam exiſtentem in vacuo, quæ omnia ſequuntur ex dictis. De motu verò proiectorũ eſt aliqua difficultas; ſi enim quando lapis proijcitur debet moueri ab aere, aut à medio in quo mouetur, tunc in vacuo talis motus fieri non poſſet. Quod ſi mouetur à virtute impreſſa, tunc poſſet, ſaltem ab Angelo imprimi talis virtus, & moueri, cæterum multa ex his congruenti potius coniectura, quam euidenti ratione dicuntur.

DVBIVM III.

De tempore.

122. Tempus eſſe eſt concors omniũ Philoſophorum ſententia, omniumque nationum, & gentium ſenſus, nullus namque eſt adeo rudis, & excors, qui non cognoſcat eſſe dies, menſes, & annos; idem fides docet, pſal. enim 73. dicitur. *Tua eſt dies, & tua eſt nox. Tu fabricatus es auroram, & ſolem. Tu feciſti omnes terminos terræ, æſtatem, & ver tu plaſmaſti ea.* Hinc Theologi dicunt Deum hæc quatuor produxiſſe ſimul, ſcilicet naturam Angelicam, orbes cęleſtes, materiam elementorum, ſuis tamen formis decoratam, & tempus, quocirca hæc quatuor dicuntur coęua, quoniam ſimul producta ſunt.

123. Sed obijcies 1. nam non dicitur eſſe, aut dari cuius partes non ſunt, ſed partes temporis non ſunt; ergo tempus nõ datur. Minor probatur, quia temporis partes ſunt præſens, præterita, & futura; præſens non eſt tempus, ſed inſtans, præterita non eſt, neque fuit, cum non ſit prę-ſens niſi inſtans, futura non eſt, neque erit cum in ſe non ſit habitura præſentiam, ergo, &c. Reſp. maiorem eſſe veram de rebus permanentibus, quorum partes debent eſſe in ſe, at in ſucceſsiuis non eſt vera, quia ſufficit quod eorum partes ſint ratione inſtantis, quod partem præteritam coniungit cum futura. Igitur ſucceſsiua

nec

nec habent, nec habere poſſunt ſuas partes ſimul, ſed vnam poſt aliam, at permanentia debent ſimul habere ſuas partes, vt poſtea magis dicetur.

124. Obijcies 2. nam quod componitur ex non entibus, eſt non ens, ſed tempus componitur ex non entibus; ergo eſt non ens. Minor probatur, nam tempus non componitur ex inſtanti cum ſit indiuiſibile, ſed ex partibus, præterita, & futura, ſed iſtæ non ſunt; ergo, &c. Reſp. negando minorem, nam partes temporis verè ſunt præſentes, non quidem ratione ſui, ſed ratione inſtantis, quod vnit partem præteritam, cum futura, hæc enim eſt natura rerum ſucceſsiuarum, cæterum vt quæ de tempore diſputantur, habeantur ſit.

§. 1. *An tempus ſit ens reale, an dependens ab anima.*

125. HVius difficultatis occaſionem dedit Ariſt. *hic tex.* 131. dicens quod ſi non eſſet anima non eſſet tempus, verba illius ſunt. *Si autem nihil aliud aptū natura eſt, quam anima numerare, & anima intellectus impoſsibile eſt tempus eſſe cum non ſit anima.* Vbi D.Thomas dicit. *Tempus abſque anima eſſe imperfectè ens.* Pro intelligentia difficultatis notandum, quod (& melius conſtabit ex dicendis) tempus formaliter conſiſtit in illa ſucceſsione partium numerabili ſecundum prius, & poſterius, partes namque temporis non ſunt ſimul, vnde non habent rationem vnius actu, niſi in ordine ad intellectum numerantem, & colligentem prius, & poſterius in vnum ſucceſsiuè; hinc docet Ariſt. quod ſi eſſet impoſsibilis intellectus numerans, eſſet impoſsibile tempus inquantum numerabile, quia numerabile vt ſic connotat intellectum potentem numerare; ſicuti ſi quis diceret, quod ſi eſſet impoſsibilis viſus, eſset impoſsibile viſibile, in quantum viſibile, eſſet tamen poſsibilis color, non tamen quatenus viſibilis; ſic ſi eſſet impoſsibile numerans, eſſet impoſsibile tempus inquantum numerabile, non tamen eſſet impoſsibilis motus, & res illa quæ eſt tempus.

126. Sed quæres quid ſit iſta dependentia temporis ab intellectu? Aliqui volunt eſſe relationem realem, alij rationis. Sed neutrum eſt, nullum namque obiectū propriè dependet à potētia, ſed potius potentia ab obiecto, numerabile autem eſt obiectum numerantis, vnde non eſt illa vera dependentia, ſed numerans includitur in conceptu temporis tanquam connotatum; ex noſtro tamen modo concipiendi ſemper intercedit aliqua relatio rationis. Hinc colliges non benè dicere illos, qui dicunt tempus dependere ab anima in eſſe actu numerari, actu enim non eſt numerarum niſi ab anima. Eſt enim hoc expreſsè contra Ariſt. qui dicit impoſsibile eſſe quod exiſtat numerabile, ſi ſit impoſsibile numeratiuum; & poſtea abſolutè concludit, quod impoſsibile eſt eſse tempus ſi anima non ſit poſsibilis, & certè in primo ſenſu nihil diceret Ariſtot. peculiare temporis.

§. 2. *Quomodo tempus diſtinguatur ab æternitate, & æuo.*

127. PEr æternitatē intelligimus menſuram diuini eſſe, ſub qua continetur æternitas participata qua menſuratur viſio beata, &c. Illa vocatur æternitas per eſſentiam, hæc per participationem. Per æuum intelligimus menſuram Angelorum, & ſubſtantiarum incorruptibilium, ſicut & accidentium incorruptibilium earum. Per tempus tandem intelligimus menſuram corruptibilium ſiue continuum ſiue diſcretum. Iſtæ tres menſuræ diſtinguuntur eſſentialiter, ſicut & menſurata. Modo quæritur quomodo, vel ſub qua ratione dictæ menſuræ diſtinguantur. Sed quia de hac re fuſius dixi 1. *p. qu.* 10. ideo rem breuiter reſoluo.

128. Dico ergo cum communi ſent. quod dictæ menſuræ differunt eſſentialiter per hoc quod æternitas eſt duratio rei omnino immutabilis, tam quoad eſſe, quā quoad accidentia. At æuum eſt duratio rei immutabilis ſecundum ſubſtantiam, & ſecundum aliqua accidentia inſeparabilia à ſubſtantia, & eſt mutabilis quoad illa acci-

accidentia, quæ ſeparantur, aut ſeparari poſſunt à ſubſtantia. Tempus autem eſt duratio rei mutabilis tam ſecundum ſubſtantiam, quam ſecundum accidentia.

129. Explicatur breuiter, nam æternitas per eſſentiam, quæ eſt menſura Dei, eſt omnino immutabilis, quoad eſſe; quoad accidentia verò non poteſt dici nec immutabilis, nec mutabilis, quia in Deo nec ſunt, nec eſſe poſſunt accidentia. Aeternitas tamen participata eſt immutabilis tũ quoad eſſe, tum quoad accidentia, vt viſio beatifica, quæ æternitate participata menſuratur, eſt immutabilis quoad eſſe, quia eſſe illius eodem modo ſemper ſe habebit, quoad obiectum primarium, quicquid ſit quoad obiectum ſecundarium, & etiam eſt immutabilis quoad accidentia, quæ ad ipſam neceſſario ſequuntur, vt eſt amor beatificus, gaudium, & fruitio, idem dicitur quoad dotes, tam animæ, quam corporis, Aeuum dicitur immutabile ſecundum ſubſtantiam, ſeu eſſe, vt ſunt ſubſtantiæ ſpirituales, & corporales incorruptibiles, & ſecundum accidentia inſeparabilia, vt eſt in Angelis cognitio, & amor ſui. Mutabile verò ſecundum accidentia ſeparabilia, vt eſt cognitio libera, &c. Tempus tandem eſt mutabile, tam ſecundum eſſe, ſeu ſubſtantiam, quam ſecundum accidentia, vt ſunt omnia ſublunaria, ſed hæc magis intelligentur ex infra dicendis.

§. 3. *An tempus realiter diſtinguatur à motu.*

130. PRima ſententia negat diſtingui realiter, ſed ſolùm ratione. Sic tenent Scotus, Ocham, Baſol. Gabriel, Gregor. Suarez, Maſius, & alij quos referunt, & ſequuntur plures Moderni hoc loco.

131. Noſtra ſententia ſeq. concl. explicatur. *Tempus diſtingu tur realiter à motu, ut realis menſura illius, eſt enim tempus realis menſura motus.* Pro hac concl. referunt & ſequuntur N. Complut. *hic diſp.* 21. *n.* 28. Ricard. Iauel. Soncin. Henric. Conimbric. & alios. Probatur 1. nam poteſt remanere motus cum omnibus ſuis partibus, & non remanere tempus; ergo tempus, & motus diſtinguuntur realiter. Antecedens probatur, quia poteſt Deus eandem calefactionem, quę durauit per integram horam reproducere in inſtanti cum calore, & omnibus ſuis partibus, aut ſaltẽ poſſet reproducere in dimidia hora; ergo, &c. Tum quia tranſacto motu calefactionis remanet calor, & non remanet tempus, & tamen deberet remanere, cum tempus ſit idem realiter cum motu, & motus cum calore.

132. Occurrunt aduerſarij, quod in dictis, & ſimilibus caſibus remanet tempus ſecundum id quod dicebat in recto, quod eſt ipſa entitas motus, aut termini, non tamen ſecundum connotata neceſſariò requiſita ad conceptum temporis, & ſic non remanet tempus inquantum tempus. Sed contra, nam vel illa connotata neceſſariò requiſita ad conceptum temporis faciunt, quod tempus diſtinguatur realiter à motu, vel non. Si primum habemus intentum; ſecundum dici non poteſt, quia quę nõ faciunt tempus diſtingui realiter à motu, vel non pertinent ad conceptum temporis, vel ſi pertinent, cum tempus ſit idem realiter cum motu, remanente motu realiter, debet etiam realiter remanere tẽpus; quoties enim aliqua ſunt realiter idẽ, & diſtinguuntur ſola ratione, oportet quod vno remanente realiter, remaneat, & aliud.

133. Probatur 2. Poteſt remanere eadem numero calefactio, & non idem numero tempus; ergo tempus, & motus diſtinguntur realiter. Antecedens probatur nam hęc calefactio, vel hic motus *localis*, qui eſt factus per vnam horam, poſſet fieri per dimidiam, ſaltem de potentia Dei abſoluta, ergo eſſet idem numero motus ad eundem numero terminum, & tamen non eſſet idem numero tempus.

134. Reſpondent contrarij, quod dicti caſus naturaliter eſſe non poſſunt, quia quotieſcumque eſt idem numero motus, eſt etiam idem numero tempus intrinſecũ, licet non ſit idem numero tempus extrinſecum, quia coexiſteret maiori, vel minori tempori extrinſeco, ſiue actuali, ſiue potentiali; hoc autem habet tam motus, quã tem-

tempus, quia in ordine ad Deum non eſt determinata vlla mora in qua vna pars téporis debeat antecedere aliam, ſed indeterminata, vt poſſit citius, & citius ſuccedere in ordinem ad tempus extrinſecum. In ordine autem ad cauſas ſecundas, determinata mora oritur ex determinata reſiſtentia, vel ex determinatione virtutis motiuæ; ad hoc autē nullū aliud accidens intrinſecū requirendū eſt in motu ab ipſo realiter diſtinctum ad hoc vt intelligantur eius partes ſuccedere ſibi inuicem in tāta determinata mora, ſed ſufficiet ſi determinētur adhoc ex alijs capitibus, quia nō sūt multiplicāda entia ſine neceſſitate.

135. Sed contra, nam licet tempus intrinſecum diſtinguatur realiter à tempore extrinſeco, nam calefactio durans per horam diſtinguitur realiter à tempore extrinſeco primi mobilis, & motus calefactionis diſtinguitur realiter à motu primi mobilis, tamen negari non poteſt, quod motus intrinſecus menſurās, v.g. calefactionem, non reguletur, & non correſpondeat tempori extrinſeco primi mobilis, ac proinde quoties variatur tempus extrinſecum, debet etiam variari tempus intrinſecum, aliàs hoc non correſponderet illi, ab eoque non menſuraretur; ergo quoties eſt idem numero tempus extrinſecum, debet etiam eſſe idem numero tēpus intrinſecum; ergo ſi poteſt variari motus intrinſecus non variato motu, & tempore extrinſeco, poterit etiam variari idem motus intrinſecus, non variato tēpore intrinſeco, ac proinde motus intrinſecus, & tempus intrinſecum diſtinguentur realiter.

136. Probatur 3. nam quantitas permanens diſtinguitur realiter à ſuo ſubiecto; ergo etiam quantitas ſucceſſiua, quæ eſt tempus; ſed eius ſubiectum eſt motus; ergo tempus diſtinguitur realiter à motu. Occurrunt aduerſarij dupliciter ad hoc argum. 1. quod ſubiectum temporis non eſt motus, ſed mobile, à quo tempus realiter diſtinguitur. Reſp. 2. negando conſeq. & aſſignant diſparitatem, quia quantitas permanens poteſt ſeparari à ſuo ſubiecto, at quantitas ſucceſſiua non. Sed neutra reſponſio ſatisfacit. Non prima, nam mobile, non eſt niſi ſubiectum *quod*, & materiale, ſeu remotum. At motus eſt ſubiectum *quo*, & proximum, aliàs tēpus non menſuraret motum, eſt enim, vt poſtea dicemus, *numerus motus*, & ſic debet tempus immediatè recipi in ſubiecto quod menſurat, ac proinde ab illo debet realiter diſtingui. Neque ſecunda, vt enim vidimus, tempus ſeparatur à motu, ergo, &c. Tum quia tempore Ioſue ceſſauit motus orbium cæleſtium, & tamen non ceſſauit tempus. Vnde S. P. Aug. lib. 11. confeſ. cap. 23. dicit. *Nemo mihi dicat motus cæleſtium corporum eſſe tempora, quia cuiuſdam voto, dum perageret bellum, ſol ſtabat, & tempus ibat.*

137. Reſpondet ad hoc Maſius, quod tempore Ioſue non omnes cæli ſteterunt, ſed ſol duntaxat, nam de ſole tantum hoc legimus, ſic tempus fuit, quia primum mobile cum quo tempus identificatur nunquam à motu quieuit. Ad teſtimonium D. Aug. dicit, quod intelligi debeat de motu ſolis qui ceſſauit hoc tempore, non de motu primi orbis qui ſolus eſt tempus. Sed contra, nam ſi tempore Ioſue ſolus ſol ceſſaſſet, & non alij orbes, non conſeruaſſent eandem proportionem quam antea habebant, & ſic per illud miraculum antiqua cæleſtium orbium proportio fuiſſet deſtructa. Nec illud quod dicit Maſius ad teſtimonium D. Aug. placet, nam illi opponi videtur cum dicat. *Nemo mihi dicat motus cæleſtium corporum eſſe tempora*, &c.

138. Probatur 4. quia ſi tempus eſſet idem cum motu, eſſet etiam idem cū quiete, cum tempus menſuret tam motum quam quietem, ſed hoc eſt falſum; ergo, &c. Maior conſtat, nam ideo tempus eſt idem cum motu, quia eſt menſura illius, ergo cum etiam ſit menſura quietis, debet etiam cum illa identificari. Minor probatur, nam ſi tempus eſſet idem cum motu, & quiete, ſequeretur quod motus, & quies eſſet idem; quæ enim ſunt eadem vni tertio, ſunt eadem inter ſe.

139. Reſpondet Maſius 1. quod tempus eſt quidem idem cum motu quia eum per ſe ipſum menſurat, non eſt autē idem cum quiete, quia eam non menſurat

per

per ſe,ſed tantum per accidens. Reſpondet 2. quod tempus non menſurat quietē oppoſitam illi motui cum quo identificatur, nam tempus identificatur cum motu primi mobilis,cui nulla opponitur quies; vnde licet menſuret quietē corporis ſublunaris,non tamen ſequitur quod motus, & quies identificentur.

140. Cæterum neutra ſolutio ſatiſfacit. Non prima,quia negari non poteſt quod tempus non menſuret etiam quietem per ſe,non enim eam menſurat ratione motus, aliàs terminus menſuraretur per motum, cum potius oppoſitum contingat. Tum quia ex communi modo dicendi, ita vocamus quietem vnius horæ, ac motum vnius horæ. Neque 2. non enim loquimur de motu primi mobilis de quo certum eſt, quod diſtinguatur realiter à motu v.g. ambulationis Petri, à motu calefactionis, &c. neque tempore primi mobilis de quo etiam certum eſt quod diſtinguatur realiter tanquā quid extrinſecum à tempore intrinſeco. Sed loquimur de tempore intrinſeco noſtro, quod ſcilicet eſſet idem cum quiete, ſi ſemel eſt idem cum motu. Quod ſi ille auctor loqui velit de tempore primi mobilis,à quo menſuratur etiam quies noſtra, negari nō poteſt quin illud tempus extrinſecum nō diſtinguatur à motu noſtro.

141. Probatur 5. nam inter menſuram,& menſuratum datur diſtinctio realis ſed tempus eſt menſura motus; ergo inter tempus,& motum datur diſtinctio realis. Maior conſtat ex dictis in Logica cum Ariſt. quod ſcilicet relatio tertij generis fundetur inter menſuram,& menſurabile. Relatio autem tertij generis eſt realis, & requirit extrema realiter diſtincta. Minor colligitur ex definitione motus,quam poſtea trademus.

142. Occurrit Maſius quod inter menſuram extrinſecam, & menſuratum datur relatio realis,non tamen inter menſuram intrinſecam, & menſuratum, cum iſta non diſtinguantur. Vnde intra vlnam ligneam, & pannum, datur diſtinctio realis, non tamen inter vlnam panni, & ipſum pannum. Sed contra 1. quia iſte auctor ibi non videtur recognoſcere aliud tempus niſi primi mobilis extrinſecum,ac proinde diſtinctum realiter à motu noſtro. 2. Quia nemo dicit quod vlna panni, ſit menſura ſui ipſius, ſed alterius, ergo, &c. Argumenta quæ in contrarium fieri poſſunt manere ſoluta ex dictis, & ex dicendis §. ſequenti.

§. 4. *An tempus intrinſecum diſtinguatur realiter à duratione rei ſeu an duratio, quæ eſt quoddam tempus intrinſecum diſtinguatur realiter à re durante.*

143. Prima ſententia eſt, quod duratio idem ſit cum re durante, & ſolum diſtinguatur ratione. Sic Scotus *in 2. diſt. 2. q. 2.* cum ſuis, quos ſequitur Suarez, & omnes illi quos citauimus §. præcedenti pro prima concl. quibus addo Hortad. *hic diſp. 17.* & Pontiū *diſp. 17. n. 10.* vbi vniuerſaliter dicit quod duratio creata non diſtinguitur realiter à re durante, & actione qua producitur, & conſeruatur.

144. Noſtra ſententia ſequenti concl. explicatur. *Duratio creata realiter diſtinguitur à re durante, & ab actione qua producitur, & conſeruatur.* Hæc ſententia eſt communis Thomiſtarum,vt etiam fatetur Pontius loco citato,pro qua videri poſſunt N. Complut. *diſp. 21. n. 34.* Conimbric. Ruuius,& alij hoc loco. Probant dicti Complut. quia duratio motus diſtinguitur realiter à motu; ergo etiam quælibet duratio diſtinguitur à re durante. Negat Pontius antecedens, contra quem currunt argum. facta §. præcedenti. Probant etiam, quia prius eſt rem exiſtere quam durare;ergo duratio diſtinguitur realiter à duratione. Negant antecedens loquendo de prioritate inferente diſtinctionem realem, bene ſi inferat ſolum diſtinctionem rationis. Demum probant, quia in diuinis æternitas quæ eſt duratio Dei diſtinguitur virtualiter ab eſſe Dei, ergo in creatis duratio diſtinguitur realiter. Hoc principium in ſchola Thomiſtica habet veritatem, non tamen apud alios. Ex principijs ergo communibus probanda eſt concluſio.

145. Pro-

145. Probatur 1. quoniam ſi res poſſet per ſe ipſam durare ſine aliquo ſuperaddito, poſſet etiam eſſe in loco abſque vllo ſuperaddito; ſed hoc eſt falſum etiam in ſententia aduerſariorum admittentium vbi locale quo res eſt in loco, illique coaptatur, ergo, &c. Maior probatur, nam ita ſe habet res ad locum, ſicut ſe habet ad tempus, ſed res eſt in loco per aliquid ſuperadditum, ergo etiam erit in tempore per aliquid ſuperadditum.

146. Occurrunt aduerſarij negando maiorem. Et rationem diſparitatis aſſignant, quod res non habet per ſe neceſſariò eſſe in loco, ex eo quod producatur, poſſet enim produci abſque eo quod poneretur in loco, at non poteſt produci abſque eo quod duret; vnde vt ſit in loco indiget aliquo ſuperaddito, non autem vt duret. Tum quia res poteſt ab vna cauſa produci, & ab alia poni in loco, at non poteſt ab vna cauſa habere eſſe, & ab alia durare.

147. Sed contra, nam poteſt etiam res produci abſque eo quod eſſet in tempore, ſeu abſque eo quod duraret formaliter; ergo nulla diſparitas. Antecedens probatur, nam producat Deus rem in ſpatio imaginario, tunc res illa nec eſſet in loco, nec eſſet in tempore, maximè ſi nullum eſſet tempus. Vnde poſt mundi finem res erunt, & non erunt, in tempore, quia tunc ceſſabit vt dicitur in Apocal. de quodam Angelo qui iurauit per viuentem in ſæcula ſæculorum, quod non erit amplius tempus, ac proinde non dicentur propriè, & formaliter durare, licet dicentur eſſe, & exiſtere, quia ſicut eſſe in loco addit ſupra rem correſpondentiam ad locum ita *quando*, ſeu durare formaliter dicit correſpondentiam ad tempus. Vnde ſicut res non dicens correſpondentiam ad locum dicitur eſſe, & non eſſe in loco, ita res non dicens correſpondentiam ad tempus dicetur eſſe, non tamen eſſe in tēpore, ſeu per correſpondentiam ad tempus, & ſic erit tunc res quæ durat, non duratio, ſeu erit id quod eſt fundamentū durationis, quod poteſt fundare durationem, aut denominari durare, non forma denominans, &c. Et ſic poteſt res ab vna cauſa eſſe, & ab alia durare, vt conſideranti patebit.

148. Probatur 2. nam Petrus v. g. ita eſt indifferens vt ſit in hoc, aut in illo loco, ſicut eſt indifferens vt ſit in hoc, aut illo tempore, ſeu vt duret plus, aut minus; ſed ex hoc quod eſt indifferens ad locum datur *vbi* per quod determinetur ad locū determinatum; ergo ex hoc quod eſt indifferens ad hoc vel illud *quando*, ad hoc vel illud tempus, ad tantam, vel tantam durationem debet dari *quando*, ſeu duratio formalis, per quam determinetur.

149. Occurrunt aduerſarij, quod hæc determinatio prouenit à voluntate diuina, quæ voluit rem hoc, vel illo tempore producere, & tanto, aut tanto tempore durare. Sed contra, nam res ſecundum ſe nō petunt magis produci hoc, aut illo tempore; tantum, aut tantum durare, imò nec ipſamet rei exiſtentia, quam aduerſarij dicunt eſſe durationem; dum dicunt quod duratio eſt perſeuerantia in eſſe, non petit tantum, aut tantum perſeuerare, ergo aliquid debet ſuperaddi ratione cuius tantum perſeueret in eſſe per tantam correſpondentiam ad tempus. Nec valet quod hęc determinatio fiat per volitionem diuinam; nam intantum volitio diuina vult hoc plus aut minus durare, quia præter ipſum eſſe rei vult tantam, vel tantam illius durationem. Duo namque vult diuina voluntas, & eſſe rei, & durationem tantam, vel tantā illius, ac proinde vtrumque debet dari à parte rei. Quocirca alia eſt volitio qua vult aliquid eſſe, & durare per dimidiam horam, & alia qua vult aliquid eſſe, & durare per horam.

150. Probatur 3. nam prædicamentū *quando* eſt aliquid ſuperadditum eſſentiæ, & exiſtentiæ rei, ergo duratio formaliter eſt aliquid diſtinctum ab eſſentia, & exiſtentia rei; Antecedens conſtat, nam *quando*, eſt ſpeciale prædicamentum, diſtinctū ab eſſentia, & exiſtentia v. g. Petri, nam eſſentia, & exiſtentia Petri, ponuntur in prædicamento ſubſtantiæ, at *quando* eſt vnum ex prædicamentis accidentis, & ſecundum nos eſt modus quidam, qui facit

rem

rem coexiſtere tempori, ſicut *vbi* eſt modus faciens rem coexiſtere loco. Et in ſententia Scoti, & ſuorum, *quando*, & omnia ſex vltima prædicamenta ſunt relationes extrinſecus aduenientes, ac proinde *quãdo* per Scotum cũ ſit relatio extrinſecus adueniens, debet realiter diſtingui à re durante ſaltem relatiuè.

151. Primum argum. Durare nihil eſt aliud quam perſeuerantia in eſse. Vnde eo ipſo quod res aliqua producitur, & cõſeruatur durat vel pro inſtanti, vel pro tẽpore, ergo nihil aliud requiritur, quod ſuperaddatur. Quocirca duratio eſt ipſa conſeruatio, & actio quæ rem conſeruat, eã durare facit. Nec valet dicere cum N. Complut. quod duratio non eſt quæcumque permanentia rei in eſse, ſed formalis. Ipſa rei exiſtentia, ſeu conſeruatio, eſt duratio fundamentalis, at duratio formalis eſt ipſa ratio ſubſtandi tempori. Sicut in ſimilitudine, ſeu inter duo ſimilia datur albedo v.g. quæ eſt ſimilitudo fundamentalis, deinde datur ſimilitudo formalis, quæ eſt ipſa relatio.

152. Nam hanc ſolutionem ſic impugnat Pontius, *quia inquit, gratis, & abſque vllo fundamento aſſeritur permanentia illa formalis diſtincta à fundamentali, & gratis dicitur illam quam ipſi vocant fundamentalem non eſſe durationem formalem; nam eo ipſo quod illa poneretur, & adeſſet tempus, res coexiſteret tanto, vel tanto tempori: quod ſi non eſſet fundamentum aliquod diſtinguendi ſimilitudinem formalem, & fundamentalem, profectò malè diſtinguerentur.* Hæc Pontius contra N. Complut. qui non gratis, & abſque vllo fundamento diſtinguunt durationem fundamentalem, & formalem, ſed rationabiliter, & maximo cum fundamento, & conſtat ex dictis, & ſic ipſe fateri deberet, ſi voluiſset ſequi ſuum Magiſtrum Scotum, qui poſuit ſex vltima prædicamenta relationes extrinſecus aduenictes, & ſic *quando* per Scotum, & famoſiores Scotiſtas erit duratio formalis, & ipſa rei exiſtentia, & conſeruatio erit duratio fundamentalis, & hoc probant noſtræ rationes.

153. Secundum argum. quoniam ſi duratio eſset aliquid diſtinctum à re durante, vel eſset quid abſolutum, an reſpectiuum; neutrum dici poteſt; ergo, &c. Nõ reſpectiuum, quia omne reſpectiuum reale debet habere terminum realem, poteſt autem res durare abſque iſto reſpectu, & termino, vt ſi Deus crearet vnum tantum Angelum, &c. Non abſolutum, quia eſset poſterius re durãte, ac proinde poſſet res durans produci abſque illo, & ſic duraret ſine illo, & in illo priori duraret, antequam haberet hoc abſolutum, & ſic duraret antequã duraret. Reſp. eſse modum quendã, qui eſt reſpectiuus tranſcendentaliter, & & ſic poteſt manere ſine termino. Quod ſi Deus produceret rem ſine iſto modo, vel in illo priori in quo res præcedit iſtum modum, tunc res illa duraret fundamentaliter, ſeu haberet fundamentum durationis formalis, licet pro illo priori non intelligatur habere ipſam durationem formalem. Sicut ſi Deus produceret corpus quod nõ eſset in loco formali haberet tamen fundamentum eſsendi in loco, &c.

§. 5. *an ſit recta definitio temporis, quod ſit numerus, motus, &c.*

154. Ariſtoteles *tex.* 101. hanc ponit temporis definitionem, *Tempus eſt numerus motus ſecundum prius, & poſterius*, ſeu, *Tempus eſt menſura motus ſecundum, &c.* Pro intelligentia ſciendum eſt multas fuiſſe antiquorum Philoſophorum de tempore ſententias; quidam enim dixerunt tempus nihil eſſe aliud quam conuerſio orbium cæleſtium, vt neque re, neque ratione ab ea differret. Sic Plato *in Timæo.* Alij, vt Stoici dixerunt tempus eſſe non ſolum conuerſionem orbium cæleſtium, ſed quemlibet motum cuiuſcumque rei, ſic obſeruant Plutarchus *lib. 1. de vitis, & placitis Philoſ. cap. 22.* & Simplicius in ſua digreſſione. Alij etiam vt Anaxag. & Pytagoras putarunt tempus eſſe non ſolum orbium cæleſtium conuerſionem, ſed etiã ipſos orbes, vt obſeruant idem Plutarch. & Simplic.

155. Vera, & communis ſententia ſeq. concl. explicatur. *Tempus eſt menſura, ſeu*

ſeu numerus motus, ſecundum prius, & poſterius: Sic tradunt omnes Peripatetici. Pro quo nota, quod vt notant omnes expoſitores hoc loco, idem eſt tempus eſſe numerum motus, ac eſſe menſuram illius, numerus namque inſeruit ad menſurandũ, ſeu ad cognoſcendum partes rei, ſcilicet numeratæ, & tempus eſt numerus, & mẽſura partium motus, & extenſionis illarũ. Vnde tempus primi mobilis eſt menſura intrinſeca motus illius, & eſt menſura extrinſeca partium aliorum motuum quorũcumque. Sicut etiam tempus intrinſecũ, ſeu duratio eſt menſura intrinſeca rei duratæ. Benè verum eſt, quod Ariſtoteles per hanc definitionem intendit primò definire tempus primi mobilis, vt eſt menſura omnium aliorum motuum extenſorum, ſeu habentium prius, & poſterius, tamen eadem definitio accommodari poteſt ad quodcumque tempus, ſeu durationem rei durantis, ſeu habentis extenſionem, aut prius, & poſterius. Quod autem dicta definitio ſit bona patet, tam ex communi conſenſu omnium Peripateticorum, tũ ex eo quod temporis naturam explicet quantum humano modo explicabilis eſt.

156. Sed obijcies 1. nam numerus eſt quantitas diſcreta, & tempus eſt quantitas continua, ergo tempus non rectè definitur per numerum. Reſp. diſtinguendo anteecdens. Numerus numeratus eſt quantitas diſcreta, tranſeat: numerus numerabilis, aut numeratiuus eſt ſemper quantitas diſcreta, negatur. Nam quantitas v. g. vnius palmi licet actu non habeat partes diuiſas, & ſic non ſit quantitas diſcreta, ſed continua, tamen quia diuiſibilis eſt, poteſt dici quantitas diſcreta in potentia, & continua in actu; & hoc modo tempus eſt quantitas actu continua, & in potentia diſcreta.

157. Obijcies 2. *ex* 10. *metaph. tex.* 4. menſura debet eſſe indiuiſibilis, & notior menſurato, cum per illam veniamus in cognitionem menſurati; ſed tempus non eſt notius motu; ergo non poteſt eſſe menſura motus. Reſp. concedendo maiorem, & negando minorem. Sicut enim in quãtitate permanente poſſumus aſſignare aliquam partem certam, & per illam menſurare totum, ita in quantitate ſucceſsiua vt in tempore poſſumus accipere partem certam, vt horam, diem, menſem, &c. & per illam menſurare alias, vt tantam durationem lectionis, orationis, &c. Menſura autem licet aliàs ſit diuiſibilis, tamen qua menſura eſt, eſt indiuiſibilis, certior, & notior.

158. Obijcies 3. cum tempus dicitur numerus, aut menſura ſecundum prius, & poſterius, vel intelligitur prius, & poſterius in ipſo motu, vel in ipſo tempore; neutrum dici poteſt, ergo, &c. Minor probatur, nã intelligi non poteſt de ipſo prius, & poſterius motus, quia hoc eſt prius tẽpore; prius autem non menſuratur per poſterius. Neque intelligitur de ipſo prius & poſterius tempus, quia aliàs idem eſſet menſura ſui ipſius; ergo, &c. Reſp. ex Ariſt. *tex.* 99. quod in partibus motus duplex prius, & poſterius aſsignari poteſt, vnum quod natura antecedit tempus, & non dicit formaliter extenſionem ſucceſsiuam, ſed ſolum radicaliter, & hoc prius, & poſterius ſunt ipſæ partes motus, quatenus correſpondent partibus termini; ſicut in hoc ſpatio ſunt 10. palmi v. g. cum aliquo ordine, & poſitione, vt vnus ſit primus, alter ſecundus, &c. ita etiam in motu ſunt 10. partes, per quarum vnam acquiritur primus palmus, per aliam ſecundus, &c. Ita in motu alterationis, ſicut enim in calore ſunt 8. gradus, ita in calefactione ſunt 8. partes, his gradibus correſpondentes. Verùm ſi quis aduertat hæ partes in motu vt præſcindunt à tempore non dicunt formaliter ſucceſsionem, & ita non dicunt ſucceſsionem, ſeu non dicunt prius, & poſterius ſecundum ſucceſsionem, ſed tantũ ſecundum quemdam ordinem deſumptũ à partibus termini, quod patet, quia licet totus calor vt 8. produceretur in inſtanti, adhuc eſſent hæ partes omnes ſimul in eodem inſtanti cum eodem ordine, quem habet terminus. Similiter ſi per impoſſibile totum ſpatium 10. palmorum pertrãſiretur in inſtanti, tunc omnes partes illius ſpatij eſſent ſimul in illo inſtãti, licet tunc non haberent rationem motus. Hoc po-

ſito dico, quod prius, & poſterius in motu provt intelligitur præcedere tempus à quo menſuratur, ſumitur in ordine ad partes termini, & eſt prius, & poſterius ſecundum durationem, & ſucceſsionem radicaliter, & eſt menſurabile per prius, & poſterius temporis, quod eſt prius, & poſterius formaliter, dicens ſucceſſionem & durationem. Et ſic tempus per ſuum prius, & poſterius formaliter, menſurat prius, & poſterius motus. Quare prius, & poſterius motus, cum ſit actus entis in potentia, quatenus in potentia, & actus imperfecti, eſt per ordinem ad terminum, at prius, & poſterius temporis eſt per ordinem ad motum, & menſurat illius ſucceſsionem materialem, & materialem durationem, tribuendo illi ſuam formalem extenſionem, ſucceſsionem, & durationem, & hoc intrinſecè quando tempus eſt intrinſecum, vel extrinſecè, quando tempus eſt extrinſecum, vt eſt tempus primi mobilis reſpectu noſtrorum temporum.

159. Obijcies 4. Si tempus eſſet numerus motus maximè primi mobilis ex Ariſt. *tex.* 133. ex eo quod iſte motus ſit regulatiſſimus, & vniformis, ſed etiam motus aliorum orbium cęleſtium ſunt regulatiſſimi, & conformes; ergo etiam illi ſunt tempus. Vnde Deus poſuit duo magna luminaria in cælo ad diuidēdos dies & noctes, vt eſſent in ſigna, & tempora. Reſp. quod tempus tripliciter accipi poteſt 1. pro ratione quadam generica communi ad omnia tempora particularia, & ſic eſt quædam paſſio motus in genere, eoque poſterius in genere cauſæ materialis, licet qua menſura quædam eſt, & forma, ſit prius in genere cauſæ formalis. Secundò pro ſingulis temporibus particularibus, nam vnuſquiſque motus habet ſuum tempus intrinſecum, quo extēditur, & durat formaliter, & hoc modo ſunt plura tempora, ſicut & plures motus qui ab illis menſurantur, & extenduntur. Tertiò accipitur tempus per quandam antonomaſiam pro illo tempore, quod quidem in ſe eſt quid particulare, tamen quia primum eſt valde ſingulare, & ex illo omnia tempora alia menſurantur tanquam à prima menſura, ideo appellatur tempus vniuerſale, ſeu commune, & eſt tempus primi mobilis. Sicut enim primum cælum dicitur locus vniuerſalis, quia continet omnia, ita quia tempus primi mobilis cōtinet omnia alia tempora, ideo dicitur tempus vniuerſale, menſurans dies, menſes, & annos, &c. Ad locum Geneſeos dico, quod duo illa luminaria data ſunt nobis in ſigna, & tempora, ſed primo mobili ſubordinata, quoniam etiam ipſorum motus menſurantur motu primi mobilis;

160. Obijcies 5. nam tempus non ſolùm menſurat motum, ſed etiam quietem, & non ſolùm per accidens, ſed etiā per ſe, vt ſupra dicebamus, ergo tempus non benè definitur, per hoc quod ſit numerus, aut menſura motus, ſed deberet dici quod eſt menſura motus, & & quietis. Reſp. quod Ariſtoteles primò ſolùm intendit definire tempus primi mobilis, cui nulla quies correſpondet, ſed continuus motus. Quod ſi illa definitio applicetur ad tempus intrinſecum rerum ſublunarium dico, quod etiam definiuit tempus per motum, non per quietem; cum enim motus, & quies ſint contraria, ex definitione vnius facilè colligi poteſt definitio alterius, contrariorum namque eſt eadem ratio, & diſciplina, & ſic tam motus, quam quies menſurantur tempore, & tempus poteſt per vtrumque definiri, licet definiatur ſolum per motum, quia motus primi mobilis ſolùm poteſt explicare motum noſtrum, non quietem, cum nullam quietem habeat.

†

§. 6. An

§. 6. *An tempus exiſtat tantum per inſtans, an etiam per partes.*

161. Prima ſententia eſt, quod tempus exiſtat etiam per partes, quia ſicut habet partem præteritam, & futuram, ita etiam habet partem præſenſentem. Sic tenent Durand. Suarez, Conimbric. Murcia, & Placa, quos referunt N. Complut. *diſp.* 21. *n.* 47.

162. Noſtra ſententia ſeq. concl. explicatur. *Tempus per nullam partem ſui eſt præſens nec exiſtit, ſed ſolùm per inſtans, & ſic nullum datur tempus præſens, ſed ſolùm inſtans illius, quod connectit partem præteritam cum futura, quapropter pars futura non prius tranſit in præſens, & poſtea in futuram, ſed de futura immediatè tranſit in præteritam; & ſic partes temporis nunquam exiſtunt ratione ſui, ſed ratione ſui inſtantis, nectentis. Vnde vnaquæque pars bis exiſtit, primò per inſtans, quod eam præcedit, deinde per inſtans quod eam ſubſequitur.* Pro hac ſententia referunt N. Complut. Ariſt. D. Tho. Themiſtium, Philopp. Simplicium, Auer. Albertum Magnum, Sotum, Toletum, & eſt communis inter Thomiſtas, vt dicat Suarez eſſe communem Doctorum ſententiam.

163. Probatur 1. ex definitione temporis, quod ſcilicet eſt menſura, aut numerus motus ſecundum prius, & poſterius, ergo tempus non habet partem præſentem. Antecedens conſtat ex definitione temporis. Conſequentia probatur, nam ſi tempus haberet partem præſentē, oporteret, quod etiam in motu eſſet pars præſens; ſed non eſt niſi mutatum eſſe; ergo, &c. Antecedens videtur euidens, nam tempus menſurat motum, & ſi motus haberet partem præſentem, deberet illam tempus maximè menſurare. Minor probatur, nam nulla datur pars motus, quæ non ſit ſucceſſiua, & diuiſibilis in infinitum; ergo ſi hæc pars eſt præſens non eſt ſucceſſiua, cum plures partes ſimul ſint præſentes.

164. Occurrunt aduerſarij, quod tā partes motus, quam temporis ſe ipſis vniuntur, non medijs inſtantibus, aut mutatis eſſe, quæ non dantur, ac proinde etiam ſe ipſis ſunt præſentes, ſed non præſentia permanenti, quia hoc eſt contra naturam quātitatis ſucceſſiuæ, & fluentis, ſed præſentia fluenti, & ſibi proportionatā. Sed contra, nam per hoc quod dicatur partes motus, aut temporis eſſe præſentes præſentia fluenti ſignificatur, quod re ipſa ſint præſentes, ſeu quod ſimul exiſtant, & hoc eſt falſum, & contra naturam rei ſucceſſiuæ, quæ eſt vt nulla ſiſtat, ſed ſemper fluat. Vel ſignificatur, quod non ſimul exiſtant, & ſic nulla erit præſens, cum nulla exiſtat, ſed fluat, ac proinde nulla ratione ſui habebit præſentialitatem. Ideo namque inſtans dicitur exiſtere quia non fluit, ſed habet eſſe permanens pro ſua menſura inſtantanea, ac proinde cum partes rei ſucceſſiuè, non habeant permanentiam, ſed ſucceſſionem non dicentur exiſtere.

165. Probatur 2. Tempus ſecundum omnes ſuas partes eſt quantitas ſucceſſiua, ergo ſecundum ſe, ſeu ſecundum nullam ſui partem poteſt eſſe præſens. Conſeq. probatur, nam quod eſt præſens eſt totum ſimul, ſed nulla pars temporis eſt tota ſimul, ergo nulla pars temporis poteſt eſſe præſens. Occurrunt aduerſarij negando conſeq. Ad probationem diſtinguunt maiorem: quod eſt præſens eſt totum ſimul, in permanentibus concedunt, in ſucceſſiuis negant, quia ſucceſsiuum dicitur præſens non per ſuum eſſe ſimul, ſed per ſuum eſſe exiſtentiæ poſitum in fluxu partium per coexiſtentiā cum alio. Sed contra, nam de ratione exiſtentiæ nō eſt fluxus, ſed fluere, quod enim exiſtit, non fluit, exiſtere namque dicit permanentiam in eſſe, quam excludit id quod fluit, ergo, &c.

166. Probatur 3. nam ſi tempus eſſet præſens per aliquam ſui partem inciperet in tempore, ſeu per primum ſui eſſe, non per vltimum ſui non eſſe, ſed hoc eſt falſum; ergo tempus non eſt præſens per partem. Maior conſtat, quod enim non habet niſi partes, non poteſt incipere niſi per partes, non per inſtantia cum nul-

nulla habeat. Minor eſt Ariſtotelis, & & ſecundum veritatem, quia nihil poteſt incipere per diuiſibile, nam nunquam inciperet, cum enim hoc ſit diuiſibile vſque in infinitum, & non habeat primam partem determinatam, nunquam inciperet, cum inceptio debeat eſſe determinata. Tum quia nihil incipit intrinſecè quando non eſt, ſed quando eſt, ſed per ſe tempus ſolum eſt per partes, ergo ſolum incipiet quando eſt per partes. Modo quæro, an tempus incipiat per partem præteritam, an præſentem, an futuram, non per præteritam, quia non eſt, non per præſentem, quia iam eſt, & ſic non incipit, non per futuram quia nondum eſt. Tum quia nulla res incipit quando fit, ſed tempus fit per ſuas partes, ergo tempus non eſt pręſens per ſuas partes; ac proinde non eſt præſens per illas, cũ eſſe præſens ſupponat eſſe exiſtens. Soluuntur argum. in contrarium.

167. Primum argum. nam tempus habet partem præteritam, & futuram; ergo etiam præſentem, nihil enim dicitur præteritum, quod non fuit præſens. Reſp. eſſe propriè de ratione ſucceſſiuorum, quod pars futura tranſeat in præteritam, & non ſit præſens ratione ſui, ſed tantum ratione inſtantis, ſunt quidem partes tẽporis ratione ſuæ præteritæ, & futuræ, non ratione ſui præſentes, ſed tantum ratione inſtantis, aliàs tempus non eſſet menſura ſecundum prius, & poſterius, ſed etiam ſecundum præſens.

168. Secundum argum. Partes temporis ſi exiſterẽt per inſtans, maximè per illud, quod nectit partem præteritam cũ futura, ſed per hoc non poſſunt exiſtere; ergo, &c. Minor probatur, nam ſi vtraque pars præterita, & futura exiſterent per inſtans continuatiuum, vtraque exiſteret ſimul, ſed hoc eſt impoſsibile, ergo, &c. hæc minor probatur, tum quia iam pars præterita, & futura coexiſterẽt, & eſſent ſimul, & ſic iam tempus non eſſet ſucceſſiuum. Tum etiam quia in eodem inſtanti eſſet præteritum, & futurum. Tum demum quia res diuiſibilis non poteſt exiſtere niſi per exiſtentiam diuiſibilem, aliàs exiſtentia non proportionaretur rei exiſtenti.

169. Reſp. concedendo maiorem, & negando minorem. Ad probationem concedendo maiorem cum enim exiſtant per inſtans, ratione illius, non ratione ſui, ſunt ſimul. Deinde neganda eſt minor. Ad primam probationem dico, quod illa coexiſtentia partis præteritæ, & futuræ ad idem inſtans non tollit ſucceſſionẽ cum non coexiſtant ratione ſui, ſed ratione inſtantis connectentis. Ad 2. probationem dico quod in eodem inſtanti non eſt præteritum, & futurum, ſed ipſum inſtans nectit præteritum, & futurum. Ad 3. probationem dicas valere de re diuiſibili permanente, non ſucceſſiua, maximè quia inſtans non afficit totam illam partem, ſed minorem, & minorem vſque in infinitum, & ratione illius exiſtant omnes aliæ.

§.7. *Soluuntur aliqua quæſita pro complemento præſentis materiæ.*

170. Quæres 1. quid ſit inſtans in tempore? Aliqui apud Sot. *hic q.*4. Ferrar. *q.*6. Tolet. *q.*13. & alios, dicunt quod inſtans in tempore, ſeu nunc temporis, nihil aliud eſt niſi mobile, non quidem ſimpliciter, ſed quatenus correſpondet huic, vel illi determinatæ parti ſpatij. Nihilominus dicendum proportionabiliter ad ea, quæ dicemus de indiuiſibilibus quantitatis, quod inſtans in tempore eſt veluti terminus, temporis, ſicut punctum eſt terminus lineæ, *in quo* termino intelliguntur terminari, & copulari partes temporis Quare inſtans dicit duo in ſui ratione, vnum in recto, & eſt entitas temporis inadæquatè accepta, alterum in obliquo, & eſt negatio extenſionis. Colligitur ex Ariſt. 6.*phyſ. tex.*24. dicente de inſtanti. *Eſt enim vltimum quoddam præteriti temporis, cuius verſus hac nihil futuri eſt, & rurſus eſt vltimũ quoddam futuri, cuius verſus illa nihil eſt præteriti, quod vtique dicimus vtrorumq; eſſe terminum.* Vocatur etiã ab Ariſt. *tex.*121. diuiſio temporis, quia pertinet ad tota-

lem

lem temporis entitatem, tanquam diuiſiō partium illius, quo modo *tex.* 107. vocatomutatum eſſe diuiſionem motus, & punctum diuiſionem lineæ.

171. Quæres 2. quomodo Ariſt. dicat quod ipſum *inſtans*, ſeu *nunc* metiatur cum *inſtans*, ſeu *nunc* ſit indiuiſibile, & terminus illius, vt dictum eſt? Reſp. quod dicitur metiri, non quia accipiatur ipſum *nunc* per ſe, ſed quatenus determinatur aliqua certa pars, quæ poteſt eſſe menſura, vt colligitur ex *tex.* 114. *&* 129 Rurſus cum dicit *tex.* 114. quod ipſum nunc, *eſt ipſum prius, & poſterius, vt numerabilia*, intelligi debet ratione partium per ipſum determinatarum.

172. Quæres 3. quænam temporis diuiſio admitti debeat, an illa quam tradunt Logici, & Grammatici in præteritum, præſens, & futurum, an verò illa, quam tradunt cōmuniter Philoſophi, ſcilicet in præteritum, & futurum? Hieronymus Pla *hic q. vlt.* dicit quod debet admitti illa, quam tradunt Logici, & Grammatici, quia putat quod detur tempus præſens, & non ſit præſens ſolùm per inſtans, ſed nos oppoſitum tenemus, cum oſtenderimus, quod tempus non eſt præſens niſi per inſtans.

173. Quæres 4. quænam tempore menſurentur? Reſp. quod tempore primi mobilis propriè, & per ſe ſolùm menſurentur motus ſenſibiles, & res materiales, vt duratio motus alterationis, augmentationis, duratio ſubſtantiæ materialis, &c. Motu autem intrinſeco menſurantur omnes durationes etiam ſpirituales, vt ſunt actus intellectus, & voluntatis; quomodo autem menſurentur tempore motus Angelici, quibus mouent corpora, & quomodo menſurentur eorū actiones durantes, & alia huius generis, conſtat ex dictis de Angelis. Datur nāque tempus Angelicum, quo menſurantur durationes actionum liberarum ipſorum, & dantur inſtantia Angelica quibus menſurantur actiones ipſorum inſtantaneæ, & noſtræ ſpirituales.

174. Quæres 5. an re ipſa in tempore dentur inſtantia terminatiua, & copulatiua, quæ etiam dici poſſunt terminatiua vt diximus *n.* 171. Prima ſententia negat, quam ſequuntur omnes illi, qui dicunt tempus exiſtere per aliquam ſui partem, & non per inſtans. Dico 1. *In tempore dantur inſtantia tum terminatiua, quæ ſcilicet terminant tempus, vt eſt terminus calefactionis durantis per horam; tum initiatiua, vt ſunt initia calefactionis, &c.* Ratio clara eſt, quia omne finitum debet terminis claudi, qui termini nequeunt eſſe diuiſibiles, cum enim omne continuum debeat eſſe diuiſibile in infinitum, ſi termini continui eſſent diuiſibiles, nunquam deueniremus ad terminos vltimò claudentes. Vnde videmus, quod etiam in quantitate continua permanente dantur indiuiſibilia, initiatiua, & terminatiua, vt punctum eſt terminus lineæ: linea eſt terminus ſuperficiei, qua indiuiſibilis eſt, &c.

175. Dico 2. *In tempore dantur indiuiſibilia continuatiua.* Has concluſiones tradunt communiter Philoſophi hoc loco, & conſtabunt magis ex dicendis infra de quantitate. Probatur 1. Tempus eſt totum continuum, ſed in continuo debent aſsignari tot termini copulantes, quot ſunt partes, quæ copulantur; ergo, &c. Probatur 2. In tempore intrinſeco, quod eſt cuiuſcumque rei ſucceſſiua duratio dantur inſtantia copulantia; ergo etiam in tempore extrinſeco primi mobilis. Conſeq. conſtat, probatur antecedens; & ſumatur motus finitus vnius horæ, vt calefactio vnius horæ. In hoc tempore dantur inſtantia terminatiua, vt inſtans initians, & terminans, vt omnes admittunt, & diximus in prima concluſione; ergo etiam dantur inſtantia copulantia; probatur hæc conſeq. Hoc tempus intrinſecum calefactionis huius horę menſuratur tempore extrinſeco primi mobilis, hoc enim eſt cæterorum motuum menſura, vt tradit Ariſt. hoc loco; ergo eius indiuiſibilia menſurantur indiuiſibilibus temporis primi mobilis; ſed in primo mobili tempus non habet reſpectu

Digitized by Google

ſpectu huius horæ indiuiſibilia terminantia, ſed tantum continuantia, ergo in tempore primi mobilis dantur indiuiſibilia continuantia, ac proinde etiam in noſtro tempore intrinſeco.

176. Probatur 3. nam motus rei inanimatæ, & animatæ faciunt vnum, & eundem motum localem, ſed iſti motus non poſſunt vniri niſi per inſtans; ergo in motu dantur inſtantia vnitiua, ſeu copulatiua;non enim poſſunt vniri per partem, aliàs vna,eademque pars eſſet ſimul motus rei animatę, & inanimatæ,ac proinde debent vniri aliquo indiuiſibili, quod ſit terminus motus rei animatæ, & initium motus rei inanimatæ. Antecedens probatur, nam proijciatur canis ex alto, & in medio deſcenſus moriatur, tunc eſt vnus, & idem motus localis deſcenſus, ergo, &c. vel proijciatur canis pregnans, & in medio ſpatij animetur fœtus, tunc eſt idem motus, motus namque matris, & motus fœtus intra idem omnino ſpatium, & eodem tempore eſt idem motus.

177. Occurrunt aduerſarij, quod tunc non ſunt duo motus copulati, & continui, ſed tantum contigui, & ſic habent ſua inſtantia initiatiua, & terminatiua, non copulatiua, cum enim tunc ſint duo mobilia, non poteſt eſſe idem motus. Sed contra, nam dato toto hoc, tunc in tempore primi mobilis, vel correſponderet vnum tantum indiuiſibile, & hoc non, cum vnum indiuiſibile non correſpondeat duobus tantum contiguis; nec poſſunt correſpondere duo indiuiſibilia, cum in tempore primi mobilis,nec per aduerſarios dentur indiuiſibilia, maximè duo, vnum poſt aliud; nec poteſt correſpondere pars, cum pars non correſpondeat indiuiſibilibus, ergo, &c. Sed de hoc infra.

178. Quæres 6. an omnia tempora ſint eiuſdem ſpeciei? Reſp. affirmatiuè, omnibus enim conuenit eadem definitio ſupra tradita. Differunt tamen numero ratione diuerſorum ſubiectorum in quibus reperiuntur. In ratione tamen primę menſurę extrinſecę omnium aliorum temporum,tempus eſt tantum vnum numero ſcilicet tempus primi mobilis.

†

DISPV-

Digitized by Google

DISPVTATIO SEXTA.

In librum 5. Phyſicorum de his ad quæ datur motus.

1. HIC liber habet ſex capita. In 1. capite ponit Ariſtoteles varias motus diuiſiones, & dicit quod generatio, & corruptio non ſunt motus, ſed mutationes inſtantaneæ. In 2. cap. docet quod motus per ſe datur tantum ad tria prædicamenta, ſcilicet ad quantitatem, qualitatem, & vbi; motus ad *vbi* eſt motus localis; motus ad *qualitatem* eſt motus alterationis, & motus ad *quantitatem*, eſt motus augmentationis, explicat etiam quid ſit quies. In 3. cap. explicat aliquos terminos neceſſarios ad cognitionem motus. In 4. cap. explicat vnde deſumatur vnitas motus, tam generica, quam ſpecifica, & numerica. In 5. & 6. cap. differit de contrarietate tam motuum inter ſe, quam quietis cum motu. Sed ſit.

DVBIVM I.

Ad quæ prędicamenta detur per ſe motus.

§.1. *Quid ſit dari motum per ſe ad aliquid.*

2. ARiſtoteles in hoc libro non agit de motu in ſua generalitate, vt comprehendit etiam mutationem inſtantaneam, ſed agit de motu ſtrictè dicto, vt ſolùm comprehendit mutationem ſucceſſiuam, & de hac quærimus quid ſit dari motum, ſeu mutationem ſucceſſiuam.

Ad quam difficultatem dico breuiter, quod dari per ſe motum ad aliquid nil aliud ſit,quam quod res illa ad quam dicitur dari per ſe motum, terminet eundẽ motum ratione ſui, non ratione alterius, nam homo v.g. per ſe mouetur localiter, quia ratione ſui, & per propriam virtutẽ loco motiuam per ſe tendit ad talem terminum; at album, aut calidum dicuntur moueri per accidens, quia mouentur ratione alterius in quo illæ qualitates ſunt. Sicut ille dicitur ædificare per ſe, qui per artem, & ideam ædificij format domum. Et ille dicitur ædificare per accidens qui ædificat ratione alterius, vt quando muſicus ædificat.

3. Motus per ſe tres requirit conditiones. Prima eſt quod ſit inter terminos poſitiuos. Secunda, & infertur ex præcedenti, quod ſit inter terminos contrarios. Tertia quod habeat latitudinẽ ſucceſsiuè percurrendam. Hæ conditiones deducuntur ex Ariſtotele hoc loco cap. 1. & benè explicant D.Thomas, & cæteri expoſitores. Ratio clara eſt, nam ad hoc vt motus ſit ſucceſsiuus debet eſſe inter terminos poſitiuos ſcilicet *à quo*, *& ad quem*, vt ſic tranſeat motus de ſubiecto in ſubiectum; debet eſſe inter terminos contrarios, vt ſic vnus relinquatur, & alter deſeratur. Debet habere latitudinem ſucceſsiuè percurrendam, vbi enim eſt vnius derelictio, & alterius acquiſitio, debet eſſe latitudo, & mediũ, aliàs motus ſucceſsiuus non diſtingueretur ab inſtantaneo, vbi nullum intercedit medium.

§.2.

Digitized by Google

§. 2. *An detur per ſe motus ad quantitatem.*

4. PRima ſententia eſt, quod ad quantitatem non detur per ſe motus, & hanc ſequuntur omnes illi, qui duos tantum motus admittunt, ſcilicet commutationem, ſeu alterationem, & lationem, ſeu motum localem. Sic Plato in *Tereto. & Euthiſipo.* Galenus 1. *method. cap.* & alij quos refert Franc. Vallcſius *hic cap. 2. in controu. phyſ. ad tyrones controu. 29. & lib. 2. controu. medic. cap. 17.*

5. Noſtra ſent. ſequenti concluſ. explicatur. *Ad quantitatẽ datur per ſe motus.* Sic omnes Peripatetici hoc loco, & in *lib. de generat. & corrupt.* Pro quo nota non eſſe ſenſum noſtræ cõcluſionis, quod quoties producitur quantitas, toties detur ad eam per ſe motus, hoc enim falſum eſt, quia quando quantitas producitur ſimul cum ſubſtantia, aut comproducitur, tunc producitur per motum terminatum ad ſubſtantiam, & ſic potius tunc congeneratur, aut comproducitur, & fit per motum per ſe primò terminatũ ad ſubiectum. Sed ſenſus eſt, quod detur per ſe motus ad quantitatem quando ad maiorem molẽ extenditur per accretionem, ſeu augmentationem, & ſic augmentatio, ſeu accretio eſt motus per ſe, non ad primam quantitatem, ſed ad maiorem molem, ſeu ad maiorem quantitatem.

6. Probatur 1. nam motus augmentationis habet omnes conditiones dictas ad motum per ſe, nam eſt inter terminos poſitiuos, habet ſufficientem contrarietatem, quæ ſignificatur in diſtantia extremorum, ſeu in ſucceſsione partium: habet latitudinem ſucceſsiuè percurrendã, quæ conſiſtit in latitudine extremorum, non enim eſt neceſsè quod extrema ſint in omni rigore contraria, vt ab eodẽ ſubiecto mutuo ſe expellant per actionem, & paſsionem, vt fit in commutatione, ſeu alteratione, vbi vna qualitas agit in aliã, eamque expellit ab eodem ſubiecto. Aliàs ſi ad motum propriè dictum requireretur rigoroſa contrarietas, neque latio, ſeu motus localis eſſet propriè motus, & ſic neque ad vbi daretur motus propriè dictus, & per ſe. Sufficit ergo ad motum per ſe talis extremorum contrarietas, vt dicant ſucceſsionem, & acquiſitionem partis poſt partem, vt patet in latione. Tum quia negari non poteſt, quod inter quantitatẽ minorem, & maiorem, quæ per augmentationem acquiritur non reperiatur ſufficiens contrarietas ad motũ per ſe, ergo, &c.

7. Probatur 2. nam vt notauit Galenus ſupra, motus eſt immutatio rei à priori ſtatu, quemadmodum motus quo aqua ex frigida fit calida, tunc enim aqua mutatur à priori ſtatu, vt patet, cũ amittat ſtatum frigiditatis, & acquirat ſtatum caliditatis; ſed augmentatio eſt immutatio rei, quæ augetur à priori ſtatu, nam prius erat in ſtatu minoris quãtitatis, poſtea ponitur in ſtatu maioris, ergo ad quantitatem datur motus augmentationis primò, & per ſe.

8. Sed obijcies 1. motus de quo hic loquitur Ariſt. fit ſucceſſiuè, ſed augmẽtatio non fit ſucceſſiuè, ergo non eſt propriè motus de quo hic agitur. Minor probatur, nam augmentatio fit media nutritione, ſeu ſequitur nutritionem, ſed hæc non fit in tempore, ſed in inſtanti, vt ſubſtantia, ergo, &c. Reſp. quod licet ſubſtantia quando fit per generationem fiat in inſtanti, tamen quando fit per nutritionem fit ſucceſſiuè, ex eo quod coniungitur cum augmentatione, aut quaſi, de quo ſuo loco.

9. Obijcies 2. motus ad quantitatem fit penes magnum, & paruum, ſed magnum, & paruum non ſunt contraria, vt docet Ariſt. in prædic. quantitatis, ergo, &c. Tum quia in omni motu terminus *à quo* eſt contrarius termino *ad quem*, ſed in quantitate non datur hæc terminorũ contrarietas, cum quantitas minor non contrarietur quãtitati maiori; ergo, &c. Reſp. quod licet magnum, & paruum in ratione quantitatis non opponãtur, opponuntur tamen in ratione magni, & parui; ſeu licet non opponantur materialiter, opponun-

nuntur tamen formaliter ſub ratione termini *à quo*, & *ad quem*.

10. Obijcies 3.nam motus augmentationis non eſt continuus, ergo non eſt propriè motus de quo hic. Antecedens docet Ariſt. hoc loco. Reſp. quod tripliciter intelligi poteſt, quod augmentatio ſit motus continuus. Primò, vt ſit perpetuus, qua ratione motus orbium cæleſtium ab Ariſt. 8.*phyſ*.8.dicitur continuus. Secundò quatenus ex quo incipit ſemper durat ſine vlla quiete, aut interpolatione. Tertiò quatenus pro aliquo tempore eſt continuus, licet aliquando interrumpatur, & iterum incipiat, vſque ad tempus ſtatus. Motus augmentationis dicitur continuus hoc poſteriori modo. In viuentibus namque dantur tres ſtatus; primus accretionis, non quia ſemper iſte motus continuò duret toto eo tempore, cum non ſemper detur alimentum, ſed quia licet modò quiſcat ex defectu debiti alimenti, tamen dato alimẽto iterum virtus naturalis illud conuertit in ſubſtantiam aliti, & ſic fit accretio. Secundus ſtatus, eſt ſtatus, vbi homo v. g. nec creſcit, nec decreſcit. Tertius ſtatus eſt decretionis, quando calor naturalis deficit, &c.

§.3. *An ad qualitatem detur per ſe motus*.

11. PRima ſententia negat dari per ſe motum ad qualitatem,& ſic aliqui quos citat gratia Dei *lect*.14. *q*. 3. eo fundamẽto ducti, quod qualitati ſecundũ ſuam eſſentiam nihil detur contrarium, licet poſſit dari per accidens ratione ſubiecti, v.g.calori ſecundum ſuam eſſentiã nihil eſt contrarium, cum eſſentia illius, & cuiuſcumque alterius rei ſit indiuiſibilis. Ratione tamen ſubiecti in quo reperitur poteſt ſibi contrariari frigus, & ſic de alijs qualitatibus.

12. Noſtra, & cõmunis Philoſophorum ſententia ſeq. concl. explicatur. *Ad qualitatem datur per ſe motus*. Ratio nota eſt, nam qualitati intantum datur contrarium ratione ſubiecti, inquantum in ſua eſſentia habet contrarium, forma namque nil aliud tribuit ſubiecto, niſi quod habet in ſe; vnde cum quantitas in ſe, ſeu in ſua eſſentia non habeat propriã contrarietatem, neque eam tribuet ſubiecto; ergo ſi calor v.g. in igne habet contrarium frigus, debet illud habere in ſe. Tum quia illa eſſentia habet contrarium quæ in ſe habet magis, & minus, ſed qualitas in ſua eſſentia habet magis, & minus; magis namque & minus ortum habent ex permixtione alterius contrarij; ergo qualitas habet contrarium. Albedo v.g.ſecundum ſe habet diſgregare viſum, quod autem magis, aut minus diſgreget, oritur ex eo quod admittere poteſt, & de facto admittit aliquid contrarij. Tum etiam quia illa ſunt contraria quæ ſub eodem genere maximè diſtant, & ab eodem ſubiecto mutuo ſe expellunt, ſed huiuſmodi ſunt qualitates, vt videre eſt in calore, & frigore, ergo, &c. Tandem quia motus eſt mutatio ſubiecti de forma in formam, ſeu de vno ſtatu in alium, ſed aqua v.g. tranſit de ſtatu frigiditatis ad ſtatum caloris; ergo verè mutatur, ac proinde ad qualitatem datur per ſe motus. Argumenta quæ in contrarium fieri poſſunt ex dictis facile ſoluentur.

§.4. *An ad vbi detur per ſe motus*.

13. AD vbi dari per ſe motus negãt Socin. 5. *metaphy*. *q*. 40. Sot. *hic q*. 2. & aliqui iuniores putantes motum localem non eſſe ad *vbi*, ſed ad locum; omnes enim ex communi modo loquendi dicunt lationem eſſe motum ad locum, tum quia locus eſt ille qui acquiritur; tum etiam quia ad illud eſt motus quod per motum acquiritur, non quod eſt quaſi effectus loci, ex eoque reſultat, ſed vbi eſt effectus loci, ex eoque reſultat, & locus ipſe eſt ille qui acquiritur,ergo,&c. Communior ſententia eſt quod motus localis per ſe terminetur ad vbi, ac proinde ipſum vbi erit terminus motus localis.

14. Rem breuiter reſoluo. Motus localis tanquam ad terminum extrinſecum eſt ad locum, at tanquam ad termi-

num intrinſecum eſt ad *vbi*, & ſic vbi eſt terminus intrinſecus, & productus per motum, at locus eſt terminus extrinſecus acquiſitus, non productus. Nihil ſiquidem mouetur loco, quod per motum ſibi non compararet locum.

15. Sed obijcies 1. quia ſi daretur motus localis ſiue ad vbi, ſiue ad locum, ſequeretur, quod vnum, & idem mobile eſſet partim ſurſum, & partim deorſum; ſed hoc implicat; ergo, &c. Minor conſtat, maior probatur, nam dum ignis mouetur ſurſum, in medio ſpatij non eſt omnino ſurſum, cum nondum attingat ſuam ſphæram; neque deorſum, cum ſit elongatus à terra. Reſp. concedendo maiorem, eo namque ipſo quod aliquid mouetur ſurſum, aut deorſum, oportet quod in medio ſpatio quod eſt inter terminum *à quo*, & *ad quem*, non ſit neque in termino *à quo*, neque *ad quem*, ſed partim participet de vno, & partim de alio, neque in hoc eſt aliqua implicantia.

16. Obijcies 2. nam motus eſt actus mobilis ex Ariſtotele, ac proinde quod per motum acquiritur debet eſſe in mobili; ſed quod acquiritur per motum localem non eſt in mobili, eſt enim locus qui non eſt in mobili; ergo, &c. Reſp. ex dictis, quod per motum localem duplex terminus acquiritur, ſcilicet intrinſecus, & extrinſecus; intrinſecus ſcilicet *vbi* eſt in mobili, & extrinſecus, ſcilicet locus non eſt in mobili.

§. 5. *An motus detur per ſe ad alia prædicamenta.*

17. DIco 1. *Ad ſubſtantiam non datur per ſe motus.* Ratio eſt quia ſubſtantia non habet latitudinem ſucceſſiuè percurrendam, cum ſit indiuiſibilis, nec habeat magis, & minus, ſeu latitudinem gradualem; neque habeat contrarium; cum vna ſubſtantia ex ſe, ſeu ratione ſui non expellat aliam ab eodem ſubiecto, & ſic ſubſtantia vel producitur per generationem, & hæc ſit in inſtanti vel per nutritionem, & tunc ſit ſucceſſiuè ratione quantitatis, aut qualitatis retardantis; quod aliquando etiam generatio ſubſtantiæ fiat ſucceſſiuè vt cum lignum paulatim comburitur, & paulatim ignis generatur, tunc eſt per accidens ratione qualitatum reſiſtentium, & paulatim cedentium, alijs contrarijs.

18. Dico 2. *Ad actionem, & paſſionem non datur per ſe motus.* Sic Ariſt. *hic cap. 2. & 11. metaphy. cap.* 10. Ratio eſt quia motus non eſt per ſe ad motum, ſed actio & paſſio ſunt entitas motus, ergo ad actionem, & paſſionem non datur per ſe motus. Dico 3. *Ad relationem non datur per ſe motus.* Ratio eſt quia relatio non fit per actionem ad ipſam terminatam v. g. filiatio non fit per actionem ad ipſam terminatam, ſed per generationem quæ terminatur ad ſubſtantiam filij ex qua reſultat. Dico 4. neque datur per ſe motus ad *quando, ſitus, & habere*, quia iſta ſunt modi quidam reſultantes per naturalem quãdam emanationem, nam *quando* reſultat ex eo quod res correſpondeat tanto, vel tanto tempori. *Situs* reſultat ex vbi, quatenus res habet talem, vel talem, poſitionem in loco. Et *habere*, ſeu habitus ex tali, vel tali modo habendi veſtes reſultat.

DVBIVM II.

De vnitate motus.

19. TRes ſunt vnitates de quibus inquiri poteſt, & dubium procedere, ſcilicet generica, ſpecifica, & numerica. Quantum ad vnitatem genericã conueniunt omnes, quod illi motus genericè conueniant, qui pertinent ad idem prædicamentum, ac illi genericè differãt qui pertinent ad diuerſa prædicamenta, & ſic omnes motus ad quantitatem, vt motus augmentationis, & diminutionis, ſunt eiuſdem generis: & omnes motus ad qualitatem, vt calefactio, frigefactio, dealbatio, &c. ſunt eiuſdem generis. Et omnes lationes, ſeu motus locales, vt sũt ſurſum, deorſum, &c. ſunt eiuſdem generis. Vnde ſola præſens difficultas reuocatur ad vnitatem ſpecificam, & numericam à qui-

à quibus ſcilicet iſtæ duæ vnitates deſumantur, an ſcilicet à ſolo termino à quo, an à ſolo termino ad quē, an à ſolo medio, an ab omnibus, vel à quibus.

§. 1. *A quo ſumatur vnitas ſpecifica motus.*

20. PRima ſententia eſt, quod motus ſpecificetur tum à termino *à quo* & *ad quem*, tum etiam à medio. Ita Albertus Senonia *hic q.* 6. & alij. Secunda ſententia tenet, quod vnitas ſpecifica motus ſumatur à ſolo termino *ad quem*, Sic Ferrar. *hic q.* 4. Soto. *q.* 3. Toletus, Pererius, & alij hoc loco.

21. Noſtra ſententia ſequenti concl. explicatur. *Vnitas ſpecifica motus à duobus ſumitur, ſcilicet tum à termino ad quem, tum ab vnitate viæ, ſeu medij.* Sic tenent communiter Philoſophi hoc loco, pro quo videri poſſunt N. Complut. *diſp.* 23. *q.* 1. & alij. Pro quo notandum 1. quod in hoc differunt accidentia à ſubſtantia, quod accidentia cum ſint entis entia ſpecificantur per ordinem ad aliquid extrinſecum, at ſubſtantia cum non dependeat ab accidentibus, ſed in ſe ſit quid completum, non poteſt ſpecificari ab aliquo extrinſeco, ſed in ſe habere debet ſuum ſpecificatiuum, vt homo ſpecificatur à rationalitate quam in ſe intrinſecè habet, & ſic cum motus ſit accidens debet per ordinem ad aliquid extrinſecum ſpecificari. Notandum 2. quod terminus ſumi poteſt duobus modis, ſcilicet materialiter, & formaliter. Materialiter cum accipitur terminus pro re quæ eſt terminus, non attenta ratione terminandi. Formaliter, quando conſideratur ſub ratione terminandi v.g. calor ſumi poteſt vt res quædam eſt, & vt terminat motum calefactionis. Notandum 3. quod terminus alius eſt vltimatus, & eſt ille in quem omnia feruntur, in quo ſiſtit motus, & quieſcit mobile. Et alius eſt non vltimatus, & eſt ille in quo non quieſcit mobile, ſed vlterius tendit; v.g. aqua quando calcſit, aut lignum vſque ad gradum, vt 8. tunc gradus intermedij ſunt terminus non vltimatus, & gradus octauus eſt terminus vltimatus. Cum ergo dicimus in concluſione quod vnitas motus ſumitur à termino *ad quem*, intelligi debet de termino ad quem formali, & vltimato; & cum dicimus quod etiam vnitas ſpecifica motus ſumitur ab vnitate ſpecifica viæ, ſeu medij, etiam formaliter intelligi debet. Ratio eſt, quia vnitas formalis, & ſpecifica cuiuſcumque rei ſumi debet ab eo quod habet rationem formæ, non à materia, ſeu ab eo quod habet rationem materiæ. Vnde videmus, quod aſcenſus, & deſcenſus diuerſificantur formaliter, & tamen poſſunt habere eundem terminum materialiter, vt aſcenſus aeris ad locum medium, & deſcenſum ignis ad eundem locum.

22. Quod motus ſumat ſuam vnitatem ſpecificam à termino *ad quem* formaliter probatur, nā ab eo motus capit vnitatem ſpecificam, à quo capit eſſentiam, ſed hanc capit à termino *ad quem*, non à termino *à quo*; minor probatur, quia ab eo res capit eſſentiam à quo capit differentiam eſſentialem per quam diſtinguitur eſſentialiter ab alia, ſed hanc capit motus à termino *ad quem*; ergo, &c. Minor probatur, nam calefactio ſumit ſuam differentiam eſſentialem per quam diſtinguitur à frigefactione à calore producto, non à termino *à quo* cum contingere poſſit quod terminus *à quo* calefactionis ſit diuerſus. Vnde per Ariſt. omnes dealbationes, & omnes calefactiones ſunt eiuſdem ſpeciei, & tamen principia illarum poſſunt eſſe diuerſa, vt cum lignum calefit à ſole, & ab igne.

23. Præterea nihil poteſt ſpecificari ab eo quod deſtruit formaliter, ſed motus formaliter deſtruit terminum *à quo*, ergo à termino *à quo*, non poteſt ſumi vnita ſpecifica motus. Tum quia id quod eſt, non poteſt ſpecificari ab eo quod non eſt, ſed calefactio dum fit, eſt, & terminus *à quo* non eſt, ergo calefactio v. g. non poteſt ſpecificari à termino *à quo*. Tum etiam quia motus, & terminus *ad quem* ſunt eiuſdem ſpeciei, non motus, & terminus *à quo*, ergo motus non poteſt ſpecificari ab eo quod eſt alterius ſpeciei. Antecedens probatur, nam motus cale-

factionis reuocatur ad ſpeciem caloris,nō ad ſpeciem ſolis,vel ignis;ergo, &c.

24. Demum probatur, nam motus definitur per terminum *ad quem*, non per terminum *à quo* dicimus namque calefactio eſt motus ad calorem ; frigefactio eſt motus ad frigus; dealbatio eſt motus ad albedinem ; & non dicimus dealbatio eſt motus ad dealbatorem , neque eſt motus dealbatoris: calefactio eſt motus ſolis,vel ad ſolem , cum etiam illuminatio ſit motus ſolis, &c. Tum quia motus eſt via,& progreſſio ad terminum *ad quem* : eſt tendentia ad terminum *ad quem*, eſt id quo medio mobile conſequitur terminum ;ergo, &c.

25. Quod autem motus ſumat etiam ſuam vnitatem ſpecificam ab vnitate viæ, ſeu medij, ſeu quod vnitas viæ, ſeu medij concurrat etiam ad integrandum integrū ſpecificatiuum motus,probatur;nam ideo motus rectus , & circularis ad eundem terminum diuerſificantur ſpecie, quia tēdunt ad illum per diuerſa media ; & ideo motus ſurſum , & deorſum ad eundem terminum diuerſificantur ſpecie,quia fiūt per diuerſa media, quoties enim media , ſeu viæ diuerſificantur formaliter , etiam terminus *ad quem* diuerſificatur formaliter.

26. Primum argum. nam de ratione motus ſucceſſiui eſt, quod ſit inter terminos contrarios ſcilicet *à quo*, & *ad quem*, ergo vterque requiritur ad ſpecificationē motus. Reſp. concedendo antecedens , & negando conſequentiam . Requiritur quidem terminus *à quo* ad motum tanquam quid extrinſecum non tanquam quid intrinſecum , ac proinde non requiritur vt ſpecificatiuum .

27. Secundum argum. nam mutatio inſtantanea, & ſucceſſiua non diſtinguuntur niſi ratione terminorum *à quibus*,quatenus ſcilicet idem calor, aut eadem quātitas cum ſit per generationem, ſeu ex ſui priuatione, diſtinguitur à motu , vt cum ſit ex ſui contrario, idem namque eſt terminus in mutatione inſtantanea , & ſucceſſiua , ſcilicet idem numero calor , aut idem calor in ſpecie . Reſp. quod mutatio inſtantanea, & ſucceſſiua cum tendunt in vnum, & eundem terminum, ſunt eiuſdem ſpeciei formaliter, licet diuerſificentur ſpecie materiali . Vel dicas quod calor, aut quantitas , &c. non producuntur per ſe per mutationem inſtantaneam; ſed tantum per accidens,& ſic nil contra nos. Vel etiam dicas, quod mutatio inſtantanea, & ſucceſſiua diſtinguuntur formaliter ratione diuerſi medij ; nam mutatio inſtantanea calor v.g. petit fieri ex priuatione ſui tanquam per medium priuatiuū; at in motu petit fieri ex ſuo contrario .

28. Tertium argum. nam ſequeretur quod motus naturalis , & violentus ad eundem terminum ad quem , eſſent eiuſdem ſpeciei, vt deſcenſus aeris, vel ignis ad terram pro replendo vacuo, & deſcenſus lapidis aut terræ, ad eandem terram , nam tunc habent eundem terminum ad quem; ſed hoc eſt falſum , cum idem motus in ſpecie non poſſit eſſe violentus , & naturalis . Reſp. quod motus naturalis, & violentus ad eundem terminum ſunt eiuſdem ſpeciei eſſentialis , licet diuerſæ ſint ſpeciei ratione accidentariæ diuerſorum ſubiectorum , cui vni motus eſt conſonus, & alteri diſſonus .

29. Quartum argum. nam motus deſumit ſuam vnitatem ſpecificam à ſubiecto ſpecie diſtincto , ergo non à termino *ad quem* . Antecedens tenet Pontius *diſp. 13. n. 26.* cum Auerſa *q. 26. ſect. 12.* & probat quia motus quo mouetur vnum ſubiectum v.g. homo , dicit ordinem eſſentialem ad hominem , nec de potentia abſoluta poteſt eſſe motus alterius ſubiecti v. g. leonis : nec motus leonis poteſt eſſe motus hominis, licet habeant terminos eiuſdem rationis v.g. calores , vt ſi tam homo , quam leo calefacerent , ergo iſti motus ſpecificantur à ſubiectis. Hanc probationem vocat Pontius euidentiſſimam , licet fateatur ſuam ſententiam eſſe contra communem . Si Pontius dixiſſet quod ſpecificatio motus ſumatur à principijs ſpecie diſtinctis,nō eſſet adeo improbabilis , ſaltem reſpectu aliquoru m motuum , ſed quod ſumatur à ſubiectis , ſuſtineri non poteſt, maximè in motibus tran-

tranſeuntibus, vt eſt calefactio, cum motus tranſiens ſubiectetur in paſſo, & negare nequeat, quod calefactio non reuocetur ad ſpeciem caloris, non hominis, aut leonis calefacientis. A ſubiecto namque deſumitur vnitas numerica, vt §. ſequenti videbimus. Ad argumentum ergo dico quod calefactio ab homine non dicit eſſentialem ordinem ad hominem, ſed ad calorem, ſolum actus vitales dicunt eſſentialem ordinem ad principia vitalia, non actus tranſeuntes non vitales. Et ſic calefactio cum non ſit actus vitalis cum ſit & ab igne, & à ſole, non dicit eſſentialem ordinem ad ſua principia, ſed ad terminum productum, vt noſtræ rationes conuincunt. Quocirca Ariſt. agens de diſtinctione ſpecifica motuum, numquam fecit mentionem de motore, ſed de terminato. Si tamen contingeret quod aliquis motus diceret ſpecialem ordinem ad aliquem motorem, tunc afferret differentiam accidentalem, non eſſentialem, cum hæc deſumatur à termino intrinſeco, non à termino extrinſeco, aut principio extrinſeco. Dicitur à termino intrinſeco ſcilicet ab ordine intrinſeco, &c.

§. 2. *A quo ſumatur vnitas numerica motus.*

30. Ariſtoteles hoc loco requirit ad vnitatem numericam motus hæc tria, ſcilicet vnitatem numericam mobilis, termini, & temporis, nunc quæritur an omnia iſta requirantur, & ſufficiant. Pontius loco citato *n. 36.* putat quod non requiratur vnitas temporis, ſed ſufficiat vnitas mobilis, & termini *ad quē.* Alij ex oppoſito vltra illa tria requirunt etiam vnitatem agentis.

31. Noſtra, & communis ſententia ſeq. concl. explicatur. *Ad vnitatem numericam motus requiruntur, & ſufficiunt vnitas numerica mobilis, termini, & temporis.* Sic Ariſt. hic *tex.* 34. D. Tho. Iauell. Sot. Aſtudillo, Veracruz, Tolet. Perer. Maſius, & alij quos referunt, & ſequuntur N. Complut. hoc loco. Quod ad vnitatem numericam motus requiratur vnitas numerica mobilis, ſeu ſubiecti, patet, quia omne accidens habet vnitatem numericam à ſubiecto cui inhæret. Quod autem ad eandem vnitatem numericam motus requiratur etiam vnitas numerica termini, etiam patet, nam motus à termino *ad quem* ſpecificè, & eſſentialiter conſideratum habet vnitatem ſpecificam, vt §. præcedenti viſum eſt, ergo ab eodem numericè conſiderato ſumere debet vnitatem numericam; tum quia motus identificatur cum termino, & reuocatur ad ſpeciem termini, ergo etiam debet reuocari ad vnitatem numericam eiuſdem. Tandem quod etiam requiratur vnitas temporis oſtenditur, nam motus eſt quid continuum, & fluens à tempore menſuratum, ergo vbi non eſt vnitas temporis, neque erit vnitas rei duratæ, & menſuratæ. Vnde ad vnitatem numericam menſurati fluentis neceſſaria eſt vnitas numerica menſuræ, quoniam in fluentibus menſura repeti non poteſt vt in rebus permanentibus. Soluuntur argum. in contrarium.

32. Primum argum. nam ad vnitatem numericam motus requiritur etiam vnitas numerica ſpatij, ergo nō ſufficiunt illa tria. Reſpondet Maſius *hic q. 1. aſſertione 2.* quod ad vnitatem, & continuitatem motus non ſit neceſſaria continuitas ſpatij, probat quia quando in tranſitibus viarum ob vitandum lutum, vel aquam ſunt iacti lapides pergrandes, & diſiuncti, motus eſt continuus, & tamen lapides, ſuper quos quis tranſit, non ſunt continui, ergo ad continuitatem motus non requiritur continuitas medij. Hæc reſponſio nō placet, nam aliud eſt, quod lapides non ſint continui, & aliud eſt quod ſpatium non ſit cōtinuum; ſpatium namque continuum eſt, vt patet, nec lapides ſunt ſpatium, ſed quid in ſpatio poſitum. Tum quia negari non poteſt, quod etiam ſpatium formaliter, ſeu via non pertineat ad vnitatem ſpecificam motus, vt §. præcedenti dictum eſt, ergo etiam debet pertinere ad vnitatem numericam; ratio nāque ſpecifica muliplicata, ponit indiuidua. Dico ergo ad argum. quod etiam vnitas ſpatij pertineat ad vnitatem numericam

ricam motus, nec fuit neceſsè quod ſeparatim poneretur, cum ſufficienter contineatur, & explicetur in vnitate numerica termini, cum via reuocetur ad terminum, & ſit quoddam initium illius.

33. Secundum argum. Vnitas numerica quantitatis, qualitatis, aliorumque accidentium à ſolo ſubiecto deſumitur; ergo etiam vnitas numerica motus, cum ſit accidens, à ſolo ſubiecto deſumetur; ergo fruſtra deſumitur à termino, & tempore. Reſp. quod etiam vnitas temporis requiritur ad vnitatem qualitatis, quantitatis, &c. nam calor productus hodie in manu, & deſtructus, diſtinguitur numero à calore, qui producetur cras, quia licet ſit idem ſubiectum numero, non tamen eſt idem tempus, vbi namque tempus diſcontinuatur, nec accidens poteſt eſſe continuum. Quod autem ad motũ, etiam vnitas termini requiratur, patet quia cum motus identificetur cum termino, oportet quod vbi eſt diuerſitas termini ſit etiam diuerſitas motus.

34. Tertium argum. nam vnitas numerica prioris non dependet ab vnitate numerica poſterioris: ſed motus eſt prior termino, qui per ipſum producitur, nam calefactio eſt prior calore, imò etiam motus eſt prior tempore, cum tempus ſit proprietas, & menſura motus, menſura autem eſt prior re menſurata, & ſupponit illam; ergo, &c. Reſp. concedendo maiorem, quod ſcilicet prius non dependeat à poſteriori, qua prius eſt, benè tamen ſecundum quod dicit alias rationes. Ad minorem dico, quod licet motus ſit prior termino, provt ille eſt cauſa huius, provt tamen motus eſt idem entitate cũ termino nõ eſt prior, & hac ratione vnitas motus deſumitur ab vnitate termini. Ad illud quod dicitur de tempore, dico quod ſi procedat de tempore primi mobilis, motus non eſt prior, nam calefactio v.g. ſupponit illud tempus. Quod ſi procedat de tempore intrinſeco, quod eſt quędam proprietas motus, adhuc poteſt eſſe prius motu, non qua paſſio eſt, ſed qua menſura actualis; res enim menſurata dependet in hac ratione à ſua menſura.

35. Quartum argumentum, vnitas motus dependet etiam ab vnitate mororis, ergo illa tria non ſufficiunt. Antecedens probatur, nam quoties multiplicantur numero motores, multiplicantur etiã numero motus, aliàs idem eſſet calefactio ignis A. & ignis B. quod nemo dicit. Reſp. quod requiritur quidem ad vnitatem motus etiam vnitas motoris, ſed non tanquam quid intrinſecum, ſed tanquam quid extrinſecum vt dicebamus contra Pontium *n.29.*

36. Quintum argum. quoniam ſi canis deijciatur ex alta turri, & in medio deſcenſus deuiuat, tunc erit idem motus numero, & non erit idem mobile, nam canis viuus, & mortuus non ſunt idem numero; ergo vnitas numerica motus nõ deſumitur ab vnitate numerica mobilis. Quod ſi dicas non eſſe idem numero motum, ſed duo oporteret quod inter illos daretur aliqua quies per quam diſcontinuarentur. Reſpondet Toletus *hic q. 3.* quod motus illius canis, eſt vnus, & idẽ continuus ex eo quod ſubiectetur in materia prima, non in toto, & ſic cum materia prima ſit eadem in genito, & in corrupto, etiam motus geniti, & corrupti erunt idem. Sed hæc ſententia non placet 1. quia ſecundum Ariſtotelem motus ſubiectatur in mobili. 2. quia aliud eſt ſubiectum ortus, & interitus, & aliorum motuum; materia prima eſt ſubiectum ortus, & interitus, non aliorum motuum. 3. quia ſubiectum ortus, & interitus, eſt in pura potentia, at ſubiectum motus *eſt* ens in actu. 4. quia idem eſt ſubiectum motus, & termini, ſed ſubiectum termini v.g. caloris eſt totum, ergo etiam ſubiectum motus, cum quo motus identificatur erit totum. Reſp. ergo quod in eo caſu illi motus licet ſint contigui, non tamen continui, & ſic ſunt duo motus; benè verum eſt, quod inter duos illos motus non intercedit nec tempus nec quies poſitiua, ſed ad ſummum negatiua, ſed ad illos diſcontinuandos ſufficit diſcontinuitas ſubiectorum.

§.3.Sol-

§. 3. *Soluuntur duę difficultates curioſæ.*

37. Prima difficultas, an motus ad eundem terminum per diuerſa media ſint eiuſdem, an diuerſæ ſpeciei? Supra aliqua tetigimus de hac difficultate, modo clarius eſt diſſoluenda, de qua. Prima ſententia eſt, quod loquendo de motu alterationis (nam de motu locali per diuerſa media ad eundem terminum, vt de motu ſurſum, & deorſum ad eumdem terminum materialiter, eſt communis ſententia, quod ſint diuerſæ ſpeciei) maximè de motu qui fit ad extremos colores per medios ſpecie diuerſos, ſint ſpecie diuerſi. Sic tenent Magnus Albertus 5. *phyſ. tract.* 3. *cap.* 1. citans Auicennam, Auerroes 10. *metaphy. comment.* 21. Burleus, Ferrar. Conimbric. & alij hoc loco. Secunda ſententia per oppoſitum tenet, quod motus qui tendunt ad extremum colorem per medios ſpecie diuerſos, vt motus ad nigrum per fuſcum, vel rubrum ſunt eiuſdem ſpeciei. Item ſunt eiuſdem ſpeciei motus ab albedine in rubrum, & à nigredine in rubrum. Tertia ſententia eſt, quod motus, qui tendunt ad extremum colorem per medios diuerſos ſunt eiuſdem ſpeciei. At motus qui tendunt ab extremis coloribus ad medium, ſunt diuerſæ ſpeciei.

38. Noſtra ſent. ſeq. concl. explicatur. *Omnes motus ſiue ab extremis coloribus ad medium, vt ab albo, & nigro ad rubrum, ſunt diuerſæ ſpeciei, ſicut etiam ſunt diuerſæ ſpeciei motus à medijs ſpecie diuerſis, vt à rubro, vel fuſco, ad album, vel nigrum.* Sic tenent auctores primæ ſententiæ, & alij. Ratio conſtat ex dictis duobus §§. præcedentibus, nam quoties extrema, ſeu viæ, aut media ſunt ſpecie diuerſa, etiam terminus eſt ſpecie diuerſus, licet materialiter ſit idem, vt patet in motu ſurſum, & deorſum ad idem medium; ſed ſiue motus ſint à coloribus extremis, vt ab albedine, & nigredine ad rubrum, vel fuſcum, qui ſunt colores intermedij; ſiue motus ſint à coloribus intermedijs ſpecie diuerſis, vt ab fuſco, & rubro, ad album, vel nigrum, ſemper media, ſeu viæ ſunt diuerſæ ſpeciei, ergo etiam motus erunt diuerſæ ſpeciei, licet termini ſint materialiter eiuſdem ſpeciei. Diximus enim ſupra, quod diuerſitas ſpecifica motus ſumitur, non à terminis materialibus, ſed formalibus, quoties autem viæ, ſeu media, aut extrema ſunt formaliter, ſeu ſpecie diuerſa, inferunt motus, & terminos ſpecie diuerſos.

39. Secunda difficultas, an illa, quæ ſpecie differunt poſſint eſſe continua? Prima ſent. affirmat dummodo communem habeant materiam, vnde viriditas, & ſiccitas in ligno ſunt continua, quia communem habent materiam. Sic Toletus *hic q.* 3. Valeſius *controu.* 31. & alij. Secus quando non habent materiam communem. Communis opinio tenet, quod ea quæ ſpecie differunt, ſiue habeant, ſiue non habeant communem materiam non poſſunt continuari, vnde virga cuius medietas eſt ſicca, & alia viridis, non eſt vnũ quid continuũ; vnde neque tunc eſt vna materia communis, cum enim ſint duo compoſita, licet contigua, non poſſunt habere vnam, eamdemque materia, ſed ſunt duæ materiæ ſpecie, & numero diuerſæ ratione duarum formarum, ſpecie, numeroque diſtinctarum.

40. Ratio communis ſententiæ eſt, quia quæ ſpecie differunt, habent formas ſpecie diſtinctas, diſtinctio namque ſpecifica deſumitur à forma, vt omnes tradunt, ſed quę habent formas ſpecie diſtinctas, habent etiam accidentia formã conſequentia, ſpecie diſtincta, & habent accidentia, quæ formam non conſequuntur ſaltem numero diſtincta; ſed continuitas non conſequitur formam, ſed materiam per quantitatem extenſam, ergo quæ habent formas ſpecie diſtinctas habent continuitates ſaltem numero diuerſas. Tum quia vbi eſt diſtinctio ſpecifica, eſt etiam diſtinctio numerica, vbi autem ſunt plura numero, non poteſt eſſe vna continuitas; ergo &c. Vnde licet pars virgæ ſicca, & viridis videantur continua non tamen ſunt, ſed tantum contigua; ſicut non ſunt continua, ſed tantum contigua,

tigua, quæ cum alijs inſeruntur. Item cum in homine vna pars moritur, alia remanet viua, tunc pars viua, & mortua non continuantur, ſed tantum contiguantur.

DVBIUM III.

De contrarietate motuum.

§. 1. *Vnde ſumatur motuum contrarietas.*

41. SVpponimus aliquos motus eſſe contrarios; nam augmentatio, & diminutio, ſunt motus contrarij; calefactio, & frigefactio ſunt motus contrarij; aſcenſus, & deſcenſus ſunt motus contrarij, &c. Hæc tamen contrarietas non cõpetit motui ratione ſui, ſed ratione formæ, cum enim motus ſit via ad formam, oppoſitio viæ deſumitur ab oppoſitione formæ; illæ namque viæ dicuntur contrariæ, quæ in contrarios terminos tendunt. In quibuſdam motibus formæ ſunt contrariæ in eſſe rei, vt in calefactione, & frigefactione. In alijs eſt contrarietas in eſſe termini, vt in motu augmentationis, & diminutionis, in quibus non eſt contrarietas in eſſe rei, ſed tantum in eſſe termini, quatenus augmentatio terminatur ad quantitatem ſub ratione maioris, & diminutio terminatur ad eandem ſub ratione minoris.

42. Sed obijcies 1. nam contraria poſſunt eſſe ſimul in gradibus ſaltem remiſsis, ſed motus qui dicuntur contrarij non poſſunt eſſe ſimul in gradibus etiam remiſsis vt patet in motu ſurſum, & deorſum; ergo, &c. Reſp. hoc argum. benè procedere in contrarijs permanentibus, quæ poſſunt eſſe ſimul in gradibus remiſſis, vt ſic agendo, & reagendo mutuo ſe expellant. At contraria fluentia non poſſunt eſſe ſimul etiam in gradibus remiſſis quia cum habeant eſſe debile, facilè ſe expellunt. Vel dicas, quod contraria permanentia in gradibus remiſſis poſſunt eſſe ſimul, quia in his gradibus conueniunt, & conſpirant in vnum, ad producendum vnum effectum, vt patet in calore, & frigore in gradibus remiſſis in mixto ad producendam vnam conſonantiam, & temperamentum. At contraria fluentia non poſſunt conuenire ad productionem vnius v. g. temperamenti, ſed habent ſemper terminos oppoſitos, & ſic neque in gradibus remiſſis poſſunt conuenire.

43. Obijcies 2. nam ſi aliqui motus eſſent contrarij maximè eſſent aſcenſus, & deſcenſus, ſed iſti non ſunt contrarij, ergo nulli. Minor probatur, nam duo contrarij motus non poſſunt conuenire eidem corpori ſimplici, ſed aſſenſus, & deſcenſus conueniunt eidẽ aeri, aer namque æquè naturaliter deſcendit à ſphæra ignis ad ſecundam regionem, & à terra ad eandem regionem. Hinc in fulgore videmus duos motus contrarios, aſcenſus, & deſcenſus. Reſp. quod duo motus diuerſi poſſunt eidem rei conuenire, ratione diuerſarum qualitatum, nam aer, & habet aliquid grauitatis, & aliquid leuitatis, modo ratione leuitatis aſcendit ſurſum ad ſecundam aeris regionem, & ratione grauitatis deſcendit à ſphæra ignis ad eandem ſecundam regionem; idem dic de fulgure, ratione ignis incluſi rapitur ſurſum, & ratione grauitatis terreæ deſcendit deorſum, ob id tortuosè mouetur. Item atomi, & plumæ, &c. aſcendunt, & deſcendunt, ratione leuitatis, & grauitatis.

44. Obijcies 3. ex Ariſt. 1. *de cælo*, quod vni vnum tantum contrariatur, ſed motui contrariatur quies, ergo non contrariatur alter motus. Reſp. quod ſecundum vnam, eãdemque rationem, vni vnũ tantum contrariatur, benè tamen ſecundum diuerſam rationem, vt patet in virtutibus, quibus duo vitia contrariantur, vnum per defectum, aliud per exceſſum. Sic motui oppoſitione priuatiua contrariatur quies, & oppoſitione poſitiua, contrariatur alter motus.

45. His ſuppoſitis quærimus vnde ſumatur motuum contrarietas. Pro quo notandum eſt ex Ariſt. *hic cap.* 5. quod quinque modis cõcipi poteſt, quod vnus motus

motus ſit alteri contrarius. 1. quando motus, qui procedit ab vno termino, contrariatur alteri, qui tendit ad eundem terminum, vt motus ſurſum, & deorſum. 2. Illi motus dicuntur contrarij, qui progrediuntur à terminis contrarijs, vt motus calefactionis, & frigefactionis, qui progrediuntur à calore, & frigore, quæ ſunt qualitates contrariæ. 3. Illi motus dicuntur contrarij, qui terminantur ad terminos contrarios, vt calefactio, & frigefactio ad calorem, & frigus. 4. Illi motus dicuntur contrarij, qui & procedunt à terminis contrarijs, & terminantur ad terminos contrarios, vt calefactio, & frigefactio, quæ & procedunt aliquando à terminis contrarijs, & tendunt ad terminos contrarios, ſcilicet ad calorem, & frigus. Contrarietas eiuſdem motus ſumitur à termino à quo, & ad quem motus, ſed de hoc non procedit difficultas.

46. His poſitis, rem breuiter reſoluo. *Contrarietas eſſentialis motuum deſumitur à terminis ad quos. At contrarietas accidentalis, & quaſi complens priorem, deſumitur à terminis à quibus.* Sic poſt Ariſt. D. Thomã, & alios tradunt N. Complut. *diſp.* 24. *q.* 1. Ratio primi eſt, nam à quo motus habet naturam, & ſpeciem ab eo habet contrarietatem, contrarietas namque ſequitur rei naturam tanquam proprietas illius. Ratio ſecundi eſt, quia cum terminus à quo requiratur ad contrarietatẽ eiuſdem motus, ſeu ad hoc vt motus ſit inter terminos poſitiuos contrarios, requiretur etiam ad hoc, vt iſte motus ſit contrarius alteri.

§. 2. *An, & quomodo quies contrariatur motui.*

47. QVies eſt carentia motus; in ſubiecto apto moueri eſt priuatio, ſi ſubiectum non ſit aptum moueri, quies illa nõ eſt priuatio, ſed negatio motus. Deinde quies alia eſt in termino à quo, & alia in termino ad quem. Quies in termino à quo eſt illa, quæ præcedit motum, & quies in termino ad quem eſt illa, quæ ſequitur deſitionem motus. Et ſic in calefactione v. g. quæ eſt motus ad calorem dantur duæ quictes, vna præcedit inceptionem, & alia ſequitur deſitionem. Quies quæ eſt in termino ad quẽ, ſeu quæ ſequitur deſitionem poteſt ſumi dupliciter. Primò pro conſiſtentia, & ſtatu mobilis in forma, aut loco acquiſito, qui ſtatus eſt veluti quædam fruitio talis formæ, aut loci. Et hæc quies non opponitur motui, cum motus ad illam ordinetur, vt eſt locus ſurſum reſpectu ignis. Secundò ſumitur prout præciſè dicit carentiam motus præcedentis, & de iſta potiſſimè procedit difficultas, nam de quiete, quæ eſt in termino à quo, omnes conueniunt cum Ariſt. *hic cap.* 6. quod opponatur motui, non quidem poſitiuè, ſed priuatiuè.

48. Quoad quietem, quæ eſt in termino ad quem, dico 1. *Quies, quæ eſt in termino ad quem ſi formaliter ſumatur, prout dicit priuationem motus, opponitur ei oppoſitione priuatiua.* Ratio eſt, quia forma & priuatio illius dicunt oppoſitionem priuatiuam, ſed motus, & quies ſe habent vt forma, & priuatio illius; ergo, &c. Dico 2. *Quies quæ eſt negatio motus, opponitur illi contradictoriè.* Ratio eſt, quia forma, & negatio illius ſe habent ſicut eſſe, & non eſſe, ac proinde opponuntur contradictoriè; eſſe enim, & non eſſe illius ſimpliciter, vt eſt negatio contradictionem inuoluunt.

49. Sed obijcies 1. nam Ariſt. *hic cap.* 6. docet quod quies non opponitur motui; ergo malè dicimus nos opponi priuatiuè. Reſp. Ariſtotelem fuiſſe loquutum de quiete prout dicit conſiſtentiam, & ſtatum mobilis, non prout dicit præciſè carentiam mobilis.

50. Obijcies 2. ex eodem Ariſt. *cap.* 1. *huius libri*, quod à priuatiuo ad priuatiuum non eſt motus, ſed à termino ad quẽ fit motus ad priuationem illius; ergo in termino ad quem non eſt priuatio. Reſp. ſolùm inferri quod forma per motum acquiſita non eſt priuatio, à forma autem acquiſita non datur motus ad quietem.

51. Sed quæres, quænam quies opponatur motui, an illa quæ eſt in inſtanti ter-

terminatiuo motus, an illa quæ eſt in tempore ſequenti poſt inſtans terminatiuum motus. Reſp. quod loquẽdo de motu ſucceſſiuo, qui terminatur in inſtanti, quies ſibi oppoſita eſt in tempore immediatè ſequenti, cum enim motus ſit ſucceſſiuus, & correſpondeat tempori, quies illi oppoſita, debet eſſe in tempore; tum quia illud inſtans vltimum pertinet ad motum tanquam complementum illius, ac proinde in illo non poteſt eſſe quies.

§.3. *An poſſit aliquid moueri duobus motibus contrarijs.*

52. Conueniunt communiter, quod vnum, & idem poteſt per accidens moueri duobus motibus contrarijs, vt patet de illo qui mouetur in naui in oppoſitum illius, nam proprio motu mouetur v.g. verſus orientem, & motu nauis in occidentem. Similiter corpus Chriſti D. in vna hoſtia mouetur ſurſum ad motum illius, & in alia poteſt eodem tempore moueri deorſum. Iſti namque motus non ſunt propriè contrarij. Idem dic de motibus planetarum, qui motu proprio mouentur ab occidente in orientem, & motu raptus primi mobilis mouentur ab oriente in occidentẽ. Item conueniunt, quod idem poſſit moueri duobus motibus contrarijs ratione diuerſarum partium, nam poteſt quis in vna manu calefieri, & in alia frigefieri. Item poteſt quis ſanari in vna parte, & infirmari in alia. Iſti namque motus non ſunt contrarij reſpectu ſubiecti, licet ſint contrarij in ſe.

53. Demum cõueniunt omnes, quod non poſſit idem ſecundum eandem partem moueri duobus motibus contrarijs inuerſis, vt ſurſum, & deorſum, ante, & retrolicet poſſit moueri ſecundum diuerſas partes; poteſt enim quis vnam manũ eleuare, & aliam demittere; poteſt ſecundum vnum pedem moueri ante, & ſecundum alium retro. At fieri nullo modo poteſt, quod quis ſimul ſecundum eandem partem aſcendat, & deſcendat; accedat ad vnum terminum, & recedat.

54. Difficultas eſt, an vnũ, & idem moueri poſsit motibus contrarijs etiam non inuerſis. Prima ſententia affirmat, in gradibus remiſsis; vnde poterit aliquid frigefieri, & calefieri in gradibus remiſsis. Sicut enim contraria poſſunt eſſe ſimul in gradibus remiſsis, vt calor vt duo, & frigus vt duo v. g. ita etiam motus ad iſtos gradus poterunt eſse ſimul. Sic tenent Plaza, Conimbric. & alij à N. Complut. citati *d. diſp.* 24. *q.* 2. *n.* 7.

55. Noſtra ſent. ſeq. concl. explicatur. *Motus contrary ad qualitates contrarias etiam in gradibus remiſſis in quibus ipſæ qualitates eſſe ſimul poſſunt, nequeunt eſſe ſimul, ſeu nõ poteſt aliquid moueri duobus motibus contrarijs etiam in gradibus remiſſis*. Sic Ariſt. *hic cap.* 6. D. Thomas ibidem, Soncin. Soto, & alij, quos referunt, & ſequuntur N. Complut. loco citato. Ratio eſt euidens, quia licet qualitates cõtrariæ poſſint eſſe ſimul in gradibus remiſſis; non tamen motus ad illas, ſquoniam ſicuti non poteſt aliquid aſcendere ſurſum, & deſcendere, accedere, & recedere, etiam leuiter, ita non poteſt etiam leuiter calefieri, & frigefieri, cum ſint ſicut acceſſus, & receſſus. Tum quia motus ad calorem licet remiſſum ita eſt acquiſitio formæ, vt ſit ex ſui natura expulſio contrariæ; ergo, &c. Tum etiam quia aliud eſt aliqua ſimul eſſe, & aliud eſſe ſimul fieri, nam habitus virtutis, & vitij ſaltẽ via corruptionis poſſunt ſimul eſſe, non tamen ſimul produci; non enim poſſunt ſtare ſimul duo actus, quorum *vnus ſit* productiuus habitus virtutis, & *alius* habitus vitij, cum actus virtutis ſit ex natura ſua deſtructiuus actus contrarij, vt actus amoris eſt deſtructiuus actus odij. Motus autem contrarij ſunt ſibi inuicem deſtructiui.

56. Obijcies 1. nam duæ qualitates contrariæ vt calor, & frigus poſſunt eſſe ſimul in gradibus remiſsis; ergo etiam earum motus productiui. Antecedens notum eſt. Conſeq. probatur, quia contrarietas motum deſumitur ex contrarietate formarum, vt ſupra vidimus, ergo etiã incompoſſibilitas motuum deſumetur ex incom-

incompoſsibilitate formarum; ſed formæ in gradibus remiſſis non ſunt incompoſſibiles; ergo neque motus illarum productiui. Reſp. concedendo antecedens, & negando conſeq. Ad probationem dico quod incompoſsibilitas motuum non ſumitur ex incompoſſibilitate formarum in eſſe quieto, ſed in fieri; duæ autem formę contrariæ dicunt incompoſſibilitatem in fieri, licet non in facto eſſe ſaltem in gradibus remiſsis, in fieri autem dicunt incompoſſibilitatem, quia fieri vnius eſt excluſio alterius, vt ex dictis conſtat.

57. Obijcies 2. Demus, inquiunt, quod aliquod ſubiectum neque ſit calidum, neque frigidum, & illi applicentur duo agentia fortiſſima contraria æqualis virtutis, & actiuitatis, tunc vtrumque aget, ergo tunc dabuntur duo motus contrarij. Reſp. quod in illo caſu, ſi applicentur eidem parti ſubiecti, neutrum aget, quoniam vnumquodque impediet actionem alterius.

DISPVTATIO SEPTIMA.

In lib. 6. Phyſicorum, de compoſitione continui, de modis incipiendi, & de maximo, & minimo.

1. HABET iſte liber decem capita. In 1.& 2. docet Ariſtoteles, quod nullum continuum cōponatur ex ſolis indiuiſibilibus. In 3. capite oſtendit quod inſtans, ſeu momentum temporis ſit indiuiſibile, & ſit finis partis præteritæ, & initium futuræ. In 4. capite agit de diuiſibilitate motus. In 5.& 6. diſputat de principio, & fine motus, & de modo deſinendi illius. In 7. cap. probat quod tempori, motui, mobili, & ſpatio, conueniat eſſe finita, aut infinita. In 8. cap. docet quietem eſſe diuiſibilem in infinitum. In 9. & 10. cap. proponit aliquos errores antiquorum Philoſophorū, & eorum falſitatem oſtendit. Sed ſit.

DVBIVM I.

De compoſitione continui.

§. 1. *An in continuo dentur indiuiſibilia.*

2. PRima ſententia eſt, quod in continuo nulla dentur indiuiſibilia, ſed quod quantitas v.g. ſit vna continuata entitas, quæ nulla habet indiuiſibilia, neque terminatiua, neque copulatiua; terminatio nāque nihil ſit aliud niſi ipſa quantitas, vt dicit carentiam vlterioris extenſionis. Sic tenent Ocham *in ſua dialect. cap. de quant.* item *tract. de Euchar. cap.* 1. *&* 2. *& quodlib.* 1. *q.* 9. Gregor. *in* 2.*diſt.*2.*art.*12. & eſt omniū Nominaliū, quam ſententiam defendunt Perer. *hic lib.*10.*cap.*6. Auerſa q.22.*ſect.*4. & aliqui alij moderni. Secunda ſententia eſt, quod dentur in continuo indiuiſibilia cōtinua-

tiua realia, non tamen terminatiua. Sic aliqui moderni. Tertia ſententia per oppoſitum admittit indiuiſibilia realia terminatiua, non tamen continuatiua. Sic Fonſeca 5.*metaph. cap.16. q.6.* & alij ex iunioribus.

3. Pro intelligentia difficultatis notandum, quod Ariſt. ponit tria genera indiuiſibilium, ſcilicet punctum, quod eſt vſquequaque indiuiſibile, quod eſt duplex, aliud eſt terminus lineæ, aliud continuatiuum partium continui, vt quantitatis, quod in quantitate retinet nomen puncti, in tempore habet nomen inſtantis, & in motu vocatur mutatum eſſe. Secundum indiuiſibile eſt linea, quæ ſolùm eſt indiuiſibilis ſecundum latitudinem, & profunditatem, & diuiſibilis ſecundum longitudinem. Tertium eſt ſuperficies, quæ eſt diuiſibilis ſecundum longitudinē & latitudinem, & indiuiſibilis ſecundum profunditatem. Punctum eſt terminus lineæ, linea eſt terminus ſuperficiei, & ſuperficies eſt terminus corporis. Quare linea eſt continui longitudo ſine latitudine, & profunditate. Superficies eſt longitudo, & latitudo ſine profunditate. His poſitis.

4. Noſtra ſent. ſeq. concluſ. explicatur. *In continuo dantur indiuiſibilia tam continuatiua, quam terminatiua*. Sic tenent Ariſt. D. Tho. Themiſtius, Simplicius, Philopponus, Capreol. Deza, Caiet. Sotus, Soncin. Suarez, Plaza, Maſius, & alij, quos referunt, & ſequuntur N. Complut. *hic diſp.* 15.*q.*1.*n.*4. Probant 1. N. Complut. quia quando duo corpora ſe inuicem tangunt, debent ſe tangere ſecundum indiuiſibile, quoad profunditatem, hoc eſt ſecundum ſuperficiem indiuiſibilem, aliàs penetrarentur; non enim ſe poſſunt tangere in carentia extenſionis, cum hæc ſit nihil, neque in parte indeterminata minori, & minori, quia cum quælibet ſit diuiſibilis in infinitum non poſſet aliqua aſſignari in qua ſe tāgerent. Sed hanc rationem impugnant iuniores, quia in ſententia admittente indiuiſibilia fatendum eſt, quod hæc tangant partem, quam vniunt, & ad hoc nil aliud reſponderi poteſt, niſi quod eam tangant in parte minori, & minori, &c. Tum quia ſi Deus de potentia abſoluta ſepararet ſuperficies ab illis duobus corporibus adhuc ſe tangere poſſent, & tunc non niſi in parte minori, & minori, ſine penetratione, ergo, &c.

5. Probant 2. quia ſi daretur corpus perfectè ſphæricum ſupra perfectè planū, tunc ſe tangerent in pūcto. Occurrunt aduerſarij, quod ſe tangerent in parte minori, minori in infinitum, ad eum modū quo per aduerſarios ſe tangunt indiuiſibile, & pars. Quomodo namque ſuperficies tangit corpus, niſi ſecundum partem minorem, & minorem, &c.

6. Ego probarem 1. nam lumen receptum in ſuperficie corporis opaci non poteſt recipi niſi in ſuperficie indiuiſibili, & non in parte aliqua, etiam minori, & minori, &c. ergo dantur indiuiſibilia. Conſeq. conſtat, admiſſo namque vno indiuiſibili, debent admitti omnia, cum non ſit maior ratio de vno, quam de alio. Antecedens patet; nam aliàs corpus opacum nō diſtingueretur à corpore diaphano, nam corpus opacum non illuminatur niſi in ſuperficie, & lumen non recipitur niſi in ſuperficie, at in corpore diaphano, recipitur etiam in corpore, aut in parte illius. Quocirca ſi lumen in corpore opaco recipitur in parte aliqua, ſecundū hanc corpus opacum erit diaphanum. Poſſunt, & nil aliud reſpondere contrarij quod corpus opacum in hoc diſtinguatur à diaphano, quod hoc ſecundum ſe totum illuminatur, & recipit lumen, at corpus opacum ſolùm recipiat lumen ſecundum partem minimam. Sed contra, nam cum hæc pars minima ſit diuiſibilis in infinitum etiam ſecundum profunditatem, ac proinde ſit hoc modo corpus opacum, ſequitur quod corpus opacum non diſtinguatur à diaphano, deinde cū omnes partes ſint eiuſdem rationis, ſequitur, quod omnes poſſint illuminari, & fieri diaphanæ, vt ſi ſucceſſiuè illuminata prima parte, eaque ablata, illuminaretur ſecunda, & ſic deinceps.

7. Secundò probarem, nam indiuiſibilia

bilia tam continuatiua, quam terminatiua ſunt poſſibilia, ergo de facto dantur. Antecedens conſtare videtur, nulla namque videtur poſſe aſſignati repugnantia huius impoſſibilitatis, cum enim Deus de facto creauerit indiuiſibilia ſubſtātialia, vt Angelos, & animas rationales, nō videtur impoſſibile quod non poſſit creare indiuiſibile materiale. Conſeq. probatur 1. quoniam omnia ferè argumenta, quæ adducuntur contra actualem exiſtētiam indiuiſibilium, militant etiam contra poſſibilitatem eorum, nam ſi ſunt poſſibilia poſſunt poni actu, & ſi ponantur actu contra fieri poterunt dicta argumenta. 1. Quia ſi dicta indiuiſibilia ſunt poſſibilia, debet eſſe poſſibile aliquod quaſi ſpatium ipſis proportionatum, in quo poni poſſint, ſed hoc non poteſt eſſe pars v. g. quantitatis, cum hæc quippè diuiſibilis non poteſt eſſe ſpatium proportionatum indiuiſibilis, ergo debet eſſe ſpatiū indiuiſibile, quod non niſi indiuiſibili repleri poteſt.

8. Tertiò probari poſſet, quia ſi non darentur indiuiſibilia, daretur infinitum actu à parte rei, ſed hoc non conceditur ab aduerſarijs; ergo, &c. Maior probatur, nam quoties magnitudo non habet terminum, toties eſt infinita; ſed ſi non darentur indiuiſibilia ſaltem terminatiua, magnitudo non haberet terminum; ergo eſſet infinita. Nec valet dicere, quod habet terminum negatiuum, ſcilicet carentiam vlterioris extenſionis. Nam cōtra eſt, quia res poſitiua, & finita debet habere terminum poſitiuum, aliàs non eſſet finita poſitiuè, ſed tantum negatiuè, quod dici nequit. Soluuntur argum. in contrarium.

9. Primū argum. Ad vniendas partes continui non conducunt indiuiſibilia; ergo non dantur. Conſeq. conſtat, ſi enim darentur indiuiſibilia continuatiua maximè ad vniendas, & continuandas partes continui. Antecedens probatur, nam ſi conducerent ad illam vnionem, vel hoc eſſet quia indiuiſibilia ſint ipſa vnio, vel vlterius requiritur alia vnio. Si hoc ſecundum dicatur, dabitur proceſſus in infinitum. Non poteſt dici primum, quia indiuiſibile non poteſt eſſe vnio partium diuiſibilium. Reſp. quod indiuiſibilia ſunt ipſæ partium vniones, quas vt vniant non eſt neceſſe, quod eas omnes afficiant, ſed ſufficit, quod afficiant vltimam ſibi vicinam ſecundum minorē, & minorem rationem.

10. Secundum argum. quoniam indiuiſibilia quantitatis debent habere aliquod ſubiectum, ſed non poteſt aſſignari; ergo, &c. Maior conſtat, ſunt enim accidentia, & leuiſſimæ entitates. Minor probatur, nam ſi quod eſſet horum accidentium ſubiectum maximè eſſent partes, quas nectunt, aut tota quantitas, aut materia prima, aut certè totum compoſitum hihil horum eſſe poteſt; ergo, &c. Nec valet reſpondere, quod indiuiſibilia quātitatis ſubiectātur in indiuiſibilibus ſubſtantiæ, vt volunt omnes, aut ferè omnes illi, qui dicunt ſubſtantiam habere partes; nam ſubſtantia nullas habet partes, vt diximus in Logica. Neque etiam valet quod ſubiectentur in partibus, quas vniunt, aut in toto, &c. quia diuiſibile, & extenſum non poteſt eſſe ſubiectum rei indiuiſibilis, & inextenſæ. Reſp. ſubiectari *vt quo* in partibus quantitatis quas vniunt, & *vt quod* in toto ſimul cum illis partibus. Nec officit quod iſtæ partes ſint diuiſibiles, & extenſæ nam indiuiſibilia non afficiunt omnes illas, ſed ſecundum partem minorem, & minorem. &c.

11. Tertium argum. nam ſequeretur, quod duo indiuiſibilia immediatè eſſent in quantitate, hoc eſt falſum; ergo, & id vnde ſequitur. Minor conſtat, nam ſi ſemel dantur duo indiuiſibilia immediata, vnum poſt aliud, poſſent etiam dari plura, & ſic quantitas conſtaret ex ſolis indiuiſibilibus. Maior probatur, quia ſi ponatur baculus in aqua, cuius vna pars ſit intra aquam, & alia in aere contiguo, tunc darentur duo indiuiſibilia immediata, quorum vnum correſpōderet ſuperficiei aquæ, & aliud ſuperficiei aeris, cum enim vnaquæque ſit indiuiſibilis, debet habere vtraque ſuum indiuiſibile correſpondens in baculo. Reſp.

quod

quod vnum, idemque indiuiſibile correſpondet vtrique ſuperficiei aquæ,& aeris; illa enim dicuntur ſe tangere, quorum extrema ſunt ſimul, & ſic cum illæ duæ ſuperficies eſſent ſimul poſſent correſpõdere vni indiuiſibili baculi.

§.2. *An quantitas componatur ex ſolis indiuiſibilibus, an ex partibus indiuiſibilibus copulatis.*

12. PRima ſententia affirmat, quantitatem componi ex ſolis indiuiſibilibus, ſic tenuerunt Stoici ſecuti Zenonem eorum ducem. Item Pythagoras, Democritus,Leucippes,& multi alij, quos ſequuntur aliqui recentiores. Vnde Pontius *diſp.* 18. *q.* 2. *poſt num.* 9. dicit, quod quantum ad rationes quænam ſententia ſit verior neſcitur,vnde dicit quod cenſura Concilij Conſtanticnſis *ſeſſ.* 15. dicentis errorem eſſe in Philoſophia, quod linea componatur ex ſolis indiuiſibilibus, fuit addita, vel ſumpta ex codice cuiuſdam Canonici Colonienſis,& ſic non eſt magnæ auctoritatis, quod etiam dicit Ariaga ab illo citatus.

13. Noſtra ſententia ſeq. concluſ. explicatur. *Continuum non componitur ex ſolis indiuiſibilibus, ſed etiam ex partibus per indiuiſibilia copulatis*. Hanc concl. docent omnes Peripatetici poſt Ariſt. Videantur N.Complut. *diſp.*15. *q.*2. *n.* 17. pro quo notandum, quod non alio modo poſſumus intelligere quantitatem componi ex ſolis indiuiſibilibus, niſi ponamus vnum vniri immediatè poſt aliud, vt vnum ſit extra aliud,& nihil intermediet, vt ſi ponantur v.g. quatuor puncta vnum poſt aliud, fiatque linea quatuor punctorum. Et ſi huic ſuperficiei ſupponatur alia ęqualis, fiet latitudinis, & profunditatis duorum punctorum,& ſic deinceps. Ratio autem à priori eſt, quia ſi vnum punctum omnino eſſet intra aliud, tunc neque in ordine ad ſe facerent extenſionem,neque plura puncta occuparent plus loci, quam vnum, debent ergo eſſe vnum extra aliud immediatè,quod eſt impoſsibile, vt oſtendemus.

14. Probatur 1. nam continuum nõ poteſt componi ex ſolis indiuiſibilibus finitis, neque infinitis; ergo nullo modo. Non ex infinitis,quia intelligi non poteſt quomodo indiuiſibilia, ſeu puncta componant quantitatem,ſeu extenſionem niſi intelligamus vnũ poni extra aliud, quod ſi ſic intelligamus, tunc nulla quantitas finita poterit componi ex punctis infinitis, ſicut nullus numerus finitus poteſt componi ex vnitatibus infinitis,nam duo puncta faciunt lineam duorum punctorũ; tria, faciunt maiorem, ergo iſtæ lineæ duorum, aut trium punctorum non erunt compoſitæ ex infinitis punctis; & ſi his addantur ſemper puncta in dupla proportione, creſcet linea in dupla proportione, & ſic poterit dari linea magna ex punctis finitis. Et ſi daretur linea infinitorum punctorum,eſſet actu infinita ſecundum longitudinem, quia eſſet maior quacumque finita poſſibili. Explicatur hoc, quia, tunc puncta in illa linea haberent ſe ſicut partes æquales, non communicantes, nullum enim punctum eſſet maius, aut minus alio, & ſic illa linea haberet infinitas partes componentes æquales, & ſic eſſet actu infinita. Idem dici debet de linea reſpectu ſuperficiei,& de hac reſpectu corporis. Neque ex finitis punctis quantitas componi poteſt ſi ſemel ſunt indiuiſibilia,quod ſeq.ratione probatur.

15. Nam punctum additum puncto non facit extenſionem, neque quantitatem, ac proinde quantitas non poteſt cõponi ex ſolis punctis. Antecedens probatur,nam ſi duo puncta vnirentur ad faciendam extenſionem, inter illa nihil deberet intercedere quod eſſet diuiſibile; alias non eſſent continua, ſed diſtantia inter ſe, & hoc ipſum eſſet contra aduerſarios qui putant, quod inter punctum,& punctum nihil diuiſibile intercedat. Vel ergo illa duo puncta erunt ſimul, ideſt vnum intra aliud, & ſic non facient extenſionem;vel vnum erit extra aliud vt ſe tangant, & hoc eſt impoſſibile;nam vel ſe tangerent ſecundum ſe tota; & ſic vnum eſſet intra aliud,ſicut anima eſt intra corpus

pus; vel ſe tangerent per aliquid ſui, & per aliquid non ſe tangerent, & ſic eſſent diuiſibilia inter partem, & partem: vel ſe tangerent ſecundum extrema, vt ſe tangunt de facto duo corpora, punctum autem cum ſit indiuiſibile non habet extremum, aut medium, ſed quicquid eſt illius eſt ipſum totum, ſicut quicquid eſt ſubſtantiæ Angeli, eſt totus Angelus, & ſic de cæteris indiuiſibilibus. Illa ergo puncta non poſſent ſe tangere, quia *illa ſe tangunt quorum extrema ſunt ſimul*; neque eſſe poſſũt cõtinua, quia *illa ſunt continua quorũ extrema ſunt vnum*. Vnde impoſſibile eſt intelligere quomodo puncta poſſint facere extenſionem, & idem dici debet de lineis, & ſuperficiebus. Hæc ratio excludit reſponſionem cuiuſdam moderni, qui ob hanc rationem fuit coactus admittere quædam puncta diuiſibilia ſeu extenſa, aut vt ipſe dicebat *inflata*.

16. Probatur 2. ex motu locali, quia ſi ſpatium per quod debet fieri motus cõponeretur ex indiuiſibilibus, tunc etiam motus, & tempus componerentur ex indiuiſibilibus; ſed hoc eſt falſum, nam tunc tolleretur motus, & tempus. Maior probatur, ponamus, quod quis exiſtens in puncto A. debeat moueri per lineam 100. punctorum. Vt iſte tranſeat à puncto A. quod eſt primum, ad punctum B. quod eſt ſecundum, non requiritur neque tempus, neque motus, quia punctum B. eſt indiuiſibile, & continuum puncto A. ergo totum ſimul acquiritur, & conſequenter in inſtanti; ſi enim acquireretur in tempore, v. g. in vno minuto, tunc peto an in dimidia parte illius minuti mobile fuit in puncto A. vel in puncto B. vel partim in vno, & partim in alio; ſi in A. ergo nõ mouetur, ſed potius quieſcit in illo. Si in puncto B. ergo iam motum eſt, & non mouetur ad illud punctum: ſi partim in vno, & partim in alio, ergo punctum habet partes, quæ cum ſint abſurda dici debet quod motus fiat in inſtanti, & idem de tempore.

17. Probatur 3. argumento, quod erat Achilles Zenonis, nam ex oppoſita ſententia ſequeretur, quod curſor velociſſimus non moueretur velocius homine tardiſſimo; ſeu quod Achilles non moueretur velocius teſtudine. Sequela probatur. Ponamus, quod vterque debeat currere ab eodem puncto, & per idẽ ſpatium, incipiant ſimul Achilles velociſſimus, & teſtudo tardiſſima, tunc dũ Achilles acquiret ſecundum punctum, etiam teſtudo acquirit ſecundum, quia ponimus vtrumque ſimul moueri, & non poteſt teſtudo minus acquirere vno puncto, cum nihil detur minus puncto; in eodem ergo inſtanti in quo Achilles acquirit ſecundum punctum, etiam teſtudo illud acquirit. Et in alio inſtanti in quo Achilles acquirit tertium, etiam teſtudo illud acquirit, & ſic deinceps; vnde euidenter patet, quod ſemper æqualiter mouẽtur, quia non mouentur niſi in inſtanti, & per puncta indiuiſibilia. Imò ſequeretur quod licet teſtudo cæpiſſet moueri in inſtanti priori, quam Achilles, nunquam poſſet idem Achilles pertingere ad teſtudinem.

18. Reſpondent aduerſarij, quod Achilles in vno inſtanti pertranſeat v. g. quatuor puncta, at teſtudo vnum tantum. Nam contra eſt, quia Achilles prius pertranſit ſecundum quam tertium, & quartum, ſunt enim extenſa vnũ extra aliud; quando ergo Achilles erat in 2. puncto, ibi erat teſtudo, non in primo puncto, quia ponimus illam moueri, erat ergo in 2. Item ſi Achilles vnico inſtanti perficit quatuor puncta, ergo duo puncta perficit in dimidio inſtanti, & ſic inſtans erit diuiſibile, &c.

19. Probatur 4. demonſtratione mathematica, nam ſequeretur, quod circulus minor eſſet omnino æqualis maiori, hoc eſt falſum; ergo, &c. Sequela probatur, fiat circulus cuius circunferentia ſit 100. punctorum, & intra hunc fiat alius minor, tunc à circunferentia circuli maioris ducantur lineæ à quolibet illius puncto, ad centrum, & ſic tranſibunt iſtæ lineæ per circulum minorem quinquaginta punctorum, tunc vel lineæ tranſeũt per ſingula puncta circuli minoris, & hoc modo circulus minor erit æqualis maiori

& erit

& erit 100. punctorum,contra ſuppoſitũ; vel tranſibunt illæ lineæ circuli maioris ſupra dimidium punctum circuli minoris, & tunc puncta erunt diuiſibilia, quod eſt falſum. Poſſet etiam fieri alia demonſtratio, quod ſcilicet diametrum eſſet æquale quadrato, ſed ſufficiant dicta. Soluuntur argum. in contrarium.

20. Primum argum. Quantitas diſcreta vt numerus, componitur ex ſolis indiuiſibilibus, ſcilicet ex vnitatibus,quæ ſecundum Ariſt. ſunt indiuiſibiles, non enim datur minus vno, & in numero non datur proceſſus in infinitum, ſed quiſquam numerus habet vnitates determinatas, ergo etiam quantitas continua cõponetur ex ſolis indiuiſibilibus. Conſeq. conſtat ex paritate rationis; tum quia Ariſt. 1.*top. in fine*, docet quod ita ſe habet punctum in linea, ſicut vnitas in numero. Et 1.*poſt. tex.* 33. docet, puncta eſſe de eſſentia lineæ, in primo modo dicendi per ſe, ac proinde erunt partes lineæ. Reſp. negando conſeq.ratio diſparitaris eſt, quia numerus non conſiſtit in partium continuatione, ſed in multitudine, & diſcretione, ac proinde debet habere vnitates determinatas, ſi enim haberet infinitas vnitates, non eſſent numerabiles, & ſic nec eſſet numerus.Et quia implicat dari infinitam rerum multitudinem, hinc abſolutè numerus debet conſtare ex partibus finitis. Dicitur autem vnitas indiuiſibilis in ordine ad numerũ, quia in numero nõ poteſt dari minus vnitate; minus enim vno,nihil eſt. Quantitas autem continua, cum conſiſtat in continuatione ſuarum partium, continuatio autem fieri non poteſt per indiuiſibilia materialia, neceſſe eſt vt componatur ex partibus diuiſibilibus. Ariſtoteles in 1. teſtimonio ponit ſimilirudinem inter vnitatem,& punctum in hoc,quod ſicut vnitas eſt principium numeri, ita punctum eſt principium lineæ. Ad 2. teſtimoniũ dico Ariſt.velle quod punctum ſit de ſubſtantia lineæ in primo modo dicendi per ſe, quia eſt terminus eſſentialiter requiſitus ad terminandam lineam.

21. Secundum argum. quoniam ſi daretur ſphæra perfecta ſuper planum perfectum ſe rangeret in puncto, ergo ſi ſuper illud ducatur, ſemper tanget in puncto, ac proinde planum ex ſolis punctis componetur. Hinc dicunt Geometræ lineam eſſe fluxum puncti. Reſp. quod quando ſphæra perfecta quieſcit ſuper planum, tangit in puncto, non ſemper quando ſi per illud mouetur, ſed tanget etiam partes ſecundum rationem minorẽ, & minorem, &c.

23. Tertium argum. nam ſi linea diuidatur in duas partes, vtraque pars habebit ſuum punctum terminatiuum, ergo iſta erant prius,& ſic poſt punctum ſequitur punctum, ergo, &c. Reſp. quod duo illa puncta terminatiua in extremitatibus illarum partium lineæ diuiſæ nõ præfuerunt in linea diuiſa ante diuiſionem actu, ſed tantum potentia, & ſic prius non erat neque ſimul, neque vnum poſt aliud, ſed reſultant ex ipſa diuiſione.

24. Quartum argum. nam ſi quantitas non componeretur ex ſolis indiuiſibilibus, deberet componi ex partibus diuiſibilibus in infinitum, ſed hoc eſt falſum; ergo, &c. Minor probatur, nam numquã morus incipere poſſet; quod ſic oſtendo, quia ſi mobile debeat moueri per ſpatium decem palmorum, non poterit prius pertranſire partem maiorem in iſto ſpatio, quin prius pertranſeat minorem; v.g. non prius pertranſibit palmum,quin prius pertranſeat dimidium, nec prius dimidium quin prius dimidium dimidij, &c. nulla namque pars minima datur in illo *ſpatio* quam poſſit prius pertranſire, ergo *nunquam* incipiet moueri. Reſp. *quod* motus incipit extrinſecè; vnde nõ incipit per aliquam partem determinatam, aut primam, cum eam non habeat. Vnde in hoc inſtanti in quo incipit motus, partes non ſunt,immediatè poſt erunt in fluxu,in quo aſſignari poſſunt partes priores, & poſteriores. Et ſic mobile dum mouetur non pertranſit partes maiores, & minores determinatè, ſed prius indeterminatè minores, poſtea maiores.

§.3.

§. 3. *An partes ex quibus componitur continuum, ſint tales in actu, an ſolum in potentia.*

25. Certum eſt, quod partes continui non ſunt actu diuiſæ, ſolum eſt difficultas an ſint actu diſtinctæ, an ſolum in potentia. Prima ſententia eſt, quod partes in continuo non ſint actu partes, ſed tantum in potentia, ſicut neque indiuiſibilia continuatiua ſunt actu in continuo, ſed tantum in potentia, ſi enim ſemel darentur actu partes, deberent etiam dari actu continuatiua, & è contra. Sic tenent plures moderni.

26. Noſtra ſententia ſeq. concl. explicatur. *In continuo dantur partes realiter inter ſe diſtinctæ quæ propterea habent veram, & propriam rationem partium.* Pro hac ſent. citant N. Complut. *diſ.* 25. *q.* 3. *n°* 37. Ariſt. D. Thomam, Sotum, Soncin. Ruuium, Maſium, Suarium, aliosque. Colligitur hæc concluſio ex Trident. *ſeſſ.* 13. *cap.* 3. vbi dicitur. *Totus enim eſt integer Chriſtus ſub panis, & ſub quauis ipſius ſpeciei parte: totus item ſub vini ſpecie, & ſub eius partibus exiſtit.* Non exiſteret autem actu, niſi actu eſſent partes. Sed agamus rationibus.

27. Prima ratio, nam de partibus quantitatis verificatur, quod nemine cogitante vna non eſt alia, ergo nemine cogitante vna non eſt alia, ac proinde diſtinguuntur. Antecedens conſtat ex communi ſenſu, & loquendi modo omnium hominum, nullus namque dicet quod à parte rei, quantitas capitis, eſt quantitas pedis, aut quod caput ſit pes, & maximè in rebus habentibus multam magnitudinem, vt in aqua maris, nullus namque dicet, quod mare noſtrum, eſt idem nemine cogitante cum mare indico, cum tamē hæ partes componant vnum continuum.

28. Occurres pro aduerſarijs negando antecedens, nam à parte rei quantitas capitis eſt quantitas pedis continuatiuè, id eſt, ſunt vnum continuum actu, potentia verò plura. Sed contra, nam ſtat quātitatem capitis eſſe vnum continuatiuè, cum actuali diſtinctione, ea namque ſunt vnum continuatiuè, quæ licet actu diſtinguātur, non tamen ſeparantur; nā materia, v.g. & forma vermis realiter actualiter diſtinguuntur, non tamen ſeparantur; cēſenturque vnum continuatiuè, & tamen conſeruant actualem diſtinctionem. Communi ergo hominum ſenſu, caput & pedes continuantur, non tamen ſunt vnum excludens actualem diſtinctionem, ſed ſolum excludens actualem ſeparationem.

29. Secunda ratio, cauſa efficiens, & effectus ex cōmuni Philoſophorum pronunciato diſtinguuntur realiter, nihil enim poteſt producere ſe ipſum; ſed in continuo ſæpe vna pars producit aliam, vt patet in nutritione, vna enim pars carnis v.g. aliam generat, eamque ſibi vnit vt fiat vna caro continua. Idem in elementis, vt cum ignis ignem generat, aer aerē, & ex genito, & generante fit vnum continuum, tunc enim dantur partes actu diſtinctæ, licet non actu diuiſæ.

30. Ad hoc argum. occurrere poſſunt aduerſarij, quod cauſa efficiens antequam producat effectum debet realiter ab illo diſtingui, eo tamē producto ſufficit quod diſtinguatur realiter potentialiter, quod maximè accidit in rebus qnantis, quæ poſſunt ſibi ſuos effectus vnire continuatiuè, in ijs autem rebus in quibus non poteſt eſſe talis continuatio debent actu diſtingui. Sed contra nam quæ realiter diſtinguuntut in cauſari, debent etiam realiter diſtingui in cauſato eſſe, nec diſtinctio tollitur per hoc, quod cauſa & effectus realiter continuentur ſeu vniantur, vt patet in materia, & forma, &c.

31. Tertia ratio, nam ſi accipiatur vna gutta aquæ, & proiciatur in mare, licet continuetur cum aqua maris, remanet tamen eadem quæ erat ante vnionem, ſed ante vnionem erat realiter diſtincta, ergo etiam poſtea. Maior probatur, nam ſi non maneret eadem debet ammittere ſuam indiuiduationem, ſed hoc eſt falſum, nam ſequeretur quod etiam mare deberet ammittere ſuam indiuiduationem, nam tunc mutaretur mare, cum fieret nouum indiuiduum per nouam aquæ additionē.

Præterea ſequeretur quod quando diuiduntur reliquiæ Sanctorum, non eſſent amplius eædem ſed aliæ numero diſtinctę, quæ non ſequuntur ſi admittamus partes in continuo diſtingui.

32. Quarta ratio, nam quantitas nemine cogitante habet partes, eſt enim compoſita, imò eius eſſentia conſiſtit in extenſione partium; ergo nemine cogitãte debet habere pluralitatem partium, ſed pluralitas partium nequit eſſe ſine diſtinctione; ergo, &c. Nec valet dicere quod eſſentia quantitatis eſt vt ſit compoſita, vt ſit extenſa, & habeat pluralitatem partiũ non actualium, ſed potentialium, ſicut de eſſentia accidentis non eſt actu inhærere, ſed poſſe. Sed contra, nam habere partes in potentia non eſt eſſe actu extenſum, ſed potentia, eo enim modo aliquid eſt extenſum quo habet partes extra partes, ergo quod habet partes extra partes ſolum in potentia, etiam ſolum in potentia erit extenſum.

33. Quinta ratio, nam ea quæ fundãt relationem realem, ſeu inter quæ datur relatio realis, debent diſtingui realiter, ſed inter partes continui datur relatio realis, ergo debent diſtingui realiter. Minor probatur tum ratione dicta, quod vna pars poteſt eſſe cauſa, & alia effectus, inter cauſam autem, & effectum datur relatio realis. Secundò in diſtantia, nam inter Romam, & Mediolanum datur relatio diſtantiæ; ergo, &c.

34. Sexta ratio, nam ex communi Philoſophorum ſententia regula generalis ad cognoſcendum an aliqua diſtinguãtur realiter eſt videre an poſſint ad inuicem ſeparari, & ſeparata conſiſtere, ſeu conſeruari; ſed partes quantitatis poſſunt ad inuicem ſeparari, & ſeparata conſiſtere, ſeu conſeruari; ergo realiter ad inuicẽ diſtinguuntur. Nec video quid poſſint reſpondere aduerſarij, niſi id quod vnus ex illis reſpondebat, quod ſcilicet ad hoc vt aliqua ad inuicem ſeparentur, & ſeparata conſiſtant, ſufficiat quod non actu, ſed tantum potentia diſtinguantur. Sed contra, nam Pgiloſophi in illo axiomate plus volunt quam diſtinctionem potentialem, ſed volunt diſtinctionem actualem, quod ſcicet ſit ſignum actualis diſtinctionis, quando aliqua poſſunt ſeparari, & ſeparata conſiſtere, & ſic ex ſeparatione colligunt diſtinctionem.

35. Septima ratio, nam ſequeretur quod quantitas nunquam haberet partes vt partes, ſed ſolum ſecundum quid, & in potentia, hoc eſt falſum; ergo, &c. Maior patet quia ante diuiſionem non habet partes niſi ſecundum quid, & in potentia, poſt diuiſionem non ſunt partes, ſed tota, habentia propria terminatiua; ergo. Tum quia quod eſt in potentia poteſt reduci ad actum, ergo cum quantitas habeat partes per ſe in potentia, poterit reduci ad partes actuales, ſed reduci non poteſt cum per diuiſionem non remaneãt partes, ſed fiant tota, ergo, &c.

36. Octaua ratio. Si partes quantitatis eſſent idem realiter actualiter, & ſola ratione diſtinguerentur, nihil poſſet realiter affirmari de vna, quod non poſſet affirmari de alia, ſed hoc eſt falſum; ergo, &c. Maior conſtat in omnibus quæ realiter ſunt idem, quod enim de vno dicitur, realiter dici poteſt de alio, aliàs non eſſent realiter idem. Minor probatur, nam de capite dici poteſt, quod eſt rotundum, quod in eo ſint organa oculorum, &c. quæ realiter non poſſunt dici de pede. De vna quandoque dici poteſt quod eſt alba, & de alia quod eſt nigra: de vna quod ſit calida, de alia quod ſit frigida: de vna quod mouetur, de alia quod quieſcat, ergo, &c.

37. Nona ratio, quoniam *inter partes* quantitatis intercedunt *indiuiſibilia* continuatiua ab ipſis diſtincta, ergo multo magis debent partes ad inuicem diſtinqui. Antecedens conſtat ex dictis §. præced. & ex Ariſt. *de quantitate* dum ait, partes continui copulari termino communi, ſcilicet indiuiſibili. Nec valet quod partes vniantur ſe ipſis ſine vllo medio, quia poſſunt remanere partes, & non remanere vnitæ, ac proinde vnio diſtinguetur à partibus. Nec etiam valet quod ſicut partes non ſunt actu partes, ſed tantum in potentia, ſic indiuiſibilia non ſunt actu,

actu, ſed tantum in potentia. Nam contra eſt, quod indiuiſibilia quæ dicuntur per ſe eſſe in potentia, ſunt continuatiua, ſed hęc ante diuiſionem non ſunt actu, neque poſt diuiſionem, cum poſt diuiſionem nihil actu continuent; ergo, &c.

38. Decima ratio, nam partes quantitatis plus diſtinguuntur quã partes ſubſtantiæ ſcilicet materia, & forma, ſed iſtæ diſtinguũtur realiter actualiter; ergo multò magis ſic diſtingui debẽt partes quantitatis. Maior probatur, nam materia, & forma materialis non poſſunt ſeparata exiſtere, bene tamen partes quantitatis; ergo, &c. Confirmatur in partibus temporis, nam hodie eſt præſens hæc dies, nõ dies craſtina; ergo ſi in hoc continuo ſucceſſiuo partes diſtinguuntur, aliàs quando realiter eſt pręſens vna pars, eſſent omnes realiter præſentes, etiam in alijs continuis diſtingui debent. Soluuntur argumenta in contrarium.

39. Primum argum. deſumitur ex Ariſt. qui 8. *phyſ. tex.* 68. dicit, quod in continuo inſunt infinita dimidia, non actu, ſed potentia, ob quam rationem oſtendit quod poſſint modo finito pertrãſiri. Idem tradit 7. *metaphy. tex.* 49. quatenus dicit quod duplum conſtat duobus dimidijs potentia, non actu. *Et* 3. *de anima tex.* 23. dicit, longitudinem continuam eſſe actu indiuiſibilem, indiuiſibilẽ autem potentia. Reſp. Ariſtotelem docere partes non eſſe actu in quantitate, quatenus non ſunt ab inuicem diuiſæ, & ſeparatæ, vt vnaquæque faciat hoc aliquid, hoc enim ſolum habent in potentia, & ratione totius in quo inſunt, & cuius exiſtentia exiſtunt. Quare diximus ſupra, quod licet in quantitate ſint infinitæ partes actu diſtinctæ, non tamen dici poteſt quod detur infinitum in actu, ſed tantum in potentia, quia non habent propriam exiſtentiam, quod neceſſarium erat vt eſſent infinitæ in actu, ſed exiſtunt exiſtentia totius.

40. Secundum argum. nam ſi in quãtitate partes eſſent actu diſtinctæ ſequerentur omnia ferè abſurda, quæ fiunt cõtra illos qui admittunt numerum rerum infinitum in actu, ergo non poſſunt dictæ partes eſſe diſtinctæ. Sequela probatur, nã re vera illæ partes eſſent numerus infinitus rerum actu diſtinctarum; ergo, &c. Reſp. negando ſequelam, nam iſtæ partes cum non ſint certæ, & determinatæ, nec habeant propriam exiſtentiam, non ſunt plura entia in actu, ens enim in actu dicitur ab actu exiſtentiæ, & ſic non ſunt numerus rerum infinitarum in actu.

41. Tertium argum. Si partes quantitatis eſſent ab inuicem diſtinctæ, eſſent certæ, & determinatæ, ſed hoc eſt falſum; ergo & id vnde ſequitur. Minor nota eſt, implicat enim quod in quantitate dẽtur partes infinitæ certæ, & determinatæ, creſceret namque quãtitas in molem infinitam. Maior probatur, nã quæ ad inuicẽ diſtinguuntur actu ad inuicem debẽt eſſe certa, & determinata, ipſa namque diſtinctio vnius ab alio cum ſit actu, ac proinde certa; debet ponere certitudinem inter diſtincta. Reſp. negando maiorem, licet enim partes quantitatis ſint ad inuicem diſtinctæ non tamen ſunt determinatæ, & certæ, adhoc enim requirebatur quod eſſent aliquotæ, non communicantes, ſed habentes proprium, & diſtinctum eſſe, &c.

42. Quartum argum. quia ſi omnes partes quantitatis eſſent actu diſtinctæ, poſſent ſaltem per diuinam potẽtiam eſſe actu diuiſæ, ſed hoc implicat; ergo, &c. Minor conſtat, eſt enim contra eſſentiam continui, quod poſſet diuidi in omnes partes. Maior probatur, nam Deus cognoſceret diſtinctè omnes partes in continuo eſſe actu realiter inter ſe diſtinctas, ergo poſſet illas diuidere, cum vna ſit extra aliam, tollendo, ſeu deſtruendo vnionem, ſeu indiuiſibilia continuatiua. Reſp. negando maiorem, tum quia non poteſt dici de partibus infinitis quod ſint *omnes*; tum quia non ſunt determinatæ, & certæ, ſed indeterminatæ incertæ, & communicantes; Deus autem non aliter eas cognoſcit niſi prout ſunt. Vide quæ ſupra diximus de infinito.

DVBIVM II.

De modo incipiendi, & deſinendi rerum.

§. 1. *Quomodo incipiat motus, & deſinat, & idem de rebus ſucceſſiuis.*

43. Diximus ſupra quod tempus extrinſecum, illiuſque inſtantia ſunt menſura omnium rerum ſublunariū, & ſic cuiuſcumque rei inceptio vel menſuratur tempore, vel inſtanti, & ſimiliter cuiuſcumque rei deſitio, vel tempore, vel inſtanti menſurari debet. Hinc Philoſophi gratia claritatis aſſignāt quatuor terminos ad explicandam cuiuſcumque rei inceptionem, & deſitionem: duo ſe tenēt ex parte inceptionis, & duo ex parte deſitionis. Ex parte inceptionis, ſeu ad explicandam inceptionem vtuntur his duobus terminis, ſcilicet incipere *per primum ſui eſſe*, & *per vltimum non eſſe*. Ea incipiunt per primū ſui eſſe, quæ incipiunt in inſtanti, ſeu quorum inceptio correſpondet inſtanti, & vocatur etiam inceptio intrinſeca. Ea verò incipiunt per vltimū non eſſe, quando eorum productio non correſpondet inſtanti, ſed tempori ſequenti poſt inſtans, & cum tunc illud inſtans non ſit intrinſecum dictæ inceptioni, ſed extrinſecum, hæc inceptio dicitur extrinſeca, quoniam illud inſtans eſt extrinſecum. Aſsignatur autem hoc inſtās extrinſecum, quia cum prima pars temporis non ſit aſsignabilis, aſſignatur illud inſtans extrinſecum, vt ſic ſaltem extrinſecè determinetur inceptio. Vocatur illud inſtans vltimum non eſſe, quia eſt vltimum inſtans in quo res non eſt. Et ſic res ſolet explicari. Inceptio quæ fit in inſtanti explicatur hoc modo: *nunc res eſt; immediatè antea non erat*, ideſt res incipit in hoc inſtanti, quia ante hoc inſtans non erat. Inceptio quæ fit in tempore ſic explicatur. *Nunc non eſt, immediatè poſt erit*. Ideſt res non incipit in hoc inſtanti, incipiet tamen immediatè poſt illud.

44. Pro deſitione, ſeu pro explicanda deſitione vtuntur his alijs duobus terminis, ſcilicet. *Deſinere per primum non eſſe, & per vltimum ſui eſſe*. Illa dicuntur deſinere per primum non eſse, quando eorum deſitio re ipſa eſt in hoc inſtanti, vt verum ſit dicere. *Nunc res non eſt, immediatè antea erat*, & hæc deſitio eſt intrinſeca, vt patet. Illa verò dicuntur deſinere per vltimum ſui eſse, quādo eorum deſitio non correſpondet huic inſtāti, ſed tempori ſequenti, vt verum ſit dicere. *Nunc res eſt, immediatè poſt non erit*, & hæc deſitio dicitur extrinſeca, quia hoc inſtans in quo adhuc res eſt menſura extrinſeca deſitionis futuræ tempore ſequenti. His poſitis.

45. Quærimus quomodo motus, & omnes res ſucceſsiuę incipiant, & deſināt. Communis ſententia eſt, quod motus, & res ſucceſsiuæ incipiant per vltimum non eſſe, & deſinant per primum non eſſe. Sic Ariſt. *hic cap. 5. & 6.* D. Tho. Auer. Simplic. & alij quos referunt, & ſequuntur N. Complut. *diſp. 26. q. 1. n. 4.* Ratio eſt quia motus, & res ſucceſsiuæ non habent eſſe in inſtanti, ſed in tempore, ac proinde inſtans nō poteſt eſſe primum eſſe motus, & rei ſucceſsiuæ. Et ſic de motu valet dicere. *Nunc non eſt, immediatè poſt erit*; de & deſitione valet dicere. *Nūc non eſt, immediatè antea erat*; Res enim ſucceſsiuæ non habent primum, nec vltimum inſtans in quo ſint, ſed in quo non ſint.

46. Quod ſi loquamur de indiuiſibilibus motus, & temporis intrinſeci, dicendum quod incipiant & deſinant extrinſecè, valet enim dicere de hoc mutato eſſe *nunc eſt, immedtatè antea non erat: & nunc eſt, immediatè poſt non erit*. Ratio eſt, quia cum indiuiſibilia, ſeu mutata eſſe non durent niſi per inſtans, ſequitur quod ante illud non ſint, & etiam quod poſt illud ſimiliter non ſint.

47. Ex quibus infertur quomodo incipiant, & deſinant qualitates materiales, incipi entes, & deſinentes per mo tum, nā ſi conſiderentur præ iſè prout fiunt per motum, & per illum ſeu cum illo deſinunt, quod eſt illas cōſiderare in fieri; aut quoad fieri, tunc eodem modo incipiunt, & deſinunt,

finunt, & ſic incipiunt per vltimum non eſſe, & deſinunt per primū non eſſe. Quod ſi iſtæ qualitates accipiantur in facto eſſe, ſeu ſub gradu determinato, & in ordine ad certam partem ſubiecti, tunc incipiunt per primum ſui eſſe, & deſinunt per vltimum eſſe. Valet enim dicere de calore determinatè v.g. vt duo, *nunc eſt, immediatè antea non erat, & nunc eſt immediatè poſt non erit*, cum namque calor, vt duo, ſeu vt tātus determinatè, non ſit niſi in inſtanti, debet incipere ad modum inſtantis, & cum idem calor ſic determinatus deſinat, debet gradus, ſeu entitas ſubſequens incipere ſucceſsiuè, & ſic habebit ſuum deſinere in tempore ſubſequenti.

§. 2. *Quomodo incipiant, & deſinunt ſubſtantiæ generabiles, & corruptibiles.*

48. Communis ſentētia eſt, quod ſubſtantiæ generabiles, & corruptibiles incipiant in inſtanti, ſeu per primum ſui eſſe, vt verum ſit dicere, *nunc eſt, immediatè ante non erat*, v. g. ſubſtantia vermis, quæ generatur. Ratio eſt, quia ſubſtantia non habet contrarium, & fit in fine alicuius motus præcedentis, per quem fuit ſubiectum diſpoſitum ad nouæ formæ introductionem, & ſic iam ſeparata omni reſiſtentia, forma ſubſtantialis in inſtanti producitur.

49. Sed dices, nam forma ſubſtantialis non introducitur niſi poſitis diſpoſitionibus determinatis, vt calore v.g. vt 8. ſed calor eſt vt octo in inſtanti, ergo forma nō introducitur niſi poſt inſtans, ac proinde in tempore. Reſp. quod vt dicemus de generat. & corrupt. diſpoſitiones ad formam, aliæ ſunt præuiæ, aliæ concomitantes, præuiæ non ſunt determinatæ, ſed tantum concomitantes, quæ ſunt in eodem inſtanti cum forma.

50. Quantum ad corruptionem, ſeu deſitionem harū formarum, quæ deſinunt ad generationem alterius, communis etiam ſententia eſt, quod deſinant in inſtanti, ſcilicet per primum ſui non eſſe, vt verum ſit dicere de hac forma, quæ corrumpitur, *nunc non eſt, immediatè antea erat*, cum enim materia non poſsit manere ſine forma, nec duæ formæ poſsint eſſe ſimul, oportet quod in eodem inſtanti in quo eſt eſſe formæ genitæ, ſit non eſſe formæ generandæ.

§. 3. *Quomodo incipiant, & deſinant ſubſtantiæ incorruptibiles, & ingenerabiles.*

51. Quantum ad animam rationalē, quæ eſt ſubſtantia ſpiritualis incompleta, incipit in inſtanti, cum fiat per creationem, & in eodem inſtanti quo creatur vnitur materiæ, & generatur homo, ſic hominis generatio incipit in inſtanti, ſicuti aliæ rerum materialiū generationes, quod ſi anima deberet deſinere, deſineret in inſtanti, cum non niſi per annihilationem deſineret. Quantum ad deſitionem quoad informationem debet deſinere informare in inſtanti, quia in eo inſtanti in quo eſt eſſe nouæ formæ v.g. cadaueris, eſt non eſſe animæ rationalis.

52. Quantum ad Angelos certum eſt, quod inceperint in inſtanti, cum fuerint producti per creationem. Quod ſi deſinerēt, etiam deſitio eſſet in inſtanti, cum deſitio fieret per annihilationem: ſi tamen verum eſt quod Deus poſsit creare Angelū, & ſolum per inſtans conſeruare, tunc deſitio eſſet in tempore, cum non poſsit in eodem inſtanti eſſe inceptio, & deſitio; eſſe, & non eſſe; & verum eſſet dicere de illo Angelo nunc eſt, immediatè poſt non erit. Nec dicas, quod cum Angelus ſit indiuiſibilis non poteſt eius deſitio eſſe diuiſibilis, ac proinde non poteſt eſſe in tēpore, nam ſicut punctum eſt indiuiſibile, & tamen tangit partem vicinam non adæquatè, ſed ſecundum partem minorem, & minorem, &c. ita illa deſitio. &c.

53. De cælis dico, quod cæperunt in inſtanti cum cæperint per creationem, & ſine vlla reſiſtentia contrarij, & ſi deſinerent, etiam deſinerent in inſtanti cum deſinerent per annihilationem. Poſſent tamen incipere in tempore, vt ſi ferent per formæ eductionem, & ſucceſsiuè & poſſent etiam

deſi-

deſinere in tempore ſi per poſsibile deſinerent paulatim per aliquod contrarium, &c. Cum enim cæli habeant latitudinem partium, poſſunt, & ſucceſſiuè produci, & & ſucceſſiuè deſtrui.

§. 4. *Quomodo incipiat, & deſinat quies.*

54. NOn loquimur de quiete negatiua, quæ eſt carentia motus in ſubiecto non apto moueri, ſed de priuatiua, quę eſt carentia motus in ſubiecto apto moueri. De hac ergo quiete, quæ in ſuo conceptu eſt carentia motus in ſubiecto apto moueri procedit difficultas quomodo incipiat, & deſinat. Prima ſententia eſt, quod quies incipiat intrinſecè, ſeu per primum ſui eſſe, & deſinat extrinſecè, ſeu per vltimum ſui eſſe. Sic aliqui moderni.

55. Noſtra ſententia eſt, quod quies incipiat extrinſecè, ſeu per primum non eſſe, & deſinat intrinſecè, ſeu per primum non eſſe. Sic tradunt communiter auctores hoc loco. Ratio eſt quia quies eſt ſucceſsiua ſicut motus, & menſuratur tempore ſicut motus; ergo debet incipere, & deſinere eo modo quo incipit, & deſinit motus, aliàs non eſſet carentia, ſeu priuatio formæ, idem namque eſt iudicium formæ, & priuationis illius. Tum quia quies de qua loquimur cum ſit priuatio motus, debet reſpicere ſubiectum aptum moueri; ſed ſubiectum non eſt aptum moueri in inſtanti, ergo, &c. Vnde ſicuti de motu dicimus *nunc non eſt, immediatè poſtea erit*, ita de quiete dicemus, *nunc non eſt, immediatè poſt erit*. Et ſicut de motu dicimus quoad deſitionem: *nunc non eſt, immediatè antea erat*; ita de quietis deſitione dicemus, *nunc non eſt, immediatè antea fuit*.

56. Sed obijcies 1. nam tunc quies incipit cum motus deſinit, ſed motus deſinit in inſtanti extrinſeco, & terminatiuo illius, ergo tunc in illo inſtanti incipiet quies; vbi enim deſinit motus, ſeu vbi eſt deſitio, ſeu non eſſe motus, ibi erit inceptio quietis, & ſic cum motus deſinat extrinſecè, quies incipiet intrinſecè. Reſp. diſtinguendo maiorem; tunc quies priuatiua incipit cum motus deſinit, negatur: tunc quies negatiua incipit cum motus deſinit, conceditur. In illo ergo inſtanti extrinſeco in quo motus deſinit, poteſt eſſe quies negatiua non poſitiua; hęc enim debet eſſe in ſubiecto apto moueri, quale non eſt illud inſtans. Vnde in illo inſtanti ſubiectum nec mouetur, nec quieſcit quiete priuatiua, ſed quieſcit quiete negatiua.

57. Obijcies 2. quia in indiuiſibili vltimo quietis, vel mobile mouetur, vel quieſcit non primùm aliàs motus inciperet intrinſecè. Si ſecundum ergo quies deſinet extrinſecè, ſeu per vltimum eſſe. Reſp. quod in indiuiſibili vltimo quietis, mobile quieſcit quiete negatiua, non priuatiua, quia hæc cum ſit priuatio motus non poteſt eſſe niſi cum poteſt eſſe motus.

DVBIVM III.

De terminis rerum naturalium, qui ſunt maximus, & minimus.

58. PHiloſophi hoc loco, vt explicent terminos rerum naturaliũ, quatuor terminos aſſignant, duos ex parte magnitudinis, & ſunt *maximum quod ſic*, & eſt illa magnitudo ad quam res naturaliter extendi poteſt, & *minimum quod non*, & eſt illa magnitudo ad quam res extendi non poteſt, & dicitur *minimum quod non*, quia inter magnitudines maiores, & maiores, iſta eſt vltima, & minor ex omnibus illis maioribus; ad quas res non poteſt extendi. Ex parte paruitatis aſſignant alios duos terminos, ſcilicet *minimum quod ſic*, & eſt illa minima paruitas ſub qua res eſſe poteſt, *& maximum quod non*, & eſt illa paruitas, ſub qua res eſſe non poteſt, quæ dicitur *maximum quod non*, quia inter omnes paruitates minores, & minores vſque in infinitum, ſub qua res eſſe non poteſt, iſta eſt maior. *Maximum quod ſic* eſt terminus intrinſecus ex parte magnitudinis, & *minimum quod non*, eſt terminus extrinſecus ex parte eiuſdem magnitudinis. Terminus intrinſecus paruitatis eſt *minimum quod ſic* & terminus extrinſecus eiuſdem eſt *maximum quod non*.

59. Par-

59. Paruitas, & magnitudo conueniũt rebus ratione quantitatis, & quia quantitas eſt duplex, ſcilicet molis, & perfectionis, ideo paruitas, & magnitudo eſt duplex perfectionis, & molis. Si ſermo ſit de quantitate perfectionis, certum eſt Deum carere terminis, cum enim ſit infinitus ſecundum eſſentiam, & perfectionem debet omni termino carere. Quod ſi loquamur de creaturis certum etiam eſt, eas de facto habere terminum verſus magnitudinem, & paruitatem in quantitate perfectionis, ſupremus namque Angelus perfectior eſt perfectione eſſentiali omnibus alijs ſubſtantijs creatis, & etiam ipſe ſupremus Angelus cum habeat eſſentiam determinatam habet etiam perfectionem determinatam. Datur etiam in rebus creatis terminus paruitatis, ſcilicet materia prima, quæ inter omnes creaturas infimum tenet perfectionis locum. Imò puto quod loquendo de perfectione eſſentiali rerum ita eſt ſuis terminis limitata; vt neque de potentia abſoluta poſſint rerum eſſentiæ eſſe eſſentialiter perfectiores, neque eſſentialiter imperfectiores, & ſic habent maximum, & minimum in eſſentia. Ratio eſt, quia rerum eſſentiæ ſunt ſicut numeri, ac proinde ſi fiat aliqua eſſentialis additio, aut detractio non maneant amplius eædem. Quantum autem ad perfectionem accidentalem poſſunt creſcere, & decreſcere in perfectione.

60. Difficultas præſens procedit de quantitate molis, de qua certum eſt, quod de facto primum cœlum eſt maximum poſitiuè, quoniam tantam habet extenſionem molis, vt nullum aliud corpus habeat maiorem. Videtur etiam certum quod detur aliquid minimum poſitiuè, quodnam autem ſit illud, neſcimus. Eſt etiam certum, quod de potentia abſoluta, nulla res eſt tam magna magnitudine molis, vt non poſsit eſſe maior, & nulla eſt ita minima, vt non poſſit eſſe minor, quæ magis ex ſequentibus §§. conſtabunt.

§. 1. *An viuentia habeant præfixum terminum magnitudinis, & paruitatis.*

61. Prima ſententia negat. Sic aliqui apud N. Complut. *diſp. 27, q. 2. & 3.* Noſtra ſententia ſeq. concl. explicatur. *Viuentia habent præfixum, & determinatum terminum magnitudinis, & paruitatis.* Hanc concl. tenent Ariſt. D. Thomas, & cæteri Peripatetici communiter, quos referunt, & ſequuntur dicti Complut. loco citato. Ratio huius concluſionis eſt euidens, nam cauſa augmenti, & decrementi in viuentibus, ſcilicet anima, eiuſque inſtrumentum ſcilicet calor natiuus ſunt finitæ, & limitatæ virtutis, ſicut etiam potentia auctrix; ergo non poſſunt extendi niſi ad augmentum, & decrementum finitum, & determinatum. Conſeq. conſtat, cauſa namque determinata, nonniſi determinatum effectũ producere poteſt. Antecedens etiam conſtat, quoad animam, hæc enim non ſolum eſt limitata in ſe, ſed etiam limitatur per materiam in qua recipitur. Conſtat etiam quoad calorem natiuum, ex cuius virtute viuentia creſcunt, & ex cuius defectu decreſcunt, nam cum iſte calor pullulet à toto in virtute formæ, ſi forma eſt limitata, etiam iſte calor eſt limitatus, eſt enim inſtrumentum, & virtus animæ. Tum quia viuentia requirunt certa organa, & inſtrumenta pro ſuis operationibus vitalibus; ſed iſta organa requirunt determinatam quantitatem, & non poſſunt eſſe ſub quacumque magnitudine, aut paruitate. Tum etiam quia euidens ſignum eſt quod aliquid naturæ viribus fieri non poſſit, quando nunquam factum eſt; ſed nunquam datus eſt homo æqualis magnitudinis monti; ergo ſignum eſt id fieri non poſse naturæ viribus.

62. Sed obijcies 1. videtur quod viuentia non habeant terminum paruitatis, quod ſic probatur, accipiatur minima plãta, hæc eſt quanta, & extenſa, ergo diuidi poteſt, ſed per diuiſionem non fit corruptio ſubſtantialis, quia nulla præcedit alteratio diſponens materiam ad corruptionem,

nem,ergo diuidetur in partes quarum quęuis eſt planta, ac proinde non datur minimum in viuentibus, vel datur minus minimo. Reſp. quod licet illa planta minima qua quanta, & extenſa diuidi poſſit, tamen per illam diuiſionem corrumpetur forma plantæ. Ad illud quod dicitur de alteratione, dico, quod diuiſio minimi eſt ſufficiens alteratio diſponẽs ad corruptionem, cum per illam quæuis pars plantæ ſit in minori quantitate, quam eius forma requirat. Quod ſi quæras quænam tunc forma introducetur in illis partibus minoribus minimis, in quibus corrumpitur forma plantæ, dico quod introducetur forma quædam quaſi cadaueris, & erit forma ligni ſine vita.

63. Obijcies 2. Sit aliqua ſubſtantia affecta quantitate minima ſub qua forma viuentis eſſe poſſit, tunc accedat agens naturale, vt in illam materiam introducat dictam formam viuentis. Hoc poſito ſic formatur argumentum. Agens naturale prius agit in partem naturalem propinquam, quam in remotam; ergo prius ab eo introducetur forma illa viuentis in partem propinquam, quam in remotam, & ſic forma viuens introducetur prius in minori minimo. Reſp. quod agens naturale ſi applicetur parti minori minima, non introducet formam, cum non ſit capax illius.

64. Obijcies 3. nam ſubſtantia viuentis producta per nutritionem non habet minimum, nec expectatur vt fiat nutritio, quod ſubſtantia ſit ſub minimo, aliàs nutritio non eſſet ſucceſſiua, ergo quod non eſt de ratione partium viuentis per nutritionem productarum, neque erit de ratione ipſius viuentis in prima productione. Reſpondent aliqui, quod ſicut in prima productione prius agens naturale introducit præuias diſpoſitiones in materia, quæ poſtea diſpoſita in inſtāti introducitur forma, ſic in mutatione prius materia diſponetur, & poſtea in inſtanti in materia certa ſaltem in minimo introducetur forma viuentis in illam partem, & ſic neque in nutritione ſubſtantia erit in minori minimo. Sed de hoc dicemus de generat.& corrup. agentes de nutritione. Pro nunc concedo antecedens, & nego conſeq. Ratio diſcriminis eſt, quod ſubſtantia partialis, quæ fit per generationem partialem, ſcilicet per nutritionem non eſt exiſtens in ſe, vt eſt in generatione totali, ſed eſt inexiſtens, exiſtit enim per exiſtentiam illius cum quo fit vna numero. Et ſic generatio ſubſtantialis fit in inſtanti, ac proinde requirit minimum; at nutritio fit ſucceſſiuè, & per partes minores, &c. & ſic in hac non requiritur minimum, benè tamen in illa.

65. Obijcies 4. nam detur minimus homo, adhuc poterit per condenſationem minui, & detur maximus homo, poterit per rarefactionem creſcere; vel detur maximo homini alimentum, adhuc augeri poterit; ergo, &c. Reſp. quod ſi daretur minimus homo, & condenſaretur, vt fieret minor, tunc corrumperetur, & ſi daretur maximus homo, non poſſet per rarefactionem magis extendi niſi corrumpatur. Neque creſceret per alimentum tunc, ſed ſolum partes deperditæ reſtaurarentur.

66. Sed quæres, an termini magnitudinis, & paruitatis viuentium ſint intrinſeci, an ſolùm extrinſeci? Conſtat ex dictis quod termini intrinſeci ſunt *maximum quod ſic*, & *minimum quod ſic*; ſub quibus ſcilicet res eſſe poteſt. Et termini extrinſeci ſunt *minimum quod non*, & *maximum quod non*, ſub quibus res eſſe non poteſt. Modo dico termini viuentium ſunt intrinſeci. Ratio conſtat ex dictis quia viuentia petunt determinata organa, & inſtrumenta quæ requirunt quantitatem determinatam. Et quia habent determinatam virtutem non poſſunt extendi niſi ad molem determinatam.

§. 2. An

§. 2. *An non viuentia habeant determinatos terminos magnitudinis, & paruitatis.*

67. Quod non viuentia non habeant terminos magnitudinis, nec paruitatis, docēt plures apud N. Complut. loco citato *n.61.* Non tamen omnes vtrūque docent, nam Valleſ. *contro.5.* quem alij ſequuntur negant terminos tum magnitudinis, tum paruitatis. Pererius, Villalpan. & alij, negant ſolum terminos paruitatis.

68. Noſtra ſententia ſeq. concl. explicatur. *Non viuentia habent terminos magnitudinis, & paruitatis, eoſque intrinſecos.* Sic docent Ariſt. D. Tho. Caiet. Ferrar. & & alij plures, quos referunt, & ſequuntur N. Complut. loco citato. Dixi eoſque intrinſecos, quia quoad terminum extrinſecum ſaltem magnitudinis conſtat; quod omnia non viuentia illum habeant; omnia namque ſublunaria clauduntur à cęlo lunæ & omnes cęli clauduntur à primo cælo. Ratio huius concl. conſtat ex dictis *n.61.* quia viuentium formæ ſunt determinatæ virtutis, ſed etiam formæ non viuentium ſunt determinatæ virtutis, ergo, &c. Tum quia ſicut viuentia requirunt certas diſpoſitiones pro conſeruatione formæ; ita non viuentia; ignis enim v.g. requirit tanquam diſpoſitionem calorem vt 8. qui debet eſſe in aliqua certa, & determinata quantitate, ergo, &c Sed addamus alias rationes.

69. Prima ratio; multa ſunt in anima quæ per ſolam diuiſionem corrumpuntur, ergo habent terminum paruitatis, infra quem non conſeruantur. Conſeq. conſtat. Antecedens probatur, nam triticū v. g. eſt non viuens, & per diuiſionem corrumpitur; item corrumpitur per contuſionem, & tranſit in farinam; ergo non viuentia ſaltem via corruptionis habent terminum paruitatis.

70. Reſpondent aliqui quod triticum non diſtinguitur eſſentialiter à farina, & ſic per diuiſionem, aut contuſionem non corrumpitur. Quod ſi dicamus diſtingui, tunc non corrumpitur ex ſe, & ratione propriæ formæ, ſed per accidens, quatenus per diuiſionem manent partes tritici in quantitate exigua in qua à cōtrarijs defendi non poſſunt, vnde ſolum ſequitur quod animata habeant terminum paruitatis, & idem dic de termino magnitudinis, per accidens, & ratione contrarij. Sed contra, nam certum eſt, quod granum tritici ſaltem quoad virtutem ſeminalem per contritionem corrumpitur, aliàs fieret generatio tritici ex ſeminatione farinæ, quod conſtat eſſe falſum. Nec verum eſt quod illa corruptio ſit tantum per accidens, nam ſi triticum non poſſet conſeruari in minori minimo, ſignum euidens eſt, quod petit naturaliter habere terminum ſuę paruitatis; nihil enim petit eſſe ſub eo termino ſub quo facilè inuadi poteſt à contrarijs, & deſtrui.

71. Secunda ratio, nam ſi non viuentia non haberent maximum, & minimum non inciperent in inſtanti, & non deſinerent in inſtanti, ſed hoc eſt falſum; ergo, &c. Minor conſtat ex dictis *n.48.* ſubſtantia namque ignis incipit in inſtanti, & in inſtanti deſinit. Maior probatur, nam ſi ignis non haberet minimum, inciperet per partes minores, & minores, & ſic ſucceſſiuè, & ſi non haberet maximum, deſineret in tempore, & ſic ſucceſſiuè, cum tamen ſubſtantia materialis incipiat in inſtanti, & in inſtanti deſinat. Soluuntur argum. in contrarium.

72. Primum argum. deſumunt ex Ariſt. 2. *de anima cap.4.* vbi ſecundum verſionem Argyropyli ſic dicit. *Nam ignis quidem accretio in infinitum progreditur, & eo vſque fit, quo vſque ſit combuſtibile, at eorum omnium quę natura conſtant, eſt finis, & ratio tam magnitudinis, quam accretionis.* Reſp. quod in primis ex hoc teſtimonio non infertur, quod omnia non viuentia careant termino magnitudinis, ac ſubinde paruitatis, ſed quod ſolus ignis. Deinde reſpondetur Ariſtotelem ſolum velle vt notant N. Complut. cum Caietano quod ignis per accidens poteſt augeri in infinitum, per aggregationem plurium ignium, ex diuerſa materia, & forma conſtantium; vnde ignis quantumuis terminatus poteſt combu-

comburere aliam, & aliam materiam approximatam, vt contigueretur cum alio,& alio igne, non tamen vnus, & idem ignis, quocirca ſi hic accendatur maxima materia combuſtibilis, flamma non aſcenderet in immenſum, ſed haberet ſuum terminum, &c.

73. Secundum argum. nam viuentia natura ſua habent terminum magnitudinis, quia in illorum accretione forma præexiſtens extenditur ad nouam materiã informandam, & quia forma finitæ, & determinatæ virtutis vt eſt forma viuentium, non poteſt informare maiorem, & maiorẽ materiam abſque termino; tum etiam quia viuentium accretio fit ſecundum omnes partes, & à principio intrinſeco,& per organa,ſeu inſtrumẽta determinata;ſed nulla harũ cauſarũ reperitur in non viuentibus; ergo hæc carebunt termino magnitudinis. Confirmatur 1. nam elementa creſcunt per iuxta poſitionem, ſed dato quocumque elemento maximo, ſemper poteſt illi fieri iuxta poſitio, ergo poterit fieri maior maximo. Confirmatur 2. nam dato maximo igne, & appoſita illi ſtupa illam comburet, ergo poterit tunc fieri maior.

74. Reſpon. quod illa differentia inter viuentia, & non viuentia non eſt ſemper vera, ſed ſolùm in homine, aut animalibus perfectis, quæ habent formam indiuiſibilem, vbi autem forma eſt diuiſibilis accretio fit per additionem tum nouę materiæ, tum nouæ formæ,ſed quidquid de hoc ſit, negatur maior, nam dato quod non viuentium accretio fiat per iuxta poſitionem, vt dicitur in prima confirmatione, tamen eo ipſo quod debeant eſſe vna natura, & vnum indiuiduum debent habere aliquam determinationem; vnumnamque eſt ens indiuiſum in ſe,& diuiſum à quolibet alio, ac proinde debet habere determinationem tum ex parte paruitatis, tum ex parte magnitudinis. Per quod patet ad 1. confirmationem. Ad 2. dico quod ſi ignis pertingeret ad ſuum maximum, poſſet comburere ſtupam, vt tamen fieret alius ignis indiuidualiter, licet poſſet iſte, illi contiguari, non continuari.

§. 3. *An accidentia habeant terminos magnitudinis, & paruitatis.*

75. HAec difficultas ferè conſtat ex dictis in præcedentibus, vnde eam cito expediemus. Cum ergo diximus, quod omnis ſubſtantia materialis,ſiue animata, ſiue inanimata habet terminũ tum magnitudinis, tum paruitatis,oportet quod etiam quantitas ab ea dimanans eũ habeat. Et ſic cum quantitas, & extendat ſubiectum in quo eſt, illique ttribuat terminos magnitudinis, & paruitatis, & etiã extendat omnes qualitates materiales;omniaque accidentia materialia,cum ſit ſubiectum *quo* illorum, debet etiam illis tribuere eoſdem terminos magnitudinis, & paruitatis, cum ſequantur quantitatem, eiuſque extenſionem.

76. Difficultas potiſſima eſt, an qualitates habeant terminos intenſionis. De quibus dico 1. *Qualitates vt ſunt diſpoſitiones concomitantes, & conſeruantes formam habent terminos magnitudinis, & paruitatis intenſiuæ, & hoc tam in non viuentibus,quã in viuentibus.* Puto in hoc neminem diſcordare, nam calor v.g. qui eſt qualitas concomitans, & conſeruans formam ignis habet ſuos terminos magnitudinis, & paruitatis;terminus magnitudinis eſt intenſio, ſeu gradus vt 8. & terminus paruitatis ſub quo eſſe poteſt; & ſub minori eſſe non poteſt, erit v.g. gradus, ſeu calor vt 5. Idem dici poteſt de qualitatibus, quæ ſunt diſpoſitiones ad productionem,ſeu introductionem formæ, cum enim diſponant ad formam finitam, & determinatam non poſſunt carere dictis terminis; quoad paruitatem patet, quia non quæcumque intenſio eſt ſufficiens ad introductionem formæ; neque quæcumque intenſio requiritur, ſed tanta, vel tanta.

77. Dico 2. Qualitates elementares ſecundum ſe habent terminos magnitudinis, & paruitatis in ſua intenſione, nam calor in igne eſt in gradu 8. nec datur maior; in aere v.g. erit intenſus, vt 5. vel vt 6. quod ſi pertingat ad calorem vt 8. deſtruitur aer, & fit ignis, & omnes qualitates ele-

elementares habent ſuos terminos intenſionis, &c. Idem dicendum de alijs quibuſcumque qualitatis. Quid autem dicendum ſit de habitibus virtutum tum naturalium, tum ſupernaturalium, diximus alibi. De potentia ordinaria puto omnes habere ſuos terminos magnitudinis, quam non poſſunt excedere, & paruitatis ſub qua minori non poſſunt eſſe. At de potentia abſoluta poſſunt magis, ac magis intendi, &c.

DISPVTATIO OCTAVA.

In lib. 7. Phyſicorum de conditionibus ad agendum.

1. LIBER iſte continet 5. capita, In 1. cap. docet Ariſt. quod omne quod mouetur ab alio mouetur, quod principium ponit Ariſtoteles vt poſtea oſtendat dari vnum primũ motorem, qui det cuncta moueri, ſeu qui moueat, & non moueatur ab alio, cum in motoribus non poſſit dari proceſſus in infinitum, nam requireretur infinitum tempus. In 2. cap. oſtendit, quod in vnoquoque mouens, & mobile debent eſſe ſimul. In 3. cap. probat, quod motus alterationis debet eſſe in qualitatibus tertiæ ſpeciei. In 4. cap. comparat aliquos motus inter ſe quoad tarditatem, & velocitatem. &c. In 5. cap. explicat aliquos motus in particulari. Sed ſit.

DVBIVM I.

An omne quod mouetur ab alio moueatur.

ſeu

An idem poſſit mouère ſe ipſum.

2. NOn procedit dubiũ de motibus violentibus, de his namque certum eſt, quod nihil violenter mouet ſe ipſum, ſed quod violenter mouetur, ab alio mouetur, vt patet in proiectis, in his quæ pelluntur, vehuntur, & trahuntur. Sed de motibus naturalibus, de quo eſt certũ quod quid poſſit à ſeipſo moueri naturaliter, vt patet in remige, qui mouet nauim, & ad motum illius mouetur; item anima corpus mouet, & ad motũ illius mouetur Eſt etiam certum quod inter mouens, & motum non debeat neceſſariò intercedere diſtinctio ſuppoſitalis, cum in eodem ſuppoſito vna pars poſſit aliam mouere, nam caput poteſt mouere manum, manus poteſt pedem mouere, & vna manus poteſt mouere aliam, ſed ſufficit quod inter mouens & motum intercedat diſtinctio virtualis, tunc enim idem realiter non mouet ſe ipsũ & ſic verum erit dictum Ariſtotelis, quod id,

id, quod mouetur, ab alio moueatur. Deinde ſciendum motum eſſe in duplici differentia, alij enim ſunt motus phyſici, vt motus localis, augmentatio, diminutio, alteratio, &c. Alij dicuntur motus metaphyſici, vt ſunt ſenſationes, intellectiones, & actus vtriuſque appetitus, & de vtriſque aliqua dicemus.

3. Prima ſent. eſt, quod idem realiter poteſt mouere ſe ipſum. Sic Scotus *in 2. diſt. 2. q. 10. & in 1. diſt. 3. q. 7.* Anton. Andreas *9. metaph. q. 1.* Valleſ. *hic in comment. cap. 1.* & alij, quos ex modernis ſequuntur Auerſa *qu. 14. ſect. 5.* Ariaga *de gener. diſp. 3. ſect. 10.* Pontius *diſp. 19. q. 1.* & alij.

4. Noſtra ſententia duplici concl. explicatur. Prima concl. *In motu phyſico nihil poteſt mouere ſe ipſum*. De motu phyſico potiſſimè loquitur Ariſtot. hic tex. 1. dicens. *Omne quod mouetur, neceſsè eſt ab aliquo moueri. Si igitur in ſe ipſo nō habet principium motus, manifeſtum eſt, quod ab altero mouetur*. Et tex. 2. habet. *Amplius id quod à ſe ipſo mouetur, nunquā ceſſabit moueri, propterea quod aliquid aliud ſtabit, quod mouebatur. Neceſſe ergo eſt, ſi quis deſinat moueri, eo quod aliquid ſtetit, hoc ab altero moueri*. Ariſt. ſequuntur D. Thomas, & expoſitores ibidem, & alij plures quos referunt; & ſequuntur N. Complut. *diſp. 18. q. 1. n. 4.*

5. Occurrit Pontius loco citato *n. 8.* ſic. *Fundamenta noſtra concluſionis, quantum eſt ex parte rationis eſſe tam manifeſta: & aduerſa ſententiæ tam leuia, vt quamuis Philoſophus oppoſitum expreſsè teneret, potius ab eo recedendum eſſet, quam noſtra concluſio deſerenda*. Sed contra; nam rationes Ariſtotelis, & D. Thomæ ſunt firmiſſimæ, non ſic oppoſitæ quod ex noſtrarum confirmationibus, & ex oppoſitarum ſolutionibus, conſtabit.

6. Prima ratio Ariſtotelis, & D. Thomæ, quam proſequuntur N. Complut. eſt talis. Nam quod aliquo motu mouetur, debet eſſe in potentia ad terminum talis motus, motus namque, vt conſtat ex eius definitione, eſt actus entis in potentia prout in potentia, & omne quod mouet, debet eſſe in actu reſpectu talis termini; ſed nihil poteſt eſſe ſimul in actu, & potentia reſpectu eiuſdem termini; ergo nihil poteſt eſſe ſimul mouens, & motum, ſeu nihil poteſt ſe ipſum mouere. Minor patet, eſſe namque in actu dicit eſſe perfectum, eſſe autem in potentia dicit eſſe imperfectum. Maior quoad primam partem nota eſt ex definitione motus. Quoad ſecundam etiam partem conſtat, quoniam nihil mouet aliud ad calorem v. g. niſi habeat in ſe calorem vel formaliter, vt ignis vel virtute, vt Sol.

7. Occurrit Pontius, vbi ſupra *n. 11.* quod licet idem non poſſit eſſe ſimul in potentia formali, & in actu formali, poteſt tamen eſſe ſimul in potentia formali, & actu virtuali, quod enim mouetur non eſt neceſsè quod ſit in potentia, vt potentia dicit carentiam actus, & quod habeat actum, ſed ſufficit quod ſit in potentia virtuali, vt dicit potentiam productiuam, non autem vt dicit carentiam actus.

8. Sed hæc reſponſio non reddit friuolam, & leuem rationem Ariſtotelis, & D. Thomæ; ſed magis oſtendit ſuam efficaciam, nam quod mouetur, vt formaliſſimè mouetur dicit eſſe in potētia prout potentia dicit excluſionem actus; ergo dicit potentiam formalem, & non tantum virtualem. Conſeq. conſtat, nam quod mouetur ad actum v. g. ad calorem, non habet illum formaliter; ergo formaliter dicit carentiam illius, alias non moueretur ad illum. Calefactio namque non ſolum dicit potentiam ad calorem; ſed formaliſſimè, non ſolùm dicit rationē potentię productiuæ caloris vt ſic, ſed dicit rationē potentię productiuę caloris in ſubiecto carente calore; non enim calefactio, quę eſt motus ad calorem eſt potentia quaſi ſpeculatiua, ſed practica, & mouens ſubiectum, ſeu mobile ad ſuum terminū, quod intelligi nequit niſi prout eſt potentia practica mouens mobile ad formam quā non habet, ac proinde dicit carentiam formæ, ſeu actus ad quem mouet. Tum quia ideo Ariſtoteles, & D. Thomas in ſua ratione volunt quod idem non poteſt mouere ſe ipſum, quia ſimul eſſet perfectum, & imperfectum, ſed hoc idem eſſet

data

data illa potentia virtuali, & actu formali, ergo. &c nam mobile, qua mobile, vt habet iam actum per motum productum, ſiue totaliter ſiue non, qua ratione habet actum, dicit eſſe perfectum,& qua ratione dicit eſſe in potentia virtuali, quæ ſolùm dicit eſſe productiuam actus, & non formalem carentiam illius, dicit eſse imperfectum; ergo adhuc ſequeretur, quod idẽ eſset perfectum, & imperfectum; potentia namque licet non dicat carentiam actus ad quem eſt in potentia,dicit tamen rationem potentiæ cuius conceptus eſt imperfectus, vt patet.

9. Secunda ratio, nam Ariſtoteles,D. Thomas, & Theologi communiter vtuntur illo axiomate *Omne quod mouetur, ab alio mouetur* ad probandum (contra negãtes) Deum, primam cauſam, primumque motorem, à quo cætera dependent; ſed hanc dependentiam cauſarum ſecundarum à prima illuderent illi qui dicunt, quod idem poteſt ſe ipſum mouere, quod idem poteſt eſse in potentia virtuali,& actu formali, quod ex motu non colligitur vnus primus motor, vna prima cauſa, &c. ergo, &c.

10. Tertia ratio quam habet Ariſtoteles in *tex. citato n.* 4. quam fusè proſequuntur N.Complut. ſupra *n.* 9. eſt, quia quicquid mouetur vt ad quietem alterius quieſcat non mouetur per ſe primò à ſe, ſed ab alio, ſed ſic mouetur quicquid motu phyſico mouetur; ergo quicquid motu phyſico mouetur, ab alio mouetur. Maior præterquam quod eſt Ariſtotelis ſic ſuadetur, quia quod per ſe primò mouetur à ſe, eſt in motu independens ab alio, ſed quod eſt independens ab alio, non ceſsat moueri alio ceſsante; ergo,&c. Minor probatur; nam quod mouetur motu phyſico, eſt diuiſibile in plures partes, tunc ſic. Dato quod vna illarum partium quieſcat, vel mouetur totum ſecundum ſe totum, vel non mouetur. Non primum cum vna pars quieſcat. Si ſecundum ergo motus totius dependet à motu partis, & ſic idem non mouet ſe ipſum. Confirmatur, quia aliquid mouere ſe ipſum pe r ſe primò, eſt eſſe ſibi ipſi cauſa ſui motus; ſed nullum mobile eſt huiuſmodi,ergo debet moueri ab alio. Minor probatur, nam id cui primò conuenit motus non debet in ſuo mouere, & moueri pendere à motu alterius, ſed mobile cum ſit diuiſibile pendet à partibus; ergo, &c.

11. Occurrit Pontius poſt numerum 6. per hæc verba. *Hac obiectio*, quæ eſt Ariſtoteles, *& confirmatio*, quæ per ipſum eſt D. Thomæ, *nullius prorſus ſunt momẽti, non ſolum quia ſupponunt falſum, nempe quod mouetur motu phyſico eſſe diuiſibile, cuius oppoſitum patet in Angelis, ac puncto etiam; ſed etiam quia eſt faciliſſima ſolutionis*. Deinde reſpondet quod maior illa eſt vera quando quid quieſcit ad motum alterius, ex eo quod eo quieſcente illud quod quieſcit non habet ſufficiẽtem virtutem ad ſe mouendum, tamen quieſcit quia indiget alio tanquam conditione, non tanquam dante virtutem.

12. Sed contra, nam id quod ſupponit ratio D.Thomę, quod ſcilicet id quod mouetur motu phyſico eſt diuiſibile, eſt eiuſdem Ariſtotelis hic *tex.* 2. vbi ſic habet. *Neceſſe eſt omne quod mouetur, moueri ab aliquo: quoniam enim acceptum eſt A. B. moueri, diuiſibile erit; omne enim quod mouetur diuiſibile eſt. Diuidatur igitur in C. neceſſe eſt igitur B. C. quieſcente, quieſcere & A. B.* Deinde negari non poteſt, quod motus phyſicus propriè dictus, prout ſcilicet diſtinguitur à mutatione inſtãtanea, de quo loquimur potiſſimè in hac concluſione, nõ ſit diuiſibilis,cum ſit ſucceſſiuus. Ad illud quod dicitur de Angelis, cum mouentur ſucceſſiuè media operatione ſucceſſiua in locum, tunc dicimus quod etiam eorum motus eſt diuiſibilis, licet Angeli in ſe ſint indiuiſibiles. Ad illud de puncto patet, quod non mouetur ſucceſſiuè niſi ratione mobilis quaſi in quo eſt, ratione autẽ ſui nullo motu mouetur. Neque verũ eſt quod illa ratio habeat facilem ſolutionem, illa namque quam ipſe adducit,non eſt facilis,cum nõ ſoluat argumentum, nam ad valorem argumenti ſufficit, quod ſi aliquid ita mouetur quod ad quietem alterius quieſcat, non mouetur per ſe primò à ſe, cũ in ſuo moue-

moueri dependeat ab alio ſaltem tanquã à conditione, licet non tanquam à dante virtutem, vt concedit Pontius in ſua ſolutione. Deinde ſciat Pontius, quod Ariſtoteles tradidit illam vniuerſalem doctrinam, in hoc libro, ſcilicet, *omne quod mouetur ab alio mouetur*, vt poſtea oſtendet dari primum motorem vnde procedit in cauſis ſubordinatis, & in illis currit ratio tradita, quod ſcilicet quod mouetur vt ad quietẽ alterius quiecat, non mouetur à ſe; in cauſis autem ſubordinatis vna non ſolum eſt conditio alterius ad agendum, ſed etiam tribuit virtutem agendi, aut eſt ratio cur agat.

13. Secunda concluſio. *Etiam in motibus metaphyſicis, ſeu in actionibus immanentibus, quicquid mouetur ab alio mouetur, & ſic dictum Ariſt. eſt vniuerſale de omni motu tam actionis tranſeuntis, quam immanentis vt eſt intellectio, volitio, ſenſatio, &c.* Videatur pro hac concl. Maſius citans Sotum, & alios. Ratio clara eſt nã potentiæ cognoſcitiuæ non agunt niſi vt motæ ab obiecto: voluntas non agit niſi vt mota à bono appræhenſo per intellectum; & appetitus ſenſitiuus non mouetur niſi à bono apprehenſo per ſenſum. Tum quia moueri eſt pati, ſicut mouere eſt agere, ſed iſtæ potentiæ vt mouent ſe ipſas diſtinguuntur realiter à ſe ipſis vt patiuntur, ergo, &c. Minorem probo, nã intellectus v.g. agit vt eſt informatus ſpecie, & patitur, ſeu recipit intellectionem immediatè in ſe. Intellectus autem vt informatus ſpecie, ſeu vt mouens, diſtinguitur realiter vt mouetur, ſeu à ſe ipſo nudo; intellectio namque in ſolo intellectu recipitur; eodem proportionali modo diſcurras de alijs potentijs, Sed audiamus manifeſta, vt ipſe dicit, Pontij argumenta.

14. Primum argum. nam ſubiectum mouet ſe ad relationem, quę ab ipſo emanat poſito termino, ſed illa relatio non habet aliam cauſam emanatiuam quam illud ſubiectum, neque enim terminus habet alium influxum in illam quam cõditionis ſine qua non; ergo aliquid poteſt mouere ſe ipſum tanquam cauſa totalis motu emanationis. Reſp. negando maiorem, non enim verum eſt quod ſubiectum ſe moueat ad relationem, ſed reſultat ex ſubiecto poſito termino. Deinde negatur minor, cauſa namque illius emanationis, vel reſultantiæ non eſt ſubiectum, ſed vel cœli, vel intelligentiæ. Sicut enim ad cœlos recurrimus, vel intelligentias quoad productionem ranarum, ex guttis aquæ, & puluere tempore æſtiuo, non enim tũc puluis ſe mouet ad formam ranæ, vt omnes tradunt, cum materia non viuens non poſſit ſe mouere ad formam viuam, ſed mouetur à cauſa ſuperiori, ita in hoc caſu.

15. Secundum argum. Voluntas eſt cauſa totalis efficiẽs volitionis; ergo mouet ſe motu intentionali, tanquam cauſa totalis ſecunda, motus enim ad volitionẽ eſt motus intentionalis. Reſp. ex dictis *nu.* 13. quod voluntas mouetur à bono apprehenſo, ſibique propoſito per intellectum, & ſic non ſe mouet, ſed mouetur; vt patet.

16. Tertium argum. nam graue tanquam cauſa totalis phyſica efficiens ſecunda mouet ſe motu totali ſucceſſiuo, quando auffertur impedimentum: & aqua vt cauſa totalis mouet ſe motu frigefactionis ſucceſſiuo poſt quam eſt calefacta, & remouentur agentia calefacientia, ergo, &c. Nec valet reſpondere cum Cõplut. & reliquis Thomiſtis quod grauia, & leuia mouentur à generante, Quia contra eſt primò, nam ſi grauitas, & leuitas ſunt principium actiuum talis motus, gratis dicitur quod non ſit principium actiuum principale, aliàs etiam dici poſſet quod intellectus non eſt cauſa principalis intellectionis, nec voluntas volitionis. Secundò quia, inquit, Pontius abſurdiſſimum videtur dicere quod aliquid ſit cauſa principalis efficiẽs alicuius effectus qui producitur quando illa cauſa non exiſtit in rerum natura, ſed generans in dictis caſibus non exiſtit, ergo, &c. Tertiò, quia cauſa inſtrumentalis non agit niſi mota à principali, aut ſimul coagente, ergo ſi cauſa principalis non eſt, neque inſtrumentalis aget.

17. Reſp. negando antecedens; vnde reſponſio ibidem tradita optima eſt, & ſupra eam oſtendimus, probantes, & explicantes à quo aqua calida reducatur ad priſtinam frigiditatem. Ad primam impugnationem, dico quod grauitas, & leuitas ſunt quidem principium actiuum illorum motuum, ſed non principale, ſed inſtrumentale generantis. Ad 2. dico eſſe abſurdiſſimum dicere quod cauſa principalis agat quando non eſt, non tamen eſt abſurdum quod inſtrumentum agat quando cauſa principalis non eſt in ſe, dummodo maneat in ſua virtute, vt patet in omnibus ſeminibus quæ agunt etiam non exiſtente cauſa principali in ſe. Per quod patet ad 3. Inſtrumenta namque naturalia agũt vt mota à virtute cauſę principalis, principali cauſa non exiſtente.

DVBIVM II.

A quo moueantur grauia, & leuia.

18. Corpora grauia, vt docet manifeſta experientia, cum ſunt extra centrum, ſi ab aliquo extrinſeco nõ impediantur, ſtatim deſcendunt, & leuia aſcendunt. Hinc oritur difficultas, à quo illa deorſum moueantur, & iſta ſurſum, de quo prima ſententia eſt, quod moueantur à ſe ipſis. Sic Scotus cum ſuis in 1. *diſp.* 2. *q.* 10. Gregor. *ibid diſt.* 6. *q.* 1. *art.* 3. Pereira *lib.* 6. *cap.* 16. & alij apud N. Cõplut. *diſp.* 28. *q.* 2. *n.* 21.

19. Noſtra ſent. ſeq. conl. explicatur. *Grauia, & leuia cum ſunt extra centrum, ablato impedimento, mouentur tanquam à cauſa principali à generante, & à grauitate, & leuitate tanquam ab inſtrumentis.* Pro hac ſent. citant dicti Complut. ibid *n.* 23. Platonem Magnum Albertum, Caiet. Ferrar. Sot. Socin. Maſium, Suarez, alioſque, quibus addo Lermam hoc loco. Eſt expreſſa ſententia D. Thomæ, & Ariſt. lib. ſeq. *tex.* 29. vbi ſic habet. *A quo autem* ſcilicet grauia, & leuia moueantur, *non adhuc manifeſtum eſt, vt cum mouentur præter naturam; etenim ipſa à ſe ipſis dicere impoſſibile eſt, vitale enim hoc, & animatorum eſt proprium.* Deinde adducit optimam rationem, quod ſi ignis à ſe moueretur ſurſum, deberet etiã moueri deorſum; *quod ſi,* inquit, *in ipſo igne eſt ſurſum ferri, manifeſtum, quod in ipſo & deorſum, irrationabile autem eſt illud, vno motu moueri ſolum à ſe ipſis, ſi ipſa ſe ipſa mouent.* Poſtea *tex.* 33. concludit, quod grauia, & leuia per ſe mouentur à generante, & per accidens à remouente prohibens. Et licet hæc concluſio conſtet ex dictis dub. præcedenti, quod ſcilicet quod mouetur ab alio moueri debeat, tamen ad huc eam ſequentibus rationibus confirmamus.

20. Prima ratio deducitur ex teſtimonio citato Ariſt. quod ſcilicet moueri à ſe eſt proprium animatorum, nam moueri à ſe eſt proprium animatorum; ergo non poteſt conuenire igni aſcendenti, & terræ deſcendenti. Conſeq. conſtat, quod enim eſt proprium animatorum nõ poteſt conuenire inanimatis, vt patet. Antecedens prętérquam quod eſt Ariſtotelis, probatur, nam tandiu vita cuiuſuis viuentis durat, quandiu ſe ipſum mouet motu vitali, vnde ex quo animal iacet exanime nullatenus ſe ipſum mouet, ſed ab alio eius cadauer mouetur. Planta nec augetur, nec nutritur poſtquam mortua eſt, vnde ſolùm motu locali, aut alterationis ab alio moueri poteſt.

21. Secunda ratio, quam fusè expēdunt N. Complut. eſt, quoniam qui dat formam debet dare conſequentia ad formam. & ſunt eiuſdem formæ proprietates, ſed motus grauium, & leuium ſunt quædam proprietates eorumdem grauiũ, & leuium, ergo debent dari à generantibus illorum. Maior nota eſt, quod enim dat formam dat cum ipſa connexa, vt ſunt proprietates, proprietates namque eadem actione producuntur, qua natura producitur. Tum quia actio, quæ producit terminum primariũ extenditur ad ſecundarium, aliàs terminus ſecundarius ſi propria actione produceretur, non eſſet ſecundarius, ſed primarius. Minor probatur, quia videmus, quod ſi grauia, & leuia producantur extra ſuum centrũ

abla-

Digitized by Google

ablato impedimento ad illud tendunt, ergo ſignum eſt, quod illi motus ſequuntur tanquam proprietates illorum, aliàs non darentur in eodem inſtanti productionis. Præterea quia in proprio centro eſt quædam proprietas grauium, & leuium, ergo etiam motus ad illud, cum motus ad terminum non ponat in numero cum termino. Demum quoniam ad generans pertinet conſtituere genitum in perfectione ſibi debita in inſtanti generationis, aut ſaltem debet tribuere vires ad eam perfectionem ſibi acquirendam, ſed grauibus, & leuibus ſunt ſibi ſua loca debita, ergo ſi ab illis abſint, debent habere vires à ſuis generantibus, per quas illa adquirant.

22. Reſpondent 1. quod ex noſtra ratione ſequeretur, quod etiam motus cordis deberetur generanti, cum ſit quędam paſſio animalis habentis pulmonē, ſed hoc eſt falſum, ergo, &c. Minorem probant, quia motus non poteſt dari in inſtanti, vt ſupra vidimus. Sed contra, quia licet motus nō ſit in inſtanti, incipit tamen tunc extrinſecè, & ſic quoad initium ſui extrinſecum poteſt dici tunc eſſe, quod ſufficit; idem dic de motu grauium, & leuium, cum enim ſint ſucceſſiui non poſſunt eſſe in inſtanti generationis quoad aliquid ſibi intrinſecum, benè tamen quoad initiatiuum extrinſecum.

23. Reſpondent 2. ſequi ex noſtra ratione, quod reſpiratio, nutritio, & augmentatio eſſent à generante, cum eſſent quid debitum ab inſtanti generationis, quod nemo dicit, cum non ſint propriæ viuentis paſſiones, nec procedant à generante, ſed à viuente, aliàs nulla eſſet differentia inter viuentia, & non viuentia. Sed contra, quoniam ſuppoſito motu corporis, aut ſuppoſita vita, actiones nutritionis, augmentationis, &c. ſunt ab ipſa vita, cum ſit de vitæ ratione quod ad iſtas actiones ſe moueat, cum habeat ſufficiens principium illarum. Solùm ergo à generante dantur primi actus, non illi qui ſequuntur, niſi fortè ſecundario. Soluuntur argum. in contrarium.

24. Primum argum. nam motus grauium, & leuium nōn eſt illis propria paſſio; ergo nō poteſt tribui generanti. Conſeq. conſtat. Ideo enim illi motus tribuũtur generanti, quia ſunt propria paſſio, cum propria paſſio tribuatur producenti eſſentiam. Antecedens probatur 1. quia reſultantia propriæ paſſionis, non poteſt ſaltem naturaliter impediri; ſed illi motus naturaliter impediuntur per oppoſitionē alicuius corporis; ergo, &c. 2. Quia propria paſſio non prædicatur de ſua eſſentia prædicatione quinti prædicabilis; ſed iſti motus ſic prædicantur, poſſunt enim adeſſe, & abeſſe ſine ſubiecti corruptione, ergo, &c. 3. Quia poſſunt grauia, & leuia naturaliter eſſe ſine illis motibus. Si enim Deus ea crearet in ſpatijs imaginatijs per totam æternitatem ibi manerent, ac proinde naturaliter, quia nullum violentum perpetuum.

25. Reſp. negando antecedens. Ad 1. probationem dico, quod ideo reſultātia illorum motuū poteſt naturaliter impediri, quia iſtæ paſſiones ſunt de numero illarum, quarum reſultantia dependet tanquam ex conditione, quod nullum ponatur impedimentum. Ad 2. probationem dico, quod *actualis emanatio* poteſt prædicari prædicatione quinti prædicabilis, quia cum productio nō ponatur niſi poſita connotatione remotionis impedimentorum, ideo poteſt, & non poteſt impediri, non tamen ſequitur quod illi motus non ſint paſſiones, cum naturaliter profluant nullo poſito impedimento; & ſic illa accidentalis prædicatio eſt *ratione* poſitionis, & non poſitionis *conditionis*, non ratione ipſius emanationis. *Ad 3.* probationem dico, quod *in illo* caſu illi motus non eſſent, quia non poneretur conditio remotionis impedimentorum ad motum, ſucceſſiuum ſcilicet, qui tunc naturaliter non eſſet, iſti ergo motus ſunt paſsiones, & reſultant poſita illa connotatione, ſecus non, &c.

26. Secundum argum. nam dato, quod illi motus ſint paſſiones grauium, & leuium adhuc non ſequitur quod debeāt tribui generanti, ergo, &c. Antecedens probatur, nam motus animalis eſt propria

pria illius paſſio, & tamen animal ad illum ſe mouet: ergo etiamſi motus grauiũ & leuium ſint propria paſſio illorum, adhuc ad illos ſe mouere poterunt. Antecedens probatur, quia motus cordis eſt propria paſſio animalis illud habentis, & tamen cum ſit vitalis non tribuitur generanti, ſed ipſi animali, aliàs nõ eſſet proprietas animalis ſe ipſum mouere. *Reſp.* quod etiam motus cordis tribuitur generanti; nam animal ſe primò mouet motu cordis, ſed iſto ſuppoſito, & in actu conſtituto ſe ad alios mouet, aliàs idem eſſet mouens, & motum; vnde animal, vt conſtitutum in actu per motum cordis, ſe ad alios mouet, vt iam obſeruauimus.

26. Tertium argumentum, nam grauia, & leuia iam habent principia actiua ſuorum motuum, ſcilicet grauitatem, & leuitatem, ergo fruſtra recurrimus ad generantem. Antecedens conſtat, grauitas namque eſt principium actiuum motus deorſum, & leuitas eſt principium actiuũ motus ſurſum, & hoc docet S. Doctor *q. 5. de verit. art. 5.* Conſeq. probatur, nam ideo viuens ſe mouet ad ſuos actus vitales, quia habet in ſe principium actiuum illorum; ergo cum etiam elementa habeant in ſe principium actiuum ſuorum motuum, ad illos ſe mouebunt; vnde forma ſubſtantialis erit principium actiuum radicale, & grauitas, & leuitas erunt principium proximum. *Reſp.* quod forma ſubſtantialis, & grauitas, & leuitas ſunt principia actiua emanationis motus non efficiens primò ipſum motum. Vel dices, quod grauitas, & leuitas ſunt inſtrumenta, & virtus generantis ad producendos illos motus ſublatis impedimentis.

27. Sed quæres 1 à quo ſit quies elementorum in proprijs centris? aliqui volunt, quod licet motus grauium, & leuiũ ſit à generante, non tamen quies in proprijs locis, ſiue centris, ſed à ſe ipſis. Nihilominus verius dicendum eſt, quod etiã illa quies ſit à generanre, colligitur ex D. Tho. *1. 2. q. 21. art. 4.* & *q. 21. de verit. art. 3. & 5. metaph. lect. 2.* Et ratio eſt, quia in quacumque re quæ mouetur, & quieſcit, ab eodem principio à quo eſt motus, eſt etiam quies, cum enim motus in his rebus ſit propter quietem, oportet vt id, quod tribuit motum tribuat etiam quietem. Hinc Ariſt. definiuit naturam quod ſit principium motus, & quietis.

28. Sed obijcies 1. nã quies eſt quid priuatiuum, ergo non poteſt eſſe à generante. Conſequentia probatur, quia generans eſt cauſa efficiens, ergo eius effectus debet eſſe poſitiuus. Priuationes namque non habet cauſam, ſed potius cauſæ ceſſationem. *Reſp.* non loqui nos hoc loco de quiete, quę eſt priuatio motus, hæc enim non habet cauſam, ſed potius cauſæ ceſſationem. Sed loquimur de quiete poſitiua, quæ eſt permanentia rei in loco, poſſeſsio, & quaſi fruitio loci, & hæc eſt à generante, & quam appetunt grauia, & leuia dum ſunt extra centrum.

29. Obijcies 2. quoniam actio, & virtus generantis ceſſat ceſſante motu, ergo quies non eſt à genetante. Antecedens probatur, quia intentio generantis eſt tranſmittere elementa ad propria loca naturalia, ergo facta hac tranſmiſſione quam perficit per motũ, actio illius ceſſabit. *Reſp.* negando antecedens. Ad probationem dico, quod intentio generantis eſt tranſmittere elementa ad propria loca, eaque media quiete conſeruare. Ea namque tranſmittit, vt ibi ſua quiete perfruantur.

30. Quæres 2. an vltra generantem, mouentem grauia, & leuia per propriam illorum formam tanquam per principiũ quo principale, & radicale, & per grauitatem, & leuitatem tanquam per virtutes inſtrumentárias, ex quibus motus ſurſum, & deorſum promanant, dentur alia principia? Aliqui Piloſophi antiqui dixerunt quod grauia, & leuia moueantur à corporibus cæleſtibus per quandam expulſionem, quatenus motu ſuo rapidiſsimo pellunt à ſe omnia corpora, hoc tamen ordine, quod grauiora, vt terra, longius pellantur, vſque ſcilicet ad remotiſſimum centri locum, cum ratione ſuæ grauitatis nequeat à cælis gitari. Aqua vtpotè minus grauis, minus pellitur, aliquatenus

tamen à motu lunæ mouetur pro varijs illius incrementis, & decrementis. Aer etiam minus pellitur, cum facilius gyretur; & tandem ignis minus cum ob ſuam ſubtilitatem facilius rapiatur. Sic tenebant Empedocles apud Ariſt. 1. *de cælo*, & aliqui alij Philoſophi apud Gregor. ab Arimino *in 2. diſt. 6. q. 1. art. 3.* Sed hanc ſententiam reijcit nota experientia, quod non à cælis, ſed ab alijs cauſis moueātur. Si enim ad motum cælorum mouerentur, potius gyrari, ſeu rotari deberent, quam ſurſum, vel deorſum tendere.

31. Alij dixerunt grauia, & leuia moueri per accidens ad motum medij, mouent namque medium, & hoc motum mouet illa, eo modo quo nauta mouet nauim, & per accidens ad motum illius mouetur, vnde lapis cadens ex loco eminenti mouet aerem, & aer motus mouet lapidem. Sic aliqui Philoſophi apud Gregor. ſupra, & apud Iandunum hoc loco *q. 21.* Sed neque hæc ſententia ſatiſfacit, nam ſequeretur quod medium moueretur duobus motibus contrariis, vt ſi per aerem aſcenderet ignis, & deſcenderet grando. Tum quia ſi mouerentur à medio, mouerentur ad motum medij, vnde demus, quod aer moueatur à ventis ad orientem, lapis deſcendens ex alto illò moueretur.

32. Alij etiam dixerunt, vt Ricardus à Mediauilla *in 2. diſt. 14. art. 2. q. 6.* & alij quod moueantur à ſuis locis, vt leuia à loco ſurſum, & grauia à loco deorſum, ſicut magnes vertitur à polo artico, vel à ſtella ibi vicina. Vnde videmus, quod quantò magis accedunt ad ſua loca eo celerius mouentur. Cęterum licet poſſit concedi locis naturalibus aliqua virtus trahendi locata ad ſe, tum in genere cauſæ finalis, tū efficientis, de quo ſupra, tamen, ea non ſufficiet, niſi admittamus cauſalitatem cauſæ efficientis, vt iam dictum eſt.

DVBIVM III.

A quo moueantur proiecta.

33. Prima fuit quorumdā antiquorum Philoſophorum ſententia apud Ariſt. *cap. vlt. ſeq. libri*, quod proiecta moueantur per antyperiſtaſim, quatenus, cum quis manu, aut funda proijcit lapidem, lapis proiectus impetu quo fertur diuidit aerem, aer verò diuiſus qui eſt à tergo ſe ſe colligit in vnum, vt occupet locum, qui ex diuiſione eſſet vacuus, vnde ea vi qua ſe colligit, locumque occupat, lapidem impellit. Ab hac opinione non multum videtur diſtare idem Ariſtoteles. Hæc ſententia ſi intelligatur, quod tota ratio, & cauſa adæquata motus proiectorum ſit medium currens ad impediendum vacuum, non eſt vera, nam videmus, quod ſi medium ſit eodem modo affectum ad duo corpora proiecta, tamen vnum velocius mouetur ſi fortius à manu proijciatur. Quod ſi intelligatur, vt intelligi debet, quod medium multum conferat ad motum proiectorum dum vi confluit ad impediendum vacuum, admitti debet. Tum quia negari non poteſt quod ipſum medium non recipiat vim quandam mouendi corpora, quæ per ipſum tranſmittuntur.

34. Vera ergo, & communis ſententia ſequenti concl. explicatur. *Motus proiectorum ſit medio impulſu eis, & medio ſcilicet aeri, vel aqua à proijciente impreſſo.* Sic tenent communiter Philoſophi & manifeſta docet experientia, videmus namque quod quanto fortiùs lapis v. g. a manu proijcitur, velocius mouetur, & aer magis agitatur. Imprimit ergo proijciens lapidi v. g. impetum quendam ratione cuius lapis mouetur, qui impetus paulatim deficit, & ſic etiam paulatim motus debilitatur, & finit.

35. Sed quæres 1. quid ſit iſte impulſus? Reſp. quod neque eſt grauitas, neque leuitas, vt quidam dixerunt, ſed eſt quædam qualitas, quæ ad has qualitates reuocari poteſt; vnde ſi inclinet ad

locum

Digitized by Google

locum ſurſum reuocatur ad leuitatem, ſi trahat deorſum, reuocatur ad grauitatem. Dixi quod ſi impetus moueat ſurſum reuocatur ad leuitatem ignis, non eſt tamen eiuſdem ſpeciei cum illa, quoniam leuitas ignis eſt paſſio illius, & iſte impetus eſt impreſſio quædam facta à proijciente extrinſeco; tum quia leuitas ignis v.g. naturaliter mouet ſurſum, at ille impetus mouet ſurſum violenter; motus autem naturalis, & violentus differũt ſpecie ex parte principiorum licet poſſint eſſe eiuſdem ſpeciei ex parte termini, de quo ſupra.

36. Quæres 2. quomodo impetus trahens lapidem ſurſum, poſſit manere cum grauitate illius? Ratio difficultatis eſt, quia iſte impetus contrariatur grauitati lapidis, contraria autem ita ſe habent, quod ea proportione quo vnum ingreditur, aliquid remittitur, hoc autem non contingit in noſtro caſu, nam grauitas lapidis non minuitur ab illo impulſu, aliàs quo maior eſſet impulſus, lapis minus grauitaret, quod eſt falſum, cum grauitas lapidis paulatim deſtruat impulsũ. Reſp. quod ille impulſus manet cũ tota grauitate lapidis, nec eã minuit, neque omnia contraria ita ſe habent, quod vnũ minuat aliud, hoc enim contingit in illis contrarijs, quę per alterationem introducuntur, non illis quæ vi, & impetu introducũtur.

37. Quæres 3. an ille impulſus, ſeu qualitas recipiatur in ſuperficie lapidis, an in toto lapide? Reſp. quod cum iſte impulſus ſit quoddã accidens, debet recipi in ſubiecto ad modum aliorum accidentium; vnde recipietur *vt quo* in ſuperficie, & *vt quod* in ſubſtantia lapidis. Nec eſt ſenſus, quod iſte impulſus ſit qualitas quędam tranſiens à proiciente in lapidem proiectum, accidentia namque non tranſeunt de ſubiecto in ſubiectũ, ſed ſenſus eſt, quod illa qualitas per motum localem manus educitur de potentia ſubiecti v.g. lapidis, non quidẽ naturaliter, ſed violenter. Quocirca quando Ariſtoteles dicit, quod motus localis non eſt aptus producere formam, intelligi debet de forma naturali, non violenta.

DVBIVM IV.

An in puncto reflexionis motus directi detur quies intermedia.

38. Licet difficultas ſoleat proponi de puncto reflexionis pilæ cum fortiter proijcitur in parietem, vel in terram, & reſilit, tamen eſt eadem difficultas quando proijcitur v.g. lapis in altum, & finito impetu reuertitur, & deſcendit, an in illo puncto reflexionis detur quies intermedia. Currit hæc eadem difficultas de motibus contrarijs, an ſcilicet inter vnum, & alterum motum contrarium intercedat quies.

39. Ariſtoteles *lib. ſeq. cap.* 8. apertè docet quod non poſſit aliquid moueri motibus contrarijs ſine eo quod aliqua quies intercedat, quod etiã docent ibid. D.Tho. Simplicius, Themiſtius, Auer. Magnus Albertus, & alij. Oppoſitum ſentiunt aliqui recentiores, ſequuti Valleſium *controu.* 50. *phyſica ad tyrones, & hic lib.* 8. *cap.* 8. *& lib.* 3. *controu. medic. cap.* 6.

40. Pro intelligentia difficultatis ſciendum eſt, quod tribus modis intelligi poteſt quod aliquid moueatur motibus contrarijs. Primò quando vterque motus eſt naturalis, & à ſe, ſeu à principio intrinſeco, vt eſt motus ſyſtole, & diaſtole, ſeu dilatationis, & conſtrictionis cordis, & de his duobus motibus naturalibus communiter dicitur, quod inter vtrumque intercedat quies, & ratio eſt, quia ad ſuauem naturæ diſpoſitionem pertinet, ne mobile ex illorum motuum continuitate laſſetur, vt aliquantulum à motu vacet, & tantillum quieſcat. Tum quia natura non impellit ad motum cõtrarium, quandiu prior non eſt abſolutus.

41. Secundò poteſt aliquid moueri duobus motibus contrarijs, ita vt vterque illi conueniat ab externo principio vi quadam, & coactione, vt ſi lapidi ſurſum proiecto, antequam vis impulſiua finiat, ſibi occurrat ingens quoddam, &

maximum ſaxum, quod illum ſecum rapiat, & deorſum redire cogat, & in hoc caſu eſt multorũ ſententia, vt Aegidij in *lib.8. phyſ. tex.66.* Iauel. *lib.8. q.12.* Sot. *lib.8. q. 3.* Valleſ. ſupra Conimbric. 8. *phyſ. cap.8. q.1.* Maſij 8. *phyſ. cap.8. q.1.* & aliorum, quod tunc inter duos illos motus contrarios nulla intercedat quies. Ratio horum eſt, quia cum in eo caſu lapidi aſcendenti occurrat maximum ſaxũ, impetu maximo deſcendens, motuque continuo, oportet quod lapis qui prius aſcendebat abſque mora, aut quiete deſcendat, aliàs ſi tunc quieſceret per illam quietem retardaret ſaxum à velociſsimo deſcenſu. Communiter tamen recentiores poſt Villalpandum docent, quod inter duos illos motus contrarios intercedat quies, cum implicet motus contrarios eſſe continuos. Sed poſſunt facilè concordari ſi dicamus quod non intercedat quies poſitiua, & hoc probat fundamentum primæ ſententiæ; intercedat tamen quies negatiua, & hoc oſtendit fundamentum ſecundæ ſententiæ, quies nãque negatiua ſufficienter diſcontinuat motus, vt ſupra vidimus.

42. Tertiò poteſt aliquid moueri duobus motibus contrarijs, vt vnus ſit à principio extrinſeco, & alter à naturali virtute, vt cum lapis proijcitur ſurſum, & finito impetu vi propria deſcendit. Et in hoc caſu aliqui volunt intercedere quietem poſitiuam, & idem dicunt de puncto reflexionis pilæ, cum retro reſilit à pariete. Cœterum etiam in hoc caſu dici poteſt ſufficere quietem negatiuam; vnde in illo puncto reflexionis verum eſt dicere de motu præcedenti, *nunc non eſt, immediatè ante fuit*, & de eodem puncto reflexionis verum eſt dicere de motu ſequenti, *nunc non eſt, immediatè poſt erit*. Quando motus ſunt continui punctum eſt vtriuſque motus copulatiuum, non quando motus ſunt contrarij. Imò implicat quod in illo puncto quies ſit poſitiua, nam quies poſitiua propriè dicta nõ eſt in puncto, quies namq; iſta eſt priuatio motus, ac proinde carentia motus in ſubiecto apto, in eo autem inſtanti, ſeu puncto ſubiectum non eſt aptum moueri, cũ motus localis, & ſucceſſiuus nequeat eſſe in puncto, ſeu in inſtanti.

43. Sed quæres, à quo producatur motus reflexus, maximè cũ virtus proijcientis videatur interrumpi per dictam quietem negatiuam? Reſp. quod cum proiectum inuenit reſiſtentiam, & reſilit, motuque contrario mouetur, vt cum pila proiecta in terram, aut parietem, motu contrario retrocedit, tunc iſte ſecundus motus tribuitur, & proijcienti, & corpori reſiſtenti. Tribuitur proijcienti, quia iuxta maiorem, aut minorem quantitatẽ impulſus proiectum motu contrario reſilit. Tribuitur etiam corpori reſiſtenti, quia etiam corpus quantò fortius reſiſtit, vt cum eſt durius, tantò velocius proiectum retrocedit, & ſic tunc non continuatur idem impulſus, ſicut non continuatur idem motus, ſed prior impulſus allidẽs in parietem medio proiecto, educit alium ſimilem per quem corpus proiectum retrocedit.

DVBIVM V.

An agens debeat eſſe coniunctum paſſo, vt agat in illud.

44. Aliter hoc dubium proponi ſolet, an ſcilicet ad hoc vt agẽs agat, debeat eſſe proximum paſſo. Pro quo ſciendum approximationẽ eſſe duplicem ſcilicet virtutis tantum, & virtutis, & ſuppoſiti ſimul. Immediatio, ſeu approximatio virtutis tantum, tunc *eſt*, quando agens licet ſecundum *ſuppoſitũ* diſtet à paſſo tamen *appropinquat* per virtutem; hoc modo ſol *producit* aurum in viſceribus terræ non per approximationem ſuppoſiti, cum ſol multum diſtet à terræ viſceribus, ſed per approximationem virtutis, immittit namque ſuam virtutem vſque ad terrę viſcera. Approximatio, ſeu immediatio ſuppoſiti, & virtutis eſt, quando agens non transfundit virtutem, nec extra ſe emittit, ſed in tãtum agit, in quantum coniungitur paſſo, ſecundum ſuum ſuppoſitum. Hoc poſito.

45. Prima ſententia eſt, quod tam agens

agens increatum, quam creatum poteſt agere indiſtans, vbi ſcilicet lnec ſunt per ſuppoſitum, nec per virtutem transfuſam. Ita Scotus cum ſuis *in* 1. *diſt*.37. vbi Nominales. Idem tenet Auicenna *de anima ſect*.4. *cap* 4. citans Hyppocratem. Item Alexand. Affrodiſ. 1. *metaph. comment*.8. quos citant N. Complut. *diſp*. 28. *qu*.3. *n*.34. quibus addo Vaſq. 1.*p.q*.8.*diſp*.28. Auerſ. *qu*. 14. *phyſ. ſect*. 7. & Pontium *diſp*.19. *q*.2. *n*.22. *cum ſeq*.

46. Noſtra ſent. duplici concl. explicatur. *Agens increatum agit per præſentiam tum ſuppoſiti tum virtutis*. Sic tradunt omnes Thomiſtæ, & alij plures quos congerunt N. Complut. loco citato *n*.40 Vide quæ dico 1.*p. diſp*.8. *n*. 8. *cum ſeq*. vbi ex operatione Dei oſtendo cum D. Thoma quod Deus eſt vbique per operationem, & quod cum in Deo eius virtus non diſtinguatur ab eius ſuppoſito, ſequitur, quod vbi Deus operatur, ibi eſt ſua virtus, ſua potentia, ſua eſſentia, ſuum ſuppoſitũ, ac proinde nullibi Deus operari poteſt vbi non eſt præſens immediatè, tum immediatione virtutis, tum immediatione ſuppoſiti, & ſic cum Deus vbique operetur tribuendo eſſe, & conſeruationem rebus, ſequitur quod vbique ſit, iuxta illud. *Cælum, & terram ego impleo*, & intantum poteſt eſſe extra cælum, inquantum poteſt ibi operari, cum vbique ſit ratione operationis, vide ibi, vbi eſt locus proprius.

47. Secunda concl. *Agens creatum non agit niſi vbi eſt immediatè ſaltem immediatione virtutis ſi eſt agens transfuſiuũ virtutis, ſecus debet eſſe immediatum tum immediatione virtutis, tum ſuppoſiti*. Sic tenent Ariſt. D. Thomas, & alij plures, quos referunt, & ſequuntur dicti Complut. loco citato.

48. Probatur 1. ratione quam fusè proſequuntur N. Complut. nam virtus actiua debet eſſe coniuncta actioni, & actio debet eſſe coniuncta effectui; ergo à primo ad vltimnm virtus actiua debet eſſe coniuncta effectui, ac proinde non dabitur actio indiſtans. Antecedens probatur 1. experientia, nam videmus nullũ agens agere niſi ſaltem per ſuam virtutẽ coniungatur effectui. 2. quia actio eſt cauſalitas qua agens attingit effectum, ſed cauſalitas cauſæ eſt coniuncta cum virtute cauſæ, cum ſit ipſum virtutis cauſatiuæ exercitiũ; ergo, &c. 3. quia impoſſibile eſt vt id quo cauſa attingit effectum ſit ſeparatum à cauſa. 4. quia virtus actiua, & principium quo effectus debet eſſe coniunctum cauſæ, ergo etiam cauſalitas. 5. quia cauſalitas cauſæ efficientis eſt datio, ſeu communicatio, qua eadem cauſa efficiens dat entitatem effectui, ergo debet eſſe coniuncta cauſæ, & effectui.

49. Occurrit Põtius loco citato *n*.32. quod ſi actio ſit in agente, vt tenent ipſi Scotiſtæ concedendum eſt antecedens, quod ſcilicet actio coniungatur agenti, non tamen coniungetur effectui, cum nulla ſit difficultas in concipiendo quomodo aliquid per actionem in ſe ſubiectatam poſſit producere effectum in loco diſtanti. Deinde dicit quod dato quod actio non ſit in agente, adhuc negandum eſt antecedens, & ſic dicit nullam eſſe experientiam in contrarium, & omnes aliæ probationes ſunt negandæ.

50. Sed contra nam dato quod actio ſit in agente adhuc non poteſt producere effectum in diſtans, ſed debet virtus agentis, & cauſalitatis eius, ideſt actionis contingere effectum, ſeu pertingere vſque ad locum vbi effectus eſt producendus, vbi enim virtus cauſæ non pertingit, ibi effectus produci non poteſt, vt ſequẽti ratione magis conſtabit. Quod ſi actio ſit in paſſo, ſeu in effectu producto magis apertè ſequitur, quod agens non poſſit agere in diſtans, nec ſufficit negare illud antecedens, ſed etiam eſſet reſpondendum illius probationibus, quod non facit Pontius.

51. Probatur 2. nam non poteſt dari actio in diſtans, niſi prius detur in propinquum, vt ſic per propinquum tanquam per medium virtus agentis deferatur ad paſſum. Antecedens probatur, ideo cõmuniter Philoſophi quod ſi à concauo lunæ vſque ad terram daretur vacuum aſtra nihil influerent in hæc inferiora,

quia

quia tunc nullum daretur medium, per quod dictæ influuentiæ tranſirent, ſed hoc non eſſet verum ſi naturaliter daretur actio in diſtans, ergo, &c. Ideo namque natura vacuum abhorret, vt inferiores lationes recipiant influentias ſuperiorum.

52. Probatur 3. nam ſi poſſet agens creatum agere in diſtans abſque eo quod ageret in propinquum, ſequeretur quod agentia naturalia nullam haberet determinatam ſphæram ſuæ actiuitatis, ſed quodlibet in quamcumque diſtantiam agere poſſet, & ſic ignis vt combureret lignum non indigeret approximatione, vt calefaceret aquam non indigeret approximatione, vt calefaceret manus, & pedes non indigeret approximatione, & ſic non fuiſſet neceſsè quod Pontius accederet ad ignem, vt calefaceret ſe, nec fuiſſet neceſſe quod in eius monaſterio accenderetur ignis pro miniſterijs quotidianis, cum ignis, & omnia agentia naturalia agant in diſtans abſque eo quod agant in propinquum, & ſic cum non ſit maior ratio de parua, ac magna diſtantia poſſet ignis agere in quamcumque; & ſic eſſet virtutis infinitæ.

53. Occurrit Pontius, quod requiritur maior virtus ad agendum in magis diſtans, quam in minus diſtans, quoniam omne agens creatum habet determinatã ſphæram ſuæ actiuitatis. Sicut enim ſi agens non ageret in diſtans niſi ageret in propinquum, requireretur maior virtus, vt ageret in magis diſtans, ita & in ſuo caſu. Sed contra nam ideo requiritur virtus ad agendum in diſtans, quando agens agit in medium, quia dum virtus tranſit per medium debilitatur per reactionem, & reſiſtentiam medij, vt cum calor ignis tranſit per aerem debilitatur paulatim, & ſic minus calefacit in diſtans, at ſi ſemel nullum requiritur medium ad agendum nihil erit per quod virtus debilitetur, ac proinde poterit dari actio in quamcumque diſtantiam, aut ſaltem in valde maiorem quam modo, ac proinde non erit neceſſe accedere ad ignem, cum ſaltem vnus ignis ſufficeret pro toto monaſterio, &c.

54. Probatur 4. quoniam agens non poteſt agere niſi in materiam determinatam, & ſibi ſubiectam, aliàs nulla eſſet ratio cur agentia naturalia magis agerent in hanc, quam in aliam materiam; ſed hæc determinatio materiæ, ſeu ſubiectio requirit approximationem; ergo non poteſt eſſe actio in diſtans. Maior nota eſt. Agere namque eſt ſibi ſubijcere paſſum. Minor probatur, quia agens non ſubijcit ſibi paſſum diſtans, ignis namque qui eſt Romæ non ſubijcit ſibi lignum exiſtens Mediolani. Soluuntur argumenta in contrarium.

55. Primum argum. nam vt nota experientia conſtat ignis inflammat ſtupã, aut etiam ſulphur diſtans, quin agat in aerem propinquum ipſum inflammando; ergo vt ignis agat non indiget approximatione, ſeu immediatione ſuppoſiti, aut virtutis ad paſſum. Confirmatur, nam ſi quis apponat manum parum diſtantem ad oſtium fornacis accenſæ; ignis intus exiſtens calefacit manũ, abſque eo quod calefaciat aerem intermedium, cuius rei ſignũ eſt, quod ſi oſtium fornacis claudatur ceſſat calor in manu, quod non eſſet ſi immediatè manus non calefieret ab igne. Reſp. negando antecedens; ideo enim tunc ſtupa, aut ſulphur citius accenduntur, quam aer intermedius, quia illa ſunt magis apta ad recipiendum ignẽ non aer qui ob ſuam humiditatẽ fortius reſiſtit, non ſtupa, & ſulphur ob ſiccitatẽ. Dici etiam debet quod tunc aliquæ ſubtiliores aeris partes, aut ſcintillæ *ignis* inflammatæ accendunt ſtupam, *tametſi* non ita facilè dignoſcantur. *Ad confirmationem* dico, quod tunc *ignis* fornacis calefacit etiam aerem intermedium, ſed quia eſt ſubtilis, nec ita apparet vt in manu, nec ita conſeruatur, patet namque quod calor in ſubiecto magis denſo magis appareat, & magis conſeruatur, &c.

56. Secundum argum. quia ignis calefacit aquam exiſtentem in lebete, eo non calefacto, experientia namque conſtat quod aqua feruente fundum lebetis ſolum eſt tepidum. Similiter oleum exiſtens in vaſe papyraceo poſito ſuper ignẽ feruet,

feruet, quin popyrus comburatur, vnde in dicto oleo poſſunt oua coqui, aut frigi, ſed iſta eſſe nō poſſunt niſi dicamus ignē agere in diſtans, ergo, &c. Reſp. negando antecedens; experientia namque conſtat, quod prius incipit calefieri fundum lebetis quam aqua; quod autem aqua feruente, fundum lebetis tepeſcat, aliam cauſam habere puto, ſcilicet quod dum aqua ebullit, partes ſuperiores minus calidæ deſcendunt, inferioribus aſcendentibus, & ſic fundum lebetis temperatur vt minus ferueat. Aliam rationem alij aſſignant, quia ſcilicet partes terreæ aquæ deſcendunt ad fundum lebetis, quę cum ſint natura ſua frigidiſſimæ magis reſiſtunt calori, quam partes magis ſubtiles, quæ citius ebulliunt, & ſic fundũ cacabi, ſeu lebetis apparet minus calidum: Ad illud de oleo dico, quod calefactis partibus in fundo exiſtentibus, aſcendunt, & deſcendunt frigidiores, quæ ſua frigidate, & humiditate reſiſtentes calori ignis papyrum temperant, & faciunt quod aliquantulum incombuſta permaneat, licet tandem ſi ſupra ignem permaneat, comburatur.

57. Tertium argum. nam piſcis torpedo tangens hamum, agit in brachium, aut manum piſcatoris, illam obſtupefaciens, abſque eo quod agat in corpora intermedia, vt in hamum, arundinem, filum, aut chordam ex qua hamus pendet; ergo agit in diſtans. Reſp negando antecedens, immittit enim qualitatem obſtupefacientem per hamum, cordam, & arundinem ad manum, & brachium piſcatoris, cuius euidens ſignum eſt, quod ſi ſtatim ac torpedo apprehendit hamum piſcator ſcindat cordam, aut harumdinē proiciat, non cauſat in manu illum ſtuporem; non cauſat autem illum ſtuporem in hamo, corda, & harundine, quia non ſunt illius capacia, vt manus.

58. Quartum argum. nam corpora cœleſtia producunt mineralia in viſceribus terræ, vbi tamen ea virtus productiua non reperitur, nec pertingit; ergo agunt in diſtans. Antecedens probatur, quia virtus illa productiua mineralium non diffunditur per totum vniuerſum, aliàs per totum vniuerſum deberet ſuum effectum producere, quod eſt falſum. Reſp. negando antecedens, ea namque virtus deſcendit à corporibus cœleſtibus, & diffunditur vſque ad viſcera terræ, quod autem in toto medio non producat minerabilia ideo eſt, quia non vbique eſt materia capax vt patet.

59. Quintum argum. nam calor, & lumen producuntur in gradu intenſiori in parte remotiori, quam in parte viciniori ad agens principale, v. g. ad ſolem; illa namque maior intenſio nequit prouenire à parte viciniori cum in ea non ſit tanta intenſio; abſurdum eſt enim, quod minus intenſũ poſſit reddere aliquid magis intenſum; ergo debet illa maior intenſio prouenire immediatè à principali agente, v.g. à ſole. Confirmat hoc argument. Pontius ſupra *n*.27. quia nihil impedit quominus poſſit agens agere in diſtans quodcumque contentum intra ſphæram ſuæ actiuitatis. Cui confirmationi addo robur ex doctrina Thomiſtarum, quod Angelus poteſt agere intra ſphæram ſuæ actiuitatis in partem remotam, abſque eo quod agat in proximam. Reſp. quod non ſolum maior intenſio poteſt produci in parte diſtanti, quæ non producitur in parte vicina, ſed totalis etiam effectus, vt dicebamus de metallis quæ non producuntur à corporibus cœleſtibus in aere, benè tamen in viſceribus terræ, ex eo quod virtus productiua per totum aerem diffuſa non inuenit materiam diſpoſitam niſi in terræ viſceribus; quare illa maior intenſio caloris non producetur in aere intermedio vel ob reſiſtentiam illius per humiditatem, vel quia cum aer ſit materia rara non apparet tanta intenſio, ſicut in materia denſa, vbi plures partes habent illam intenſionem, & ſic intenſio maior videtur.

§. I. Pro-

§. 1. *Proponitur argumentum de magnete.*

60. HOc argumentum vrgetur ab aduerſarijs contra noſtram concluſionem, nam acus nauticę fricta magnete ita diſponitur vt à ſtella polari adeo diſtanti, non obſtante quorumcumque corporum interpoſitione moueatur ad ſe, & detineatur in certo ſitu. Experientia etiam conſtat, quod ſi ponatur ferrum ſupra menſam, & ſubtus moueatur magnes, ad motum magnetis mouetur ferrum. Alia fortiſſima experientia eſt in ijs qui in quacumque diſtantia ſentiunt ſe commoueri interius quando moriuntur aliqui eorum amici, aut cognati. Et ego noui duos gemelles admodum ſimiles, & ita affectos, quod in quacumq; diſtantia vnus præſentiabat mala, ſeu infirmitatem alterius, imò quando vnus infirmabatur, etiam alter infirmabatur. Nota eſt etiam experientia medicamenti ſymphatici, quod abſentis vulnera ſanat.

61. Quod magnes trahat ferrum, habeatque hanc mirabilem vim, tenent quorquot de rerum naturis, & lapidibus ſcripſerunt Plinius *lib.26.cap.16.& 76.& lib.20.cap.7.* Cicero *lib. 1. de diuinat.* Iulius Solinus *cap.56.* Theophraſtus *de lapidibus.* Conciliator *differentia* 51. Fortunatus Affaitatus de tractu magnetis, Cardinalis Cuſanus, & alij innumeri. Imò quod maiori admiratione dignum videtur, magnes non ſolum ferrum ad ſe conuertit, ſed taliter in aere ſuſpendit, vt ſuam amittat grauitatem, ſeu vt non grauitet; vnde experientia conſtat, quod ſi accipiatur vna libra magnetis, & vna ferri, & vtrumque ſuſpendatur, & in ſtatera ponatur, non niſi vna libra apparebit. Hinc legitur, quod ſimulachrum ferreum Artimes Reginæ Aegypti, Democratis artificio confectum ex magnete in templo erat ſuſpenſum. Et ſolis ſimulachrum ex eodem ferro compactum vi magnetis in aere erat ſuſpenſum, *lib.11. hiſtor.Eccleſ.* & ſcribit Ruffinus. Oppoſitam naturam habet lapis themas, nam iſte ferrum reſpuit, & à ſe abigit, cum magnes alliciat, & pertrahat.

62. Conueniunt communiter quod magnes pertrahat ferrum in genere cauſæ efficientis per virtutem à ſe emiſſam, cuius ſignum eſt, quod non trahat illud in quacumque diſtantia, ſed in certa, & definita. Tum quia experientia comprobatum eſt, quod ſi magnes liniatur ſucco aliorum non amplius ferrum attrahat, quoniam hic ſuccus vt acris, & vehementer calidus diſſipat illius frigidiſſimas vires, vt non amplius attrahat ferrum. Tum etiam quia ſi magnes fuerit paruus oportet vt prius confricetur cū ferro, vt illud pertrahat, nam ex illa cōfricatione effluit ex magnete qualitas, quæ in ferro recepta reddit accommodatum ad motum tractionis, & ſic patet, quod magnes trahit ferrum per virtutem à ſe diffuſam. Sicut lapis themas per virtutem à ſe diffuſam expellit ferrum; & per eandem, vel aliam trahit aurum, & argentum.

63. Maior difficultas eſt à qua virtute magnes vertatur ad polum, nam aliqui dicunt, quod vertatur ad polum ex eo, quod eſt inimicus morus, ſi enim verteretur ad orientem, vel occidentem gyraretur ad gyrum cœlorum, & maiori impetu quam illius natura ſuſtineret, & ſic quærit polum, eumque vt ſuum centrum reſpicit, vt ibi quieſcat, & hoc eſſe poteſt, nam vt obſeruant ſecretorum naturæ curioſi inueſtigatores dantur alij quorū natura eſt vt vertantur ad oriētem, eūque ſemper reſpiciat; & dantur alijs, qui ſemper vertuntur ad occidentem ibique reſpiciant; & alij demum qui vertuntur ad polum antarticum, eumque ſemper reſpiciant. Alij volunt quod ſic vertantur, rapti à quadam virtute exiſtente in illa ſtella polari, quæ vſque ad terram pertingit, ſicut aliæ aſtrorum influentiæ, quæ proportionalis virtus debet eſſe in alia ſimili ſtella in polo antartico. Quod ſi verum eſt quod dentur illi magnetes, qui vertuntur ad orientem, & occidentē, tunc virtus tractiua non poterit eſſe in aliqua ſtella ad eas partes fixa, cum non ſit, ſed ea virtus vel erit in polis eicientibus

bus magnetem à ſe, vt them is eijcit ferrum, vel à propria natura à ſuis aſtris generantibus impreſſa, &c.

64. Quantum ad eos, qui in quacūque diſtantia præſentiunt cognatorū, aut amicorum mala, dico hoc non prouenire ex actione in diſtans, ſed ex quadam conuenientia ſanguinis, vt quando in vno malè ſe habet, & inficitur, inficiatur etiā in alio. Quantum autem ad medicamētum ſympathicum dico prouenire ex effuſione virtutis, cuius ſignum eſt, quod quo magis vulneratus diſtat, ſupra ſanguinem illud medicamētum ponitur, aut in maiori quantitate, aut virtuoſius, per minorem mixtionem temperantium, &c. Scio aliquos recurrere ad determinationem aſtrorum, virtutiſque eorum, quam facit illud v. g. medicamentum ſympathicum, quatenus hic aſtrum determinatum tali modo, influit alibi. Sed de his aliàs vita comite.

§. 2. *Ponuntur alia argumenta de hac materia.*

65. Afferunt nonnulli argumentum de Muſtella, quæ inuita, & reclamans trahitur à Bufone non attracto aere intermedio. Afferunt etiam inſtantiā de Baſiliſco qui ſolo viſu occidit eos, quos videt, imò etiam ſe ipſum occidit ſi ſe ipſum in aqua aſpiciat, licet aliqui hoc putent fabuloſum. Simile tamen quid narrant aliqui ex Plutarcho de quodam iuuene, qui cum ſe in fonte aſpiceret, factus eſt repente deformis. Item faſcinatores ſolis oculis, quos atentius intuētur, necant. Reſp. quod Buffo emittit quandam virtutem attractiuam illius auiculæ, non autem attrahit aerem per quem tranſit, quia non eſt capax. Baſiliſcus emittit qualitates noxas, & venenoſas, quibus occidit, quos de propè videt, qui ex eo aſpectu cōturbatur, & eas magis venenoſas emittit. Quod ſi verum eſt, quòd ſe ipſum interimat ſi ſe intra aquā reſpiciat, ideo erit quia illæ notæ qualitates reflectuntur, ad ipſum Baſiliſcum, & eum necant. Ille iuuenis factus eſt repente deformis à qualitatibus noxis, quę ab eius oculis procedebant, & in faciem reflectebantur. Faſcinatores non omnes enecant, ſed eos, quos ex inuidia, & odio intuentur attentius, quia tunc emittunt ſpiritus infectos, & pernicioſos. Enecant potiſſimè pueros, eo quod timore correpti facilius excitantur humores apti creare morbos in teneris corporibus. Solent etiam faſcinatores laudando faſcinare, vel vt ex ea lætitia dilatentur pori in laudato, & via aperiatur ad nouas qualitates, vel certè ne deprehendentur dum faſcinant. Interdum hæc faſcinatio fit dæmonis arte.

66. Afferri etiam ſolet illud, quod communiter dicitur de Lupo, qui ſi prius videt venatorem, eum raucum reddit, ſecus è contra, nam tunc videtur dari actio indiſtans, cum non poſſit aſſignari ratio illius raucedinis in tanta diſtantia, nec videtur quomodo poſſit ea qualitas tranſire per medium. Reſp: quod tunc re vera lupus emittit illas qualitates exſiccantes fauces ex quo raucedo cauſatur. Ratio autem quare ſi lupus prius videat venatorem cauſet in eum illam raucedinem producendo eoſque ad fauces illas qualitates eſt, vt puto, quia cum lupus videt venatorem excitatur in eo audacia, & iracundè cogitat eum inuadere, & ſic emittit illas qualitates, at quando venator prius videt lupum, & clamat, ſibi lupus timet, & fugam meditatur, ac defēſionem, & ſic non excitat ſpiritus, ſeu qualitates noxas, quæ dictum cauſent effectum.

67. Ad hæc facit, quod imaginatio, quæ reſidet in capite, mouet appetitum reſidentem in corde, ergo tunc datur actio indiſtans, item eadem imaginatio, quæ eſt in capite mouet potentiam locomotiuam, quæ eſt in pede, non mouendo partes intermedias, ergo tunc datur actio indiſtans. Reſpondetur quod imaginatio mouet appetitum proponendo illi obiectum, quod fit illi præſens medijs ſpiritibus, qui ſunt quædam vehicula imaginū. Item medijs iiſdem ſpiritibus mouet potentiam

§. 3. *Ponuntur aliqua de ſympathia, & antipathia pro complemento huius materiæ.*

72. PRæcedenti paragrapho aliqua diximus de ſympathia ad ſoluendum quod non detur actio in diſtans, nunc alia ponenda ſunt; celeberrima eſt illa experientia, qua poſito vno inſtrumēto in vna parte aulæ, & alio ſimili in alia, & tunc dum vna ex chordis vniſonis attemperatis tangitur in vno inſtrumento, alia ſimilis in altero inſtrumento diſtanti ſonum edit. Cœterum ex hoc non colligitur actio in diſtans, ſed hoc oritur ex quadam ſympathia, quod tacta vna corda in iſto inſtrumento aer percuſſus mouet aliam ſimilem, & vniſonam, nō diſſonam in alio, quia cordæ vniſonæ habent ad inuicem proportionem, & ſic aer per vnam percuſſus non percutit diſſonas ſed vniſonam, maximè quia ex percuſſione huius cordę aer reſiliens, & pertingens ad aliud inſtrumentum facilius mouet, & fortius vniſonam, & licet poſſit omnes aliqualiter tangere, & mouere, tamen illa ſola ſentitur, quæ fortius mouetur. Sicut poſt pulſum campanæ aer commotus propter proportionem, quam habet cum campana pulſata eſt ratio vt illa tinniat, quod non contigit in alijs cāpanis propinquis licet etiam ad illas aer agitatus allidat.

73 Ex hac etiam ſympathia explicari poteſt id quod narratur de ijs quos venenato morſu inficit araneus appulus, vulgo phalangies, ſeu tarantula, aut tarantala, hi enim non curantur niſi aſſidua ſaltatione ad certos tybiæ ſonos, & certo colore viſo; color namque ille, & tybiæ ſonus habent quandam proportionem, & ſympathiam cum humore infecto, ita vt mediantibus ſpeciebus ſenſibilibus excitentur ad ſaltationem, vbi nulla eſt actio in diſtans. De veneno etiam huius tarantulæ vulgo narratur, quod tandiu vexet hominem læſum quandiu vixerit tarantula quæ læſit, eaque extincta deficit omnino vis veneni in homine infecto, vnde videtur quod à tarantula abſente venenū conſeruetur. Sed non eſt ſic, data namq; veritate huius rei, de qua videri poſſunt Cardanus *lib. 9. de ſublimi.* Scaliger. *exercit.* 185. *in Cardan.* Mathiol. *lib. 2. in dioſcor. c.* 57. & alij dicendum eſt hoc prouenire non ex actione conſeruatiua in diſtans, ſed ex eo, quod vis veneni eſt determinata quæ tantum extenditur in ſubiecto cui communicata eſt, ac in eo, in quo eſt originaliter, propterea dicunt ſolum venenum ceſſare quando tarantula naturaliter moritur, non quando caſu occiditur.

74. Ex anthipathia autem etiam ſequuntur effectus mirabiles, pono vnum tantum de quo plures agunt etiam ex legiſtis, vt Theſaurus, & alij, quod ſcilicet cadauer occiſi effundat ſanguinem occiſore præſente. Cuius rei rationem eſſe dicunt, quia vehemens odium (niſi enim vehemens, magnumq; odium interceſſerit inter occiſum, & occidentem dicunt non fieri huiuſmodi ſanguinis effuſionem) relinquit in corpore occiſi qualitatē quandam quæ habet antipathiam cū occiſore, à qua deinde, & ab alia qualitate tranſmiſſa ab occiſore præſente dilatantur vulnera, ebullit ſanguis, & exit. Aliqui dicunt hoc fieri aliquando miraculosè ad manifeſtandum occiſorem. Alij dicunt fieri naturaliter, in tribunali tamē Turinenſi, Mediolanenſi, & alijs; non habetur ratio huius effuſionis; non deſunt tamen qui notant, quod huiuſmodi ſanguinis effuſio non ſequatur niſi occiſor accedat ad cadauer intra 24. horas, aut intra ſeptem, vt Marſilius Ficinus, & alij, quia qualitates illæ non poſſunt longo tempore conſeruari.

75. Simili modo explicatur experientia, quod tympanum ex corio lupi compoſitum in hoc loco pulſatum, diſſoluit tympanum ex corio agni confectum in alio loco poſitum, dummodo fragor illius ad hoc pertingat. Imò notat Cardanus *lib. 18. de ſubtilitate*, quod ſi tangatur corium agni, vel nullum, vel exiguū reddit

reddit ſonum in præſentia corij lupi. Et ſi pulſetur tympanum ex corio lupi, & poſtea pulſetur ex corio agni, hoc non reddet ſonum, quia ex corio lupi pulſato tranſmutantur vapores ad corium agni ex quibus corium agni laxetur,& ſonum non reddit. Vel propter improportionem quæ eſt inter illa duo corpora, impeditur ſonus alterius, ſicut impeditur cum in parte inferiori tympani ponitur pannum. Item in cythara, chordæ agninæ franguntur, ſi iungatur lupinis, ob rationes dictas.

DVBIVM VI.

Quomodo agens agat.

76. IN hoc dubio duas explicabimus difficultates. Prima eſt,an agens agat in totam ſphæram ſuæ actiuitatis,& per virtutem quam habet in ſe, an verò in partibus remotis eiuſdem ſphæræ agat ſolum per virtutem transfuſam in medio. Secunda, an agens naturale agat vniformiter difformiter. Quantum ad primam, nomine ſphæræ actiuitatis intelligimus illud ſpatium intra quod agens agere poteſt, & extra illud non poteſt, quod ſpatium, quia communiter eſt circulare, & ſphæricum,cum agens æqualiter agat ex omni parte quantum eſt de ſe, ideo ſphæra actiuitatis appellatur.Ratio difficultatis eſt, quia ſi agens per virtutem ſibi intrinſecam ageret immediatè in partibus remotis, ageret in paſſum diſtans, & cui non eſſet immediatum, neque immediatione ſuppoſiti, neq; immediatione virtutis, quod dubio præcedenti improbauimus.

77. Suppoſitis ijs, quæ diximus dubio præcedenti, dico quod *Agens principale prius agit in partem proximiorem, deinde in ſequentem, vſque ad vltimam; & etiam medium per virtutem receptam à principali agente concurrit ad actionem*. Quod agens principale prius agat in partem proximiorem quam in remotam, conſtat, nam aliàs ageret in diſtans non agendo per medium hoc neceſſariò fatendum eſt in actione coniuncta cum motu ſucceſſiuo. In actionibus autem coniunctis cum motibus inſtantanis, vt eſt illuminatio, tunc agens non agit prius ſaltem tempore (quicquid ſit de prioritate naturæ) in vnam partem quam in aliam, ſed ſimul in omnes agit, quæ ſunt intra ſphæram actiuitatis, cum non ſit maior ratio de vna quam de alia, nec detur tunc aliquid retardans cum res fiat in inſtanti,& ſic ſol ſimul illuminat totum aerem, non prius vnam partem, poſtea aliam.

78. Quod autem medium etiam concurrat per virtutem receptam à principali agente ad hoc, vt agens prius agat in partem vicinam quam in diſtantem, conſtat, quia iam medium habet in ſe virtutem actiuam principalis agentis, ergo per eam debet agere, vnde Ariſtotil. 1. *de gener. tex.* 78. explicans quomodo ignis non calefaciat rem abſentem dicit hoc ideo eſſe, quia prius calefacit aerem vicinum, aer autem calefacit alia corpora diſtantia ab igne, idem habet 2. *de anima tex.* 73. *& hoc lib.7. phyſ. tex.* 12. & alibi. Ratio conſtat manifeſta experientia, nam ſi quis ante os fornacis calefaciat ſe, & ſtatim idem os fornacis claudatur, adhuc calefit ab illo aere calido, nec eſt probabile,quod calor in aere ſtatim deſtruatur clauſo ore fornacis.

79. Quantum ad ſecundam difficultatem, num agens naturale agat vniformiter difformiter, noto quod agere vniformiter difformiter eſt agere minus in parte remotiori, quam in proximiori, cum quadam tamen vniformitate, & proportione vt ignis in parte proximiori producat calorem vt ſeptem, in ſequenti vt ſex, in alia vt quinque, & ſic proportione ſeruata, donec calor deueniat vſque ad vltimum gradum, & vltimam partem illius. Et ſic reſpondendo ad difficultatem dico, quod *agens naturale inæqualiter applicatum paſſo*,

ſo, agit vniformiter difformiter. Concluſio intelligitur de agentibus naturalibus agentibus per motum, & producentibus accidentia, non de producentibus formas ſubſtantiales, quæ non ſuſcipiunt magis, & minus. Currit etiam de producentibus accidentia non habentia contraria retardantia, vt eſt lux; nam licet illuminatio fiat in inſtanti, tamen quia lux ſuſcipit magis, & minus, & quanto recedit à principio illuminante, tanto fit minor, ideo etiam ſol illuminat vniformiter difformiter, vt patet experientia; experimur namque plus luminis eſſe in parte propinquiori, & propinquiori ad ſuum luminoſum, & minus in parte remotiori, vnde magis accedimus ad lucernam, vt legamus librum, quem diſtantem legere non poteramus: Et quo magis diſtamus ab igne minus caloris percipimus; ex quibus euidenter colligimus, quod agens naturale agit vniformiter difformiter. Tum quia agentia corporea ad agendum requirunt contactum vel ſuppoſiti, vel ſaltem virtutis; ergo quo perfectior erit contactus, eo perfectior erit actio; ſed contactus eſt perfectior in parte proximiori, quam in remotiori, ergo actio erit perfectior in paſſo proximiori, quam in remotiori, & ſic actio erit vniformiter, difformiter producta.

DISPV-

Digitized by Google

3. Ex qua definitione creationis deſumitur definitio creaturæ, ſcilicet creatura *eſt ens ab alio ex nihilo*. In hac definitione cõtinetur triplex via deueniendi in cognitionem Dei ex creaturis,quam tradunt cõmuniter Philoſophi, & Theologi ex D. Dionyſio,& eſt via eminentiæ,negationis, & cauſalitatis. Quatenus enim creatura dicitur *ens*, quod denotat perfectionem, cognoſcimus Deum via eminentiæ, dum quidquid eſt perfectionis in creaturis, Deo tribuitur. Quatenus creatura eſt *ex nihilo*, dicit imperfectionem, & defectum, quem cum à Deo remouemus, dicimur accedere ad Dei notitiam per negationem. Quatenus autem creatura eſt *ab alio*, ſignificatur efficientia per quam ad Dei cognitionem pertingimus.

4. Cœterum pro intelligentia dictorum, & dicendorum ſciendum, quod vt notauit Toletus *hic q*.1. Philoſophi Gentiles in quatuor conueniebant nobiſcum de his quæ ſecundum fidem fatemur. Primò fatebantur, quod ab æterno aliquid fuit, quia ſi nihil ab æterno fuiſſet, nihil poſtea factum fuiſſet, cum nihil faciat, nec facere poſsit. Secundò fatebantur, quod ab æterno fuit cauſa efficiens, nam ſi ponatur motus ab æterno, etiam motor debet eſſe ab æterno; quod ſi motus incæpit, ad illũ debuit præexiſtere motor ante tempus, quod incipit cum motu, ac proinde ab æterno; quod enim eſt ante tempus, eſt in æternitate. Tertiò fatebantur, quod non omnia quæ facta ſunt, debent in æternum deſtrui, nam mundum fatebantur duraturum in ęternum, quod etiam fatemur nos, licet non cum motibus, & generationibus. Quartò fatebantur mundum eſſe factum, vt Anaxagoras, Democritus, Empedocles, Meliſsus. Ariſtoteles autem omnium primus ſecundum aliquos, mundum ingenitum, & æternum fecit, vt de ſe ipſemet dicit 1. *de cælo tex.* 102. At ipſomet Deo mundum fuiſſe factum vna cum tempore docuit Plato *in Timæo*, & in æternum duraturum. Anaxagoras dixit factum fuiſſe à mente, per mentem autem Deum intelligebat, & quod iſta mens præceſsit mundi productionem infinito ante tempore, & poſtea illum fecit.

5. Differebant autem tum à nobis, tum inter ſe; nam aliqui dicebant, quod non ſolùm cauſa efficiens fuit ab ęterno, ſed etiam aliquid aliud; Anaxagoras namque ponebat ab æterno Chaos, & materiã primam, ex quibus mundus productus eſt. Democritus poſuit ab æterno athomos, ex quibus alia compacta ſunt in tempore. Empedocles, & alij elementa poſuit ab æterno. Alij vt idem Empedocles poſuit ab æterno mundos infinitos fuiſſe genitos, vnum poſt alium. Noto tamen quod licet Ariſtoteles dicat loco dicto ſe fuiſſe primum, qui poſuit mundum ab æterno ingenitum, aliqui tamen putant quod in hac re fuerit varius. Alij etiam volunt quod Ariſtoteles putauit mundum fuiſſe à Deo productum, licet ab æterno non fuiſſe propriè ingenitum, & quod ſolùm hoc voluit loco citato de cęlo, vide n.8.

6. De hac re promo quod ſentio. Notando tamen prius, quod mundus tam ſecundum Philoſophos, quam Theologos, eſt quintuplex, ſcilicet mundus Architypus, ſeu intelligibilis, & eſt diuina eſſentia, diuinusve intellectus in quo omnium rerum faciendarum exemplaria relucent de quo mundo architypo dicit S. P. Aug. lib.83.qq. *Singula igitur proprijs ſunt creata rationibus, has autem vbi arbitrandũ eſt eſſe niſi in mente diuina.* Vnde idem Sanctiſſimus, & doctiſſimus Pater 1. *retract. cap*.3. definit mundum Architypum quod ſit. *Ratio ſempiterna, & incommunicabilis, qua fecit Deus mundum*. Secundus mundus eſt Angelicus, qui ex triplici conſtat hierarchia, & nouem choris. Tertius eſt Elementaris, & eſt compages ex quatuor elementis, & cœlis; ſæpe namque Ariſtoteles vocat cælũ elementum, vt 3. *de cęlo cap*.1. *&* 1. *meteor. cap*. 3. *& initio libri de coloribus*. Quartus eſt mundus magnus, qui eſt tota creaturarum collectio. Quintus eſt mundus paruus, & eſt homo, mundus appellatus, eo quod in ſe veluti ſummam contineat omnium creaturarum, vt obſeruauit Trimegiſtus *in Pymandro*, & Magnus Gregor. hom.29. dicens. *Omnis creatura aliquid habet homo*. Et S. P. Aug. in

libro ad Oroſium contra Priſcilianiſtas cap. 8. dicit. *Nullum eſt creaturæ genus, quod non in homine poſſit agnoſci, ac ſic omnis creatura in eo ingenuiſcit, &c.* Hoc loco ſermo eſt de mundo magno, & in 4. ſignificatione, qui ab Ariſtotele lib. de mundo definitur. *Compages à cælo, terraque coagmentata, atque ex ÿs naturis, quæ intra eam continentur.* Vel clarius. *Mundus eſt ordo, & digeſtio vniuerſorum, quæ à Deo ſunt, & per Deum conſeruantur.* His poſitis.

7. Dico 1. certum eſſe ex ſententia Ariſtotelis dari vnum primum principium primumque motorem immobilem, & incorporeum, qui ſui ipſius contemplatione eſt beatus, ſic colligitur ex hoc libro, & ex 12. *metaph.* 2. Certum eſt in doctrina eiuſdem Ariſtotelis, dari ſubſtantias immateriales, omnino immobiles, & intranſmutabiles, ipſius Dei contemplatione beatas ex 1. *de cęlo cap.* 9. Tertiò certum eſt in eiuſdem Ariſtotelis doctrina, quam ſæpè repetit *in lib. de cęlo*, quod cæleſtia corpora ſunt incorruptibilia, & ſolùm motu locali tranſmutari poſſunt. Quartò in eius doctrina nõ ſolùm eſt certum omnia corruptibilia eſſe efficienter à Deo, ſed quod etiam illorum generationes pẽdent à corporibus cæleſtibus, vt habetur 2. phyſ. c. 2. *Sol, & homo generant hominem*, imò quod etiam pendent omnia inferiora in ſuo cõſeruari à cauſis ſuperioribus, vt docet 1. meteor. 2. dicens, *Oportet inferiores lationes à ſuperioribus gubernari, &c.*

8. Modo dubium eſt, an mundus in 4. acceptione fuerit ex mente Ariſtotelis ab æterno ingenitus, an fuerit à Deo efficienter productus. Dico quod ſecundũ mentem Ariſtotelis hoc libro, & alibi, *mundus fuit quidem ab æterno, ſed non ingenitus, & improductus, ſed productus, & à Deo factus.* Ita oſtendit D. Thomas 8. *phyſ. lect.* 2. vbi ſic dicit. *Sicut ergo ſi intelligamus rerum productionem eſſe à Deo ab ęterno, ſicut Ariſtoteles poſuit, & plures Platonicorũ, non eſt neceſſarium, imò impoſſibile, quod huic vniuerſali productioni aliquod ſubiectũ non productum præintelligatur, &c.* Idem tenent communiter Philoſophi hoc loco, & hoc demonſtratur 1. quia 1. *Polit.* docet omnia fuiſſe facta propter hominẽ. 2. quia 2. *Rhetor. ad Theod.* dicit, Dœmones eſſe opus Dei. 3. quia Ariſt. *lib. de mundo* poſt traditam definitionem mundi magni *nu.* 6. dicit quod Deus in mundo eſt, quod in naui gubernator, quod in curru agitator, quod in choro præcentor, quod lex in ciuitate, quod dux in exercitu. Quod ſi aliquando dicat mundum fuiſſe ab ęterno ingenitum, & improductum, loquitur de generatione propriè dicta, quæ fit ex ſubiecta materia, ſeu ex præexiſtente ſubiecto quod vt dicit D. Thomas in teſtimonio allegato eſt impoſſibile in illa vniuerſali productione, & reſpectu primi agentis.

9. Sed dices 1. nam Ariſtoteles poſuit materiam ingenerabilem, & incorruptibilem 1. *phyſ.* ergo materia non fuit à Deo producta, & idem de toto mundo magno. Tum quia in eodem libro docet tria eſſe principia rerum omnium, inter quæ vnum eſt priuatio, quam non poſſunt habere res ſpirituales, & incorruptibiles. Reſp. quod Ariſtoteles non loquitur de generatione, ſeu productione rei in communi, & reſpectu primi agentis, ſed de generatione particulari, & reſpectu agentium particularium.

10. Dices 2. quod ſubſtantiæ ſpirituales, & incorruptibiles non poſſunt fieri niſi per creationem, ſed Ariſtoteles non agnouit creationem; cum putauerit quod ex nihilo nihil fiat; ergo, &c. Reſp. quod ſuppoſito quod Ariſtoteles poſuerit mundum ab æterno productum, vt diximus cũ D. Thoma *n.* 8. & tunc non potuerit fieri ex aliquo ſuppoſito ſubiecto, oportet dicere quod putauerit factum ex nihilo, ac proinde creatum; & ſic reſpectu agentis particularis, ex nihilo nihil fit, benè tamen ab agente vniuerſali, & primo, de quo poſtea.

11. Dices 3. quæ habent cauſam efficientem poſſunt non eſſe, ſed ſempiterna per Ariſtotelem non poſſunt non eſſe, ergo non habent cauſam efficientem. Reſp. quod ſempiterna, vt intelligentiæ, non poſſunt non eſſe à principio intrinſeco cõcedimus, à principio extrinſeco, negamus: A principio intrinſeco non poſſunt non eſſe,

eſſe, quia non habent in ſe principium corruptionis, cum nec habeant materiam primam, quæ eſt principium corruptionis, nec habent accidentia contraria. Poſſunt tamen non eſſe à principio extrinſeco, ſcilicet à Deo, à quo habent eſſe.

DVBIVM II.

An creatio naturali lumine cognoſci poſſit.

11. CVm certum ſit ſecundum fidem mundum fuiſſe in principio tẽporis à Deo creatum, & non ab æterno, vt plerique antiquorum Philoſophorum putarunt, quærendi locus datur, an creatio naturali lumine cognoſci poſſit. Prima ſententia tribuitur antiquis Philoſophis, qui tanquam indubitatum poſuere illud principium *Ex nihilo nihil fit*, vt patet 1. *phyſ. tex.* 33. & 34. quibus eodem loco videtur ſubſcribere Ariſtoteles, quod argumentum multis proſequuntur Pererius *lib.* 5. *cap.* 7. Conimbric. hoc loco. Suar. *diſp.* 20. *metaph. ſect.* 1. *n.* 17. & alij. Illi enim antiqui putarunt ſaltem materiam primam eſſe ingenitam. Vnde non ſolùm hæretici, ſed etiam Philoſophi, & Theologi aliqui in ea fuerunt ſententia, vt putarint non poſſe oſtendi lumine naturali dari creationem, ſed ſola fide teneri dari, & eſſe poſsibilem.

12. Noſtra ſententia ſeq. concl. explicatur. Lumine naturali oſtendi poteſt creationem ex nihilo eſſe poſsibilem, & de facto fuiſſe. Ita in primis docet D. Thom. *in* 2. *diſt.* 1. *art.* 3. & 2. *contra gent. cap.* 16. & 1. *p. q.* 44. & 45. & *de potent. q.* 3. *art.* 1. & 5. Alenſ. 2. *p. q.* 6. *art.* 6. Henric. *quodlib.* 8. *q.* 6. Scot. *quodlib.* 7. & alij communiter, quæ ſententia multis rationibus probari ſolet, quæ ſatis efficaces ſunt, & multæ congruentes, & eas afferam, quæ neceſsitatem habere videntur.

13. Prima ratio, accipiendo ab antiquis quod ipſi conceſſerunt, quod ſcilicet ea quæ fiunt, & facta ſunt ex aliqua materia facta ſunt; nam vel ea materia eſt producta, aut facta ab alio, vel non. Si eſt facta; ergo neceſſariò facta eſt ex nihilo, non enim ipſa eſt compoſita ex materia, & forma, vt dici poſſit facta ex alia materia, vt optimè probat Ariſt. 1. *phyſ. in fine.* Imò etiamſi materia eſſet facta ex alia materia, adhuc de illa priori poſſet fieri idẽ argumentum; & ſic deueniendum eſt ad vnam, quæ non eſt facta ex alia materia. Si autem dicunt materiam primam non eſſe factam, ſicut dixiſſe videntur, & tunc vel hoc dicunt, quia nulla prorſus materia eſt ab alio dependens tanquam à cauſa efficiente, & ſic materia eſſet à ſe ipſa, quod eſt ſolius Dei proprium. Hunc enim conceptum cõmunem habemus de vero Deo quod ſit à ſe ipſo, & non ab alio, cum ipſe ſit primum omnium principium, quod etiam cognouit Ariſt. 12. *metaph.* & alibi. Vnde D. Thomas 1. *p. q.* 46. *art.* 2. *ad* 1. dicit hunc eſſe errorem intolerabilem. Et D. Aug. 11. *de ciuit. cap.* 4. dicit inſaniam eſſe aſſerere aliquam creaturam, etiamſi eſſet æterna, non tamen eſſe productam à Deo. Cum ergo certum ſit materiam primam tam ſecundum hos philoſophos, quam ſecundum rationes naturales euidentes non eſſe Deum, certum omninò erit eam dependere à Deo tanquam à cauſa producente. Si ergo materia producta eſt à Deo ſiue in tempore, ſiue ab æterno, ex nihilo producta eſt; & idem prorſus argumentandi modus eſt de reliquis creaturis incorruptibilibus, vt ſunt cæli, intelligentiæ, & animæ rationales. Cum enim hæ creaturæ non ſint Deus, vt etiam ab Ariſtotele demonſtratur hoc libro, ſequitur quod ſint à Deo productæ, & conſequenter ex nihilo.

14 Secunda ratio, quoniam omnis creatura eſt in ſe limitatæ perfectionis, vt conſtat ex dictis ſupra, & concedit Ariſtoteles, & ex ſingulis colligi poteſt; ergo nulla habet eſſe ex ſe. Conſeq. probatur, quia ſi haberet eſſe omnino à ſe, haberet in ſe omne eſſe poſſibile vel formaliter, vel eminenter. Ideo namque Deus eſt illimitatus in ſua perfectione, quia habet eſſe omnino à ſe, & non participatum ab alio; ergo ſi creaturæ habent eſſe participatum ab alio, ſequitur quod habeant tale

tale eſſe ex nihilo fui, & conſequenter quod fuerunt per creationem productæ.

15. Tertia ratio, nam ſi Deus non poſſet creare, neque etiam poſſet quicquam facere, neque ab alio poſſet quicquam fieri, & ſic nullum poſſet eſſe ens præter Deum, ſed hoc eſt abſurdum cum conſtet tot entia eſſe; ergo, &c. Sequela probatur, nam conſideramus Deum in illo priori in quo ſecundum ſuum eſſe præcedit omnes creaturas, in quo priori nullam adhuc intelligimus creaturam; ſi in alio ſigno intelligamus creaturas iam factas, & eſſe independentes à Deo, tunc peto ex quonam factæ ſint? non quidem ex aliquo, quia illud aliud eſſet creatura, nos autem loquimur de tota creaturarum vniuerſalitate, ergo ex nihilo; non enim dici poſſunt factæ ex ſubſtantia diuina tanquam ex ſubiecto, hoc enim impium eſſet, & inſanum, quia tūc Deus poneretur materia, & mutabilis, cum ſit omnino immutabilis, ac proinde non poteſt recipere in ſe aliquam formam, ac proinde non poſſunt creaturæ eſſe compoſitæ ex ſubſtantia diuina tanquam ex ſubiecto. Vnde patet quod ſi negetur creatio ſaltē primorum entium, quæ ſupponuntur ad generationes, nihil eſſet præter Deum. Hæc omnia in eo principio ſunt fundata, quod quicquid eſt præter Deum, ab eo debet recipere eſſe, & conſequenter debet eſſe ex nihilo.

15. Quarta ratio, nam Deus in ſuo eſſe eſt omnino independens ab alio, cum ſit primum ens, abſolutum ſimpliciter; ergo etiam in ſuo operari debet eſſe omnino independens, modus enim operandi eſt conformis, & ſequitur modum eſſendi; ergo non eſt neceſſe quod in ſua operatione dependeat à ſubiecto; ergo poterit Deus creare; creare namque eſt operari independenter ab omni ſubiecto, cum ſit producere ex non ſubiecto.

16. Confirmant rationes factas multa dicta Sanctorum Patrum. Sanctus P. Aug. 11. de ciuit. cap. 4. Sic habet. *Exceptis enim propheticis vocibus, mundus ipſe ordinatiſſima ſua mutabilitate, & mobilitate, & viſibilium omnium pulcherrima ſpecie quodammodo tacitus, & factum ſe eſſe, & non niſi à Deo, ineffabiliter, atque inuiſibiliter magno, et ineffabiliter pulchro fieri ſe potuiſſe proclamat.* N. S. P. Gregor. Nazian. orat. 2. de Theologia hæc dicit. *Etenim quod Deus ſit, ac princeps quadam cauſa rerum omnium procreatrix, et conſeruatrix, tum oculi ipſi, tum lex naturalis docet: illi dum rebus in aſpectum cadentibus aciem affigunt. Hæc autem dum per res oculis ſubiectas, præclarèque conſtitutas, auctorem earum coniectura quadam colligit, atque aſſequitur.* Et paucis interiectis, pulcherrima quadam ſimilitudine à cithara, & à citharedo, deſumpta, rem demonſtrat. D. Athanaſius lib. contra Gent. non multum ab initio ſic ſcribit. *Nam cum oculi idcirco dati ſunt corpori vt per eos intueamur creaturam, ac per huiuſmodi mirabilem armoniam, agonſcamus opificem.* Et quibuſdam interiectis ſubdit. *Quodnam verò erit eſſentiæ boni Dei documentum, ſi non ſint eius opera per quæ poſſit agnoſci.* Et verſus finem ſic dicit. *Deus creaturam verbo ſuo ita diſtinxit, atque compoſuit, vt quia ille eſt natura inuiſibilis, vel ex operibus agnoſci mortalibus poſſet. Sæpè enim artifex ex operibus etiam cum non videtur, agnoſcitur.* Euſebius lib. 7. de præparat. Euangel. cap. 2. dicit. *A' magnitudine, atque pulchritudine creaturarum, puritate mētis creatorem omnium immortalem cognouerunt.*

17. Rem hanc eleganti certè modo, quadam vtens pulcherrima proſopopeya Regius Vates pſal. 18. deſcribit dicens. *Cæli enarrant gloriam Dei, et opera manuum eius annunciat firmamentum, etc.* vſque ad illa verba. *Nec eſt qui ſe abſcondat à calore eius.* Et ſpal. 148. quaſi duplicem creaturarum chorum conſtruens, viſibiliū ſcilicèt, & inuiſibilium, omnes inuitat vt cum iubilo, & celebritate Deum laudent vniuerſorum. Laudent non vocibus, ſed Angeli intellectu, & affectu, ſuiſque operationibus; at corpora cæleſtia, tum ſua mirabili ſubſtantia, tum perenni conuerſione, tum ſinguli efficacia ſuarum influētiarum, tum amplitudine maxima, præclaris effectibus, motu conformi, luce, & cla-

claritate pulcherrima, qualitatibus beneficis, obſequio promptiſſimo, &c. Et horum rationem reddēs pſalmiſta dicit, *quia ipſe dixit, et facta ſunt, ipſe mandauit, et creata ſunt.*

18. Hinc Apoſt. Roman. intulit. *Inuiſibilia Dei per ea quæ facta ſunt intellecta conſpiciuntur,* &c. Et Iob 36. dicit. *Omnes homines vident eum, et vnuſquiſque intuetur procul,* ideſt per creaturas, quæ ita procul diſtant, vt infinitè diſtent à Dei perfectione. Et cap. 12. dicitur. *Interroga iumenta, et docebunt te: et volatilia cæli, et indicabunt tibi. Loquere terræ, et reſpondebit tibi, et narrabunt piſces maris. Quis ignorat quod omnia hæc manus Dei fecit?* Et ſapientiæ 13. legitur. *De magnitudine enim ſpeciei, et creaturæ cognoſcibiliter poterit Creator horum videri.* Soluuntur argum. in contrarium.

19. Primum argum. nā antiqui Philoſophi tanquam indubitatum poſuerunt illud principium. *Ex nihilo nihil fit*; ergo creatio naturaliter cognoſci non poteſt. Conſeq. probatur, nam ſi creatio naturaliter cognoſci poteſt, non intuliſſent Philoſophi illud principium, quod ex nihilo nihil fit, cum creatio fiat ex nihilo. Reſp. quod re vera multi ex antiquis Philoſophis cognouerunt creationem, vt docent Conimbric. hoc loco ex D. Aug. ex D. Iuſtino Martyre, ex Lactantio, & alijs. Videri poteſt Eugubinus *lib.* 3. de perenni Philoſophia cap. 4. Vnde illud principium. *Ex nihilo nihil fit*, fuit à multis vſurpatum in ordine ad caſos naturales, quas inductione conſtat; ex nihilo nihil facere. Quantum ad Ariſtotelem iam diximus cum D. Thoma, & alijs quod eam cognouit, quod expreſſe docet 2. de ortu cap. 10. dicens. *Ob eam cauſam Deus eo modo quo reliquus erat perpetuam rerū originem fabricatus, vniuerſum omnibus ſuis numeris expleuit.* Colligitur apertè ex hoc lib. 8. & ſæpè in metaph. docens non eſſe progreſsum in infinitum in cauſis, ſed deueniendum eſſe ad primam, à qua cætera pendent.

20. Secundum argum. Non poteſt cognoſci poſsibilitas creationis niſi cognoſcatur quod Deus eſt agens liberum, nam ſi Deus eſſet agens neceſſarium, oporteret dicere quod res incorruptibiles eſſēt æternæ, & ita non creatæ, nullum enim ens neceſſarium poteſt creare, cum hæc ſit actio libera; ſed lumine naturæ nō poteſt oſtendi quod Deus ſit agens liberum, ergo neque creatio oſtendi poterit. Reſp. quod quoties duo ſunt ad inuicem connexa, vt vnum nequeat eſſe ſine alio, ſufficit ſi vnum ex illis cognoſcatur tunc enim aliud alioquin nobis ignotū per neceſſariam ſequelam inferri poteſt. Cum ergo hæc duo ſint neceſſariò connexa etiā lumine naturæ, ſcilicet Dei libertas, & poſsibilitas creationis; non erit neceſſe prius cognoſcere Deum eſſe liberum, & poſtea creationem eſſe poſsibilē, ſed ſufficit quod cognoſcatur poſsibilitas creationis, & poſtea facilè inferri poteſt libertas Dei, cum hæc ex illo inferatur. Sicuti ſi eſſet ignotum alicui aliquid eſſe animal, & moueri motu progreſſiuo, tunc ſi deprehendat aliqua ratione, moueri motu progreſſiuo, ſtatim inferet quod eſt animal. Addo quod etiam præſcindendo à creatione adhuc cognoſci poteſt quod Deus ſit agens liberum. Cum enim libertas in homine v. g. ſit maximum bonum, reperiri debet in Deo, cum ex ſe nullam dicat imperfectionem.

21. Tertium argum. quia ad creandum requiritur virtus infinita, ſed non poteſt euidenter oſtendi Deum eſſe virtutis infinitæ; ergo neque poſſe creare. Reſp. eodem modo vt ad præcedens, nam ſi ſemel ad creandum requiritur virtus infinita, vt de facto requiritur, ſequitur, quod ſi naturaliter cognoſcimus Deum poſſe creare, ita conſequenter cognoſcetur eſſe virtutis infinitæ. Imò nil magis congruum eſt, & dignum maieſtate diuina, quam eſſe virtutis infinitæ.

22. Quartum argum. Nulla potentia paſſiua poteſt aliquid recipere ſine actiua, quoniam nihil poteſt pati niſi ab agente; ergo è contra nulla potentia actiua poterit quicquam facere ſine paſſiua: ſed ſi daretur creatio ex nihilo potentia actiua aliquid faceret ſine paſsiua; ergo

non poteſt naturaliter cognoſci poſsibilitas talis creationis, vbi detur potentia actiua ſine paſsiua. Reſp. concedendo antecedens, & negando conſeq. Ratio diſcriminis eſt, quia potentia paſsiua in ſuo conceptu dicit imperfectionem, & limitationem,& ſic nihil poteſt recipere niſi à producente. At virtus actiua in ſuo conceptu non dicit imperfectionem, ſed perfectionem; & licet virtus actiua creata ob aliquem defectum nequeat aliquid efficere ſine potentia paſsiua, at virtus, ſeu potentia increata ratione ſuæ infinitatis poteſt agere in non potentiam,ſeu in non ſubiectum.

23. Quintum argum. nam ſi daretur creatio, eſſet aliqua actio, & productio rei ex nihilo; ergo deberet recipi in aliquo ſubiecto, non enim poſſet eſſe per ſe ſubſiſtens, ſicuti motus non poteſt eſſe ſine mobili, ſed hoc ſubiectum non poteſt eſſe ipſe terminus creationis, ſubiectum enim eſt prius ijs, quæ ſunt in ſubiecto, at terminus eſt poſterior actione, ac proinde actio deberet habere aliud ſubiectum præeſiſtens, & conſequenter non erit productio ex nihilo. Reſp. quod creatio non eſt actio diſtincta realiter ab ipſa creatura, ſed eſt ipſamet creatura vt intelligitur eſſe ex vi, ſeu ex voluntate agentis, nempe Dei; Deus namque non agit ad extra per actionem realiter tranſeuntem, ſed virtualiter tantum,& ſic actio Dei virtualiter tranſiens eſt ipſa creatura, & ſic non eſt neceſſe vt habeat ſubiectum, ſed eſt ipſamet creatura in recto in obliquo tamen, & connotatiuè. Dicit virtutem Dei, ſeu diuinam omnipotentiam practicā, quæ eſt quaſi ad opus applicata per diuinū velle. An autem creatio poſſit dici mutatio, dico poſſe dici mutationē latè quatenus dicit eſſe productionem rei de nouo, ſeu de non eſſe, ad eſſe.

24. Sextum argum. Si aliquid fieret ex nihilo, ac proinde ſi daretur creatio, daretur tranſitus infinitus; ſed iſte implicat, ergo, &c. Minor conſtat. Maior probatur, nam *nihil* infinitè diſtat ab ente, hic autem tranſitus eſſet ex nihilo in ens, trāſitus autem infinitus, & ſi daretur, non eſſet naturaliter cognoſcibilis. Reſp. non poſſe verè dici, & propriè, quod ens infinitè diſtat à nihilo ſe, quia nihil, nihil eſt, & ita non poteſt fieri comparatio illius ad ens. Si tamen aliqua comparatio fieri poteſt, dici debet, quod ens tantum diſtat à nihilo, quantum ipſum eſt in ſe; quare ſi eſſet ens infinitæ perfectionis poſſet dici infinitè diſtare à nihilo ſui minus finitè. Sicut non poteſt dici, quod linea palmaris ſit infinitè longior puncto, aut non linea, & quod plenum reſiſtat infinitè vacuo, &c. propter eandem rationem, quia non eſt comparatio inter punctum, & lineam, & inter vacuum,& plenum. Poteſt tamen ens infinitè diſtare à nihilo nō poſitiuè, ſed negatiuè, quatenus quodlibet ens non diſtat à nihilo per aliquos fines, & terminos, hic autem tranſitus eſt naturaliter cognoſcibilis.

25. Septimum argum. nam ſi nunc res eſt, & prius non erat, ergo prius erat in potentia ad eſſe, & ſic tranſit de potentia ad actum, ſed hoc modo non eſt facta ex nihilo, ſed ex ſua potentia. Reſp. quod nunc eſt, & prius non erat, debet tranſire de potentia ad actum vel actiua, vel paſſiua, in caſu creationis res non tranſit de potentia paſſiua ad actum, ſed de potentia actiua.

26. Octauum argum. nam annihilatio non poteſt cognoſci lumine naturali, ergo neque creatio. Reſp. negando antecedens, qui enim cognoſcit creationem, poteſt etiam cognoſcere annihilationem qui cognoſcit quod Deus poteſt *ex nihilo* facere aliquid, cognoſcere *etiam* poteſt quod poteſt res in nihilum *redigere*, qui cognoſcit quod Deus creat, & conſeruat, poteſt cognoſcere quod poteſt à conſeruatione ceſſare, & tunc res annihilabitur, & ad primum ſuum non eſſe reuertetur. Certè non leuis defectus eſſet in prima cauſa, ſi quod facit, non poſſet deſtruere, &c.

DV-

DVBIVM III.

An mundus de facto fuerit ab æterno conditus.

27. PRima ſententia fuit Ariſtotelis, qui conatur hoc libro oſtendere mundum fuiſse ab æterno conditum, vt vidimus dub. præcedenti, non ingenitum, & improductum, vt aliqui putant. Ariſtotelem ſequuti ſunt antiquiores interpretes vt Simplicius, Auicenna, Auerroes, & alij qui fidem catholicam non tenuerunt.

28. Veritas Catholica ſeq. concl. explicatur. *De facto mundus non fuit ab æterno conditus, ſed in tempore productus.* Pro hac concl. citantur ex Philoſophis antiquis Mercurius Trimegiſtus, Muſeus, Linus, Orpheus, Heſiodus, Homerus, Zoroaſtes, Anaxagoras, Meliſſus, Empedocles, Phericides Sirus, Zareta Chaldeus, Philolaus, Democritus, & alij apud Eugubinum *lib. 7. perennis philoſophiæ.* Huius etiã ſententiæ fuit Plato *in Timæo in Critia*, & in alijs locis, & Cicero *in q. Tuſcul.* Philo Iudæus, Laertius in vita Platonis, Plutarchus, Atticus, & alij, teſtantur ſic ſenſiſſe Platonem. Volebat namque Plato tria eſse principia infecta, ſcilicet Deum, materiam, & ideam, & quod ex iſtis tribus in tempore mundus ſit conditus. Conſtat hæc concluſio ex illo Gen. 1. *In principio creauit Deus cælum, & terram, &c.* In principio ſcilicet temporis. Et prouer. 8. dicitur. *Antequam quidquam faceret à principio.* Et hæc veritas definita eſt in diuerſis Concilijs, & maximè *in Later. 1. 2. & 3. ſub Leone X.* vbi propterea *ſeſſ. 8.* ordinatur, quod quoties in Philoſophis antiquis aliquæ ſententiæ ſe ſe offerunt contra fidem, tenemur eas profligare, veritatemque fidei declarare, & illorum argumentis ſatisfacere. Quocirca huic ordinationi parentes, ſententiam Ariſtotelis de æternitate mundi profligabimus, vt noſtram fidem doceamus. Et quamuis rem hanc cum ſit res fidei, demonſtrare non poſſimus, aliquas tamen rationes adducemus, quæ noſtram ſuadeant concluſionem.

29. Prima ratio, quoniam illud aſſerere debemus per quod magis Dei perfectio, & libertas oſtenditur, ſed magis oſtẽditur Dei perfectio ex creatione mundi in tempore, quam ſi eum creaſset in æternitate; ergo dicendum eſt Deum creaſſe mundum in tempore. Maior conſtat, cũ enim Deus ſit infinitè perfectus, illud de eo debet affirmari, & aſſeri, quod in maiorem cedit Dei perfectionem, & magis eius oſtendit libertatem. Minor probatur ex modo loquendi Sacræ Scripturæ, pſal. 101. dicitur. *Initio tu Domine terram fundaſti, & opera manuum tuarum ſunt cæli*, vbi videtur Deus laudari quia initio terram fundauerit. Et hoc videtur exagerari Io. 1. dum dicitur. *Omnia per ipſum facta ſunt. Et mundus per ipſum factus eſt.* Si enim mundus fuiſſet ab æterno, aliqui putaſſent, vel non eſſe à Deo factum, vt plures volunt ſenſiſſe Ariſtotelem, vel fuiſſe factum ex neceſſitate non ex libertate; ergo, &c.

30. Secunda ratio. Nam ex eo quod Deus non creauit mundum ab æterno, ſed in tempore oſtendit, quoniam bonorum noſtrorum non eget, & quod erat ita beatus in ſua æternitate ſicut eſt in tempore. Si enim eguiſſet creaturis ad ſui fælicitatem, eas ab æterno condidiſſet, & ſic cum per totam æternitatem à parte ante ſine creaturis extitit, ſignum eſt quod noſtri non indiget ad ſuam beatitudinem, & fælicitatem.

31. Tertia ratio nam per hoc, quod Deus creauit mundum in tempore, maiorem oſtendit bonitatem, & liberalitatem, quam ſi ipſum creaſſet ab æterno; ergo, &c. Antecedens probatur, quia tunc quis oſtẽdit maiorem bonitatem, & liberalitatem erga aliquem, quando donum magis gratis videtur conceſſum, ſed ex hoc quod mundus non eſt factus ab æterno, ſed in tempore, quando ipſe voluit, donum creationis apparet magis indebitum, & gratis conceſſum; ſi namque donum creationis fuiſſet ab æterno non videretur ita gratis, & liberaliter conceſſum; ergo, &c. Soluuntur argum. in contrarium.

32. Primum argum. Si Deus creaſſet mundum in tempore fuiſſet mutatus, ſed hoc

Digitized by Google

hoc eſt falſum, ergo Deus non creauit mundum in tempore, ſed ab æterno. Minor nota eſt, & conſtat ex illo Malachię 1. *Ego Deus, & non mutor*. Et ex illo Iacobi 1. *apud quem non eſt tranſmutatio, nec viciſſitudinis obumbratio*. Maior probatur, nam omne agens; quod aliter ſe habet nunc ac prius, mutatur, ſed ſi Deus creaſſet mundum in tempore aliter ſe habuiſſet tunc, ac antea, quia antea non erat creator, nunc autem eſt creator; ergo, &c. Reſp. negando maiorem. Ad probationem dico quod tunc agẽs mutatur in productione effectus cum illum producit per nouam actionem, quam antea non habebat. Sed in noſtro caſu Deus non producit mundum per nouam actionem, ſed per eam quam ſemper habuit, ſolum fuit poſitum nouum connotatum in tempore. Et ſic nouitas eſſendi fuit in orbe condito, non in actione diuina quæ ſemper fuit, ſolum aduenit in Deo noua relatio rationis, & in orbe, & nouitas eſſendi, & relatio realis creaturæ ad Creatorem. Et ſic in tempore Deus fuit denominatus creator à relatione reali exiſtente in creatura, & per mutationem creaturæ, non per mutationem in ſe factam.

33. Secundum argum. Tunc effectus producitur cũ datur cauſa illius actu cauſans, ſeu cum datur actio productiua illius; ſed ab æterno datur in Deo actio productiua mundi, ergo ab æterno mundus fuit productus. Maior conſtat, nam tunc datur calefactio, cum datur actio productiua caloris, ergo tunc etiam dabitur creatio, cũ dabitur actio rei creatæ, ſeu creandæ productiua. Minor probatur, nam actio Dei creatiua, ſeu productiua mundi eſt æterna, ergo, &c. Reſp. diſtinguendo maiorem; tunc datur effectus cum datur actio productiua, quando illa actio ſequitur formã naturalem, conceditur; quando ſequitur formam pręconceptam, liberè volitam, & liberè applicatam; negatur. Deus autem operatur quia vult, & quando vult, & ſic licet ab æterno detur actio creatiua, non tamen ab æterno fuit creatio, quia Deus noluit creationem ab æterno, ſed pro tempore determinato; & hoc modo ab ęterno fuit actio, ſed non habuit ſuum connotatum.

34. Tertium argum. Poſita cauſa ſufficienti, & efficaci, debet poni effectus, ſed Deus ab æterno eſt cauſa ſufficiens, & efficax creationis mundi, ergo ab æterno debuit poni mundus. Reſp. diſtinguendo maiorem: poſita cauſa ſufficienti, & efficaci debet poni effectus quando cauſa nõ cauſat quia vult, & quando vult, ſed ex neceſsitate, at in noſtro caſu Deus cum ſit agens liberum cauſat quando vult, & quomodo vult; & ſic ab æterno potuiſſet creare mundum cum haberet eandem virtutẽ quam modo habet, ſed noluit, quoniam noluit pro tunc, ſed pro illo tempore quo creauit illum.

35. Quartum argum. Finis creandi mundum magis, & perfectius habetur in creatione æterna, quam temporali; ergo mundus debuit ab æterno creari. Antecedens probatur, nam finis creationis mundi eſt oſtenſio diuinæ bonitatis, diuinarũque perfectionum; vt ſcilicet creatura rationalis ex aſpectu tantarum rerum, tamque ordinatiſſimarum, veniret in cognitionem diuinarum perfectionum, ſed iſte finis magis habetur ſi dicamus mundum fuiſse ab æterno conditum; ergo, &c. Minor probatur, nam diuinæ perfectiones magis oſtenduntur, magiſque collucent in ſempiternis, quam in temporalibus, quo namque aliqua ſunt diuturniora, eo magis repreſentant diuinam bonitatem, quæ eſt æterna; tum quia æternum magis repreſentatur ab ęterno quam à temporali; quod explicari ſolet, ex communi dicto Philoſophorum, quod bonum ſpeciei eſt *diuinius* & perfectius bono indiuidui. *Reſp.* negãdo antecedens. Ad probationem quod tẽporalia magis repreſentant diuinam bonitatem, quam æterna negatur; æterna namque non repreſentant exceſsum durationis, ſicut repreſentant temporalia. Temporalia repreſentant diuinam libertatem, quã non ita repreſentarent æterna. Et licet verum ſit quod, bonum ſpeciei ſit diuinius quam bonum indiuidui, tamen bonum indiuidui magis repreſentat exceſſum diuinæ bonitatis in duratione, quem non ita repreſentat bonum ſpeciei. Tum quia bonum ſpeciei repreſentat diuinam bonitatẽ à par-

à parte poſt, quam etiam repreſentat bonū indiuidui humani; nam quantum ad partē ante, tam ſpecies, quam indiuidua ſimul cæperunt.

36. Qnintum argum. nam vel Deus potuit producere mundum ab æterno, & noluit, & tunc fuiſset inuidus bonitatis ſuarum creaturarum, vel non potuit, & noluit, & tunc fuit impotens, ſed Deo neque inuidia, nec impotētia tribui poſsunt; ergo debuit mundū creare ab æterno. Hoc argumento vtitur S. P. Aug. contra Maximianum Arrianum, qui negabat Deum ab æterno genuiſſe filium ſibi ęqualem; nam vel potuit, & noluit illū generare, & tunc fuit inuidus, vel voluit, & non potuit, & tunc fuit impotens; ergo cum in Deo nec inuidia, nec impotentia dari poſsit, debuit Pater æqualem ſibi filium ab æterno generare. Reſp. quod potuit quidem Deus ab æterno mundum producere non tamen voluit, neque proinde fuit inuidus, cum ad hoc nullo debito teneretur, ſed voluit ipſum producere in tempore, vt magis oſtenderet ſuam libertatem, & liberalitatem. Non ſic currit argumentum D. Aug. quia Pater non producit filium ex libertate, & liberalitate, ſed ex naturæ fœcunditate, & neceſsitate.

37. Sextum argum. qnia quod non poteſt non eſse, ſemper eſt, ſed dantur multa quæ non poſsunt non eſſe; ergo ſemper ſunt, ac proinde ab æterno. Minor probatur, nam quæ non habent potentiam vt non ſint, ſemper ſunt, ſed res immateriales, & alia non habent potentiam, vt nō ſint, cum in ſe non habeant principium corruptionis; ergo, &c. Reſp. dari aliqua quæ poſtquam ſunt, non habent in ſe potentiam, vt non ſint, cum non habeant in ſe principium corruptionis, tamen potuerunt non eſse, cum in ſe non habeant principium vt ſint, & ſemper ſint. Deinde poſtquam ſunt, poſsunt non eſse, à principio eodem à quo ſunt, ſcilicet à Deo à quo pendent in eſſe, & conſeruati, ſi enim ceſset ea conſeruare, non erunt, ſed eſse deſinent.

38. Septimum argum. Motus eſt æternus, ergo etiam mundus. Conſeq. conſtat, nam motus eſt in potiſsimis mundi partibus, ac proinde ſi motus eſt æternus, etiam potiſsimę mundi partes ſunt æternæ, ac ſubinde mundus. Antecedens probatur, quia ſi motus non fuit æternus, ſed cæpit in tempore, oportet quod cum res, quæ monetur, & quæ mouet ſint prius motu, vel fuerunt prius motu generatione, aut æternitate; non generatione, quia cum generatio ſit mutatio, hæc illis præſupponeretur, & ſic in infinitum. Si æternitate, ergo in æternitate dabatur aliquid quod poterat mouere; & aliquid quod poterat moueri, & ſic debuiſset pręcedere quies, vt ſic prius eſset poſse moueri, quam moueri, & ſic ſi mouens, & motum fuerunt in ſempiterna quiete debebat dari alius motus per quem tranſirent ab illa quiete ad motum. Reſp. negando antecedens. Ad probationem dico ſolum probare quod mouens ſcilicet Deus præcedat motum, & mobile, non tamen eſt neceſsè quod ipſum mobile pręcedat motum; nam Deus dum creauit cælos, eos creauit, & mouit. Potuit etiam Deus prius creare cælos, & poſtea vel per ſe, vel per Angelos mouere, & tunc etiam mobile præceſsiſset motum creatione, non generatione.

39. Octauum argum. nam inter mouens, & motum datur relatio, ſed non poteſt dari relatio de nouo ſine aliqua mutatione in aliquo extremorum, ergo illud quod mutabitur debet præcedere; modo currit argumentum pręcedens; nam vel pręcedit tempore, ſeu generatione, vel æternitate: neutrum dici poteſt; ergo, &c. Non generatione, aut tempore, quia non eſſet creatum. Non æternitate, quia iam eſſet ab æterno, quod negatur. Reſp. ſufficere quod motum præcedat natura, vt inde reſultet relatio ad motorem; vnde prius natura intelliguntur creari cæli, deinde intelligimus reſultare relationem ad creatorem, vel motorem.

40. Nonum argum. Si motus aliquando cæpiſſet, & non fuiſſet ęternus, verum eſſet dicere quod prius motus non fuiſſet, ſed prius non datur ſine tempore, tempus namque eſt menſura motus ſecundum prius, & poſterius, ergo ante primum

motum

motum fuiſſet tempus, quod implicat, cũ ſint ſimul, & ſic ad hanc implicantiam vitandam oportet dicere, quod motus ſit æternus. Reſp. quod ſi motus incæpit, vt re ipſa incępit, non poteſt dici quod prius non fuerit niſi negatiuè; poſitiuè namque antequam motus eſſet, neque tẽpus erat,& ſic non dabatur prius temporis ſed tale prius diceret negationem tum motus, tum temporis.

DVBIVM IV.

An mundus fuerit liberè productus.

41. HVius dubij reſolutio ferè conſtat ex dictis, tamen claritatis gratia, & vt ſoluamus aliqua argumenta, quæ contra veritatem fieri poſſunt, rem ad examen ſpeciale reuocamus. Gabriel Prateolus *in lib. de vitis, ſectis, & placitis hæreticorum* refert hæreſim Arnaldiſtarum qui volebant Deum non liberè, ſed ex naturæ neceſsitate mundum condidiſſe.

42. Pro intelligentia difficultatis notandum eſt ex Durando *in* 1. *diſt*. 43. *q*. 4. quod agere ex neceſſitate naturę, eſt ita agere vt non poſſit non agere,quod dupliciter intelligi poteſt. Primò quando agens agit ſolo naturæ impetu, & propenſione, citra omnem actum intellectus, & voluntatis, qua ratione ignis calefacit, ſol illuminat, & omnia agentia naturalia intellectus, & voluntatis expertia, ſuas eliciunt actiones. Secundò quando licet agens agat per intellectum, & voluntatem, non tamen ex electione, ex delectu, & libertate, ſed ita vt non poſſit nõ agere,vt actionem ſuſpendere nequeat;quo modo in diuinis Pater æternus per intellectum generat filium, & Pater, & Filius per voluntatem producunt Spiritum Sanctum. Si de primo modo ſermo ſit nullus vnquam ſic miſerè deceptus eſt,vt ſibi perſuaſerit Deũ agere ex neceſſitate naturę, cum omnes Philoſophi antiqui Deo intellectum,& voluntatem tribuerint; & inter illos omnium primus, vt referunt, Plato *in Theeteto*, & Ariſt. 1.*metaph*. Anaxagoras affirmabat diuinum intellectum eſſe omnium rerum cauſam effectricem. De ſecundo autem modo non parua inter eos fuit diſſenſio. Aliqui namque quos dicti hæretici ſecuti ſunt, affirmabant Deum operari quidem per intellectum,& voluntatem, non tamen liberè, ſed ex quadam naturæ neceſsitate, quod nonnulli tribuunt Ariſtoteli, de quo poſtea.

43. Veritas Catholica ſequenti concluſione explicatur. *Deus liberè, & volenter produxit mundum, & nihil ex neceſſitate produxit, nec producit, aut producet*. Hanc veritatem tuentur omnes Catholici, eamque ſequuti ſunt communiter Philoſophi antiqui. Videatur D.Tho. 1.*p.q.*19.*art*.4. *& q*.3.*de potentia art*.15.*&* 2.*contra Gent. cap*.25. & alibi. Habetur clarè in Sacra Scriptura,pſal.134.legitur.*Omnia quæcumque voluit Dominus fecit in Cœlo,& in terra, in mari, & in omnibus abyſſis*. Ad Epheſ. 1. dicitur. *Qui operatur omnia ſecundum conſilium voluntatis ſuę*. Et Apocal.4.habetur. *Tu creaſti omnia, & propter voluntatem tuã erant, & creata ſunt*.

44. Probatur 1. quoniam ſi Deus vult alia à ſe ex neceſsitate, aut ea vult tanquã finem, aut tanquam media ad alium finẽ: neutrum dici poteſt, ergo Deus nihil vult ex neceſſitate. Minor probatur, nam Deus non poteſt velle alia à ſe tanquam finem ex neceſsitate,quia ſola diuina bonitas poteſt eſſe finis Dei,ſicut enim diuina omnipotentia eſt primum omnium rerum principium, ita diuina bonitas eſt omnium rerum finis. Nec poteſt Deus velle alia à ſe ex neceſſitate tanquam media, quia tunc aliquod medium eſt neceſſariò volitũ propter aliquem finẽ, quando ille finis ſine eo haberi non poteſt, ſed nulla res à Deo eſt neceſſaria, vt Deus habeat ſuam bonitatem, ſuum finem, ſuam fælicitatem, &c. ergo, &c. Minor conſtat, & habetur pſal.16. vbi dicitur. *Deus meus es tu, quoniam bonorum meorum non eges*.

45. Probatur 2. ratione deſumpta ex Ariſt. 2.*magnor.moral. cap*. 15. *&* 7. *polit. cap*.1. nam Deus aliquo externo non indiget vt ſit felix, & beatus, ſed natura ſua fælix eſt, & beatus, eſt à ſe ſummè bonus, infinitè perfectus, in cuius eſſentia, & natura

tura inuenitur omnis ratio boni, & appetibilis, ergo nihil extra ſe appetet ex neceſſitate, ac proinde ſi aliquid extra ſe vult, omnino liberè vult, non ex neceſſitate. Tum quia ſi Deus ageret ex neceſſitate, ageret in quantum poſset, & ſic ſemper produceret nouos, & nouos effectus, perfectiores, & perfectiores in infinitum.

46. Probatur 3. nam quod agit ex neceſſitate naturæ debet ab alio ordinari, & dirigi in finem. Sed Deus non poteſt ab alio dirigi in finem, ergo non agit ex neceſſitate naturæ. Minor nota eſt, prima namque cauſa, primum ens, primusve motor non poteſt ab alio dirigi, aliàs non eſſet prima cauſa, &c. Maior probatur, nã ideo natura indiget alio à quo dirigatur in finem, quia ipſa non ſe dirigit, qua ratione dicitur quod opus naturæ, eſt opus intelligentiæ, quia ab intelligentia dirigitur; ergo ſi ſemel Deus ageret ex neceſſitate naturæ deberet habere aliquem qui illius cognitionem teneret, qui voluntate, ac mente operaretur, ſuaque opera in finem dirigeret.

47. Probatur 4. nam quæ operantur ex neceſſitate naturæ, ſunt determinata ad vnum, & ſic ſemper eodem modo operantur, vnde ignem ſolum ignis producit non herbas, lapides, &c. Aues quæ ex neceſsitate naturæ operantur ſolum producunt ſimiles aues, ſemper eodem modo nidificant, &c. Sed Deus non eſt determinatus ad vnum, non enim vnam tantum rem producit, ſed ab eo tanquam à ſupremo opifice tot dependent, tot producuntur, & ſpecie, & genere, & vt primò diuerſa.

48. Probatur 5. nam ſupremo agenti, & omnino independenti, ſupremus, & nobiliſsimus operandi modus eſt tribuendus; ſed Deus eſt ſupremus agens, & omnino independens, ergo illi ſupremus operandi modus eſt tribuendus; ſed operari deliberatè, ex electione, & ex determinatione voluntatis, eſt modus operandi ſupremus ad extra, ergo, &c. Minor probatur; nam ideo Deus ad intra operatur neceſſariò, quia intellectus, & voluntas ipſius ſunt omnino connexa cum diuina veritate, & bonitate; ſed nec intellectus diuinus, nec diuina voluntas ſunt connexa cum veritate, & bonitate creata; ergo Deus non habet neceſsitatem ad illa. Potentia namque ad ſuũ obiectum adæquatum neceſsitatur etiam quoad exercitium, quando eſt ſibi intimè vnitum, & nulla apparet in eo ratio mali, aut retrahentis, vt eſt diuina veritas, & diuina bonitas; at veritas, & bonitas creata, nec ſunt obiectum adæquatum diuini intellectus, & voluntatis, & apparet in eis aliqua ratio mali, retrahentis, ſcilicet limitationis, &c. ergo, &c.

49. Probatur 6. quoniam illa cauſa eſt libera, quæ poteſt multa producere, & nõ producit, quę poteſt multa facere, & non facit; ſed Deus poteſt multa producere, quæ non producit, ergo Deus eſt cauſa libera, ac proinde & mundum, & omnia alia liberè producit. Minor probatur, nã diuina omnipotentia per mundi productionem non eſt exhauſta, ſed poteſt alia producere in infinitum; cum enim Deus ſit infinitus, etiam eius potentia debet eſſe infinita, ſed res productæ; ſunt finitę, & determinatæ, ergo poteſt diuina potentia alia, & alia producere in infinitum, & quę producta ſunt, poterat non producere, &c. Soluuntur argum. in contrarium.

50. Primum argum. nam neceſsitas eſt pręſtantior contingentia; ſed operari liberè eſt operari contingenter; ergo pręſtantius eſt operari neceſſariò quam liberè, Deo autem debet ille modus operandi ad extra concedi, qui eſt nobilior, & pręſtantior. Reſp. quod neceſsitas nobilior eſt contingentia, & melius eſt eſſe ens neceſſarium quam contingens. Deo autem nõ tribuimus modum operandi contingenter, ſed liberè, cum libertas non ſit contingentia; libertas namque ſe tenet ex parte operantis, exprimit perfectionem illius, at contingentia ſe tenet ex parte rei, quatenus eſt tantæ imperfectionis, vt ſibi non determinet eſſe; quocirca cum omnia creata in comparatione Dei ſint debiliſsimæ entitatis, & tanquam arena exigua, ſequitur quod Deus non ea ex neceſsitate produxit ſed pro ſua libertate. Quod etiam colligitur ex hoc principio, quod Deus ſit infinitæ virtutis; agens namque neceſſarium,

Digitized by Google

agit ſecundum vltimum ſuæ potentię, ac proinde ſi Deus ageret neceſſariò, ageret ſecundum vltimum ſuæ potentię, & ſic nunquam poſſet agere perfectius, quod eſt falſiſsimum.

51. Secundum argum. quoniam in omni agente libero potẽtia poteſt ab actu ſeparari, quod enim liberum eſt, poteſt agere, & non agere, ac proinde poteſt habere potẽtiam ab actu ſeparatam; ſed hoc repugnat Deo, tum quia in Deo potentia ab actu ſeparata non datur, cum non detur potentia, vt potentia, ſed per modum puriſsimi actus. Tum quia in Deo daretur ſumma imperfectio, ſcilicet priuatio actus, ac proinde Deus non eſſet actus purus. Reſp. negando maiorem, licet in agente creato libero potentia poſsit ſeparari ab actu, quia hoc eſt mutabile, non tamen in primo agente omnino immutabile, quod ſemper eſt in actu, & ab actu ſeparari non poteſt, licet non ſemper ponat rem ad extra, ſed pro ratione ſuæ perfectiſsimæ libertatis. Quare actus liber Dei in ſe non poteſt ſeparari à Deo, cũ ſit ipſemet actus neceſſarius Dei, ſuum intelligere, & ſua eſſentia, ratione tamen connotati, ſeu creaturæ quam potuit non producere ſeparari poteſt.

52. Tertium argum. nam quicquid Deus agit, ex neceſsitate agit; ergo mundum ex neceſsitate produxit. Antecedens probatur, quia quicquid Deus ſcit, neceſſariò ſcit; ergo quicquid Deus vult, neceſſariò vult, ac proinde cum voluit creare mundum, neceſſariò id voluit. Antecedens conſtat. Conſeq. probatur, nam non minus eſt neceſſaria diuina cognitio, quã diuinum velle, ergo ſi illa eſt neceſſaria, & hoc erit neceſſarium. Tum quia non minus identificatur diuina ſcientia cum diuina eſſentia, quam diuina voluntas, & diuinũ velle; ergo æqua neceſsitas erit in vtroque. Reſp. negando antecedens. Ad probationem dico eſſe diſparem rationem inter diuinum ſcire, & diuinum velle; nam diuinum ſcire tendit ad res prout in ſua eſſentia repreſentantur, cognitio namque fit ſecundum quod cognitum eſt in cognoſcente, & ſic ex ſuppoſitione, quod res repreſentantur in diuina eſſentia non poſſunt non cognoſci, benè verum eſt quod poterant non repreſentari, vt exiſtentes, cum poſſent non produci. At volitio tendit in res prout ſunt in ſe; prius tamen eſt quod res ponantur in ſe per diuinam voluntatẽ, cum diuina voluntas ſit quædam potentia practica, quę ponit res quas vult; ex ſuppoſitione tamen quod poſitæ ſunt, in diuina eſſentia repreſentantur, & per diuinam ſcientiam cognoſcuntur; & ſic ſcientia ſolum eſt libera quatenus res poterant non poni. At diuina voluntas eſt libera, quia ipſamet poteſt res non ponere.

53. Quartum argum. nam Deus producit creaturas ex ſua bonitate, ſed diuina bonitas eſt neceſſaria, ergo etiam productio creaturarum erit neceſſaria. Reſp. cõcedendo maiorem, & ad minorem dico, quod diuina quidem bonitas eſt neceſſaria in ſe, non tamen neceſſario mouet in ordine ad creaturas, cum non habeat cum illis neceſſariam connexionem, quocirca ita Deus eſt bonus poſt creationem creaturarum, ac erat prius, & è contra.

§. *vnicus, quid ſenſerit Ariſtoteles de libertate primæ cauſæ.*

54. Puto in hoc conuenire omnes expoſitores, quod Ariſtoteles cognouerit Deum eſſe ens perfectiſsimum libero præditum arbitrio, ac proinde non omnia ex neceſsitate operantem. Cap. namque 5. huius libri docet non dici aliquem prauum, aut ſtudioſum propter ea quę poteſt facere, ſed propter ea quę facit; nam Deus, inquit, multa poteſt facere, quę nõ facit, ac proinde Deus ex ſententia Ariſt. ex neceſsitate naturę non omnia operatur. Tum quia antequam Ariſtoteles, vt teſtatur Laertius in vita ipſius, diem extremũ obiret, Deum orauit, & Religionis cauſa aliqua teſtamento reliquit, & vt fierent commendauit, quod non præſtaſſet, niſi ſibi perſuaſum habuiſset, Deum precibus flecti, & honeſtis, piiſque hominum actionibus ad beneficia largienda allici. Hinc 4. *topic.* 5. dicit Deum, & homines multa poſſe facere, quę non faciunt. Et hic *cap.* 7. dicit

dicit Deum habere erga bonos amicitiã Et 10. *Ethic cap.* 8. dicit illos eſſe Deo cha riſſimos qui sũt veri ſapientes, & rationẽ habent, & optimo animo ſunt affecti, & delectantur optimis, & ſimilibus hominibus, quæ loca refert Toletus *hic q.* 3. Prętetea cum idem Ariſt. hominibus tribuat libertatem vt *n. phys.* 6. *&* 2. *Ethic. etiam* 6. hominibus tribuat virtutes, & vitia, & *lib.* 5. *cap.* 2. in brutis dicat eſſe ſpontaneum, & in hominibus electionem, oportet fateri quod Deo quoque libertatem tribuerit, aliàs homo libertatem non recognoſceret à Deo, ſed eam haberet à ſe, quod Ariſtotelis principijs non congruit.

55. Puto etiam omnes in eo conuenire, quod Deus producit omnia per intellectum, & voluntatem, quoniam multis in locis Ariſtoteles teſtatum reliquit, quod Deus & intelligendi, & volendi poteſtate polleat 1. *&* 12. *Metaphy. &* 7. *Ethic* 4. & alibi ſæpe. Tum quia videtur ſatis certum quod Ariſtoteles diuinã cognouerit prouidentiam, quæ cum ſit ratio ordinis rerum in finem, ijs tantum cõuenire poteſt quæ finem intelligendo percipiunt, & amando expetunt. Tum etiã quia *lib.* 2. *phy.* demonſtrauit naturam non temere, ſed alicuius finis gratia agere, ac proinde à prima cauſa agi debet, & in finem dirigi.

56. Difficultas ergo præſens ad hoc reuocatur, an Ariſtoteles admiſerit primã cauſam liberam in productione partium præcipuarum vniuerſi, vt intelligentiarũ, orbiumque cæleſtium. Prima ſententia eſt quod Ariſtoteles ſenſerit primam cauſam cuncta liberè produxiſſe etiam præcipuas mundi partes vt intelligentias, & Orbes cæleſtes. Hanc ſequitur Toletus *hoc loco q.* 3.

57. Noſtra Sententia ſequenti concl. explicatur. *Ariſtoteles tenuit quod Deus non cuncta produxit liberè ſed aliqua ex neceſsitate naturæ, ſeu vt agens neceſſarium, vt potiſſimas orbis partes, Angelos ſcilicet, ſeu intelligentias calorum motrices, & cælos ipſos.* Sic Maſius *hoc loco q.* 4. vbi dicit quod adeo certum eſt hanc eſſe Ariſtotelis ſententiam, vt oſtendat eſſe parum verſatum in doctrina Ariſtotelis, qui oppoſitum audet confiteri. Ratio clara eſt, quoniam ſi Ariſtoteles putauit mundum fuiſſe à Deo liberè productum ſaltem quoad potiſſimas illius partes, cognouiſſet ipſum in tempore potuiſſe produci, quæ enim liberè producimus, poſſumus non producere; ſed Ariſtoteles liberè docet fuiſſe mundum ab æterno, & non potuiſſe produci niſi in æternitate, ergo Ariſtoteles nullam cognouit libertatem in Deo reſpectu productionis mundi ſaltem quoad partes potiores illius.

58. Si Deus Secundum Ariſtotelem liberè creaſſet cœlos, etiam per eundem liberè moueret eos, ſed hoc eſt falſum per ipſum, cum velit in hoc libro potiſſimè, quod motus cœlorum ſit neceſſarius, perpetuus, & in perenni reuolutione conſtitutus. Maior probatur, nam illud liberè producitur, quod potuit non produci, & quod poteſt non produci, & ſi mobile eſt, poſtquam productum eſt, poteſt non moueri, ſed per Ariſtotelem cœli nõ poſſunt non moueri; ergo per eundem nõ potuerunt nõ produci. Tum quia ſi Deus poſſet cœlos non mouere, poſſet etiam velocius eos mouere, aut tardius; ſed per Ariſtotelem non poſſunt cœli velocius, aut tardius moueri, ergo, &c. Tandem ſi cæli liberè à Deo producti eſſent, & liberè poſſet moueri, & non moueri, poſſent non influere in hæc inferiora, & ſic poſsẽt ceſſare rerum generationes, & corruptiones, contra eundem Ariſt. *lib.* 2. *de generat. & corrupt. cap. vlt.* vbi vult quod generationes, & corruptiones ſunt æternæ, ergo, &c. Videantur Soncin. 12. *metaph. q.* 19. M. Soto *hoc loco q.* 1. Maſius loco citato, & alij hoc loco. Soluuntur argum. in contrarium.

59. Primum argum. nam Ariſtoteles 2. *de generat. tex.* 59. dicit quod Deus omnia compleuit, quo ipſorum naturæ debebantur. Et 12. *metaph. tex. vlt.* ait quod res eo modo gubernantur, quo optimo poſſunt; ſed dantur res, ſeu entia libera, ergo à Deo liberè gubernari debent, aliàs non gubernarentur prout exigunt gubernari. Hoc argum. eſt Toleti loco

loco citato vbi alia Ariſtotelis loca refert, & aliquas antiquorum Philoſophorum ſententias, quæ omnia ſi rectè expẽdantur, ſolum probant quæ ſuppoſuimus *nu.*54. *&* 55. vel vt notauit Hierony. Pla *hoc loco q.* 2. tantum probant quod de facto nos tenemus, quod ſcilicet mundus liberè productus eſt ſecundum omnes ſui partes, non quid factum ſit ſecundum mentem Ariſtotelis.

60. Secundum argum. nam ſecundũ Ariſtotelem 1. *de anima tex.* 8. *&* 3. *metaphy. tex.* 15. ineptè facit, qui aliquam perfectionem quæ verè perfectio eſt, Deo negat; ſed libertas eſt perfectio, cum dicat in ſua ratione ſuarum operationum dominium, ſeu poſſe facere, & non facere, quod eſt maxima perfectio, ergo ſecundum Ariſtotelem debet Deo concedi. Reſp. quod Ariſtoteles conceſſit libertatem Deo, non tamen quoad primam illã mundi productionem, ſed quoad ſequentes rerum productiones, gubernationes, &c. quæ poſtea in mundo factæ ſunt in tempore.

61. Tertium argum. quoniam ſecũdum Ariſt. non poſſemus reddere rationẽ innumeris rebus naturalibus, niſi recurramus ad diuinam voluntatem; ergo in Deo per Ariſtotelem datur diuina voluntas liberè operans. Antecedens probat Toletus, nam in ordine circulationum cœli, quis poteſt reddere rationem, cur hæc prior illa ſit poſterior, & non contra: cum enim omnes ſimiles ſint, reddi ratio non poteſt, niſi ſola ordinatio diuinæ voluntatis. Item cur non totus mundus ſit inuerſus, vt pars antartica ſit vbi eſt artica, & è contra; omnia enim eodem modo ſe haberent. Præterea, cur motus cœli ſit magis ab oriente in occidens, quam è contra, de qua quæſtione laborat Ariſt. 2. *cæli tex.* 32. nulla enim inueniri poteſt, niſi diuina libertas; nam qui reſpondet in oriente eſſe dextrum, manifeſtè petit principium, quia ideo in oriente eſt dextrum quia inde incæpit, ſed eſſet eadem difficultas ſi eſſet in occidente, &c. quæro enim cur Deus poſuit dextrum in oriente, non in occidente? Præterea poſita debita diſpoſitione ad introducendã v.g. formam ignis, nulla poteſt reddi ratio præter diuinam voluntatem, cur hæc forma numero introducatur, non alia? Item partes temporis ſunt omnino homogeneæ, cur ergo heſternum non fuit hodierdum, niſi diuina voluntas quæ pro ſua libertate ſic voluit, &c.

62. Reſp. nos non dicere quod Ariſtoles negauerit Deo omnem libertatẽ, ſed quod ſolum ſecundum Ariſtotelem Deus nõ fuit liber in prima productione, vt colligitur apertè ex his quæ tradit, hoc loco *tex.* 7. *&* 8. vbi proinde docet quod ſi tunc Deus fuiſſet liber ad mouendum, & non mouendum fuiſſet mutatus. Ad 1. de circulatione cœli quare iſta ſit prima, non ſecunda, dico quod data ſententia Ariſtotelis de æternitate mundi, tunc non datur prima, nec ſecunda circulatio, in æternis namque non datur primum, & ſecundum, aliàs non eſſet æternum, maximè in ſucceſſiuis. Ad alias difficultates reſponderi poteſt ex eodem Ariſtotele 2. *de cælo cap.* 6. illarum cauſas eſſe, quia natura, quæ neceſſario agit quod melius eſt, eſt autẽ melius, quod mundus non ſit inuerſus, quod pars antartica non ſit vbi eſt artica, quia pars artica quæ lucidioribus ſtellis eſt ornata, ſit illa quæ magis diſcooperta apparet, quod ſi quæras cur hæc pars habeat ſtellas lucidiores vt obſeruarunt qui ſub polo antartico nauigarunt, reſpondere poſſet, quia eſt cœlorũ natura, vt ſi quis petat cur homo habeat caput ſurſum, & pedes deorſum, reſpondebitur, quia talis eſt hominis natura. Vnde ad illud de parte dextra, vel ſiniſtra mundi, dicitur quod ſicut in animalibus pars dextra eſt illa à qua incipit motus ſic in cœlo illa pars dicetur dextra à qua incipit motus, licet data mundi æternitate non poteſt aſſignari pars in qua motus incæpit. Deinde dico notando ex Ariſt. 2. *de cælo cap.* 3. quod mundus eſt animal conglobatum, ſeu ſphæricum; vnde illa pars erit in mundo ſuperior, quæ eſt in animali ſuperior, & illa inferior, quæ eſt inferior in eodem animali. Item illa pars eſt dextra in mundo, quæ eſt dextra in anima-

animali, & illa eſt ſiniſtra, quæ in animali eſt ſiniſtra. Quare ſicut in animali illa eſt pars ſuperior in qua magis viget vis mouendi, ſeu à qua eſt initium motus. In mundo pars ſuperior erit pars artica, & inferior antartica. Et ſi hoc magnum animal mundi habebit partem ſuperiorē, & inferiorem, illa eſt artica, hæc antartica & habebit partem dextram ad orientem, & ſiniſtram ad occidentem.

DVBIVM V.

Quo tempore mundus fuit conditus, in autūno, an tempore veris, ſeu verno tempore.

63. SVppoſita veritate noſtræ fidei quod mundus fuerit conditus in tempore, & non fuerit ab æterno productus, vt voluit Ariſtoteles, videndum eſt quo tempore. De qua re duæ ſunt probabiliores ſententiæ. Prima eſt quod mundus fuerit productus in autumno. Sic tenent Abulenſis *in cap. 1. Gen. q. 21.* Lyranus *in 1. & 7. cap. Gen. & Exodi 12.* & alij grauiſſimi doctores, & ſacræ ſcripturæ expoſitores.

64. Secunda ſententia verior, & communior quam loco noſtræ concl. ponimus, eſt, quod mundus fuerit conditus in vere, ſeu verno tempore. Sic tenent N.S. P. Ioan. Damaſc. *lib. 2. fidei cap. 7.* D. Leo Papa *ſerm. 9. de paſſione.* D. Athanaſius *in qq. ad Anthiochum q. 17.* D. Iſidorus *5. etymolog. cap. de temporibus.* S. P. Aug. *in quæſt. veteris, & noui teſtam. qu. 106.* D. Ambroſ. *lib. 1. exam.* N. S. P. Cyril. Hieroſolym. *cathecheſi* 14. D. Theodoret. *q. 72. in Exod.* & alii plures dicentes, quod mundus creatus eſt menſe Martio. Statuitur in Synodo Paleſtina congregata à Theophilo Epiſc. Ceſarienſe de mandato Victoris Papæ. Cuius decreti facit mentionem Venerab. Beda *lib. de ratione temporum cap. 40.*

65. Probatur 1. nam conueniens valde videtur quod Deus mundo recenter nato, & primo ſui exordio, optimum anni tempus tribueret; ſed hoc eſt tempus veris; ergo eo tempore debuit produci. Maior conſtat, Deus namque qui omnia fortiter, ſuauiterque diſponit, cum primo ad extra in ſuis creaturis apparere, deberet, meliori tempore debebat hoc præſtare. Minor probatur, tempus namque veris eſt anni iuuentus, vt cecinit ille. *O Primauera giouentù dell'anno.* Vnde tunc omnia renouari videntur, vt ex ſe notum eſt, ergo, &c.

66. Probatur 2. nam veris tempore conſeruanda erat terreſtris Ieroſolyma, Eccleſia ſcilicet militans noſtræ redemptionis myſterijs potiſſimis, paſſionis, & mortis noſtri Redēptoris, & totius mundi Reſtauratoris. Congruum namque erat, quod mundi reparatio, & reſtauratio, eo tempore fieret quo caſus, & ruina contigit. Hinc D. Ambroſius lib. 1. exameronis dicit. *Inde mundi capi oportebat exordium, vbi erat oportuna omnibus verna temperies.*

67. Probatur 3. nam vt colligitur ex Theodoreto, & alijs Patribus verno tempore liberauit Deus populum Iſrael à miſera Aegyptiorum ſeruitute. Hoc tempore noſtram carnem aſſumpſit Dei filius in puriſſimis, ac caſtiſſimis B. Virginis viſceribus, vt genus humanum à miſera dœmonis ſeruitute liberaret. Soluuntur argumenta in contrarium.

68. Primum argu. nam videtur magis congruum quod mundus creatus fuerit in autunno, menſe ſcilicet Settembri, Sole exiſtente in fine Virginis, vel in principio Libræ; nam hoc tenuerunt antiqui Aegyptij, quod ex eo conijciebant, quod tēpore Moyſis annum inchoabant à menſe Settembri, vt teſtatur Ioſeph Hebræus *libro 1. Iudaicarum antiquitatum.* Ideo autem Aegyptij à Septembri annum inchoabant, quia ſibi perſuaſum habebant, mundi productionem eo tempore factam fuiſſe. Reſp. quod re vera Aegyptij ſic tenebant, nos autem tenemus cum communiori Sanctorum Patrum tum Græcorum, tum Latinorum ſententia, quod mūdus cœperit verno tempore, & ſuadent rationes à nobis allatæ, & aliæ quæ paſſim videri poſſunt apud expoſitores ſacræ ſcripturæ, & colligitur ex illo Gen. 1.

Ger-

Germinet terra herbam virentem; tempus autem germinandi eſt tempus veris.

69. Secundum argu. quoniam conueniens fuit quod arbores crearentur à Deo in ſtatu perfecto, atque adeo cum fructibus iam maturis, ſed hoc eſt proprium Autumni; ergo mundus fuit conditus in Autumno. Maior probatur, tum quia Dei perfecta ſunt opera, tum quia fructus tunc temporis erant neceſſarij tū ad alimentum primorum parentum, tum animalium; vnde ob id primi parentes habuerunt præceptum non comedendi de ligno vetito, ſeu de pomo vetito, cum poſſent comedere de omnibus alijs fructibus. Præterea ſi dicatur quod tunc arbores, etiamſi productæ fuerint in vere, habebant tamen fructus maturos, contra eſt, nam tempore poſtea autumni non habuiſſent fructus quos comederent hyberno tempore. Minor autem conſtat, quia habere fructus maturos eſt proprium Autumni.

70. Reſp. quod vel non in omnibus arboribus Deus tunc fructus maturos produxit, id enim minimè requirebat operis perfectio in illo exordio; ſed condidit Deus tunc arbores mira, pulcraque varietate; aliæ enim floribus vernabant, aliæ fructibus maturis, aliæ immaturis onuſtæ erant. Alij volunt, quod Deus creauit arbores habentes tum flores, tum fructus; fructus qui comedi tunc poſſent vſque ad Autumnum, floribus qui fructus producerent pro Autumno, vt ſic & primi Parentes haberent prouiſionem, & animalia haberent quo viuerent pro toto ſequenti anno.

71. Sed quæres 1. quo die mundi creatio facta ſit. Reſp. cum D. Hierony. *lib. 1. de Eccleſ. Scriptoribus*, & alijs Sanctis Patribus quod mundus creatus fuit, aut ſaltem homo die vigeſima quinta Martij. Et fuit dies Dominica, qua die in Eccleſia celebratur feſtum Annunciationis, & conceptionis Filij Dei, in puriſſimo vtero B. ſemperque Virginis Mariæ, quo etiam die Chriſtus D. natus dicitur, quo die conuertit aquam in vinum ad nuptias Cænæ Gallileæ, quo die Chriſtus D. reſurrexit, quo intrauit ad Apoſtolos ianuis clauſis, quo dic miſit Spiritum Sanctum ad eoſdem Apoſtolos, &c. Hac ergo die mundus fuit conditus, ſic S. Leo Papa relatus *cap. quod die diſt.* 75. Et canit Eccleſia in hymno precum matutinarum diei Dominicæ, ſcilicet. *Primo dierum omnium, quo mundus extat conditus; vel quo reſurgens Conditor, nos morte victa liberat*; ſeu vt habetur in hymno reformato. *Primo die quo Trinitas*, &c.

72. Quæres 2. an mundus ſit conditus pluribus, diſtinctiſque diebus, an ſimul, vt vna die, vnoue temporis momento? De hac re ſunt duæ ſententiæ, prima eſt S.P. Auguſtini, & aliorum, dicentium quod omnia quæ docet Moyſes creata à Deo per dies ſex, vnico velut momento facta ſunt, propter infinitam Dei potentiam, in qua actio ſucceſſiua non eſt. At Moyſes per 6. dies creationem deſcripſit ob rerum diſtinctionem, naturæque ordinem, non temporis. Alia ſententia eſt D. Thomæ 1. *p. q.* 74. *art.* 2. ſuorumque ſequacium, qui docent eſſe quidem creatam ſimul materiam omnium rerum, quæ in ea non actu, ſed potentia continebantur, cœterum productio, & diſtinctio aliarum rerum ſucceſſiuè facta eſt per 6. dies, vt Moyſes deſcribit, & ſecundum ordinem non tantum naturæ, ſed etiam temporis, & die ſeptimo Deus ceſſauit ab opere, ad ſignificandum iam omnia eſſe perfecta, quæ diſpoſuerat facere. Licet enim Dei actio ſucceſſiua non ſit, tamen non producit effectus niſi quando, & ſicut vult, vt notam faciat ſuæ ſapientiæ ſublimitatem.

§. Vni-

§. *vnicus, ponuntur aliqua curioſa, & ſcitu digna de mundo.*

73. PRimò loco quæres 1. an detur aliquis gubernator? Reſp. affirmatiuè, quod non ſolum docet fides, ſed etiam ſapientiſſimi antiquitatis Philoſophi, vt Plato, Ariſtoteles, & plerique alij. Vnde illi qui mundi gubernatorem negant dicuntur à Pſalmiſta inſipientes. *Dixit inſipiens in corde ſuo, non eſt Deus: non videbit Dominus, &c.* Et ratio conuincit, quia non poteſt tam magnificentiſſimi operis mundi finis vltimus intra ipſum eſſe, ſed omnino fatendum eſt, factum eſſe propter aliquem finem nobiliorem; vt ſcilicet Dei maieſtas, ſapientia, potẽtia, bonitas, aliæque eius virtutes, proprietates, & attributa per eum manifeſtarentur. Vnde S. Antonius Abbas vocabat iſtum mundum librum magnum, in quo omnes legere poſſunt diuinas perfectiones.

74. Ex huius mundi tam egregia gubernatione colligitur, quod illius gubernator vnus eſt, licet enim plures ſint fines particulares mundi, pluraque media, omnia tamen ordinantur ad vnum finem vltimum, qui eſt ſummum bonum, ad hoc autem facit vnius, non plurium, gubernatio; vbi namque ſunt plures gubernatores, etiam plures ſunt fines. Huius autem mundi gubernator, Deus noſter eſt, qui attingit à fine vſque ad finem, fortiter, ſuauiterque diſponens omnia. *Sapien.* 8. Hinc dicit Magnus Gregor lib. 14. moral. cap. 26. *Mundum per ſe ipſum regit, quem per ſe ipſum condidit.* Eiuſdem namque artificis eſt rem producere, & ad perfectionem adducere. Quocirca Deus gubernat omnia, & ſingula ſua prouidentia immediatè, ad executionem tamen eiuſdem vtitur cauſis ſecundis. Vnde corpora craſſiora gubernat per ſubtiliora, & potentiora, omnia autem per rationalem ſpiritum, ſeu per Angelos, & ſpiritum rationalem improbum per ſpiritum rationalem bonum, & hunc per ſeipſum. Neque id Deus ita ordinauit ob aliquam impotentiam, ſed ad commendandam ſuam ſapientiam, bonitatem, & altitudinem ſuæ maieſtatis.

75. Quæres 2. quomodo fiat mundi conſeruatio? Reſp. quod ſicut aqua tametſi ab igne fiat calida, tamen indiget igne vt in calore permaneat, eo namque ſubtracto paulatim redit ad priſtinam frigiditatem. Similiter res omnes, quæ habent eſſe, & viuere à Deo, niſi ab ipſo conſeruentur, neceſſe eſt omnes interire, quod manifeſtat reditus tenebrarum, recedente ſole, & terræ ariditas diutius ceſſantibus imbribus; & niſi cœlum moueretur, omnium rerum generatio, atque productio ceſſaret. Quocirca licet Deus ſua infinita virtute poſſit omnia immediatè conſeruare, placuit tamen ſuæ ſapientiæ ordinare cauſas medias, è quibus & res nonnullæ producerentur, & à quibus conſeruarentur, dante tamen ipſo virtutem iſtis cauſis ad iſta, vt non ijs, ſed ipſi Deo ſoli honor, & gratiarum actio debeatur, tanquam principali agenti in omnibus. Hinc eſt, quod ſicut Deus res omnes ex nihilo creauit, ita efficere poteſt vt omnes denuo in nihilum redigantur, non quidem actu contrario eas perdendo, ſed ceſſando ab earumdem conſeruatione. Quia tamen Deus res omnes ad manifeſtandam gloriam, bonitatis, ſapientiæ, potentiæque ſuæ creauit, non ſinit eas in nihilum abire, ne aliquo modo videatur gloriam ſuam obſcurare. Vnde conſeruat omnes ſecundum propriam earum naturam. Spirituales, quæ naturaliter non deficiunt, ſemper. Corporales autem pro ratione naturalis conſtitutionis earum. Vnde qui inordinatè viuendo, naturam ſuam deſtruunt, citius moriuntur.

76. Quæres 3. quam habeat Deus poteſtatem in omnes res huius mundi? Reſp. quod Deus poteſt 1. immediatè ex quacumque materia quamlibet rem producere, cum initio abſque materia omnia produxerit, & quod Deus operatur per cauſas ſecundas, poteſt ſine eis ipſe ſolus efficere. Sic poteſt ex lapidibus homines, ac filios Abrahæ facere. Secundò poteſt

poteſt ſua potenti virtute res quaſcumq; vt voluerit, mouere; mouet tamen pro ſua ſapientia fortiter, & ſuauiter ſecundum proprias earum naturas. Tertiò poteſt Deus immediatè illuminare hominis, Angelique intellectum ad actu intelligendum, immittendo ſpecies quarumcumque rerum. Item poteſt mouere hominis, Angelique voluntatem ad volendum, & appetendum quodlibet bonum, mouet tamen non auferendo arbitrij libertatem. Quartò operatur Deus in rebus intimè vt *finis* rerum omnium, vt *efficiens* conſeruando rerum eſſe, &c. vt *forma* quatenus dat rebus omnibus ſuas formas, & virtutes.

77. Quintò, poteſt Deus aliqua facere contra communem naturæ curſum, cum ſit totius naturæ auctor, quæ autem ſic facit Deus non deſtruunt naturam, ſed ornant, & perficiunt. Quando Deus facit aliquid contra communem naturæ curſum, quod tamen habet cauſas occultas, aliquibus notas, illud dicitur mirum; vt ſunt ecclypſes ſolis, & lunæ, quarum cauſas ſoli mathematici norunt. At quando aliquid facit, quod nullam habet certam cauſam in natura, dicitur miraculum, quaſi admiratione plenum. Quę autem à ſolo Deo per nullas alias cauſas fieri poſſunt, propriè non dicuntur miracula, vt creatio, impij iuſtificatio, &c. Quando autem ea quæ ex naturalibus cauſis certo ordine fieri poſſunt, & præter illum ordinem fiunt, miracula dici merentur, vt febris, & aliorum morborum ſubita curatio, Apoſtolorum ſcientia, & horum ſimilia.

78. Sextò, quantum attinet ad miracula, nulla apud Deum eſt differentia poteſtatis in faciendis maioribus, & minoribus, quod ſi fiat comparatio inter ipſos effectus miraculoſos, tunc *maxima* dicuntur miracula quæ præter omnem naturæ ordinem eueniunt, vt ſolis regreſſus, corporum glorificatio, &c. Ea autem dicuntur miracula *maiora* quæ nõ ſunt præter naturæ ordinem, licet fieri nequeant à cauſis naturalibus, vt illuminatio cæcorum, ſuſcitatio mortuorum, & ſimilia, quæ in ordine ad Sanctorum canonizationem dicuntur miracula primæ claſſis. Illa denique dicuntur miracula *magna*, quæ naturaliter quandoque fiunt, ſed nõ eo modo, & ordine, quæ in ordine ad canonizationis dicuntur ſecundæ claſſis, vt ſubita morborũ curatio, ſubita pluuiarũ excitatio, tempore ſereno, ſubita ſerenitas ex nubilo, &c. vt factum legimus 1. *Reg.* 12. ad preces Samuelis Prophetæ, & 3. *Reg.* 18. ad orationem S. P. & Prophetæ N. Eliæ. Videatur D. Thomas 1. *p.* *q.* 105. per octo articulos.

79. Quæres 4. quanta futura ſit mũdi duratio? Reſp. quod licet mundi finis incertus ſit, eum tamen præcedent nõ nulla ſigna vt defectio Romani Imperij, & Regum ac Principum diſceſsio ab eodem Romano Imperio. Horribilis Antichriſti perſecutio, de quibus Apoſtolus 2. *Theſal.* 2. *Et Matt.* 24. *Apocal.* 11. & alibi. Poſtquam autem tempus à Deo præſtitum præfinitumque aduenerit, immittet ignem de cœlo horribilem, omnia comburentem. Huius ignis ſpecies idẽ erit cum igne elementari, & à Deo excitabitur ex omnibus cauſis quæ poſſunt ignem producere, augebiturque ab ipſo ſicut auxit pluuias, & aquas diluuij. D. Tho. *in ſupplem.* *q.* 74. *art.* 3. Iſte ignis non deſtruet, ſed purgabit elementa abſumendo contrarietates qualitatum, & quicquid eſt materiæ corruptibilis, vt in nouum ſtatum mutari poſſint; etenim omnis creatura propter hominem facta eſt, vt ſcilicet ſeruiret hominis neceſſitatibus, & ſic translato homine de hoc mundo, ceſſabit ſeruitium omnis creaturæ, ob idque mutabuntur in ſtatum meliorem. D. Tho. *loco citat. art.* 5. Illud tamen obſeruandum eſt, quod iſte ignis vniuerſalis conflagrationis nõ aſcendet ad cœlos neque ad ſphæram ignis, neque ad tertiam aeris regionem, quia iſta cum pura ſint non habent opus tali purgatione; purgabuntur autem cum ipſorum motus, & operationes diuina virtute ceſſabunt; qua ratione Ioan. Apocal. 12. dicit. *Et vidi cælum nouum & terram nouam. Primum enim cælum, & prima terra abijt, & mare*

iam

Digitized by Google

iam non eſt. Idem ignis purgabit homines qui tunc erunt viui redigendo eorum corpora in cineres. Mali ex eo grauem ſentient dolorem; qui nihil purgandum habebunt, nullum; at mediocriter boni aliquem ſentiēt dolorem pro ratione pœnarum, &c. D. Tho. *ibid. art.* 8. Facta hac purgatione fiet poſtea iudicium nouiſſimum, data iudicis ſententia contra impios ille ignis inuoluet eos, & ſecum præcipitabit in infernum cum omnibus ſordibus totius mundi purgati. D. Tho. *ibi art.* 7. *&* 9. Mundus ergo cum ſordibus durabit vſque ad finem. At fine ſordibus, & omnino purgatus durabit in æternum.

80. Quæres 5. quot ſint anni mundi? Reſp. dari quatuor anni ſpecies, ſcilicet annus *ſolaris, lunaris, magnus, & emergens.* Annus ſolaris ſumitur à motu ſolis, & eſt duplex, *Aſtronomicus*, & *ciuilis*, ſeu *vſualis*. Annus *Aſtronomicus*, eſt illud ſpatium temporis quo ſol proprio motu, ſolum percurrit Zodiacum ab occaſu in ortum, initio ſumpto ab aliquo certo puncto, vt à primo puncto Arietis, donec ad idem punctum reuertatur, & hoc temporis ſpatium complectitur dies 365. horas 5. & aliquot fragmenta; & iſte annus à die 21. Martij quando ſol ingreditur ſignum Arietis, exordium ſumit.

81. Annus ciuilis, ſeu vſualis eſt etiā duplex, communis, & biſſextus. Communis conſtat diebus 365. at biſſextus habet dies 366. Superat autem annus biſſextus communem, quod in communi non computantur horæ, & minuta anni Aſtronomici, bene tamen in biſſexto. Eccleſia Catholica inchoat annum in officio diuino, à prima Dominica Aduentus; in foro tamen, & negotijs ciuilibus ab initio Ianuarij cum Romanis, quod eſt prope ſolſtitium hyemale, quoniam Eccleſia ſub Romano Imperio nata, & educata eſt.

82. Annus Lunaris à motu lunæ deſumitur, & diuiditur pariter in aſtronomicum, & ciuilem, ciuilis ſubdiuiditur in communem, & emboliſmicum. Annus Lunaris Aſtronomicus habet 12. lunationes, quæ conficiunt dies 354. Annus lunaris ciuilis communis habet 12. lunationes & dies integros 354. interdum vno die minus, ſed raro; ideo prior vocatur plenus, & poſterior cauus, ſeu deficiens.

83. Annus Lunaris Emboliſmicus, ſeu intercalaris habet lunationes 13. ob fragmenta anni Aſtronomici Lunaris. Vnde iſte annus habet dies 384. interdū, ſed raro, vno minus. Annus magnus eſt, cum ſeptem planetarum orbes, & omnia ſydera quæ cœlum ſtellatum habet, ad idem ſignum, eundemque locum, vbi quondam ſimul fuerant, iterum redeunt, ita vt nec vna quidem ſtella ſit in alio loco quam in quo fuit cum omnes aliæ moueri cœperunt. Huius anni durationem diuerſi diuerſam faciunt, nam Phyſici apud Macrobium conſtituerunt annos cōmunes quindecies mille: alij pauciores, vt notauit Rutilius Benzonius *lib. de anno Iubileo primo cap.* 7. & dictus eſt annus magnus communis. Annus autem magnus ſpecialis eſt ſpatium temporis quo quilibet Planetarum complet hunc perfectum curſum, quod quando fiat explicat idem auctor. Demum annus emergens eſt ille qui ab aliquo memorabili euentu ſumit initium. Apud Iudæos fuit duplex annus, ſcilicet vulgaris, & ſacer. Vulgarem incipiebant in Septembri. Sacrum in Martio, quo per Moyſem educti ſunt de Aegipto de quo *Exod.* 12.

84. Aliqua etiam placet hoc loco notare de anno Iubilæi. Vox Iubilæi non eſt deducta ex verbo latino iubilo, ſed ex hebræo Iobel, vt notauit Liran. *Leuit.* 23. & buccina interpretatur, quia apud hebræos iſte annus buccina, inchoabatur, & à quinquageſimo in quinquageſimum celebrabatur. Vocabatur etiam annus remiſſionis, quia tunc fiebat remiſſio ſeruitutis hominum, remiſſio etiam fiebat agrorum, &c. vnde quinque remittebantur, ſcilicet ſeruitus, debita, prædia diuendita, exilium, & delicta. Iſte annus Iubilæi, erat apud Hebræos. In Eccleſia catholica fuit vniuerſalis Iubilæus remiſſionis omnium peccatorum per Chri-

ſtum D. Redemptorem noſtrum, quando in cruce pro noſtris peccatis pleniſſimè ſatisfecit. Alius etiam Iubilæus datus fuit per Spiritum Sanctum in die Pentecoſtes. Deinde datur Iubilæus Eccleſiaſticus, & dicitur annus ſanctus; & datur etiam alius Iubilæus cum Summus Pontifex de Eccleſiæ theſauro ſpirituali, qui conſtat ex meritis, & ſatisfactionibus Chriſti D. & Sanctorum, concedit pleniſſimam totius pœnæ temporalis condonatis peccatis debitæ, remiſſionem, impoſito aliquo opere, confeſſione, & communione.

85. Quantum ad mundi durationem Antonius Poſſeuinus *lib.2.cap.26.Bibliot. ſelecta* poſt alios dicit, quod mundus à creatione vſque ad Chriſti D. Natiuitatem durauit *annos* 4090. Quantum autem mundus ſit duraturus vſque ad finem, aliqui dicunt, quod debeat durare *annos* 4090. colligunt ex illo Abacuc. *In medio annorum viuifica illud*, quod ſcilicet Redemptio ſit facta in medio annorum. Alij dicunt, quod debeat durare ſexies mille. Alij alia dicunt, ſed veritas eſt, quod nemo nouit hoc, colligitur ex illo Matt. 24. *Vigilate ergo, quia neſcitis diem, neque horam*, & ex illo ibid. *Sicut fulgur exit ab Oriente, & paret vſque in Occidentem, ita erit aduentus filij hominis.* Et *de die illa nemo ſcit*, &c.

86. Quæres 5. an mundus in fine ſit innouandus? Reſp. affirmatiuè, nam quantum ad corpora cœleſtia certum eſt, quod accipient quandam claritatem ſiue naturalem, ſiue ſupernaturalem vt ſic quandam habeant proportionem ſtatui gloriæ. Vnde Iſa. 30. dicitur. *Et erit lux lunæ ſicut lux ſolis, & lux ſolis erit ſeptempliciter, ſicut lux ſeptem dierum.* Communiter tenetur quod ſitus ſolis erit in Oriẽtẽ, & ſitus lunæ ex aduerſo in Occidente. Elementa etiam accipient claritatem à Deo; nam cum ſol, & luna tunc non amplius mouebuntur, non poterunt in omnibus partibus lucere, & ſic habebunt proportionatam lucem; quare terra erit perlucida in ſuperficie, non in centro, neque prope centrum nè damnati ea luce fruantur, & ſic in ſuperficie erit lucida vt vitrum illuminatum. Aqua erit vt chriſtallus; Aer vt cœlum: Ignis vt luminaria cœli, non tamen cum radiorum miſſione. Faciet autem Deus hanc innouationem in commendationem ſuæ ſapientiæ, potentiæ, & benignitatis erga homines, vt hi poſt reſurrectionem gaudium etiam habeant accidentale, ex viſione innouationis mundi per oculos corporum glorificatorum. Videantur D. Thomas ſupplement. *q.* 91. *ferè per totum*, & Scolaſtici *in* 4. *diſt.* 47.

DVBIVM VI.

An Deus potuerit producere aliquam creaturam permanentem ab æterno.

87 Prima ſententia eſt, quod Deus ab æterno non potuit producere aliquam rem permanentem. Sic Magnus Albertus, Marſil. Henricus, & plures antiqui, & moderni, quos refert, & ſequitur Camerarius *hic diſp.*23. Idem tenent Toletus, Valleſius, & alij relati à N.Complut. *diſp.*29.*q.*3. *n.*17. Referentes aliquos Sanctos Patres; nam S.P. Auguſt. 12. *de ciuit. cap.* 15. dicit non potuiſſe Angelos eſſe coeternos ſuo creatori. D.Ambroſ. *lib.*1. *exam. cap.* 3. idem tenent D.Damaſc.*lib.*2.*fidei cap.* 8. Hugo Victorin. *lib.* 1. *de ſacram. cap.* 10. & alij. Sed Sancti Patres vt notat D. Thomas *in opuſc. de æternit. mundi, quod eſt* 29. ſolum volunt quod nulla creatura poteſt eſſe coeterna Deo immutabiliter, *quia* hoc modo ſolus Deus eſt *immutabiliter* æternus, & à ſe, creatura autem ſi eſſet ab æterno, eſſet adhuc mutabilis, & ab alio, ſcilicet à Deo, ac proinde hoc modo nulla creatura eſt Deo, nec eſſe poteſt coeterna.

88. Noſtra ſententia ſeq. concl. explicatur. *Potuit Deus ab æterno producere aliquam creaturam permanentem, vt Angelum, hominem*, &c. Hanc concl. à fortiori tenebit Ariſtoteles, & teneret omnes illi Philoſophi antiqui qui poſuerunt mundum ab æterno, & de facto tenent Caiet.

Na-

Nauar. Bann. Capreol. Durand. & alij plures quos referunt, & ſequuntur N. Complut. *loco cit. nu.* 23. Vnde D. Thomas opuſc. citato dicit. *Quod ſi pes ſemper ex æternitate eſſet in puluere, ſemper ei ſubeſſet veſtigium, quod tamen veſtigium ex calcante factum nemo dubitaret, nec alterum altero prius eſſet, quamuis alterum ab altero factum eſſet.*

89. Probatur 1. communi argu. nam non repugnat neque ex parte Dei, neque ex parte effectus, neque ex parte modi fiendi ex nihilo; ergo nullo modo. Antecedens probatur: non repugnat ex parte Dei, nam erat æquè potens ab æterno, ac fuit in tempore, ſed in tempore mundum creauit, vt fides docet, & confitemur in ſymbolo cum dicimus: *Credo in Deum, Patrem omnipotentem, Creatorem cœli, et terræ*, &c. ergo quantum eſt ex parte diuinæ omnipotentiæ potuit Deus ab æterno producere aliquid permanens. Non repugnat ex parte effectus, nam de facto res permanentes ſunt à Deo creatæ in tempore, ergo quantum eſt ex parte ſua potuerunt etiam creari ab æterno; ratio namque æternitatis, aut temporis, non auget maiorem difficultatem vt res creetur. Neque tandem repugnat ex parte modi fiendi ſcilicet ex nihilo, quia iſte modus iam fuit in tempore, ac proinde quantum eſt de ſe potuit etiam eſſe ab æterno.

90. Probatur 2. Nam ſi aliqua creatura eſſet ab æterno poſſet producere ſuũ effectum, imò de facto illum produceret ſi aliunde non impediatur; vnde ſi ſol eſſet ab æterno illuminaret, ſi ignis eſſet ab æterno, & eſſet applicatus manui, illam calefaceret, &c. Sed Deus eſt ab æterno, & eſt multò potentior ſole, aut igne ad producendum quod vult, ergo potuiſſet ab æterno producere aliquam creaturam permanentem, ſi voluiſſet.

91. Occurrit Pontius *diſp.* 21. *qu.* 4. *nu.* 34. quod hæc probatio non ſufficit, quia ſi creatura eſſet ab æterno eo ipſo non repugnaret quod alia creatura eſſet ab æterno, & conſequenter non repugnaret quod produceret aliam, imò neceſſariò illam produceret ſi eſſet ſufficienter applicata; at illa hypotheſis eſt impoſſibilis in ſententia aduerſariorum. Confirmat, vt ipſe dicit, clariſſimo exemplo, nam hæc conſequentia optima eſt. Si homo eſſet ſpiritualis, & productiuus alterius hominis, poſſet producere alium hominem ſpiritualem, & tamen non ſequitur; ergo Deus qui eſt maioris actiuitatis poteſt producere hominem ſpiritualẽ.

92. Sed contra, quia non ita facile negari debet illa ratio quam fatetur eſſe D. Auguſtini, vt reuera eſt, ſic enim dicit libro 6. de Trin. cap. 2. *Non pugnare cum productione rerum vt effectus ſit quando cauſa exiſtit, et vt aliquid ab alio prodiens ſit ſimul cum principio à quo prodit; nam ſplendor ab igne prodit, qui ſimul eſt cum igne, ex quo enim ignis eſt, ſplendor eſt, et ſi ignis eſſet ab æterno, ab æterno quoque eſſet ſplendor.* Ex qua doctrina ſoluit Sanctiſſimus, & doctiſſimus Pater argumentum quorundam Arianorum, negantium æternitatem filij in diuinis. Sic enim argumentabantur. Nihil quod ab alio eſt, poteſt illi eſſe coeternum, ſed filius eſt à Patre, ergo non poteſt eſſe coeternus Patri. Reſpondet doctiſſimus Auguſtinus, falſam eſſe propoſitionem, rectè enim poteſt illud quod eſt à principio, eſſe illi coeternum; & affert exemplum traditum de igne, & ſplendore à ſe diffuſo. Nec confirmatio illius auctoris eſt ad rem, quoniam in argumentationibus cõconditionalibus non agimus de veritate conſequentis abſolutè, vel de illius poſſibilitate, ſed ex hypotheſi; vnde optima eſt argumentatio, *homo volat, ergo habet alas*, vbi conſequens non eſt abſolutè verum, ſed ex hypotheſi. Sic licet ignis ab æterno non ſplendeat, tamen dato quod ignis eſſet, ſplenderet. Vnde cum ab æterno ſit ignis ille diuinus, ſcilicet Deus, potuit aliquid producere, ſi voluiſſet.

93. Probatur 3. nam cauſa quæ in inſtanti operatur, & in ſua operatione non habet contrarium, poteſt habere effectum eternum, ac coeternum; ſed Deus operatur in inſtanti, & nullum habet contrarium; ergo poteſt habere effectum

coeternum; inter cauſam namque, & effectum non eſt neceſſaria præcedentia temporis, ſed ſufficit præcedentia naturæ. In hoc enim diſtinguuntur cauſæ, quæ operantur ſucceſſiuè, ab illis, quæ operantur in inſtanti, quod in iſtis ſufficit præcedentia naturę, quicquid ſit de illis.

94. Neque hæc ratio placet Pontio ſupra *n.* 35. quia, inquit, nam ex eo non poſſet Deus producere creaturam ab æterno, quia præceſſio durationis requiratur in cauſa ad effectum; ſed ex eo quod æternitas non poſſet competere creaturę, nam Deus præcedere debet creaturam ratione ſuæ infinitatis, & limitationis creaturæ. Sed contra, nam ex eo quod creatura eſſet ab æterno, non tolleretur Dei infinitas, & creaturæ limitatio; ergo, malè dicit iſte, quod creatura non poteſt eſſe ab æterno, quia æternitas creaturæ tolleret infinitatem Dei, & creaturæ limitationem. Antecedens probatur, nam data creatura ab æterno, adhuc Deus eſſet prima cauſa, & creatura eſſet ens ab alio; ergo adhuc ſaluaretur infinitas Dei, & limitatio creaturæ. Antecedens concedit ille quatenus dicit quod illa repugnantia non oritur ratione cauſæ, ſed ratione æternitatis. Tum quia tunc temporis æternitas Dei eſſet æternitas à ſe, & æternitas creaturæ eſſet æternitas ab alio; æternitas autem ab alio non repugnat æternitati à ſe, aliàs viſio beata nõ menſuraretur æternitate participata, nec vlla res poſſet eſſe æterna neque à parte poſt; ſi enim æternitas à parte ante licet participata repugnat per illum auctorem æternitati à ſe, & per eſſentiam, eandẽ repugnantiam habebit æternitas participata à parte poſt cum æternitate per eſſentiam.

95. Probatur 4. quoniam ſi Deus eſſet cauſa neceſſaria, & operaretur ex neceſſitate naturæ, neceſſariò produxiſſet creaturas ab æterno, ſed non minus potens eſt Deus vt agens liberum, quam eſſet, ſi eſſet agens neceſſarium; ergo ſi vt agens neceſſariũ produxiſſet res permanentes, & quæ poſſunt ſimul produci, ab æterno; ergo cum ſit agens liberum, etiam ens producere potuiſſet. Maior conſtat, nam agens neceſſarium non expectat tempus vt agat, ſed ſtatim ac eſt, agit, vt patet in ſole, qui in eodem inſtanti ac eſt, illuminat; & ignis in eodem inſtanti ac eſt, calefacit, &c. Minorem non negabunt aduerſarij, ergo, &c.

96. Occurrit Pontius loco citato, quod non ſequeretur vllo modo, quod Deus produceret ab æterno ſi eſſet cauſa neceſſaria, quia talis productio repugnat creaturis ſecundum aduerſarios. Sed contra, nam quoties cauſa eſt neceſſaria, producit effectum neceſſariũ, nec requiritur in iſtis cauſis præcedentia temporis, ſed ſufficit præcedentia naturæ, cum in iſtis agentibus neceſſarijs in inſtanti operantibus ſit idem facere, & poſſe facere; & in effectibus ſit idem fieri, & factum eſſe. Nec valet quod ea productio ab æterno repugnet creaturis, tũ quia quoties non repugnat cauſæ facere, nec repugnat creaturæ fieri, cum effectus, & cauſa dicantur ad conuertentiam. Tum etiam quia Deus in tempore produxit creaturas, & creaturæ potuerunt produci; ergo etiam potuiſſet Deus eas producere ſi fuiſſet agens neceſſarium, & creaturæ potuiſſent produci. Sicuti ſi ignis eſſet agens liberum, & modo poſſet producere calorem, & ſemper potuiſſet producere, etiam ab æterno, ſi tunc fuiſſet applicatus, quod enim non repugnat fieri liberè in tempore poteſt eodem modo fieri ab æterno, & quod neceſſariò fit in tempore eodem modo potuit fieri ab æterno, ſi ab ęterno cauſa detur, & potens, vt eſt Deus.

97. Probatur 5. nam ſi ob aliquam rationem creaturæ permanentes non poſſent eſſe ab æterno, maximè quia repugnat creaturam v.g. Angelum fieri ab æterno ex nihilo, ſeu vt dicunt aduerſarij quia repugnat quod id quod fit ex nihilo ſit ab æterno; ſed hoc eſt falſum, ergo nõ repugnat quod Angelus v.g. fuerit ab æterno productus. Maior eſt fundamentum aduerſariorum. Minor probatur, nam id de cuius ratione non eſt antecedere

dere creaturam poteſt eſſe æternum, ſeu ab æterno cum creatura, ſed *nihil* eſt æternum, & non eſt neceſse quod antecedat creaturam; ergo, &c. Quod *nihil* ſit æternum concedunt aduerſarij, propterea volunt, quod cum *nihil* ſit æternum, non poteſt non præcedere duratione creaturam ex quo ſit. Quod autem non ſit neceſſe quod *nihil* præcedat creaturã, probatur, nam creatura non dicitur fieri ex nihilo, quia nihil ſit materia, aut ſubiectum illius, & ſic præcedere debeat, aut ex eo quod fieri ex nihilo ſit fieri poſt nihilum, quaſi nihilum denotet aliquem ordinem ſicut durationis, aut affirmatiuum, ſeu poſitiuum ad eſſe; ſed creatura dicitur fieri ex nihilo, ideſt non ex aliquo ex nullo præſuppoſito ſubiecto, vt in ſuo Monologio *cap.8.* tradit D. Anſelmus, & cum eo omnes Philoſophi, & Theologi. Sed non fieri ex aliquo tanquam ex termino *à quo* non denotat præcedentiam durationis, ſed potius illam excludit, cũ dicat materiæ, aut ſubiecti negationem, quod potius æternitati competit, quam tempori, ergo, &c. Soluuntur argum. in contrarium.

98. Primum argum. Creatio eſt productio entis ex nihilo, ſed quod producitur ex nihilo non poteſt eſſe ab æterno; ergo, &c. Minor probatur, nam quod producitur ex nihilo, prius debet eſſe ſub nihilo; quam ſub eſſe, ac proinde debet præcedere nihilum illius, quod creatur ſuam creationem, ergo non poteſt eſſe ab æterno, quod enim eſt ab æterno, ab æterno debet habere, quod nihil præcedat, neque ipſum non eſſe. Nec valet dicere, quod non eſſe, ſeu nihilum præcedat eſſe ſolum natura, non tempore, aut duratione, nam contra eſt, quia ex hoc ſequitur apertum, & manifeſtum abſurdum, quod in eadem prorſus duratione, eſſent ſimul eſſe, & non eſſe: eſſe & nihilum ipſius. Reſp. ex dictis nu. præcedenti, quod cum dicimus rem fieri ex nihilo, *ly ex* non dicit præcedentiam nihili, aut non eſſe, ita quod prius res ſit ſub non eſſe, ſeu ſub nihilo, & poſtea ſub eſſe, ſed illa particula *ex* dicit rem fieri ex nullo ſubiecto, ex nulla materia, ex nullo termino *à quo*, ſub quo prius ſit. Vnde non ſequitur, quod in eadem duratione ſint ſimul eſſe, & non eſſe, eſſe, & nihilum ſui, ſed quod res fiat ex nulla materia. Poteſt tamen dici, quod prioritate rationis, non naturæ realis, res prius concipiatur per intellectum ſub nõ eſſe, ſeu ſub nihilo, & poſtea ſub eſſe, ſed hoc non officit æternitati, cum non ſit prioritas realis, ſed rationis.

99. Secundũ argum. Si aliqua creatura permanens fieret ab æterno aut fieret per motum, aut per ſimplicem emanationem, ſeu in inſtanti; neutrum dici poteſt; ergo creatura non poteſt eſſe ab æterno. Minor probatur, nam quæ fiunt per motum non poſſunt eſſe æterna, cum motus præcedat tempore terminum per illum productum. Neque per ſimplicem emanationem, ſeu in inſtanti, quæ enim ſic fiunt, debent habere determinatũ inſtans in quo fiant; fitio namque determinata debet eſſe in menſura determinata. Reſp. quod ſi res producatur ab æterno, neque produceretur per motum ob rationem dictam, neque per ſimplicẽ emanationem, ſeu in inſtanti neque determinato vt paſſiones, & proprietates, neque in inſtanti indeterminato, quoniã ab æterno ſicut non datur tempus in quo res creentur, neque dabuntur inſtãtia in quibus fiant rerum creationes, an autem res ſucceſsiue poſſint eſſe ab æterno, dicetur dub. ſeq. Dicentur autem tunc res produci in æternitate. Quod ſi per inſtans intelligant ipſam æternitatẽ, quæ nonnunquam vocatur inſtans, ex eo quod nullam habeat ſucceſſionem, tunc dicentur res fieri in inſtanti. Et ſi per ſimplicem emanationẽ intelligant actionem creatiuam, qua tunc res eſſent à Deo, etiam concedi poteſt, quod res fierent per ſimplicem emanationem à Deo.

100. Tertium argum. nam Deus nõ poteſt creare aliquam creaturam omnipotentem infinitam, omniſciam, &c. ergo neque æternam. Antecedens admittunt omnes; omnipotentia namque eſt incommunicabilis, vt docent Scholaſtici *in 1.*

in 1. *diſt.* 43. infinitas etiam eſt incommunicabilis, vt ſupra vidimus oſtendentes non poſſe dari infinitum in actu, &c. Conſeq. probatur, quoniam id quod eſt æternum non poteſt fieri temporale, vt Deus; ergo neque id quod eſt temporale vt creatura, poterit fieri æternum. Tum quia omnia Dei attributa ſunt æquè incommunicabilia, & ſi ſemel vnum poſſet creaturæ communicari, poſſent communicari alia. Reſp. concedendo antecedens, & diſtinguendo conſequens; non poteſt Deus producere creaturam æternam æternitate propria Dei, ſeu quæ eſt proprium attributum Dei conceditur: nō poteſt producere creaturam æternā æternitate non propria Dei, negatur. Aeternitas ergo propria Dei eſt carentia tum principij, tum finis à ſe, ſeu eſt menſura ſine principio, & fine, emanans, & menſurans diuinam eſſentiam. At æternitas non propria Dei, & quæ creaturis poteſt competere eſt carentia principij, & finis, non à ſe, ſed à Deo, & emanaret per virtutem Dei à creatura ſi ab æterno crearetur, eamque menſuraret.

101. Quartū argum. Si mundus quoad res permanētes potuiſſet eſſe ab æterno iam de facto fuiſſet ab ęterno, ſed de facto non fuit ſecundum fidem; ergo neque eſſe potuit. Maior probatur, nam in æternis idem eſt eſſe, & poſſe, ergo ſi mundus potuit eſſe ab æterno iam de facto eſſet. Tum quia in æternis potentia ſemper eſt cum ſuo actu coniuncta; ergo ſi mundus potuit eſſe, debuit eſſe, vt ſic potentia ſit cum ſuo actu copulata. Reſp. negando maiorem. Ad probationem dico quod in æternis à ſe, idem eſt eſſe, & poſſe, ac proinde in Deo qui eſt ęternus à ſe idem eſt poſſe eſſe omnipotentem, ſapientem, iuſtum, &c. non ſic in ęternis ab alio. Vel dicas, quod, etiam in ęternis ab alio, vt eſſent creaturæ ſi ab æterno fuiſſent, ex ſuppoſitione quod ſic eſſent, quoad eſſe, idem eſſet poſſe eſſe, & actu eſſe. Et ſic in æternis ab alio, ſeu in æternis æternitate participata, non eſt idem poſſe eſſe, & poſſe. Quod etiam currit in Deo in ordine ad ea, quæ poſſunt eſſe æterna æternitate participata; quoniam Deus ab æterno potuit creare, non tamen creauit, &c.

102. Quintum argūm. quod proponunt Capreolus, Durandus, & alij, nam ſi mundus eſſet ab æterno, aut ab ęterno produci potuiſſet, verum eſſet dicere, vel quod ſemper producitur quando eſt, vel quod non ſemper producitur, ſed aliquādo, quando ſcilicet non fuit, ſeu poſtquā non fuit. Non hoc ſecundo modo, quia quod producitur poſtquam non fuit, non producitur ab æterno, quod eſt ab æterno ſemper fuit, & quod aliquando non fuit, non ſemper fuit. Neque primo modo, nam ſi produceretur quando eſt, ſequeretur 1. quod mundus v. g. eſſet natura ſua ſucceſsiuus, quod enim continuò fit, ſucceſſiuè fit, ſi autem mundus produceretur quando eſt, cum ſemper ſit, ſuppoſito quod ſit ab æterno, ſemper produceretur, & ſic, eſſet quid ſucceſsiuum. 2. ſequeretur quod creatio non diſtingueretur à conſeruatione, eſt enim conſeruatio continuata productio, nam creatio eſſet ab æterno, non conſeruatio.

103. Reſp. quod ſi mundus fuiſſet ab æterno non poſſet dici quod produceretur quando non eſt, ſed quando eſt, ſeu in ea duratione in qua eſt, ſcilicet in æternitate; nec in æternitate productio præcedit productum, niſi origine, aut ratione, & quaſi natura. Nec ſequitur quod mundus eſſet quid ſucceſſiuum, quia ſucceſſiua non ſunt tota ſimul, at mundus tunc productus fuiſſet totus ſimul. Neque ſequitur quod creatio diſtinguatur à conſeruatione, eadem namque ratione qua Deus creaſſet mundum, eundem poſtea conſeruaret.

104. Sextum argum. nam abſurdum videtur facere creaturam æqualem Deo in duratione, ſed ſi mundus eſſet ab ęterno eſſet æqualis Deo in duratione; ergo, &c. Careret namque principio, & fine vt Deus, ergo. Reſp. quod data creatura ab æterno non ob id ęquaretur Deo in æternitate, nam æternitas Dei eſt per eſſentiam, & æternitas illius creaturæ eſſet per participationem. Tum quia æternitas

nitas Dei eſt menſura immutabilis, ſeu menſurat eſſe immutabile, at æternitas creaturæ, menſuraret eſſe mutabile.

105. Septimum argum. nam quod competit rei ex ſe, eſt prius eo quod cõpetit ei ex alio, ſed non eſſe competit rei ex ſe, & propriæ naturæ derelictæ, ergo non eſſe prius competit rei creatæ, quam eſſe, ac proinde nulla creatura poteſt habere eſſe ab æterno, cum eſſe creaturæ ſupponat non eſſe illius. Hoc argum. petit ſequentem §.

§. vnicus, an creatura ex ſe ſit non ens, ſeu an petat ex ſua natura non eſſe.

106. PRo intelligentia difficultatis notandum eſt, quod illa particula *ex ſe*, ſeu per ſe poteſt accipi in triplici ſenſu, ſecundum tres modos dicendi per ſe traditos ab Ariſt. *lib. 1. de demonſtr. cap.* 4. Primò quatenus ſignificat prædicatum eſſe de ratione ſubiecti, qua ratione animal in hac propoſitione *homo eſt animal* eſt de eſsentia hominis, & dicitur primus modus eſſendi per ſe. Secundò quatenus ſignificat ſubiectum eſſe de eſsentia prædicati, quomodo homo in hac propoſitione *homo eſt diſcurſiuus, aut riſibilis*, eſt de eſſentia, ſeu de ratione riſibilis, & dicitur ſecundus modus eſsendi, vel dicendi per ſe. Tertiò quatenus ſignificat ſubiectum ſolum, & nudè ſumptum, qua ratione dicimus naturam ex ſe, ſeu ſecundum ſe, neque eſſe ſingularem, neque vniuerſalem, ſed vtrumque poteſt ſibi accidere.

107. Conueniunt omnes, quod nulla creatura habeat eſſe ex ſe, cum enim eſſe cuiuſcumque creaturæ ſit ſecundum, ſit participatum, debet omnino eſſe ab alio ſcilicet ab ente primo, ab ente quod participat, ab ente per eſſentiam; quod enim eſt ex ſe, non poteſt non eſſe, cum habeat eſſe inſeparabiliter, & non poſſit non eſſe; omnis autem creatura poteſt nõ eſſe, &c. Conueniunt etiam omnes quod nulla creatura habeat ex ſe non eſſe, prout *ly* ex ſe accipitur in primo, & ſecundo modo eſſendi per ſe, nam non eſſe nõ poteſt eſſe prædicatum quod ſit de eſſentia ſubiecti, ſcilicet creaturæ, cum id quod eſt de eſſentia alterius, vt prædicatum illius, conſtituat illud, ac proinde debet eſſe quid poſitiuum, quod non cõuenit *non eſſe*. Neque poteſt *non eſſe* eſſe ſubiectum quod ſit de eſſentia prædicati, ſcilicet creaturæ, quia *non eſſe* non poteſt eſſe alicuius ſubiectum, ac proinde non poteſt eſſe de eſſentia creaturæ in ſecundo modo eſſendi per ſe.

108. Difficultas eſt, an *non eſſe* conueniat creaturæ in tertio modo eſſendi per ſe, quatenus creaturæ nudè conſideratæ, & ſecundum ſe conueniat *non eſſe*, ſeu petat non eſſe, aut petat eſſe. Prima ſententia eſt Durandi *in 2. diſt. 1. q. 2.* Gregor. apud Capreol. *in 2. diſt. 2. q. 1. ad 1. contra 1. concl.* & aliorum dicẽtium quod creatura ſecundum ſe, non eſt non ens, ſed ſecundum ſe eſt ens.

109. Noſtra ſent. ſeq. concl. explicatur. *Creatura ſecundum ſe nihil eſt, eſt non ens, ex nihilo producitur, & ſuæ propriæ facultati derelicta in idem nihilum abiret.* Vel enim loquimur de creatura ſecundum ſuam eſſentiam, hoc modo nihil eſt in ſe, eſt non ens, ſolum dicit non repugnantiã terminorum vt ſit. Vel certè loquimur de creatura vt iã eſt extra cauſas, & exiſtens, & hoc modo certum eſt, quod eſt ens, ac proinde non eſt non ens, ſed eſt ens. Vel tandem loquimur de creatura actu exiſtente, ſed ſecundum ſe, præſcindendo ab exiſtentia, & ab ordine ad Deũ tribuentem eſſe, & conſeruantem illud, & tunc licet ſit, non tamen petit à principijs ſuis intrinſecis eſſe, ſed potius non eſſe; cum enim ſit ſecundum ſe ex nihilo, etiã ſecundum ſe in nihilum tendit; vnaquæque namque res ſecundum ſe tendit ad proprium principium, & cum propriũ principium ſit nihil, ſuaptè natura, creatura ad illud tendit. Vnde ad hoc vt creatura in nihil abeat non eſt neceſſe quod detur actio creaturæ annihilatiua, ſed ſufficit quod Deus ceſſet ab illius conſeruatione; quocirca annihilatio non eſt actio ſed actionis conſeruatiuæ ceſſatio. Sic

tenent

tenent communiter Theologi poſt Capreolum loco citato.

110. Sed obijcies 1. nam id quod deſtruit naturam, non poteſt conuenire ſecundum naturam, ſed non eſſe deſtruit naturam creaturæ, ergo non poteſt illi ſecundum naturam conuenire. Maior patet. Minor probatur, nam omnis creatura eſt ens, ſed non ens, ſeu non eſſe deſtruit ens, ſeu eſſe, ergo non eſſe non poteſt conuenire creaturæ ſecundum ſe. Reſp. negando maiorem, nam eo ipſo quod eſſe creaturæ non eſt eſſe per ſe, & à ſe, ſed ab alio, & ex nihilo, oportet, quod eſſe creaturæ ſit tale eſſe, ſcilicet deficiens, quod ex ſe petat non eſſe, ac proinde ſi ſuæ naturæ relinqueretur, vt ſi Deus ceſſaret à conſeruatione, abiret in nihilum.

111. Obijcies 2. quoties aliquod prædicatum competit alicui ſubiecto ex ſe, ſuaque natura, tunc contrarium illius eſt contra naturam; ſed eſſe eſt prædicatum competens per ſe, ſeu ex ſe, ſuaque natura creaturæ; ergo eius contrarium ſcilicet non eſſe, erit contra naturam, ac proinde non eſſe, non erit ſecundum naturam creaturæ, ſed contra. Reſp. concedendo maiorem, quoties illa ſunt propriè contraria. At in noſtro caſu eſſe, & non eſſe non ſunt propriè contraria, quoniam eſſe creaturæ non eſt eſſe ſimpliciter, ſed ſecundum quid, admittens quoddam non eſſe, ſeu admittens limitationem, & determinationem, ac proinde vtrumque poteſt creaturæ competere.

DVBIVM VII.

An Deus ab æterno potuerit producere aliquid ſucceſſiuum, vt motum & tempus.

112. Prima ſententia eſt, quod motus, & tempus potuerint eſſe ab æterno. Pro hac concluſione citant N.Complut. *hic diſp.* 29. *q.*4. *n.* 38. Durandum, Sotum, Conimbric. Ruuium, Onniam, Placamſ, Suarez, & alios, & ſequuntur aliqui nouiores pro quo videri poteſt Pontius hoc loco. Vnde putant quod licet potuerit Deus creare cælos ab æterno, non tamen cum motu, ſed fuiſſet ſine motu per totam æternitatem.

113. Noſtra ſententia ſeq. concl. explicatur. *Potuit motus, & tempus eſſe ab æterno*, ac proinde potuit Deus creare cælos cum motu, ac ſubinde cum tempore, quod eſt menſura motus. Vnde ab æterno potuit eſſe motus circularis cælorum, aliarumque rerum, potuit eſſe motus rectus vt ab orizonte occidentali, in orientalem, & è contra, vt ſi Deus ab æterno creaſſet vnam tabulam, aut viam ab oriente in occidens potuiſſet teſtudo moueri per illam tabulam, & curſor per illam viam, vt cum perueniſſet ad occidentem reuerterentur ad orientem, & ſic in infinitum. Idem dico de motu augmentationis, & alterationis, quid autem dicendum ſit de generationibus, & corruptionibus, poſtea dicetur. Hanc concl. tenent N.Complut. cum communi Thomiſtarum, & tenet etiam Scotus cum ſuis. Eſt expreſſa Ariſtotelis ſententia quatenus poſuit motus cælorum ab æterno; in ea potiſſimum ratione fundatus, quod quando datur mobile debet etiam dari motus, ſed ab æterno datur mobile, ergo etiam dari debet motus. Quod fundamentum Ariſtotelis licet non probet de facto, cum Deus non ſit mobile neceſſarium, ſed liberum, & moueat quando vult, & quomodo vult, conuincit tamen de poſſibili, nam ſi Deus voluiſſet creare cælos ab æterno cum motu, eos creare potuiſ-

potuiſſet. Imò hæc veritas colligi poteſt ex ſenſu communi omnium gentium, putarunt namque omnes gentes, quod cælũ ſit Dei domicilium non ab alio artifice fabricatum, ſed à ſolo Deo, ac proinde putarunt Gentes, quod cum Deus ſit ęternus ſibi ſuum domicilium ab æterno fuerit fabricatus, & ſic cum motu. Ex hoc autem principio colligebant æternitatem domicilij Dei, quia nunquam viderunt cęlum corrumpi, nec ſecundum minimam partem, ac proinde illud putarunt æternũ, & proprium Dei domicilium, & ſic putarunt non repugnare quod cælum cum ſuo motu ſit æternum, quod fundamentum licet non probet cælum de facto eſſe æternum, probat tamen non eſſe repugnantiam; illud namque non debet iudicari repugnas, quod apud omnes nationes reputabatur actu factum. Probari etiam poteſt ex illo principio, quod *idem inquantum idem ſemper eſt aptum facere idem.* Sed Deus ab æterno, erat idem, cum eadem prorſus potentia, ac eſt in tempore, ergo quod fecit in tempore, potuit facere ab æterno. Cæterum veritas noſtræ concluſionis conſtat ex dictis dubio præcedenti, & magis conſtabit ex ſolutionibus argumentorum.

114. Primum argum. nam ſi motus, & tempus fuiſset ab æterno, iam daretur infinitum in actu à parte ante, licet enim modo, ſeu à parte poſt detur vltima cæli circulatio, & eſt hodierna, tamen à parte ante non daretur, ſed iam tranſijſſent infinitæ circulationes; item tranſijſſent infiniti dies, menſes, & anni; ſed hoc nequit dici etiam in ſententia Ariſtotelis, qui negauit infinitum in actu; ergo, &c. Nec valet reſpondere quod circulationes, nec tempus eſſent infinita ſimpliciter, & in actu, quia ad rationem infiniti ſimpliciter requiritur quod ſit totum ſimul, hoc autẽ conuenire nequit nec motui illi, nec tempori, vt patet. Nam contra eſt, inquiunt, quia tempus hoc quod fuiſſet ab æterno fuiſſet vnum continuum numero, vt Ariſtoteles ſupponit, nunquam enim cæli ceſſaſſent à motu, vnde licet illud tempus ratione partium finitarum ſit finitum dum fuit, tamen ratione totius ſui eſſe, ratione cuius maximè fuit dum fuit, non fuit finitum, aliàs non fuiſſet ab æterno; quare de toto illo tempore verum eſt dicere, quod totum fuit.

115. Reſp. ſuſtinendo traditam ſolutionem; cum enim infinitum in actu dicatur ab actu exiſtentiæ, ſequitur quod id quod non manet, ſed præterit vt eſt motus, & tempus non poſſit eſſe in actu, ac ſubinde nec infinitum. Quare dato tempore ab æterno fuiſſent quidem infiniti dies, infinitæ noctes, infiniti menſes, infiniti anni, infinita luſtra, &c. tamen non fuiſſent infinitum in actu, cum ex tot diebus, noctibus, &c. nihil ſit præſens niſi dies hodierna.

116. Secundum argum. nam de illo indiuiduo temporis, quod de facto ab æternitate vſque modo fuiſſet vnum numero continuum, & interruptum, verum eſſet dicere in hoc inſtanti, nunc eſt elapſũ totum, & de hoc nulla poteſt eſſe difficultas. Hoc poſito: vel eſt elapſum tempus infinitum, vel finitum ſimpliciter, vel finitum in infinitum ſcilicet ſyncategorematicè, & impotentia: non primum, vt ex ſe conſtat, aliàs non fuiſſet ab æterno. Neque tertium, quia implicat dicere de infinito ſyncategorematicè, quod ſit elapſum totum; ergo dici debet, quod ſit elapſum infinitum categorematicum, & ſimpliciter; & ſic duo habentur ex hoc argumento, vnum quod illud tempus ſit infinitũ ſimpliciter. Aliud quod infinitum ſit totum elapſum, quod eſt abſurdum, cum infinitum pertranſiri non poſſit. Reſp. quod cũ tempus in eo caſu quod fuiſſet ab æterno, ex qua parte eſt finitum, habet terminum & poteſt dici elapſum, at ex illa parte, qua nullum habet terminum, non poteſt dici elapſum. Sed detur quod de toto hoc infinito poſſet modo dici, quod totum eſt elapſum, & quod eſt elapſum infinitum, non tamen infinitum ſimpliciter, cum de huius ratione ſit quod ſecundum ſe totum & ſecundum omnes partes illius ſit ens in actu. Vnde dici debet, quod illud tempus nec eſt infinitum in actu, ob rationem dictam, nec in potentia, quia per hoc intelli-

telligimus illud quod habet infinitas partes in vno toto exiſtentes, & in infinitum diuiſibiles, vt ſunt partes quantitatis, partes autem motus, & temporis cum fluant, non exiſtunt in aliquo toto, nec ſunt potentia diuiſibiles. Reductiuè tamen poteſt tempus illud præteritum dici infinitū in potentia, quatenus eſt diuiſibile in infinitum à parte ante, nec vnquam poterimus pertingere ad primam, ſicut in quantitate nunquam pertingere poterimus ad vltimam.

117. Tertium argum. nam cum tempus præteritum,& motus præteritus eſſent vnum continuum ab æternitate vſque modo, eſſent nunc obiectiuè in mente Dei aliquid certum, & determinatum, & vnū numero; ergo in iſto tempore poſſunt valere omnes implicantiæ, quæ fieri ſolent contra infinitum in quantitate, & numero ſi darentur; nam ſine dubio in hoc infinito eſſent plures horæ quam dies; plures dies quam menſes; plures menſes quam anni; plures anni quam luſtra, &c. & ſic hoc tempus eſſet infinities infinitum,& dimidium ipſius eſſet infinitum,& ſic in vno infinito continuarentur infinita, quod & Ariſtoteles reputabat abſurdum. Deinde potuiſſet Deus hoc totum tempus diuidere in duas partes; de qua ſecunda parte inquiri poſſet an aliquando incæpiſſet, & ſic non fuiſſet ab æterno, neque infinita, neque fuiſſet dimidium infiniti, vel nunquam incæpiſſet, & ita ſimul fuiſſet cum alia priori parte, & tantumdem duraſſet ipſa ſola quantum totum tempus, quæ cum ſolui non poſſent in infinito quantitatis permanentis, neque etiam in infinito quantitatis ſucceſsiuæ ſolui poterunt, & & ſic neutrum dari poterit. Reſp. negando antecedens, ſi namque tempus, & motus eſſent ab æterno non eſſent quid determinatum determinatione intrinſeca in mente diuina, ſed tantum determinatione quadam extrinſeca, vt ſupra explicuimus de infinito; nec ea quæ obijciunt aliquid euincunt, ſolùm enim probant, quod ſi daretur infinitum, vnum eſſet maius alio materialiter, non formaliter, vt ſupra diximus de infinito.

118. Quartum argum. vt dicunt à priori eſt, nam id quod includit aliquod prædicatum repugnans cum æternitate non poteſt eſſe ab æterno; ſed tempus eſt huiuſmodi; ergo non poteſt eſſe ab æterno. Maior nota eſt. Minor probatur, quia tempus includit prius, & poſterius, ſed prius, & poſterius repugnant cum æternitate; ergo,&c. Minor probatur, nam æternum eſt id quod nihil habet prius,ac proinde quod habet prius non poteſt eſſe æternum. Nec valet dicere quod tempus habet prius, & poſterius in ſe, non autem extra ſe, ſi ſit æternum. Nam hoc etiam repugnat eſſe æternum, ſicuti ſi de eſſentia hominis eſſet vt caput deberet vno menſe præexiſtere pedibus, impoſsibile eſſet vt aliquis homo particularis eſſet ab æterno, quia tunc deberent eſſe ſimul & caput, & pedes, quod eſt contra eſſentiam hominis. Sic ergo cum tempus eſſentialiter in ſe ipſo includat prius, & poſterius, nullum eius indiuiduum poterit eſſe æternum, cū prius, & poſterius repugnent cum æterno.

119. Reſp. ſuſtinendo traditam ſolutionem. Solùm enim id quod eſt æternū à ſe excludit prius, & poſterius, non id, quod eſt æternum æternitate participata, vt ſunt motus, & tempus in dicto caſu. Nec valet probatio in contrarium, ſolum enim currit de priori, & poſteriori determinato, non de indeterminato, ſi enim tempus eſſet ab æterno nullum daretur prius in quo incæpiſſet,ſed ante hoc,aliud, & aliud in infinitum. Vnde cum *æterno* ſolum repugnat prius determinatum,*& poſterius* determinatum, non prius, *& poſterius* indeterminatum, &c.

120. Quintum argum. nam ſi motus & tempus, & idem eſt de qualibet alia re, vt v.g. de Angelo eſſent ab æterno, non fuiſſent producta ex nihilo, ac proinde non eſſent creatura; ergo implicat motum, & tempus, aut etiam Angelum eſſe ab æterno. Conſeq. conſtat, omnis namque creatura debet eſſe ex nihilo, ſaltem quādo primò producta eſt. Creari namque eſt quoddam fieri, & creatio eſt quędam factio. Antecedens probatur, nam cum dicimus creationem eſſe productionem

rei

rei ex nihilo, illa particula *ex* debet neceſſariò dicere habitudinem termini *à quo*, & non ſolùm negationem ſubiecti, vt ſcilicet tempus per creationem de non eſſe tanquam termino *à quo* ducatur ad eſſe, ſed ſi tempus eſſet ab æterno non fuiſset productum ex nihilo tanquam ex termino *à quo*, ergo non fuiſset creatum. Maior cõſtat ex contraria ratione, quia annihilatio eſt de eſſe tanquam ex termino *à quo*, ad non eſſe tanquam ad terminum ad quem; ergo creatio debet eſſe ex non eſſe tanquã ex termino *à quo*, ad eſſe tanquam ad terminum ad quem; neque enim nos habemus naturaliter alium conceptum factionis in genere, niſi quod omnis factio debeat eſse de non eſſe ad eſse tanquam inter duos terminos; & deſtructio è contra de eſse, ad non eſse, & hoc eſt notum lumine naturæ; quare ſi tempus ab æterno eſt factum, debet neceſsariò eſse factum ex nihilo tanquam ex termino *à quo*.

121. Modo probanda eſt minor, quia non eſse temporis quod ponitur terminus *à quo* creationis illius, vel fuit omnino ſimul cum eſse illius, & hoc eſt impoſsibile, cum eſse, & non eſse eiuſdem non ſint ſimul. Vel fuiſset prius tempore, & hoc etiam eſt impoſsibile, quia tunc tempus non fuiſset ab ęterno. Vel fuiſset prius inſtanti temporis, & hoc etiam eſt impoſſibile, quia illud inſtans in quo tempus nõ fuiſset, fuiſset primum inſtans in æternitate, & ſic tempus, & idem dic de motu, de Angelo, &c. incæpiſset extrinſecè in illo inſtanti.

122. Nec valet reſpondere, quod non eſse Angeli, vel tẽporis ſolùm fuerit prius natura ipſo eſse temporis, vel Angeli, quod hoc modo explicari poteſt; nam poſsumus intelligere Deum in aliquo ſigno liberum ad creandum, & non creandum tempus, vel Angelum, & in eo priori non intelligitur tempus, atque ita aliquo modo eſt non eſse temporis. In alio verò ſigno poſteriori intelligimus Deum volentem creare tempus, &c. & in hoc ſecundo ſigno intelligimus tempus tranſire de non eſse priori, ad eſse poſterius.

123. Sed contra arguunt, nam licet poſſimus omnia iſta intelligere, tamen illud non eſse temporis, vel Angeli eo modo intellectum in eo priori naturę, eſt non non eſse fictum, & imaginarium, & merũ ens rationis. At creatio realis, & vera vt eſset illa temporis, aut Angeli, non debet habere pro termino *à quo* ens rationis, quod non eſt niſi concipiatur; quod autem illud non eſse ſit ens rationis, patet, qui a ſi eſset non eſse verum, & reale, vt eſt non eſse negationis, eſset nemine cogitante, & non tantùm obiectiuè in intellectu; quod ſi eſt nemine cogitante, debet eſse pro aliquo inſtanti, vel tempore, imò pro tota ęternitate.

124. Reſp. ex dictis ſupra quod illa particula *ex* non dicit rationem termini *à quo*, ſed excluſionem ſubiecti; vnde idem eſt rem fieri ex nihilo, ac fieri ex nullo prǽſuppoſito ſubiecto. Cœterum productiones ſunt tranſitus de non eſse ad eſse, at creatio ex ſua ratione formali non dicit tranſitum de non eſse ad eſse; neque de termino *à quo* reali, ſiue poſitiuo, ſiue negatiuo, aut priuatiuo, ſed dicit formaliſsimè nouitatem eſsendi ex nullo prǽſuppoſito ſubiecto. Vnde creatio non ſupponit non eſse, neque in priori naturæ reali, ſed tantum rationis ex noſtro modo concipiendi. Per quæ manent ſoluta, quæ in contrarium adducuntur.

125. Sextum argum. nam ſi ab æterno poſset dari creatio temporis, vel motus aut Angeli, poſset etiam dari annihilatio, ſed annihilatio non poteſt dari ab ęterno, ergo neque creatio. Maior conſtare videtur, nam quoties poteſt dari vnum contrariorum, poteſt etiam dari aliud; ſed creatio & annihilatio ſunt contraria, nam illa tribuit eſse, hæc deſtruit. Minor probatur, nam ſi Deus crearet tempus, motum, aut quidpiam aliud, vt Angelum, non poſset ipſum annihilare per totam ęternitatem, & ſic non ſubderetur Deo liberè volenti annihilare, nam cum annihilatio ſupponat eſse non poteſt eſse ab ęterno, quod enim eſt ab æterno non ſupponit aliquid. Reſp. negando maiorem, cum enim annihilatio ſupponat eſse, non poteſt eſse ab æterno; cum illud eſse ſit æternum, ac proinde durans

rans per ęternitatem. Et ſic verum eſt, quod tunc tempus, vel Angelus non ſubderetur Deo quoad annihilationē in ęternitate; hęc tamen neceſsitas non eſt abſoluta, ſed ex ſuppoſitione, quod Deus voluiſset illam rem creare ab ęterno. Imo creatura ex tali creatione non contraxiſset neceſsitatem intrinſecam, vt non poſset annihilari, ſed eſset neceſsitas extrinſeca ex ſuppoſitione quod eſset creata ab ęterno, &c. Dici etiam poteſt quod annihilatio indeterminata poſsit eſse ab ęterno, eo modo corruptio, vt dubio ſequenti dicemus.

DVBIVM VIII.

Ab æterno an potuerint eſſe generationes, & corruptiones ſubſtantiales.

126. HVius dubij ſenſus eſt, an ſi Deus creaſset mundum ab æterno cum omnibus ſpeciebus, & indiuiduis vti modo eſt, potuiſsent eſse generationes, & corruptiones ſubſtantiales, vt modo ſunt, quatenus ſcilicet leo potuiſset generare leonem, & iſte alium, & ſic deinceps. Prima ſententia tenet, quod ab ęterno non potuerunt eſse generationes, & corruptiones, & ſic ſi Deus ab ęterno creaſſet ignem applicatum ſtupæ, nunquam eam comburiſset. Si creaſset duos leones, aut duos equos, &c. Maſculum, & fœminam, per totam ęternitatem non generaſsent, ſed debuiſsent expectare tempus, quod poſt totam æternitatē adueniret, ſic tenent omnes illi qui dicunt, quod ſolas res permanentes potuit Deus ab ęterno creare, non res ſucceſsiuas. Sic Conimbr. Ruuius, Placa, & alij hoc loco, Suarez *diſp.20. metaph. ſect.6.* quos ſequitur Ioan. à S. Tho. *qu.24.*

127. Secunda ſententia tenet, quod ſi ſemel ab ęterno poſsunt eſse, aliȩ generationes etiam humana poſset eſse. Sic Pontius *diſp.21. q.4. concl.3. n.58.* vnde citat Ioan. à S. Thoma dicentem, quod ſi ſemel poſsunt ab æterno eſse aliȩ generationes, poſset etiam eſse humana, cum ſit eadem omnium ratio, ac proinde cum humana eſse non poſsit, cum tunc daretur infinitū in actu animarum rationalium, quod implicat, idcircò neque aliqua alia eſſe poterit.

128. Noſtra ſententia ſeq. concl. explicatur. *Dempta generatione humana, omnes aliȩ potuerunt eſſe ab æterno.* Sic tenent Caiet. Nazar. Iauel. Capreol. & alij quos referunt, & ſequuntur N. Complut. *diſp.29. q.5. n.70.* & ſequuntur communiter Thomiſtæ, & alij plures ex modernis. Pro quo nota, quod cum quærimus an rerum generationes potuerint eſſe ab æterno, non eſt ſenſus an generatio particularis v.g. huius leonis, aut huius equi potuerit eſſe ab æterno, hoc enim manifeſtè implicat, hæc enim generatio equi ſupponit aliam, ſupponit enim equum patrem à quo eſt, &c. Sic hęc generatio particularis non potuit eſſe ab ęterno, ſed ſenſus eſt, an tota ſeries equorum potuerit eſſe ab æterno, ita vt hic equus fuerit ab alio genitus, & ille alius ab alio, & ſic in infinitum, & hoc modo ſeries equorum dicetur æterna ſine principio durationis.

129. Quod generationes humanæ nō potuerint eſſe ab æterno, non ratione ipſius generationis; aliàs nulla poſſet eſſe ab æterno, ſed ob rationem ſpecialem patet, quia ſcilicet daretur infinitum in actu, cum enim animæ rationales ſint immortales, ſi fuiſſet humana generatio, ſeu ſeries humanarum generationum ab æterno, iam modo eſſent infinitæ animæ exiſtentes à parte rei, cum iam tranſiſſent infinitæ generationes.

130. Quod autem aliæ generationes potuerint eſſe ab æterno. Probatur 1. nam vt ſupra vidimus, nō repugnans ſucceſsiua eſſe ab æterno; ergo neque repugnant generationes, & corruptiones. Conſeq. probatur, quia implicantiæ, quæ afferri poſſunt contra generationes, & corruptiones, militant etiam contra ſucceſsiua; ergo ſi non implicant ſucceſsiua, neque implicabunt generationes, & corruptiones. Antecedens oſtenditur, nam vt videbitur ex ſolutionibus argumentorum, implicantiæ, quæ fieri poſſunt contra æternitatem generationum, & corruptionum poſſunt reuoca-

uocari ad duas, vel ex eo quod includerēt rationem prioris, & poſterioris; vel quod ex ęternitate generationū ſequeretur proceſsus in infinitum; ſed iſtæ duæ implicantiæ militant etiam contra ſucceſsiua; nam ſi cæli motus eſset ab æterno includeret rationem prioris, & poſterioris, & ſequeretur proceſſus in infinitum in dictis circulationibus; ſed iſtæ implicantiæ non ſequuntur in ſucceſsiuis; ergo, &c.

131. Probatur 2. nam generatio animalis quantum ad ſuam eſsentiam dicit fœtus animationem, cum enim fœtus animatur anima animalis, animal generatur, & cum animatur anima vegetatiua, generatur vegetabile, &c. ſed nulla eſt implicantia quin poſſit Deus ab æterno creare v. g. leænam, aut equam, & ſimul in ventre animare fętum; ergo ſi ab æterno potuit Deus creare animalia, potuit etiam facere quod tunc eſsent generationes, ſed hæc magis conſtabunt ex ſolutionibus argumentorum.

132. Primum argum. Nulla generatio potuit eſſe ab æterno; ergo neque corruptio. Conſeq. conſtat, nam corruptio ſupponit generationem. Antecedens probatur, nam generatio fit per congreſſum maris, & fœminę, & per alterationem materiæ ex qua fętus formatur, & per multa alia quæ ſunt cum motu; ſed hæc non poſſunt eſse ab ęterno, ergo neque generatio. Minor probatur, quia alteratio, & materię diſpoſitio, quę pręcedunt fœtus formationem durant tempore finito, vel infinito, ſed quouis modo durent non poſsunt eſse ab ęterno. Si durant tempore finito, non ſunt ab æterno, ſi durant tempore infinito, nunquam ſequetur generatio niſi poſt tempus infinitum, ergo, &c. Reſp. 1. negando antecedens, nam in primis non loquimur de generatione, vt modo fit ſcilicet per congreſsum animalium, & per alterationem pręcedentem, ſed loquimur de generatione ſecundum ſe, & ſecundum ea quæ non implicant contradictionem; primo namque modo generatio ſupponit aliquid prius duratione, quod eſt contra rationem æternitatis. Reſp. 2. & melius, quod generatio dicitur poſſe eſse ab ęterno nō hęc vel illa particularis, ſed tota ſeries, quatenus nunquam poſsumus pertingere ad primam; vnde loquendo de quacumque generatione particulari, & determinatè ſupponit alterationem determinato tempore pręcedentem, at loquendo de tota ſerie, non eſt deueniendum ad aliquā quę ſupponat determinatè alterationem, aut congreſsum animalis determinatum, ſed indeterminatè, & indeterminatè in infinitum. Quę magis ex ſequentibus intelligentur.

133. Secundum argumentum, quia eſt eadem ratio generationis humanę, ac aliarum, ſed humana non poteſt eſse ab ęterno per D. Tho. *1. p. q. 46. act. art. 2. ad* 8. vbi dicit. *Mundus potuit eſſe ab æterno, vel ſaltem aliqua creatura, vt Angelus, non autem homo*. Reſp. quod quantum eſt ex vi generationis, eſt eadem ratio cuiuſcumque generationis, vnde etiam humana abſoluté, & ſecundum ſe potuit eſse ab æterno, & ſolùm implicat ratione infiniti in actu, quod inde ſequeretur, quod poſſet euitari, vel ponendo quod dicebamus *n.* 131. Vel ponendo annihilationem, vt dū vna crearetur, annihilaretur alia, Vel etiā ponendo tranſmigrationem, vt exiſtimabant Pythagorei, quod dubio procul potuiſset Deus facere.

134. Tertium argum. quia ſi ab ęterno fuiſset ſeries equorum, aut leonum, vel in hac ſerie poſſet aſſignari primus equus à Deo creatus, atque adeo ingenitus, à quo reliqui originem ducerent, vel non poſset aſſignari talis equus; vtrumque eſt falsū. Nam falſum eſt quod poſſet aſſignari, quia iam illa ſeries non eſset infinita, cum haberet primum, & vltimum. Falſum etiam eſt, quod non poſſet aſſignari, quia nulla eſt implicantia, quod Deus non ſignet illum equum aliquo ſigno, quo ab alijs diſcernatur; vel certè poſset illum equum primum ingenitum conſeruare, & ſic nunc eſsent viui primus, & vltimus. Implicat autem quod in infinito detur primum, & vltimum; vnde ſi daretur quantitas infinita non daretur primus, & vltimus palmus. Si daretur tempus infinitum, nō daretur prima, & vltima hora. Quocirca

Ari-

Ariſtoteles, quia hanc ſeriem poſuit æternam, negauit dari primum equum. Et 5. *phyſ. tex.* 13. negat in infinito primum, & ſecundum.

135. Reſpondent N. Complut. *loco cit. n.* 72. cum Conimbric. quod licet Deus poſſet conſeruare illum equum, aut leonẽ ingenitum, adhuc tamen ſaluaretur ſeries infinita generationem, quia ille leo non genuiſſet leonem determinatũ quin prius alium, & alium in infinitum, & ſic leones & generationes eſſent infinitæ. Vnde ille primus leo conſeruatus diceretur prior prioritate tantum negatiua, non poſitiua. Eſſet prior prioritate negatiua, quia ante illum non fuiſſet alius genitus. Non eſſet prior prioritate poſitiua, quia licet præcederet quamlibet generationem determinatam, non tamen collectionem omnium illarum, quia ante quamlibet datur alia, & alia in infinitum. Nec ille primus leo diceret ordinem ad ſecundum, cum poſt illum primum non ſit aſſignabilis ſecundus, aliàs poſſet aſſignari tertius, &c.

136. Poteſt etiam reſponderi, quod ex ſuppoſitione quod ſeries equorum, aut leonum eſſet ab ęterno nõ poſſet aſſignari primus ingenitus, ac proinde non poſſet conſeruari, & ſic à parte ante non daretur primus; repugnat enim tam infinito permanenti, quam ſucceſſiuo habere primum, quia ſi daretur primum determinatum deberet pręcedere vel ęternitate, vel duratione temporis. Tum quia ſi daretur ille primus leo prioritate negatiua, deberet videri à Deo, ſed hoc eſt falſum, ergo, &c. Minor probatur euidenter, nam ſi generationes leonum, aut equorum, aut hominum durant per totam æternitatem à parte poſt, non videret Deus vltimum leonẽ, poſt quem non eſt alia etiam negatiua, aliàs non eſſent infiniti, ergo neque Deus videbit primum, ſuppoſito quod dentur infiniti leones à parte ante. Ideo namque Deus in infinito à parte poſt non videt vltimum negatiuè quia non datur. Sed neque in infinito à parte ante datur primum ſuppoſito, quod eſt infinitum, ergo non poteſt à Deo videri, quod enim non eſt videri non poteſt. Vnde ſi datur infinitum tam à parte ante, quam à parte poſt, deberet carere principio, & fine, ita quod eſt infinitum tantum à parte ante, debet carere principio; & quod eſt infinitum tantum à parte poſt, debet carere fine, ſeu vltimo, &c.

137. Quartum argum. nam ſi Deus ab ęterno immediatè creaſſet vnum equũ, vel iſte equus duraſſet aliquo tempore antequam generaſſet alium, vel nullo tempore. Si aliquo tempore vel finito, vel infinito, ſi dicant finito, ſit v.g. vnus annus, tunc ſequeretur manifeſta implicantia, quod ſcilicet neque filius, neque pater fuiſſent ab æterno. Non filius, quia habuiſſet patrem priorem ſe in duratione. Neque pater, quia non genuiſſet niſi poſt annum, & ſic tota ęternitas conſiſteret in vno anno, & ita eſt abſurdum, ac ſi quis diceret, quod aliquis numerus eſt finitus, tamen ſi addantur decem vnitates fore infinitum, & innumerabilem; vnde filius poſt annum fuiſſet genitus, & pater duraſſet vno tantum anno ante generationem. Quod ſi dicant, quod pater durauit tempore infinito antequam generaret, ſequitur quod ſeries generationum, non fuit ęterna, & ſic neque equi, aut leones infiniti. Si demum dicant quod primus ille equus nullo tempore durauit priuſquam generaret filios, tunc ſequuntur multæ implicantię, & aliquę penè ridiculę. Prima quidẽ quod pater non eſſet antiquior omnibus filijs quos genuit, cum neceſſariò vnuſquiſque filius debeat per aliquot menſes manere in vtero matris antequam naſcatur, & ſic ille primus equus cum *ſingulos*, & omnes genuerit, debet eſſe *omnibus* antiquior, ac proinde aliquo *tempore*. Secũda, ponamus quod ille *primus* equus non genuerit niſi vnum tantum equum, tunc ſine dubio debuiſſet eſſe prior equo genito, non enim potuiſſet naſci ſimul cũ patre. Tertia, ſequeretur, quod ille primus equus debuiſſet habere infinitos filios, vt non potuerit eſſe contrarium etiã de potentia Dei abſoluta; ratio conſtat, quia ſi habuiſſet filios finitos, habuiſſet v.g. centum, aut mille, vnum poſt alium; accipiamus modo ſingulos, & quęratur quan-

quanto tempore durarunt ſinguli; ſi durant tempore finito, ſequitur quod omnes ſimul durauerint tempore finito; cum enim illi omnes ſint finiti, & durent tempore finito, oportet quod omnes ſimul durent tempore finito, ac proinde ſeries illarum generationũ non fuiſſet ab æterno. Quod ſi dicatur, quod aliqui illorũ durauerint tempore infinito, ſequitur quod hic equus in indiuiduo fuit æqualis ſuo genitori in duratione, & quod debuerit præcedere alios tempore infinito, &quod daretur primus equus genitus.

138. Nec valet dicere quod in eo caſu non poſſet aſſignari primus equus in illa ſerie cum ſint infiniti, vt *nu.*136. dictum eſt, & tenuit Ariſt. citatus *nu.*134. quia tunc ſequeretur quod generatio naturalis non ſupponeret rerum creationẽ, quod eſt abſurdum, ſicut enim ars ſupponit opera naturæ in quæ ſuam formam introducat, ita natura ſuponit opera creationis neceſſaria, vt ipſa poſsit operari; ergo, &c. Antecedens patet, nam in tota illa ſerie equorum, nullus fuiſſet à Deo immediatè creatus, ſed omnis genitus; vnde ſola materia prima fuiſſet creata, cum alijs cauſis vniuerſalibus, quæ tamen non ſufficerent; poſita namque ſola materia prima, nulla cauſa naturalis eſt apta producere vllum equum, aut aliud animal perfectum, quæ fieri nequeunt niſi à generante eiuſdem ſpeciei.

139. Ad hoc argum. quod fusè proponere volui, vt videatur in quo potiſſimè conſiſtat fundamentum oppoſitæ ſententiæ, reſp. quod aduerſarij ſupponunt quod nos non dicimus, ex qua ſuppoſitione deducunt abſurda, & implicantias, quæ ex noſtra ſententia rectè intellecta, non deducuntur. Dicimus namque nos quod generationes, & corruptiones ſubſtantiales potuerunt eſſe ab æterno, eo quod tunc præceſſiſſent infiniti equi, & infinitæ generationes illorum, ita tamen quod hanc præceſsit alia, & hanc alia, vſque in infinitum, vt nunquam poſsimus pertingere neque ad primum equum, neque ad primam illius generationem; quocirca quando dicitur an ille primus leo, vel equus durauit tempore finito, vel infinito, dicendum eſt non dari primum equum, nec dari aliquem qui durauerit tempore finito, nec infinito, ſed quod ante quemlibet determinatum detur alius, & alius in infinitum. Dici etiam poteſt, quod vnuſquiſque equus durauit tempore determinato, v.g. per 20. annos, quod vnus alium generauit, & ſic ſint infiniti, qui ſic durarunt. Sicuti dato motu cœlorum ab æterno, iam tranſiſsent infinitæ circulationes, & vnaquæque durauit per horas 24. & ſic tranſiſſent infinitæ circulationes, quarum vnaquæque eo tẽpore durauit. Sic in equis tranſiſſent infiniti, & vnuſquiſque duraſset v.g. per annos 20. Quæ ſi rectè intelligantur, ceſſant omnia, quæ in contrarium obijciuntur.

140. Quintum argum. generationes, & corruptiones elementorum non potuerunt eſse ab æterno, ergo neque generationes, & corruptiones animalium. Antecedens probatur, nam ſi Deus ab æterno creaſſet mundum debuiſſet creare elementa, ſcilicet ignem, aerem, aquam, & terram, cum ſint partes integrantes mundum, non enim integrum elementum potuit eſse per generationem; imò probabile eſt, quod partes terræ vicinæ centro ſint per accidens incorruptibiles, cum ad eas non pertingant qualitates deſtructiuę elementi contrarij, vt aquæ, aeris, & ignis; cum ergo Deus debuiſset creare terram in aliquo certo, & determinato indiuiduo ſequitur quod generationes, & mixtiones elementorum non potuiſſent eſſe ab æterno, nam elementum terræ debuit aliquo tempore manere incorruptum. Si dicatur quod nullo tempore manſit incorruptum, ergo nunquam fuit hoc indiuiduũ, & ſic neque fuit creatum. Si dicatur, quod durauit aliquo tempore incorruptũ antequam inuaderetur à contrario, ſequitur quod primum illud tempus eſſet primum in æternitate, ac proinde æternitas haberet initium, & ſic conſiſteret in tempore finito, & generationes nõ eſſent ęternæ, cum haberent aliquod tempus prius. Si verò dicatur quod illud indiuiduum dura-

durauit incorruptum tempore infinito, ſequitur quod generationes elementorum non fuerint niſi poſt infinitum tempus.

141. Reſp. quod Deus ab æterno potuit creare mundum, & elementa, & illa creaſſet in certo, & determinato indiuiduo, ſicut enim cœlos creaſſet in determinato indiuiduo, vt ſolis, lunæ, &c. vt ſunt modo, ita etiam elementa, neque ex hoc ſequitur, quod inter elementa nō potuiſſent eſſe generationes, & corruptiones. Ad probationem in contrarium dico quod in eo caſu non poſſet aſſignari tempus determinatum in quo indiuiduū v.g. terræ manſerit incorruptum, & poſt quod cæperint generationes, nam eo ipſo quod generationes, & corruptiones sūt ab æterno, non poteſt aſſignari tempus in quo incæperint, ſed prius, & prius vſque in infinitum: nec poteſt aſſignari tempus in quo durauit illud indiuiduum, ſed sēper prius, & prius in infinitum. Nec poteſt dici quod illud tempus durationis dicti indiuidui fuerit prius generatione, aut corruptione, nec generatio prior corruptione, quia iſti termini prius, & poſterius dicuntur de tempore, in eoque reperiuntur, non de æternitate, vbi non eſt prius, & poſterius, niſi noſtro modo concipiendi.

142. Sextum argum. nam vt docet Ariſtoteles in hoc *lib.* 8. & alibi. & cum eo communiter Philoſophi & Theologi in cauſis efficientibus non datur proceſſus in infinitum, aliàs non niſi infinito tempore producerēt effectum, & per cauſas iſtas non poſſemus venire in cognitionem primæ cauſæ; ſed ſi generationes eſſent ab æterno daretur proceſſus in infinitum in cauſis efficientibus, eſſent enim infiniti leones v. g. aut equi, & infinitæ generationes illorum; ergo non poſſunt dari. Reſp. cum N. Complut. & aliis diſtinguendo maiorem; non poteſt dari proceſſus in infinitum in cauſis efficientibus per ſe ſubordinatis, conceditur: in cauſis efficientibus non per ſe, & eſſentialiter ſubordinatis, ſed tantum per accidens, negatur; in noſtro autem caſu illi leones, aut equi non eſſent cauſæ eſſentialiter ſubordinatæ, ſed tantum accidentaliter.

143. Sed quæres 1. quænā ſint cauſæ eſſentialiter ſubordinatæ, & quæ non tales, ſed tantum accidentaliter ſubordinatæ? Reſp. quod illæ sūt eſsētialiter ſubordinatæ quæ ad inuicem ita comparantur, quod vna non agit niſi mota ab alia, quo modo cauſa prima, & ſecunda ſubordinantur ad inuicem, quia ſecunda non agit niſi mota à prima; quo etiam modo cauſa particularis ſubordinatur vniuerſali, quia illa non agit niſi per dependenriā ab iſta. Eodem etiam modo inſtrumenta, & virtutes productiuæ dicuntur inſtrumenta ſubordinata cauſæ principali. At cauſæ non eſſentialiter ſubordinatæ, ſed tantum accidentaliter ſunt illæ quæ ita agunt vt vna non egeat alia vt agat, cum nec moueatur ab illa, nec ſit virtus, aut inſtrumentum illius vt ſunt leo A, & leo B. quoniam leo B. non indiget leone A vt generet, nam licet ab eo fuerit genitus, tamen ab eo non dependet eſſentialiter in ſua generatione.

144. Quæres 2. quare in cauſis eſſentialiter ſubordinatis non poſſit dari proceſſus in infinitum? Reſp. rationem eſſe, primò quia vt dictum eſt, effectus non produceretur niſi tempore infinito, oporteret enim quod iſta moueretur ab alia, & iſta ab alia & ſic in infinitum. Secundò quia non poteſt effectus finitus, & limitatus indigere concurſu, & motione infinitarum cauſarum. At ſi daretur proceſſus in infinitum in cauſis tantum accidentaliter, aut nullo modo ſubordinatis, vt effectus produceretur nec eſſet expectandum tempus infinitum, nec indigeret concurſu, aut motione infinitarum cauſarum, cum poſſet à qualibet cauſari.

DV-

DVBIVM. IX.

An mundus prout nunc eſt cum ſolo concurſu Dei ordinario poſſit in æternum durare.

145. Certum eſt ſecundum fidem, quod mundus eſt duraturus in ſempiternum ſecũdum potiſsimas partes illius ſcilicet ſecundum cœlos, & elementa, licet innouata vt ſupra vidimus nõ tamen quoad generationes, & corruptiones viuentium, vt plantarum, & herbarum, neque quoad generationes, & corruptiones animalium vt modo ſunt, quia cum tunc ceſſent motus cœlorum, ceſſabunt etiam influentiæ, & rerum productiones, generationes, & corruptiones. Quod autem mundus quoad elementa, & cœlos ſit in æternum duraturus, docent S. P. Aug. *lib.* 20. *de ciuit. cap.* 14. M. Gregor. *lib.* 17. *moral cap.* 1. & alii Sancti Patres. Colligitur ex ſacra ſcriptura. Eccleſ. 1. dicitur. *Terra autem in æternũ ſtat*. Seu durabit in æternum, quod ſi terra quæ eſt infimum elementum ſtabit in æternum, etiam alia ſtabunt, cum ſit eadem omnium ratio, aliàs inter cœlum lunæ, & terram daretur vacuum poſt diẽ iudicij, quod natura tantum abhorret. Colligitur etiam ex illo pſalm. 148. *Ipſe dixit, & facta ſunt, ſtatuit ea in æternum, & in ſæculi ſæculi*. Tum quia beati manebunt in cœlo in æternum, & damnati manebunt in æternum in inferno; locus autem inferni eſt circa terræ centrum; & ſic tam cœli quam terra debent durare in æternum, hæc vt domicilium damnatorum, illi vt patria beatorum.

146. Eſt etiam certum, quoad mundus ex ſe, ſuaque natura quod indiuidua generabilium, & corruptibilium non ſit in æternum duraturus, plura namque quotidie connaturaliter corrumpuntur. Imò poſſet etiam corrumpi tota aliqua ſpecies vt ſi homines conuenirent vt occiderent omnes equos, aut leones, &c. Notum etiam eſt, quod mundus nõ eſt ita incorruptibilis, & perpetuò duraturus ex ſe, quin poſſit Deus illum in nihilum redigere, qui enim potuit ipſum creare, poſſet etiam annihillare. Difficultas eſt, an mundus prout nunc eſt cum tranſmutationibus elemẽtorum, eorumque corruptionibus ad inuicem ſecundum partes, nã ſecundum ſe tota non tranſmutantur, nec corrumpuntur, & cum generationibus, & corruptionibus tum animalium tum viuentium, tum vegetabilium, tum rerum aliarum, quæ tranſmutantur, cum ſolo concurſu ordinario Dei quo de facto res conſeruat, poſſet ex ſe, ſuaque natura durare in æternum.

147. Prima ſententia fuit Platonis *in Timæo*, aliorumque ſequacium, quod licet mundus ſit duraturus in æternum, non tamen ex ſe, ſuaque natura, quia ex natura ſua petit non durare. Aliqui moderni ſic defendunt Platonis ſententiam, vt dicant quod poſſet quidem mundus vt modo eſt durare in æternũ, ſed addi deberet nouum Dei auxilium quo ipſum conſeruaret, nam præſens concurſus ſolum faciet ipſum durare ſolum vſque ad finem mundi, & hoc ne cogantur dicere quod cœli miraculosè ceſſabunt à motu, elementa à ſuis tranſmutationibus, & viuentia, & animalia à ſuis generationibus.

148. Noſtra ſententia ſeq. concluſ. explicatur. *Mundus prout nunc eſt ex ſe, ſuaque natura cum ſolo concurſu ordinario quo Deus de facto illum conſeruat, duraret in æternũ, ſed quia ad mundi finem iſte concurſus interrumpetur, propterea non amplius durabit vt modo eſt, ſed innouatus, & trãſmutatus, & ſine generationibus, & corruptionibus. Quãtum tamen eſt de ſe, & ex ſua natura petit mundus vt nunc eſt, continuationem præſentis concurſus, qui tunc miraculosè interrumpetur*. Sic tenent omnes Peripatetici cum Ariſtotele, qui ob id putauit quod mundus vt nunc eſt, eſſet in æternum duraturus. Et ſic ſolum miraculosè ceſſabit; vnde Apocal. 10. Quidam Angelus *iurauit per viuentem in ſæcula ſæculorum, quod non erit amplius tempus*. Et Iſa. 60. dicitur. *Non occidet vl-*

tra ſol tuus,& luna tua non minuetur. quia ſic Deus ordinauit. Cum enim elementorum mixtiones,& rerum generationes, dependeant ex motu cœlorum, & in fine mundi ille motus non amplius futurus ſit, ſequitur quod etiam illæ mixtiones, & rerum generationes non amplius futuræ ſint. Videantur N. Complut. hoc loco *diſp.* 29. *q.* 2. *per totam*, & alij hoc loco.

149. Quod autem mundus eſſet in æternum duraturus vt modo eſt niſi præſens concurſus quo à Deo conſeruatur interrumperetur,patet,nam cum præſenti concurſu mouerentur cœli, vt modo mouentur, ac proinde fierent mixtiones elementorum, & rerum generationes, ergo duraret ſemper, vt modo durat; durante namque eadem cauſa mixionum,& generationum, debent ijdem effectus durare. Tum quia materia prima eſt naturaliter incorruptibilis,& naturaliter non ſatiatur vnica forma,ſed ſemper machinatur præſenti necem, & corruptionem, vt habeat nouam, ac proinde connaturaliter petit concurſum Dei quod per totam æternitatem fiat illa formarum tranſmutatio, quod ſi non fiat, & concurſus interrumpatur, non eſt connaturaliter,ſed miraculosè. Tum etiam quia elementa connaturaliter petunt, tranſmutari ſecundum partes; nam cum habeant qualitates contrarias, & tranſmutatiuas, oportet quod ad inuicem agant, & reagant, ac proinde quod tranſmutentur, vt modo vnum vincat,modo aliud, & ſic quod vnum hodie amittit, cras acquirat, & ſic cum hac viciſſitudine in æternum conſeruabuntur,vt putauit Ariſtoteles.

150. Sed obijcies, nam ideo Deus non habet naturaliter finem, ſed petit ſēper naturaliter durare,quia non habet naturaliter principium, ſed omnes res creatæ petunt, imò de facto habent naturaliter principium,ergo etiam naturaliter debent habere finem. *Reſp.* quod Deus ex eo quod nō habeat naturaliter principiū, habet etiam naturaliter carentiam finis, vt nullo modo,nullauè virtute poſſit non eſſe. At creaturæ ex eo quod habeant principium, poſſunt à Deo deſtrui, licet aliquæ ex ſuis principijs intrinſecis non habeant ſuæ deſitionis principium,vt sūt cœli, elementa, & rerum ſpecies, &c.

151 Obijcies 2.quia quæ petunt naturaliter ſemper eſſe, exigunt virtutem conſeruatiuam infinitam, ſed nulla creatura exigit virtutem conſeruatiuam infinitam, ergo nulla creatura exigit ſemper eſſe, ſemperuè durare. *Reſp.* diſtinguēdo maiorem;quæ petunt naturaliter ſemper eſſe, exigunt virtutem conſeruatiuam infinitam in ſe ipſis, negatur; in prima cauſa, conceditur. Virtus namque conſeruatiua primæ cauſæ eſt infinita tum reſpectu ſui, tum reſpectu aliarum rerum quas conſeruant. At virtus qua creaturæ ſe ipſas conſeruant, poſita conſeruatione primæ cauſæ eſt finita, cum ſit propria natura non habens in ſe principium corruptionis.

152. Obijcies 3. nam id quod conſtat ex contrarijs habet in ſe principium corruptionis, ac proinde non petit ſemper eſſe;ſed mundus conſtat ex contrarijs ergo habet in ſe principiū corruptionis, ac ſubinde non exigit ſemper eſſe. Minor conſtat *in omnibus ſublunaribus*, maximè in elementis, quæ continuò ad inuicem agunt, & regunt ſaltem ſecundum partes ex continua autem actione, & reactione debilitatur virtus actiua, & reſiſtitiua, & ſic paulatim elementa etiam ſecundum ſe tota reſoluentur. *Reſp.* diſtinguendo maiorem; quod componitur ex contrarijs habet in ſe principium corruptionis, vt tamen ex illa *corruptione* aliud generetur,conceditur: *vt aliud* non generetur, negatur. Vnde in *elementis* ſi ex aqua v.g. hodie generatur aer in vna parte, in alia ex aere generatur aqua, & ſic ſemper elementa conſeruantur. Pariter ex corruptione vnius indiuidui v.g. equi, generantur vermes, vel herbæ; poſtea ex herbis generatur equus, quia corruptio vnius eſt generatio alterius. Et licet verum ſit quod ex actione,& reactione debilitetur virtus reſiſtitiua, & generatiua in hoc indiuiduo, & ſic paulatim corrumpatur, ex alia tamen materia pro-

du-

ducitur aliud cum ſua naturali virtute per quod ſpecies conſeruatur, & ſic ex continua iſta viciſſitudine generationum, & corruptionum conſeruantur ſpecies, & conſeruari poſſent in perpetuum.

153. Obijcies 4. nam ab ipſo mundi exordio vſque ad hæc noſtra tempora hominum, ac ſubinde cœterorum animalium complexio, & ſtatura valde diminuta eſt, vix enim reperiuntur aliqui qui pertingant ad ætatem 100. annorum, cum prius viuerent ad nongentos annos, & ſub obſidione Troiæ quidam miles Neſtorius nomine pertingebat ad 300. annos ex quo deſumptum eſt prouerbium quo alicui precamur annos Neſtorianos. Præterea modo non reperiuntur homines gigantes vt reperiebantur tempore antiquo. Et non deſunt qui dicant quod etiam cœli aliquid ſuæ lucis amiſerint, & virtutis, vt S. Vincentius Ferrerius in quodam ſermone, & etiam videmus, quod modo eſt vix diſtinctio partium anni vt veris ab æſtate, autumni ab hyeme, &c. Obſeruant etiam aliqui, quod poſt diluuium virtus fructuum, & herbarum quibus homines viuunt, eſt valde diminuta, aqua nãque maris, quippe bibita cauſat ſterilitatem, qua ratione mos erat antiquitus vt capta ciuitate, eaq; deſtructa ſeminabatur ſal ne terra illius ad frugem deſeruiret.

154. Reſp. negando antecedens. Sicut enim nullus dicit, quod ignis noſtro tempore minus calefaciat quàm tempore Adæ, ita per ſe loquendo non minus viuunt homines modo quam tempore Adę, per accidens tamen tunc magis viuebant vt mundus multiplicaretur, vel Deo ſic diſponente, vel quia non erat tantus luxus ciborum, vt modo, quoniam negari non poteſt quod multitudo ciborum, & varietate tanta præparatorum, & vſus vini non multum officiat ad vitæ conſeruationem; tamen per ſe loquendo tantum viuunt modo communiter quam tempore Dauid, qui pſalm. 89. loquens de communi hominum ætate dicit. *Si in potentatibus octoginta anni, et amplius eorum labor, dolor,* quod etiam currit modo, poſt tot annorum ſæcula.

DVBIVM X.

Ponuntur neceſſaria de primo Motore.

§. 1. *An detur vnus primus Motor.*

155. PRo intelligentia præſentis difficultatis ſciendum eſt ex Ariſt. 2. *metaphyſ. cap.* 3. quod vt diximus *n.* 142. & 143. in cauſis ſubordinatis per ſe non datur proceſſus in infinitum, propter rationes ibi traditas, quoniam in cauſis eſſentialiter ſubordinatis nequit proxima operari ſine aliarum concurſu, ſi autem illarum numerus eſſet infinitus non eſſet poſſibilis iſte concurſus. Hoc poſito facile probatur dari primum Motorem, nam quod mouetur, debet ab alio moueri, ſed in cauſis mouentibus eſſentialiter ſubordinatis non datur proceſſus in infinitum; ergo deueniendum eſt ad vnam primam cauſam quæ moueat, & non moueatur, & iſta erit primus motor. Sed de hac re vide quæ dico 1. *p. diſp.* 2.

156. Sed obijcies 1. nam ad omnium rerum actiones, & motiones ſufficiunt natura, & ratio, ergo non eſt cur ponatur primus motor. Antecedens probatur, quoniam omnis cauſa vel eſt naturalis, vel libera; ſi eſt naturalis, ſufficit natura, natura namque eſt principium primum motus, & quietis eius in quo eſt, &c. Si cauſa eſt libera, tunc ſufficiens principium actionum, & motionum illius erit ratio, ergo principia omnium motionum, & actionum ſunt natura, & ratio, & non erit neceſſe inueſtigare aliũ primum motorem. Reſp. negando antecedens, ad probationem dico, quod natura, & ratio ſunt principia omnium actionum, & motionum immediata, & proxima, ac proinde relinquitur locus inueſtigandi primum motorem vniuerſalem, qui concurrat etiam immediatè immediatione tùm ſuppoſiti, tum virtutis ad omnes motiones, & actiones tum neceſſarias, tum liberas; nam ratio, & libertas reſpiciunt ſolum fines ſuos particulares, at primus, & vniuerſalis motor,

reſpicit finem, & bonum vniuerſale.

157. Obijcies 2. nam ex motu non eſt neceſſe quod deueniamus in cognitionem vnius primi motoris, ſed ſufficit quod deueniamus in cognitionem duorum primorum motorum; ergo, &c. Antecedens oſtenditur, quia actiones naturales ducunt in cognitionem primi motoris neceſſarij, & agentis ex neceſſitate naturæ, & actiones liberæ ducunt in cognitionem primi motoris liberi, & agentis ex electione; ergo, &c. Reſp. quod tam motiones neceſſariæ, quàm liberæ ducunt in cognitionem primi motoris liberi; quod motiones neceſſariæ ducant in cognitionem primi motoris liberi, nã de liberis non poteſt eſſe difficultas, probatur, quia motiones neceſſariæ non poſſunt ordinari in finem vniuerſalem niſi ab agente libero; ordinare namque eſt opus rationis, ac proinde agentis liberi; ergo, &c. Alia vide loco citato 1.p.

§. 2. *Quomodo primus Motor, qui ſecundum Ariſtotelem mouet primum cœlum, illud moueat.*

158. PRo difficultatis intelligentia notandum eſt, quod duobus modis intelligi poteſt, quod primus motor, & idem eſt de alio quocumque motore cœlorum, ſit ipſi cœlo applicatus, ſcilicet vel tanquam forma informans aut ſolum tanquam forma aſſiſtens, eo modo quo nauta aſſiſtit naui. Si motor eſſet forma informans cœlum quod mouet, vt volunt aliqui, de quo dicemus in tract. de cœlo, tunc motor moto cœlo quod mouet non mutaret locum ſaltem per ſe, ſed ad ſummum per aliud, eo modo quo dicitur, quod anima mutat locum ratione corporis, aut ratione partium eius. Cum enim, vt ſupra diximus vltimum cœlum non ſit in loco niſi ratione ſuarum partium, motor huius cœli ſolum hoc modo poſſet dici eſſe in loco, & mutare locum, cum tunc eſſet forma informans cœlum, eo modo quo anima informat corpus, & eſt tota in toto, & tota in qualibet parte.

159. Tribus modis *intelligi poteſt*, quod motor aſſiſtat cœlo. Primò explicando ſuam virtutem motiuam in totum cœlum quod mouet. Secundò explicando eandem ſuam virtutem in ſolam partem illius. Tertiò in omnes partes illius ſucceſſiuè tamen, ita vt prius moueat vnam, & poſt illam aliam quæ in eodem ſitu ſuccedit. Mihi certum videtur, quod ſi motor ſuam vim explicaret in totum orbem, aut cœlum quod mouet, tunc nõ mutaret locum, neque per accidens, cum enim non ſit forma informans, ſed tantum aſſiſtens, licet ſecundum ſuam virtutem aſſiſtat toti cœlo, tamen cum non informet non poteſt moueri per accidens ad motum illius.

160. Sed dices quia nauta non eſt forma informans nauim, ſed tantum aſſiſtens, & tamen mouetur per accidens ad motum nauis; ergo, &c. Reſp concedendo antecedens, & negando conſequentiã. Ratio diſcriminis eſt, quod nauta eſt in loco ſecundum ſe, & per operationem qua aſſiſtit naui. At Angelus non eſt in loco circumſcriptiuo niſi per operationem ad extra, & cum ſua operatio ſit explicata per totum cœlum, illud totum mouet, quaſi totum impellendo, & mouendo, ipſe tamen Angelus manet immotus, & hoc modo explicat ſuam virtutem in totum cœlum. At nauta dum explicat ſuam virtutem in nauim' mouetur ad motum illius, quia in ipſa circumſcriptiuè continetur. Angelus autem non ſic continetur à cœlo.

161. Si motor mouet cœlum *explicando* ſuam virtutem, eamuè *ſolum* applicet vni tantum parti *determinatæ*, & inuariabiliter, tunc moue*bitur* per accidens ad motum cœli quod mouet. Ratio clara eſt, quia tunc Angelus, ſeu motor cœli vni determinatæ parti aſſiſtit, quæ pars mouetur ad motum totius, imò ipſum totum cœlum cenſetur moueri ex impulſu in ea parte recepto, ac proinde ipſe motor per accidens moueretur ad motum illius partis, & ſic motor quaſi raperetur à moto per virtutem ipſi à motore impreſſam.

162 Tan-

162. Tandem ſi motor non explicet ſuam virtutem in omne mobile, neque in aliquam partem determinatam, ſed vel in omnes ſucceſſiuè, aut modo impellat vnam, modo aliam, manens ſemper in eodem loco, v.g. in Oriente, quod verius eſt, tunc non mouetur neque per accidens ad motum cœli, nec mutat locum. Ratio eſt, quia exiſtens in certo, & determinato loco, aut ſitu, ſine vlla loci mutatione poteſt mouere totum cœlum, mouendo, vel omnes partes ſucceſſiuè, vel mouendo, aut impellendo modo vnã, modo aliam partem, vt videre eſt in eo qui mouet aliquam rotam, vt in figulo, qui ſine loci, aut ſitus mutatione mouet totam rotam, &c.

§. 3. *An primus motor ſit vnus, an plures*

163 PRimum motorem eſſe vnum tenent omnes Peripatetici, & colligunt ex vnitate, & cauſalitate primi cœli, quod primus motor in orbem mouet, & motus illius ab eo manat immediatè, ac proinde ex motu primi cœli, dicitur primum mouens; tum quia nulla res poteſt mouere, aut moueri, niſi cauſalitate primi motoris. Tum etiam quia primus motor dat vires, & propenſiones omnibus mouentibus, vt ſuos effectus producant, aut corpora ſibi ſubiecta aliqua ſpecie motus moueant, nam ſicut generans leuia, aut grauia dicitur motor illorum quatenus dat vires, grauitatem, aut leuitatem, & propenſiones ad proportionatos motus, ita ob maiorem rationem dicetur abſolutè primus omnium motor qui dat rebus omnibus vires, & propenſiones ad ſuos motus, ad ſuas actiones. Demum vt alia prætereamus dicebant Peripatetici, quod motor primi cœli dicatur, & ſit primus omnium motor, quoniam omnia primò dirigit in ſuos fines, & ad eos aſſequendos perducit.

164. Pro quo nota, quod finis eſt prior omnium cauſarum, ac proinde qui cœtera in ſuum finem dirigit, dicetur omnium primus motor, licet non eadem ratione res omnes ad ſuos fines moueantur. Pro quo rurſus nota, quod quędam ita mouentur, vt non ſe moueant, & ſunt cognitione carentia, vt ſunt agentia naturalia, ignis, plantæ, arbores, &c. Alia ita mouentur, vt aliquo modo ſe moueant, vt ea quæ ſolum habent cognitionem ſenſitiuam, qualia ſunt animalia, quæ cognoſcunt res quæ ſunt finis, & ad illas ſe mouent per cognitionem, & appetitum ſenſitiuum; non tamen dicuntur perfectè ſe mouere quia licet cognoſcant finem, non tamen cognoſcunt proportionem mediorum ad finem, nec ipſam rationem finis, cum nullo diſcurſu, nullaq; ratione ſint prædita, & iſta indigent primo mouente, qui omnia cognoſcat exactiſſimè, vt ſic ab eo in ſuos fines dirigantur perfectiſſimè. Alia tandem ſunt quæ ita mouentur, vt etiam perfectiſſimè ſe moueant, & ſunt naturalia, quæ per rationem non ſolum cognoſcunt finem, ſed etiam proportionem mediorum ad finem ipſamq; rationem finis. Hinc homo exactiſſimè tenet finem quem ei primus motor præſcripſit, & cognoſcit qua ratione, quibuſuè medijs illum conſequi poteſt, & ſic homo per rationem, diſcurſum, & liberum arbitrium in ſuum finem poteſt ſe mouere quem illi primus motor præſcripſit, licet aliquando deuiet pro ſua libertate, & malitia.

165. Ex quibus ſatis apertè colligitur quomodo motus in vnum primum motorem referantur, nam eo modo quo motus rerum inferiorum reuocantur ad motum primi mobilis, ſeu primi cœli à primo motore moti, reuocantur ad ipſum primũ motorẽ à quo primus motus pendet. Secundò reuocantur ad primum motorẽ, quatenus ab ipſo dirigũtur. Tertiò ad ipſum diriguntur tanquam ad tribuentem vires, virtutem, & propenſionem. Et tandem diriguntur tanquam ad mouentem, tanquam ad præſcribentem omnibus finem, &c.

166. Ex his infertur motorem primum eſſe vnum, quod docet ſacra ſcriptura, nam Deuter. 6. legitur. *Audi Iſrael, Dominus Deus tuus vnus eſt*. Et cap. 32. habetur. *Videte quod ego ſum ſolus, & non eſt*

eſt alius Deus præter me. Et Iſa.45. dicitur. *Ego Deus, & non eſt alius.* Et 1. Cor. 8. ſcribitur. *Nullus eſt Deus niſi vnus.* Et in ſymbolo Niceno canitur. *Credo in vnum Deum.* Et in Concil. Later. ſub Innoc. III. & refertur cap. Firmiter de Summ. Trin. & fide cathol. ſic de fide definitur. *Firmiter credimus, et ſimpliciter confitemur, quod vnus eſt Deus,* &c. Eſt ergo vnus primus motor, quem vocamus Deum, qui eſt vnus in eſſentia; licet ſit trinus in perſonis, quod non cognouit Ariſtoteles.

167 Cæterum quia Manichæus turpiter errauit ponendo duos Deos, vnum auctorem bonorum, alium auctorem malorum. Vnum lucis, alterum tenebrarum, quem cum ſuis aſſeclis Sanctus, & doctiſſimus Pater Auſtg. in multis tract. & opuſc. contra Manichæos tomo 6. acutiſſimè, & mirè hunc errorem exterminat. Propterea adducam potiſſimas rationes contra hunc errorem.

168. Prima ratio eſt Ariſt. 12. *metap. cap. vltimo* eſt, quia vnius principatus, aut monarchia nobilior eſt quàm multorum gubernatio, facilius namque, & tranquillius per vnum omnia reguntur, quàm per multos, cum in multis facilè diſcordia oriri poſſit in damnum, & exterminium reipublicæ. Sed ſi darentur duo illi Dij, bonus ſcilicet, & malus, vnus bonorum, alter malorum auctor; vnus lucis, alter tenebrarum non poſſet non eſſe maxima diſcordia inter illos, cum damno, & pernicie totius orbis; ergo, &c. Minor probatur, nam Deus bonus omnia vellet eſſe bona, cum vellet ſuam bonitatem diffundere, & omnia eſſe vt ille; & Deus malus vellet omnia eſſe mala, vt ſic diffunderet ſuam malitiam, & omnia eſſe vt ille eſt; ergo cuncta eſſent ſub diuiſione, & in exterminio poſita.

169. Secunda ratio, nam ſi non eſſet vnus Deus, ſed duo v. g. etiam eſſent duæ naturæ diuinæ, ſed non poſſunt dari duæ naturæ diuinæ; ergo neque duo Dij. Maior nota eſt, nam implicat quod aliquis ſit Deus ſine natura diuina. Minor oſtenditur; quoniam ſi darentur duæ naturæ diuinæ, vel eſſent æqualis, vel inæqualis perfectionis: non inæqualis; quia illa quæ eſſet imperfectior, & inferior, non eſſet diuina, quoniã Deo nihil maius, aut perfectius eſſe poteſt. Neque poſſent eſſe æqualis perfectionis, quia tunc non eſſent duæ, ſed vna. Non eſſent namque diuerſæ ſpeciei, quia quæ ſpecie diſtinguuntur non poſſunt eſſe eiuſdem perfectionis, ſpecies enim ſunt ſicut numeri, quorum vnus ſe habet ex additione ad alium, vt docet Ariſtoteles. Non eſſent diſtinctæ numero, quia diſtinctio numerica deſumitur à materia per quam indiuidua intra eundem ſpeciem diſtinguuntur, & multiplicantur; primus autem motor caret materia per Ariſt. 12. *metaphyſ.* ſed eſt purus actus. Tum quia Deus eſſet compoſitus, cum enim non eſſet tantum materia deberet etiam habere formam per quam conſtitueretur, & ſic non eſſet Deus, cum materiæ imperfectionem, & potentialitatem includeret. Tum etiam quia adhuc vna careret perfectione indiuiduali alterius, & ſic non eſſet natura diuina.

170. Tertia ratio, nam fruſtra fiunt per plura, quæ fieri poſſunt per pauciora, ſed ſufficit vnus primus motor ad mouendum primum mobile, ac ſubinde alia inferiora; ergo fruſtra ponerentur plures primi motores. Minor probatur, quia vel vnus motor eſt ſufficiens ad mouendum primum mobile, vel non eſt ſufficiens. Si eſt ſufficiens, ergo fruſtra ponuntur alij. Si non eſt ſufficiens; ergo non eſt virtutis infinitæ, ſed finitæ, & limitatæ, & ſic indigebit ab alio moueri, quod enim habet virtutem limitatam non poteſt producere niſi effectum limitatum, & ſic vt infinitè, ſeu vt in infinitum moueat indigebit adiutorio alterius.

171. Quarta ratio, datur tantum vnus vltimus finis, ergo etiam tantum vnum primum principium, ac proinde tantum vnus primus motor. Antecedens probatur, quoniam ſi eſſent plures vltimi fines, vel vnus in alium ordinaretur, vel non. Si vnus in alium ordinaretur ille ſolus in quem alter ordinaretur eſſet finis vltimus; ſi vnus in alium non ordinaretur,

tur, ſequitur quod nec media omnia in vnum, & eundem finem ordinarentur, & ſic diſſolueretur ordo vniuerſi qui in quadam perfectione deſumpta ad vnam primam cauſam, primumque principium deſumitur.

172. Sed obijcies 1. quia ſi daretur vnus primus motor, vel eſſet vnus vnitate prædicamentali, vel tranſcendentali; neutrum dici poteſt; ergo non datur vnus primus motor. Maior conſtat, nam vnitas ex æquo diuiditur in prædicamentalem, & tranſcendentalem. Minor probatur, nam non eſſet vnus vnitate prædicamentali, quia hæc ſequitur quantitatem molis, quæ in primo motore eſſe non poteſt, cum partibus careat. Neque tranſcendentali, quia hæc dicit priuationem, & defectum, qui in primo motore eſſe non poteſt; dicit enim indiuiſionem, quæ eſt quædam carentia. Reſp. quod primus motor eſt vnus vnitate tranſcendentali, quæ ſequitur ens, & ſic etiam in primo ente eſſe poteſt. Et ſic primus motor eſt vnus, ac ſubinde eſt ens indiuiſum in ſe, & diuiſum à quolibet alio; hæc autem indiuiſio, ſeu carentia diuiſionis non dicit imperfectionem, ſed perfectionem, eſt enim perfectio carere diuiſione; vnde vnitas non eſt carentia, ſed natura perfecta carens imperfectione: carere autem imperfectione, perfectio eſt, ſicut carere perfectione eſt imperfectio; Et ſic carentia menſuratur à forma qua caret. Si illa eſt perfectio, carentia illius erit imperfectio; quod ſi forma eſt imperfectio, carentia illius erit perfectio. Hinc carere Deo maxima imperfectio eſt. At carere peccatis ſumma perfectio eſt.

173 Obijcies 2. nàm ſi daretur vnus primus motor, eſſet ſummum bonum, ſed non poteſt dari ſummum bonum, ergo non poteſt dari vnus primus motor. Maior conſtat. Minor probatur, quia ſi datur vnum ſummum bonum, nullum daretur malum, ſed omne malum excluderet, quoties enim datur vnum contrarium in ſummo, excludit totaliter aliud contrarium; vnde videmus, quod vbi eſt calor in ſummo vt in igne, ibi nullum datur frigus. Et vbi datur frigus in ſummo, ibi nullus datur calor; ergo ſi daretur in mundo vnum ſummum bonũ, cum eſſet per omnia diffuſum, ab omnibus expelleret quodlibet malum. Reſp. quod ſummum bonum debet expellere à ſe omne malum, non tamen ab alijs. Hinc videmus, quod calor non excludit frigus ab alijs ſubiectis, ſed tantum à proprio; quod autem Deus ſit in omnibus rebus per eſſentiam, &c. non tollit quod ab illis non diſtinguatur, & ſic neceſſum non eſt, quod ab alijs à ſe debeat excludere omne malum.

§. 4. *An primus motor ſit immobilis, et immutabilis.*

174. Ariſtoteles hoc loco *cap.* 4. demonſtrat apertiſſimè, quod primus motor debeat eſſe immobilis, ac ſubinde immutabilis, ex eo quod in motibus, & mouentibus non eſt admittendus proceſſus in infinitum, ſed tandem deueniendum ad aliquem primum motorem, qui cœtera moueat, & non moueatur, ſin minus non eſſet ordo in rebus, ſed omnia neceſſariò eſſent conturbata, & ſic motor primus immobilis manens, dat cuncta moueri. Hoc idem docet fides, eamque confirmat illud Malachiæ 3. *Ego enim Dominus, et non mutor.* Et Iacobi 1. *Apud quem non eſt mutatio*, &c.

175. Probatur 1. breuiter, nam Deus eſt actus purus, ergo nullo modo eſt mutabilis; Antecedens conſtat, aliàs eſſet compoſitus ex actu, & potentia, quod ſummam dicit imperfectionem. Conſequentia probatur, quia omne mutabile dicit potentiam, ſicut quod mutatur dicit tranſitum de potentia ad actum; intãtum enim aliquid mutatur inquãtum recipit quod prius non habebat; ergo id quod eſt mutabile dicit potentiam ad actum, vel ad aliquid quod non habet. Potentia autem non ſtat cum primo motore, quod enim dat cuncta moueri, non poteſt eſſe in potentia vt moueatur.

176. Pro-

176. Probatur 2. ex Dei ſimplicitate, nam moueri obſtat ſimplicitati primi motoris, ergo primus motor non poteſt ab alio moueri, ac proinde debet eſſe immobilis, & ſubinde immutabilis. Antecedens probatur, quia quod mouetur debet dicere aliquam compoſitionem, ex eo quod habet, & ex eo ad quod mouetur, nihil enim mouetur ad id quod iam habet, ergo ſi primus motor mouetur debet habere aliquam compoſitionem.

177. Probatur 3. ex infinitate ipſius Dei, ſeu primi motoris; nam moueri repugnat cum infinitate primi motoris; ergo primus motor non poteſt moueri. Antecedens oſtenditur, quia quod mouetur quouis motu, debet neceſſariò aliquid acquirere, ſed quod eſt infinitum nihil poteſt acquirere, ergo motus repugnat cum infinitate primi motoris; omnis namque motus eſt termini productio, ſeu eſt ad terminum producendum, vel in alio, ſi aliud moueat, vel in ſe ipſo ſi ſe ipſum moueat.

178. Sed obijcies 1. nam Sapientiæ 7. diuina ſapientia dicitur mobilior omnibus rebus. Et Iacobi 4. dicitur. Appropinquate Deo, & ipſe appropinquabit vobis; ergo Deus eſt mobilis, iſta enim ſine mobilitate ſaluari non poſſunt. Reſp. ad primum teſtimonium, quod diuina Sapientia dicitur mobilior omnibus rebus, non quia mutetur, ſed quia ſimilitudine quadam mutari videtur, quatenus eius eſſe ad omnes creaturas diffundatur, pertingit namque à fine vſque ad finem, fortiter, ſuauiterque diſponens omnia. Ad 2. teſtimonium dico, quod nos dicimur appropinquare Deo per amorem, & per virtutum opera, & Deus dicitur appropinquari nobis, quatenus ſuæ gratiæ dona nobis confert.

179. Obijcies 2. nam ſi Deus eſſet immobilis maximè quia ſolum eſt in ſe ipſo, ſed hæc ratio eſt nulla; ergo non eſt immobilis. Minor probatur, tum quia Deus eſt in omnibus rebus per eſſentiã, præſentiam, & potentiam; eſt in iuſtis non ſolùm per gratiam, ſed etiam per ſe ipſum vt eſt trinus, & vnus, iuxta illud Christi D. *Et ad eum veniemus, & manſionẽ faciemus.* Et poteſt Deus poni de facto in ſpatijs imaginarijs vbi de facto nõ eſt, ſi ibi aliquid producat. Reſp. quod Deus & eſt in ſe ipſo, & eſt in creaturis; in ſe ipſo eſt per eſſentiam, in creaturis verò eſt per participationem eſſentiæ. Vel dicas, quod ex eo quod Deus eſt in creaturis per eſſentiam, eſt in ſe ipſo, nec ex eo quod eſt in creaturis eſt extra ſe, ſed eſt in ſe, etiam vt eſt in creaturis. Eſt autem in creaturis in quibus prius non erat, non per mutationem ſui, aut per ſui motum, ſed per mutationem factam in creaturis. Cùm enim ſit in creaturis per potentiam, producendo, & conſeruando illas, debet etiam eſſe in illis per eſſentiam, quoniã eſſentia illius non diſtinguitur à ſua potentia. Sic etiam perſonæ diuinæ ſunt in iuſto per gratiam, & per attributa ſibi appropriata; nam Pater æternus eſt in iuſto per potentiam, quæ ſibi appropriatur, quatenus per eam conſeruat in eo gratiam. Filius eſt in iuſto per ſapientiam, quatenus illuminat eius intellectũ. Et Spiritus S. eſt in iuſto per amorem, quatenus inflammat eius affectum. Dicitur etiam Deus eſſe in creatura de nouo producta etiam ſi hęc productio fieret in ſpatijs imaginarijs, per productionem, aut mutationem ipſius creaturæ, cum enim Deus ſit immenſus ibi debet eſſe, vbi eſt eius potentia, producendo, aut conſeruando res.

180. Obijcies 3. nam Deus ab æterno non erat creator, non denominabatur creator, modo autem, & in tempore eſt creator, & vt talis denominatur realiter, ergo per realem mutationem. Antecedens conſtat. Conſeq. probatur, nam omnis denominatio realis debet deſumi à forma reali, ergo quod realiter non denominabatur tale, modo denominatur, debet procedere à forma reali, quã prius non habebat, modo habet. Reſp. quod Deus in tempore denominatur creator non ab æterno à forma reali non in ſe ipſo, ſed in creatura, ſcilicet à relatione reali

reali dependentię creaturæ à Deo in tempore.

§. 5. *An primus motor ſit æternus tum à parte ante, tum à parte poſt.*

181. HAec difficultas ferè manet ſoluta ex dictis, tamen gratia claritatis aliqua addamus breuiter. Dei æternitatem agnouerunt omnes Philoſophi antiqui, & moderni, & nullus eſt qui Deo æternitatem non concedat. Pro quo videri poteſt Ariſt. *cap. 6. huius libri*. Et videri poſſunt expoſitores, maximè D. Thomas ibidem. Hæc veritas eſt de fide, definita in Concil. Lateran. ſub Innoc. III. & refertur cap. firmiter de Sum. Trin. & Fide Cathol. vbi dicitur. *Vnus ſolus eſt verus Deus, æternus, &c.* vnde pſal. 101. dicitur. *Tu autem idem ipſe es, & anni tui non deficient*. Et D. Athanaſ. in ſymbolo habet. *Æternus Pater, æternus Filius, æternus Spiritus Sanctus, &c.* Et in ſymbolo Niceno canitur. *Cuius regni non erit finis*. Idem alibi.

182. Rationem huius rei à priori aſſignat D. Thomas 1. *p. q.* 10. *art.* 2. quia æternitas fluit ab immutabilitate tanquā proprietas ab eſſentia, ſed vt conſtat ex dictis §. præcedenti Deus eſt omnimodo immobilis, & immutabilis; ergo eſt æternus; quod enim omnino immutabile eſt, debet ſemper durare, & quæ non ſemper durant, ideo eſt quia mutabilia ſunt.

183. Præterea probatur, quia ſi Deus nō ſemper fuiſset, debuiſset ab alio produci, ac proinde non eſſet primus motor, non eſset ens à ſe, primum ens, prima cauſa, quæ tum fidei, tum his, quæ ſupra demonſtrata ſunt obſtant. Tum quia quod habet eſse neceſsarium ſemper eſt, ſed primus motor habet eſse neceſsariū, cum illud aliunde non habeat, ergo primus motor ſemper eſt, ſemper fuit, ſemperque erit. Tum etiam quia ęternitas primi motoris ſcilicet Dei eſt eius eſsentia, rectè enim dicitur. *Deus eſt ſua ęternitas, & æternitas Dei eſt ſua Deitas.*

184. Sed obijcies, nam æternitas dicitur etiam de alijs à Deo quæ tamen nō ſunt ſuum eſſe, non ſunt neceſſaria, vnde terra dicitur æterna Eccleſ. 1. *Terra autem in æternum ſtat*. Montes etiam dicuntur æterni. *Illuminans tu mirabiliter à montibus ęternis*, pſal. 75. & 150. Et pacta dicuntur ęterna, &c. Reſp. quod aliqua dicuntur æterna æternitate participata, vt viſio beatifica, &c. Aliqua dicuntur ęterna per quandam ſimilitudinem, nam terra dicitur æterna per quandam longitudinem durationis, eodem modo montes dicuntur æterni. Pacta dicuntur ęterna, aut ſempiterna, quatenus non licet ea mutare, aut infringere, &c.

§. 6. *An primus motor ſit vbique, & an ſit intelligens, et volens.*

185. DE fide eſt Deum eſse vbique conſtat ex Sacra Scriptura. Ierem. 23. dicitur. *Cælum, & terram ego impleo*. Sapient. 1. habetur. *Spiritus Domini repleuit orbem terram*, &c. Et pſal. 138. legitur. *Quo ibo à ſpiritu, et quo à facie tua fugiam? ſi aſcendero in cælum tu illic es, ſi deſcendero in infernum ades, etc.* Et Act. 17 ait Doctor gentium loquendo de Deo. *Non longe eſt ab vnoquoque noſtrum; in ipſo enim viuimus, mouemur, et ſumus.* Plura de hac re Patrum teſtimonia refert Magiſter *lib.* 1. *diſt.* 17. Vnde Deus eſt etiam in dœmonibus, vt ſunt res naturales.

186. Deus ergo intimè ineſt omnibus rebus, dans eis eſſe, in eoque ipſas conſeruans. Præſens eſt quoque Deus rebus omnibus, quatenus omnes coram aſpicit, obſeruat, curat. Potentia noſtri primi motoris vbique dominatur, & nihil eſt, quod ab eius dominio ſe poſſit ſubducere. Colligitur 1. hæc veritas ex infinitate Dei, nam ſi aliquibus rebus nō ineſset non diceretur infinitus, neque virtutem haberet infinitam. Eſt autem omnia in omnibus eminenter, & cauſaliter, quoniam omnia ex Deo habent ſuū eſſe. Secundò colligitur ex immutabilita-

litate, ſi enim nunc eſſet in his, nunc in illis, mutaretur. Tertiò colligitur ex eo quod dat eſse omnibus rebus, illudque in eis conſeruat, mouens autem, & motum oportet eſſe ſimul ex Ariſt. hoc loco. Quartò colligitur ex eo quod omnis ſpiritualis ſubſtantia eſt in omnibus locis ad quæ ſe eius virtus extenditur; Dei autem virtus cum ſit infinita, ad omnia ſe extendit.

187. Sciendum tamen eſt, quod cũ Deus ſit in loco per operationem, ſequitur, quod non ſit in loco per ſe, ſed tantum propter res, quæ ſunt in locis; vnde non dicitur eſſe actu extra vniuerſum tanquam in loco, cum ibi nullus ſit locus, eſt tamen in potentia, cum eius virtus non terminetur finibus totius vniuerſi. Quare ſicut ante mundi conſtitutionem fuit in ſemetipſo, nullius indigens, ita mundo condito ſemper manet in ſemetipſo, ſiue eum intra, ſiue extra mundum cogites. Pro quo facit illud D. Bernardi lib. de conſid. *Deus nuſquam eſt, et nuſquam non eſt. Ibi eſt, vbi erat antequã mundus fieret, hoc eſt in ſemetipſo, quia præter ipſum nihil erat.*

188. Eſt tamen Deus per vnionem hypoſtaticam in Chriſto. Eſt peculiari modo in iuſtis, qui eum cognoſcunt, & amant, iuxta illud 1. Ioan. 4. *Qui manet in charitate in Deo manet, et Deus in eo.* Et Rom. 5. *Charitas Dei diffuſa eſt in cordibus noſtris, per Spiritum Sanctum, qui datus eſt nobis.* Hoc modo non eſt Deus in impijs, *quoniam in maleuolam animam non introibit ſapientia, nec habitabit in corpore ſubdito peccatis.* Sap. 1.

189. Quantum ad ſecundum dico, quod primus motor eſt intelligens, & volens, cum enim Deus ſit primum mouẽs, debet mouere per intellectum, & appetitum, ſeu voluntatem, aliàs non poſset dirigere quæ mouet in ſuos fines. Eſt de fide. Iob 9. dicitur. *Sapiens corde eſt, et fortis robore.* Et cap. 12. habetur. *Apud ipſum eſt ſapientia, et fortitudo.* Et pſal. 138. legitur. *Mirabilis facta eſt ſcientia tua ex me.* Et Rom. 11. dicitur. *O altitudo diuitiarum ſapientiæ, et ſcientiæ Dei, etc.* Cognoſcit Deus ſe ipſum per ſe ipſum, quia repugnat cognoſcere per ſpeciem diuerſam à ſe. Cognoſcit ſe ipſum comprehenſiuè, cum ſit ſummè intelligens, & eius intellectio ſe ipſum adæquet. Cognoſcit etiam alia à ſe in ipſa ſua eſsentia, &c.

§. vltimus, an primus motor ſit virtutis infinitæ.

190. Certum eſt, non ſolum ſecundũ fidem primum motorem eſse virtutis infinitę, ſed etiam ſecundum Ariſtotelem *cap. vltimo huius libri*, quod ex eo probat, quia primus motor partibus, & magnitudine vacat, ſi enim haberet partes, & magnitudinem, eſſet finitus, & determinatus, vbi enim ſunt partes, & magnitudo debet eſſe limitatio, & finitas cum enim non detur infinitum in magnitudine, & ſi daretur, nec moueri, nec mouere poſſet, oportet quod primus motor illis careat; eſt infinitus cum non habeat per quod finiatur. Tum quia ratio finitatis deſumitur à partibus tum phyſicis, ſcilicet materia, & forma, nam materia limitat formam, & limitatur ab illa: tum metaphyſicis, ſcilicet genere, & differentia, quæ ſunt termini limitantes eſſentiã. Præterea primus motor producit rem ex nihilo, ad quod infinita virtus neceſsariò deſideratur; productio namque ex nihilo eſt productio entis inquantum ens, ad quod procul dubio infinita virtus deſideratur.

191. Sed obijcies 1. nam ſi daretur aliqua magnitudo infinita, non eſſet alia magnitudo extra illam; ergo ſi ſemel primus motor eſt virtutis infinitæ extra illũ non eſset alia virtus, quod eſt falſum. Reſp. concedendo antecedens, & negando conſeq. Ratio diſcriminis eſt, quia ſi daretur infinitum ſecundum magnitudinem, occuparet omnem locum, & ſic nõ poſset dari alia magnitudo, cum nullus daretur locus, qui per hanc poſset occupari. Cœterum infinitum ſecundum virtu-

virtutem non occupat locum, ac proinde non excludit alias virtutes, maximè cum ex infinita virtute primi motoris dependeant aliæ omnes virtutes creatæ.

192. Obijcies 2. quia ſi primus motor eſſet virtutis infinitæ, deberet producere effectum infinitum, ſed nullus datur, nec dari poteſt effectus infinitus, ergo primus motor, non eſt virtutis infinitæ. Maior conſtat, quoniam ex effectu cognoſcitur virtus cauſæ; Minor probatur, nam omnis effectus Dei habet eſſentiam finitam, quippè conſtantem genere, & differentia, ex eſſentia autem finita non poſſunt pullulare niſi accidentia, proprietates, & virtutes finitæ; Reſp. negando maiorem, cum oppoſitum potius ſequatur, ex eo enim quod Dei virtus, & potentia eſt infinita, non poteſt producere niſi effectum finitum; implicat namque quod virtus infinita exauriatur, aliàs infinita non eſſet. Et ſic dato quocumque effectu, ſemper poteſt dari maior, & maior in infinitum, & nunquam actu infinitum. Deinde dico, quod ad oſtendendã virtutem infinitam primi motoris ſufficit quod effectus ſit infinitus quoad modum fiendi, qua ratione ad creandum, vt diximus, requiritur virtus infinita.

193. Ex quibus omnibus colligitur, quod primus motor Deus, eſt rerum omnium cauſa, eſt virtutis infinitæ, eſt naturæ ſimpliciſsimæ, eſt bonitatis, & ſapientiæ incomprehenſibilis, eſt æternus, eſt omnis vitæ fœlicitas, & vita omnis fœlicitatis, à quo omnia, per quem omnia, in quo omnia; cuius virtute omnis virtus; cuius bonitate omnis bonitas; cuius intuitu animæ tranquillitas, mentis ſæcuritas, cordis lętitia, affectus repletio, in quo omnium bonorũ aggregatio pleniſsimè inuenitur, cui ſit honor, laus, & gloria in ſęcula ſæculorum. Amen. Et hæc de Phyſico auditu. Quæ omnia non ſolum committo cenſuræ Sanctæ Romanæ Eccleſiæ, quæ eſt columna veritatis, ſed etiam correctioni grauiſsimorum hominum. Quod ſi quid minus rectum dixi, nunc pro ſemper volo non dictum. Romæ in Conuentu S.Mariæ de Victoria in die S. Caroli 4. Nouembris 1668.

DISPVTATIO DECIMA.

De Cælo.

1. QVANTA cum difficultate cognoſcimus, quæ in proſpectu noſtri ſunt, facilè colligi poteſt ex ſcribentiũ vario ſenſu,& ex ipſarum rerum naturis, vt dicatur Eccleſ.11. *Sicut ignoras quomodo anima iungatur corpori,& oſſa compingantur in vtero prægnãtis. Sic nunquam intelligere poteris rationem vllius earum rerum, quas Deus fecit tam multas, & varias.* Maiori cum difficultate cognoſcemus, quæ à nobis adeo diſtant, vt ſunt cæli. Nihil tamen eſt ex rebus à Deo creatis, quod magis oſtendat Dei potentiam, maieſtatem, & gloriam, quam cæli, iuxta illud. *Cæli enarrant gloriam, et opera manuum eius annunciat firmamentum.* Hinc Mercurius Trimegiſtus in Pymandro dicit. *Aſpice precor agricultorem ſemina in terræ gremium diffundentem, alibi quidem triticum, hordeum alibi, alibi verò reliqui generis germina. Aſpice eundem vites, maloſque ficus repaſtinantem, atque amputantem. Eodem modo Deus ipſe in cęlum quidem fecit immortalitatem, in terram verò mutationem, in totum denique mundum, vitam, ac motum.* Vt tamen aliqua pro poſſe cognoſcamus, & quæ ſcitu magis neceſſaria ſit.

DVBIVM I.

An ſecundum Ariſtotelem cęlum ſit quinta ſubſtantia.

2. PEr quintam ſubſtantiam intelligimus corpus quoddam ſimplex non compoſitum ex materia, & forma, ſiue illa materia ſit eiuſdem rationis, ſiue diuerſæ rationis à noſtra. Diuiſi ſunt Peripatetici quoad mentem Ariſtotelis, Aliqui namque putant Ariſtotelem ſolũ excluſiſſe à cælis materiam noſtram, non omnem, & ſic iſti volunt, quod ſecundũ Ariſtotelem non detur illa quinta ſubſtantia, ſeu illud quintum corpus non compoſitum ex materia, & forma, ſed quod cæli ſint corpus non compoſitum, ſed ſimplex, & ſolùm dicatur ab Ariſtotele materia quandoque, in ordine ad motum, quatenus illud corpus eſt ſuſceptiuum formæ accidentalis, ſcilicet motus, & quod ſolùm in hoc ſenſu cæli dicantur accidentaliter compoſiti compoſitione accidentali, ſcilicet ex illo corpore ſimplici, & ex illa forma accidentali motus.

3. Alij ex Peripateticis putant, quod Ariſtoteles non admiſerit corpora illa ſimplicia, & non compoſita ex materia, & forma, ſed re ipſa compoſita ex materia, vel eiuſdem rationis cum noſtra, vel alterius, ſeu diuerſæ rationis, ac proinde quod cælos vocauerit quintam ſubſtantiam, ex eo quod ratione ſaltem formæ ſint incorruptibiles, Nos hoc loco referemus vtriuſque ſententiæ fundamenta, vt inde iudicium facere poſ-

ſimus

ſimus vtra ſit probabilior.

4. Sententia quæ cum Ariſtotele admittit illam quintam ſubſtantiam, ſeu cęlos non eſſe compoſitos, ſed eſſe corpora ſimplicia fundatur in ſequentibus Ariſtotelis teſtimonijs. Primum ad probandum cælum nō eſſe compoſitum ex materia eiuſdem rationis cum noſtra habetur 8. *metaph. tex.* 14. vbi dicit. *Non omnia habere materiam, ſed quorumcumque generatio, et tranſmutatio inuicem eſt, quęcumque verò abſque eo quod tranſmutētur ſunt horum materia non eſt.* Sed per Ariſtotelem cęli non tranſmutantur, cum ſint ingenerabiles, & incorruptibiles, ergo non habent materiam communem cum inferioribus, cum non tranſmutentur cum illis. Secundum teſtimoniū habetur ibid. tex. 12. vbi dicitur. *De naturalibus, et perpetuis ſubſtantijs, alia ratio eſt, fortaſſis enim quædam non habent materiam, aut non talem, qualem habent hac inferiora, ſed ſolum quæ ſecundum locum mobilis eſt.* Et lib. 12. tex. 10. idem repetit ſine illa particula *fortaſſis*; & concedit ſolùm cælum habere materiam *vnde, et quo*, ideſt materiam ad motum localem, idemque probat 9. *metaph. tex.* 17. Et 1. de generat. tex. 33. dicit contra Diogenem. *Eorum eſſe communem materiam, quæ ad ſe inuicem tranſmutantur, non autem aliorum, quę ad ſe inuicem non tranſmutantur*, quod etiam repetit *tex.* 54. *et* 57. Et 1. cæli à tex. 134 probat quod ſemel factum eſt non poteſt durare æterno tempore, ſaltem ratione totius, ſed neceſsè eſt corrumpendum, quia *ſi quid tale eſt*, inquit, *non poteſt dici caſu incorruptibile, ſed ſi ęterno tempore duraret deberet dici natura ſua incorruptibile, quod tamen eſt falſum, quia cum habeat materiam ex qua ſit factum, neceſſe eſt vt materia ſit potentia contradictionis, ac proinde ex materia ſua tale indiuiduum demum corrumpetur, habet enim materiam.* Quare cū ſecundum Ariſt. cælum ſit incorruptibile, non habebit materiam, ſaltem eiuſdem rationis cum noſtra, quæ eſt materia contradictionis. Et 3. *metaph. tex.* 15. quærens, cur ſi omnia conſtant ex iiſdem principijs alia ſint corruptibilia, alia non? ſoluit quæſtionem neganda eſſe eadem principia in corruptibilibus, & incorruptibilibus, quamuis ſint eadem aliquo modo in genere. Et 2. de longitudine, & breuitate vitæ, affirmat vniuerſaliter eſſe impoſſibile, quod aliquid habeat materiam, & non habeat contrarium, &c.

5. Ad probandum autem, quod cælum neque habeat materiam diuerſæ rationis ex qua componatur ſecundum mētem eiuſdem Ariſtotelis, adducuntur aliqua teſtimonia, nam 8. metaph. tex. 4. & 12. metaph. tex. 10. apertè docet Ariſt. quod cælum non habet aliam materiam niſi in ordine ad motum, non quæ ſit pars ſubſtantiæ, & potentia ad formam ſubſtantialem. Et 1. *de cælo tex.* 21. explicās quæ materia detur in cælo, per materiam intelligit ſingulare ſenſibile, ſeu hoc cælum, & per formam, intelligit prædicata quidditatiua, ſeu eſſe cælum. Et 12. *metaph. tex.* 33. docet intelligentias eſse ſine materia, quia ſunt ſempiternæ, ſed etiam cæli per Ariſt. ſunt ſempiterni, ergo nullam debent habere materiam, niſi metaphyſicam vt Angeli, & erit ratio generica. Et 1. *cæli tex.* 91. docet cælum non augmentari, quia non habet materiam ex qua componatur, omnis autem augmētatio fit per additionem ſimilis materiæ, & ſimilis quantitatis, quod argumentum non haberet vim ſi cæli haberent materiam ex qua componerentur. Et in eodem libro pro eodem ſumit habere materiam, & poſſe eſse, & non eſſe. Tum quia ſi in cælo eſset compoſitio ex materia, & forma oporteret quod vna pars eſſet actus, & alia potentia; ſed eſt alienum ab Ariſtototele, quod in ſempiternis ſit potentia, cum in ſempiternis per ipſum poſſe eſſe, & eſſe ſint idem, ergo, &c.

6. Secunda ſententia, quæ docet cęlum eſſe compoſitum ex materia ſaltem diuerſæ rationis per Ariſtotelem fundatur in ſequentibus teſtimonijs. Primum teſtimonium deſumunt ex 2. *de generat. tex.* 51. vbi loquens de corporibus ſempiternis, & de elementis, quæ ab Ariſt. vocantur prima corpora, ſic habet. *Sunt*

igitur

igitur et numerò æqualia, et genere eadem principia, quæ in ſempiternis, et in primis, illud enim vt materia eſt, hoc autem vt forma. Vbi apertè docet, quod cæli conſtant ex materia, & forma, vt elementa. Hinc 12. *metaph. tex.* 10. apertè ait, quod cęlum habet materiam licet diuerſam ab his inferioribus. Et in multis locis dicit quod cęli, & hæc inferiora differunt genere, ſcilicet phyſico, ideſt materia. Secundum teſtimonium habetur 1. *cęli tex.* 91. vbi quæres an ſint alij cæli præter illos, quos videmus, probat contra ſe ipsũ debere eſſe alios, ex eo quod cælum cõſtat ex materia, quæ enim conſtant ex materia, debent poſſe multiplicari in infinitum, cum materia ſit radix multiplicationis. Soluit argumentum non negando cælum conſtare ex materia, ſed dicendo conſtare ex omni materia, ita vt eius forma adæquet totam materiam, & ita non poſſe eſſe plures ex defectu materiæ, & dat exemplum in rebus ſublunaribus, ſi enim forma carnis v. g. occuparet totam materiam carnis poſſibilem, nõ eſſet poſſibilis alia caro præter ipſam; vnde *tex.* 95. ita concludit. *Cęlum autem eſt quidem eorum, quæ ſingularia ſunt, et eorũ quæ ex materia, ſed ſi nõ ex parte ipſius materiæ conſtet, ſed ex vniuerſa; eſſe quidem huius cæli, et cęli aliud eſt, non tamen aut erit aliud cęlum, aut continget fieri plures.* Per materiam autem vniuerſalem intelligit materiam propriam cælorum, diuerſæ rationis à noſtra, quam vocat vniuerſalẽ, quia adæquat formam, & adæquatur à forma, aut quia ſicut cæli dicuntur cauſæ vniuerſales, quoniam ad omnia inferiora concurrunt, ita illorum materia dicetur vniuerſalis.

7. Tertium teſtimonium habetur 2. *de anima tex.* 2. *et* 8. *metaph. tex.* 13. *et* 12. *metaph. tex.* 4. & alibi, vt Ariſt. diuidit omnem ſubſtantiam in materiam, formã, & compoſitum ex ijs. Sed cælum eſt ſubſtantia, & non eſt materia tantum, neque forma tantum; ergo erit compoſitum ex iſtis. Quartum teſtimonium habetur 1. *cęli tex.* 5. vbi probat cælum habere aliquem motum naturalem, quoniã omni corpori naturali competit à natura aliquis motus naturalis, cælum autem eſt corpus naturale, ac proinde debet in ſe habere naturam, quę eſt materia, & forma.

8. Quintum teſtimonium habetur 8. *metaph. tex.* 3. vbi agens de materia, quæ eſt pars compoſiti ſic dicit. *Senſibiles verò cunctę ſubſtantię materiam habent* Sed cęlum per Ariſt. eſt eſſentialiter ſenſibile; ergo, &c. Et in eodem loco *tex.* 4. vltrò concedit in cælo materiam, non tamen generabilem, & corruptibilem, cum non ſit in potentia niſi ad motum localem.

9. Ex his duabus ſententijs puto hãc eſſe veriorem, & conformiorem menti Ariſtotelis. Vnde quando in ſuperioribus teſtimonijs pro prima ſententia Ariſtoteles videtur negare cælis materiam, intelligi debet de materia noſtra, non de illa ſingulari, & cælorum propria quam ipſe vocat vniuerſalem, vt notauimus *n.* 6 Et ob id cęli dicuntur quinta *ſubſtantia* Ariſtotelica, non quia ſit corpus ſimplex, ſed quia conſtant materia alterius rationis à materia quatuor elementorum. Quatuor namque elementa ſunt quatuor ſubſtantiæ vniuerſales ſublunares ex quibus cuncta mixta componuntur. At cæli ſunt quinta quędam ſubſtantia, ex qua nihil componitur, licet ad omnia, quæ ex illis primis quatuor primis ſubſtantijs componuntur influant.

†

DV-

DVBIVM II.

An re ipſa cęli componantur ex materia.

10. Caelos eſſe compoſitos ex aliqua materia, admittunt ferè omnes moderni, licet non deſint aliqui qui conantur ſaluare, poſſe dari ſubſtantiam corpoream ſimplicem, ſeu non compoſitam ex materia, & forma, vt tenuerunt Simplicius, Auer. & Durandus, quorum fundamenta poſtea ſoluemus.

11. Noſtra ſententia ſequenti concl. explicatur. *Implicat dari ſubſtantiam corpoream ſimplicem, ſeu non compoſitam ex materia aliqua, & forma.* Sic apertè colligitur ex Ariſt. dub. præcedenti citato pro ſecunda ſententia. Hanc ſententiam poſt Pytagoram, Empedoclem, Democritum, & Platonem, tenent Auenpace apud Albertum 1. *cæli tract.* 1. *cap.* 3. Auicenbron. *lib. de fontis vitæ*, Plotinus *lib.* 1. *Enn.* 2. Alexand, 1. *Nat. quæſt. cap.* 10. Philop. Procli, Simplicius, alijque interpretes 1. *cęli*. D.Thomas 1. *p. q.* 66. *art.* 1. & 2. D.Bonau. Aegius, & Capreolus *in* 2. *diſt.* 12. Heruæus *quodlib.* 4. *quæſt.* 3. & moderni communiter.

12. Probatur 1. ratione Auer. 1. *cæli comment.* 91. nam res cadunt ſub ſenſu ratione materiæ, & ſub intellectu ratione formæ; ſed cęli cadunt ſub ſenſu, ſcilicet viſus; per viſum, namque obſeruamus motum, lucem, &c. ergo habent materiam. Minor conſtat ad ſenſum. Maior probatur; quia materia cum ſit ratio ſingularitatis, & indiuiduationis, erit ratio ſenſibilitatis; ſenſus namque eſt ſingularium, non vniuerſalium. At intellectus cum ſit vniuerſalium, debet eſse rerum à materia abſtractarum.

13. Probatur 2. quia cælum eſt ens phyſicum; ergo habet materiam phyſicam ſiue eiuſdem, ſiue diuerſæ rationis cum noſtra. Conſequentia conſtat, nam de eſſentia entis phyſici eſt, quod conſtet ex materia, & forma; ens namque phyſicum habet naturam phyſicam; natura autem phyſica eſt materia, & forma. Antecedens probatur, nam ens phyſicum, eſt ens mobile, obiectum namque phyſicæ eſt ens, aut corpus mobile, vt oſtendimus 1. *phyſic.* Sed cælum eſt ens mobile, motu ſcilicet locali, vt ad ſenſum patet; ergo, &c. Tum quia illud eſt ens phyſicum, quod habet proprietates, & accidentia entis phyſici; ſed huiuſmodi eſt cælum; ergo, &c. Minor probatur, nam proprietates, & accidentia entis phyſici ſunt quantitas, raritas, denſitas, lux, claritas, &c. quæ ſunt obiecta ſenſuum; ſed iſta reperiuntur in cęlo; ergo, &c.

14. Probatur 3. Vbi ſunt entia ſine materia, ibi etiam ſunt operationes ſine materia; ſed in cœlis non ſunt operationes ſine materia, ergo neque ſunt entia ſine materia. Maior conſtat, ideo namque Angeli habent operationes ſine materia, vt ſunt intellectio, & volitio, quia non habent materiam. Et ideo bruta habent operationes omnino immerſas in materia, & nullam eleuatam ſupra materiam, quia ſunt entia omnino materialia; & ideo homo habet aliquas operationes omnino materiales, vt ſunt operationes vitę vegetatiuę, & ſenſitiuæ, & aliquas ſpirituales, quia medio modo ſe habet, habet enim materiam, ſed non eſt omnino immerſus in materia. Ergo ſi cęli nullam habent materiam, nullam habebunt operationem immerſam in materia, ſed omnis erit immaterialis, & inſenſibilis, quod eſt contra ſenſum, cum videmus, motum lucem, &c.

15. Probatur 4. Repugnat ſubſtantia corporea, completa, & ſimplex; ergo cęli non ſunt ſubſtantia corporea ſimplex, ſed compoſita. Antecedens probatur, nam ſubſtantia ſimplex non poteſt eſſe corporea, ergo implicat, quod ſubſtantia ſit corporea, & ſimplex. Antecedens oſtenditur quia ſubſtantia ſimplex completa, debet eſſe in ſe, & per ſe ſubſiſtens, ſicut Angeli; talis namque ſubſtantia completa ſimplex non eſt forma, quia hæc dicit ordinē ad materiam, ergo eſset actus per ſe ſubſiſtens, & ſic talis ſubſtantia eſser corporea & non eſſet corporea, & eſset perfectior ani-

anima rationali, cùm illa, eſſet actus, & non forma; eſſet completè ſubſiſtens hæc autem ſcilicet anima rationalis eſt forma, & incompletè ſubſiſtens.

16. Probatur 5. nam non poteſt dari corpus ſine principijs, ſeu partibus ipſum componentibus eſſentialiter phyſicè; ſed partes phyſicè, & eſſentialiter componentes corpus ſunt materia,& forma, ergo non poteſt dari corpus non cōpoſitum ex materia, & forma, ac proinde non poterit dari corpus ſimplex, ſeu ſubſtantia materialis ſimplex. Maior nota eſt, minor probatur, quia ſi daretur corpus ſimplex ſine materia, & forma eſſet ſubſtantia per ſe ſubſiſtens,ſeu eſſet actus independens à materia, vt ſunt Angeli, eſſet perfectior anima rationali, quæ eſt eſſentialiter pars, illa autem ſubſtantia materialis, nullam habens materiam, nō eſſet eſſentialiter pars, ſed actus tantum incompoſitus, &c.

17. Occurrunt aliqui quibus prima ſententia placet, quod illud corpus non componeretur ex materia, & forma, non tamen eſſet quid ſimplex,ſed compoſitū, ex partibus integralibus petentibus eſſe extra ſe inuicem in ordine ad locum.Sed contra, nam intantum corpus habet partes integrales petentes eſſe extra ſe inuicem, inquantum ſunt materiales,quantitas namque quæ eſt ratio habendi partes extra partes ſequitur materiam,tanquam ſubiectum illius, ac proinde vbi non eſt materia, neque poteſt eſſe quantitas cum partibus extra partes. Tum quia quantitati debet aſſignari ſubiectum in quo recipiatur, quodque extendat, ſed hoc non poteſt eſſe niſi compoſitum ex materia,& forma; ergo, &c. Actus namque ſeu ſubſtantia ſimplex cum non dicat matertiam phyſicam non poteſt eſſe ſubiectū accidentis phyſici, &c.

6. Probatur 6. nam ſi cęlum eſſet ſubſtātia corporea ſimplex, ſeu eſſet corpus ſimplex, ac proinde daretur corpus ſimplex abſque materia, eſſet non ſolum viuum,ſed etiam cognoſcitiuum,ſed nullus hoc admittit, cum in cælo non dentur operationes vitæ, nec vegetatiuæ, nec ſenſitiuæ, nec aliqua cognitio, ergo, &c. Sequela probatur,quia ſubſtantiæ perfectiſſimæ debetur operatio perfectiſſima, vt patet, ſed illa ſubſtantia corporea ſimplex, per ſe ſubſiſtens,&c. eſſet perfectiſſima, imò perfectior ipſa anima rationali, ſaltem quoad modum eſſendi, ergo deberetur illi operatio perfectiſſima.

19. Primum argumentum, quoniam illa natura debet admitti in cælo, quæ magis fauet ipſius incorruptibilitati, ſed eſſe ſubſtantiam corpoream ſimplicem magis fauet eius incorruptibilitati, ergo, &c. Minor probatur, nam ſimplicia ſunt magis incorruptibilia quam compoſita; compoſita namque duobus modis ſaltem corrumpi poſſunt, aut per ceſſationem diuini concurſus, & per ſeparationem materię à forma, at ſimplicia, ſolum corrumpi poſſunt primo modo, vt Angeli, & animæ rationales. Reſp. quod in cælis non eſt admittenda tanta incorruptibilitas, quanta in rebus ſpiritualibus, vt Angelis, & animabus rationalibus, ſed propriæ naturæ proportionata. Vnde ſunt incorruptibiles naturaliter ob inſeparabilitatem formæ à materia.

20. Secundum argum. non ſunt multiplicanda entia ſine neceſſitate, ſed nulla eſt neceſſitas multiplicandi in cælis partes phyſicas,ſcilicet materiam, & formā; ergo, &c. cum enim non implicet ſubſtātia corporalis, ſeu corpus ſimplex, non debet cælis denegari. Tum quia arguit magnam vniuerſi perfectionem quod detur hæc ſubſtantia; tum quia perfectius eſt, quod cęli ſint corpus ſimplex *quam* compoſitum; ergo, &c. Reſp. *negando* minorem, implicat namque *quod* detur corpus ſimplex ſine materia, cū nequeat dari eſſentia ſine paſſione; ratio namque corporis ſequitur ad materiam, nec quātitas ſequi poteſt niſi à materia, &c. Tum quia vbi videmus accidentia materiæ, ibi dari debet materia, ſed in cælis dantur accidentia materiæ, vt durities, & molities; raritas, & denſitas, &c. Præterea dari debet in cælis primum ſubiectū motus materialis, vt eſt motus localis cælorum, hoc autem eſt materia; ergo, &c.

DV-

DVBIVM III.

An ſecundum Ariſtotelem cęli componantur ex materia, & forma.

21. Prima ſententia eſt, quod ſecundum Ariſtotelem cæli componantur ex materia, & forma ſiue eiuſdem rationis cum noſtra, ſiue diuerſæ rationis à noſtra. Ita tenent omnes illi, qui putant cęlum eſſe compoſitum; pro quo afferunt plura teſtimonia. Primum habetur 2. *de generat. tex.* 51. vbi loquens de corporibus ſempiternis, & elementis, quæ ab ipſo ſolent appellari prima corpora, ſic habet. *Sunt igitur, & numero æqualia, & genere eadem principia, quæ in ſempiternis, & in primis. Illud enim vt materia eſt, hoc autem, vt forma*. Vbi vt vides cœlum ſecundum Ariſtotelem conſtat materia, & forma, vt elementa.

22. Secundus locus habetur 12. *metaphy. tex.* 10. vbi clare docet, quod cœlum conſtat materia, qua ratione differt genere ab his inferioribus. Primo cœli *tex.* 21. quærens Ariſt. an ſint alij cœli quam illi quos videmus, affert argumentum ad probandum eſſe alios infinitos, quia quæ conſtant ex materia, & forma in quacunque ſpecie multiplicantur in infinitum. Quod argumentum ſoluit non negando materiam, ſed dicens conſtare ex omni materia, vt eius forma adæquet totam materiam, vt non poſſint eſſe plures ex defectu materiæ immultiplicabilis; & dat exemplum in rebus naturalibus compoſitis ex materia, & forma, ſi enim forma carnis v. g. occuparet totam materiam carnis poſſibilem, non eſſet poſſibilis alia caro præter ipſam; vnde concludit. *Cælum autem eſt quidem eorum, quæ ſingularia ſunt, et eorum quæ ex materia, ſed ſi non ex parte ipſius materiæ conſtet, ſed ex vniuerſa; eſſe quidem huius cæli, et cæli aliud eſt, non tamen aut erit aliud cælum, aut continget fieri plures*. Vocat autem materiam cœli vniuerſam, quia immultiplicata ſub vna forma ſatiata æquiualet materiæ noſtræ, quæ multiplicatur, & nunquam ſatiatur, & ſic hæc non habet ſatietatem, at illa vniuerſam, & omnem habet ſatietatem.

23. Colligitur hæc ſententia ex eodem Ariſt. v. *de anim. tex.* 2. *metaphyſ. tex.* 3. *et* 12. *metaphy. etx*. 4. vbi omnem ſubſtantiam diuidit in materiam, formam, & compoſitum ex his, cum autem cœlum ſit ſubſtantia, & non ſit materia, neque pura forma, ſequitur quod debet eſſe compoſitum ex his. Primo cœli *tex.* 5. probat Philoſophus, quod cœlum habet motum naturalem, ſicut habet quælibet natura, ſed cœlum eſt natura, & non materia, aut forma; ergo compoſitum ex his. *Octauo metaphy. tex.* 3. docet, quod omnia ſenſibilia conſtant materia, cum hæc ſit ratio, & radix ſenſibilitatis, paret quod cœli ſunt ſenſibiles, ac proinde per Ariſt. debent conſtare materia. Et 6. *metaphy. tex.* 2. dicit, quod omnia naturalia, ſunt ſicut ſimum, idcſt tanquam aliquid concretum in materia.

24. Secunda ſententia tenet, quod cælum ſecundum Ariſt. nullā habet materiam, & tenent omnes illi qui putant cælum eſſe ſubſtantiam corpoream ſimplicem, ſeu eſſe corpus ſimplex; vnde nec habet materiam eiuſdem rationis cū noſtra, neque diuerſæ rationis. Quod nō habeat materiam eiuſdem rationis cum noſtra conſtabit ex dicendis pro noſtra concluſione, quod autem neque habeat materiam diuerſæ rationis probant, nam ſi cęlum ſecundum Ariſtotelem haberet materiam debuiſſet de ea ex profeſſo inſtituere ſermonem, & maximè hoc loco, ſed non fecit; ergo, &c. Hinc 1. *de cælo, tex.* 91. explicans quam materiam concedat cælo, & de qua loquatur cum aliquando videtur eam ponere, dicit quod per materiam intelligit ſingulare ſenſibile, nempè hoc cælum, & per formam, intelligit prædicata quidditatiua.

25. Probant 2. ex 2. & 12. *metaph.* vbi docet quod intelligentiæ ſunt ſempiternæ, quia ſunt ſine materia; ſed etiā cœli per ipſum ſunt ſempiterni, ergo debent eſſe ſine materia. Item 12. *metaph.* docet Ariſt. quod æterna non poſſunt eſ-

ſe compoſita ex elementis,quia haberent materiam,& eſſent corruptibilia,per elementa autem intelligit principia intrinſeca, quorum vnum ſit actus, & alterum potentia, materia namque, & forma ſolent ab Ariſt. vocari elementa. Præterea 1. *cæli tex. 91.* docet Ariſt. cælum non augmentari, quia non habet materiam ex qua componatur, omnis autem augmentatio ſit per additionem ſimilis materiæ.

26. Probant 3. ex 7. *metaph. tex.53,* vbi expreſsè docet quod materia eſt radix corruptionis, ac proinde vbi non eſt corruptio non poteſt eſſe materia; vnde Ariſt. pro eodem ſumit habere materiã, & poſſe eſse, & non eſſe. Tum quia ſi cælum per Ariſtotelem componeretur ex materia, & forma, oporteret quod materia eſſet potentia, & forma actus, vbi autem eſt potentia, ibi poteſt eſſe corruptio, &c.

27. Noſtra ſententia, quæ communiter tenetur, ſeq. concl. explicatur. *Cælum ſecundum Ariſt. non componitur ex materia eiuſdem rationis cum noſtra, quæ ſcilicet ſit potentia ad plures formas, ſed componitur ex materia diuerſæ rationis, quæ ſolum eſt potentia ad ſuam formam à qua perfectè expletur, & ſatiatur.* Hanc concl. probant textus allati pro prima ſententia, & non aduerſantur adducta pro ſecunda ſententia, ſolum enim probant, quod cælum non componatur ex materia ſublunari, quod magis patebit ex dicendis dub.ſequenti.

†

DVBIVM IV.

An materia ex qua cęli componuntur, ſit diuerſæ rationis à materia ſublunari.

28. FVit communis veterum Philoſophorum opinio, vt videre eſt apud Theodoret.*lib.1.de materia & mundo*, Plutarc. 2. *de placitis*, & apud alios, quod materia cælorum ſit eiuſdem rationis cum noſtra. Sic tenuit Themiſt. Empedocles, Heraclitus, Thales Mileus, Xenophanes, Plato, & alij,quam ſequuti ſunt D.Bonau. *in 2.diſt.10. q.1.*Ocham *ibid. q.22.* Aegidius & alij ibid. & non deſunt, aliqui moderni idem tenentes, vt Fonſeca 8. *metaph. in tex. 3.* Molina *de operar. 6. dier. diſp.5.* & alij.

29. Noſtra ſent. ſeq. concl. explicatur. *Materia cæli eſt diuerſæ rationis à ſublunari.* Eſt ſententia Ariſt. vt conſtat ex dictis. Eſt ſententia D. Thomæ, & Thomiſtarum, & omnino communis, & ſequenda, pro qua videri poſſunt Conimbric, & alij, hoc loco.

30. Probatur 1. quoniam ſi cælum eſſet compoſitum ex prima materia ſublunari, vel eſſet aliquod elementum, vt ignis, aut aqua,vel pars alicuius elementi, aut mixtum ex elementis, vel aliud quintum elementum compoſitum ex diuerſa forma à cæteris,ex eadem materia, nullum ex his congruenter dici poteſt, ergo, &c. Pro minore probanda ſupponendum eſt, quod in hiſce rebus naturalibus, quando aliter fieri poteſt, non eſt ita philoſophandum, vt admittantur miracula, maximè ſi dicantur eſſe æterna. Deus namque ita perfectum mundum creauit, vt excepto ſuo vniuerſali concurſu, non egeat vllis miraculis ad perficienda, conſeruandaque naturæ opera. Nec dico, quoniam ſine dubio potuiſſet Deus facere cęlos ex aqua, aut igne, ita vt eſſentialiter eſſent aqua, licet haberẽt accidentia cæli, & ea aquæ natura conſeruari poſset ab omni incorruptione, hoc enim non eſt Deo impoſſibile. Tamen

men præterquamquod hoc dicere eſſet diuinare, adhuc tamen eſſet irrationabile ob cauſam dictam, cum Deus potuerit tale corpus creare cui eſſent connaturalia accidentia cæli.

31. Hoc poſito probatur illa minor quoad primam partem, quod ſcilicet cęlum non ſit vnum ex quatuor elementis, aut ex his mixtum, nam non exiſteret in proprio loco, cum exiſteret ſupra ignem, ac proinde ponere debemus continuum miraculum, contra præſuppoſitum. Non eſſet ignis quia deberet eſſe puriſſimus, cum ſit à contrarijs remotiſſimus: deberet omnia comburere, nam reliquum mundi ad magnitudinem cælorum eſt quaſi centrum in medio circuli, & vt gutta aquæ in medio maximæ fornacis. Nec dicas ignem illum propter raritatem non comburere, nam in primis ſtellæ omnes ſunt denſiſſimæ, & illæ ſolæ ſufficerent ad omnia comburenda. Tum quia eſt communiſſima ſententia philoſophorum, & mathematicorum quod corpora cæleſtia ſint ſolidiſſima, iuxta illud Iob.37. *Tu forſitan cum eo fabricatus es cælos, qui ſolidiſſimi quaſi ære fuſi ſunt*, quare ſine dubio omnia comburerent, niſi continuum fieret miraculum.

32. Nec poteſt dici, quod cælum habeat materiam aquæ, ſeu quæ prius fuit ſub forma aquæ, quæ forma à Deo deſtructa, ſubrogata fuit forma cæli, & cum accidentibus cæli, nam iam cælum eſſet ex parte materiæ corruptibile, cum materia noſtra ſit eſſentialiter principiũ corruptionis; eſt enim materia ſublunaris eſſentialiter potentia contradictionis, & principium intrinſecum corruptionis, quæ ratio tolli non poteſt à forma cæli.

33. Occurrunt aduerſarij non eſſe abſurdum, quod cęlum natura ſua ſit remotè, & ratione materię corruptibile, dummodo talem locum, ac diſpoſitionẽ natura ſua obtineat in vniuerſo, vt nunquam ſit naturaliter corrumpendum; nã ad finem propter quem cælum creatum eſt parum refert, quod natura ſua ſit corruptibile, aut incorruptibile, dummodo non ſit corrumpendum, hoc autem habet cælum etiam naturaliter; eſt enim naturaliter in loco remoto à contrarijs; ignis namque contiguus valde rarus eſt, & parum actiuus: & vlterius dici poteſt, quod in cælo eſt aliqua qualitas naturalis, vt proprietas ipſius, reſiſtitiua calori, & alijs primis qualitatibus, ita vt cælum non habeat potentiam proximam ad calorẽ, ſed tantum remotam, ſcilicet materiam primam, & ita ſolum remotè erit corruptibile, & in hoc caſu nullum interueniet miraculum. Sed contra, nam ſi cælum remotè eſt corruptibile, petet etiam talẽ locum, & ſitum in quo corrumpi poſsit; tũ quia à materia ſublunari quæ eſt corruptionis principium non poſſunt non pullulare proprietates, & paſſiones, quæ ſint proximum corruptionis principium; aliàs ſi non pullularent, non poſset non eſſe miraculum. Tum etiam quia non poteſt non eſſe miraculum, quod ſphęra ignis non agat in proximum cælum lunæ producendo in eo calorem qui illud alteret, cum ratione materiæ ſit capax illius, ergo, &c.

34. Occurrunt alij melius, quod licet cęlum ſit compoſitum ex materia ſublunari, non tamen ex hoc ſequitur, quod ſit corruptibile, quia ſola materia prima non eſt ſufficiens principium corruptionis, ſed ad ſummum ſolum per quandam non repugnantiam, quatenus illi non repugnat corruptibilitas formarum ſublunarium, non quia inducat corruptibilitatem. Principium namque poſitiuum corruptionis eſt materia prima in quantum affecta qualitatibus contrariis; ipſa autem per ſe eſt indifferens tam ad corruptibilitatem, quam ad incorruptibilitatem; & quia cælum non habet primas qualitates, ideo non eſt poſitiuè corruptibile, ſed potius eſt poſitiuè incorruptibile. Alij, & in idem recidit, dicunt, quod cælum ratione materiæ eſt corruptibile negatiuè, quatenus ratione vnius principij intrinſeci, ſcilicet materiæ, ſibi non repugnat corruptio, licet repugnet ratione formæ.

35. Sed contra, nam negari non poteſt

teſt quin ſola materia non ſit ſufficiens corruptionis principium, quoniam in homine principium corruptionis non eſt anima rationalis, nam hæc non eſt ratio qualitatum corruptiuarum, ſed ſola materia. Tum quia materia ſublunaris non eſt ſolum principium corruptionis per quandam non repugnantiam, & negatiuè, ſed poſitiuè, eo namq; modo eſt principium corruptionis, quo eſt principium compoſiti, eſt autem principium compoſiti poſitiuè; ergo, &c.

36. Probatur 2. nam vt omnes tradunt, cælum ratione ſui finis facit perpetua hęc inferiora, faciendo quod re vna corrupta, alia generetur, & ſic tum elementa, tum mixta ſemper in ſuis ſpeciebus conſeruantur; ergo debet ab intrinſeco eſſe incorruptibile, ac proinde non poteſt conſtare materia ſublunari, quæ ab intrinſeco eſt principium corruptionis. Cauſa namque vniuerſalis conſeruationis, nil debet habere, quod etiã remotè opponatur vniuerſali conſeruationi, ſeu conſeruationi totius vniuerſi.

37. Probatur 3. nam ſi cælum conſtaret materia prima ſublunari haberet potentiam eſsentialiter reſpectiuam contrariorum, licet impeditam ne ſemper illa reſpiciat; ergo cum hoc ſit valdè incongruum, dicendum eſt, cęlum non habere materiam eiuſdem rationis cum ſublunari.

38. Ex quibus infertur 1. cælum non eſse igneæ naturæ, aut aqueæ, aut terreæ, aut aereæ, ob rationes factas. Quocirca errarunt qui putauerunt Solem eſse ignẽ puriſsimum, aut ferrum candens. Item errarunt, qui putauerunt cælum eſſe cõpoſitum ex quatuor elementis, ſeu vt dicebant ex floribus elementorum, ideſt ex perfectioribus eorum partibus, vt voluit Camerarius *p. 2. q. 4.* quæ enim componuntur ex quatuor elementis ſunt corruptibilia. Tum quia compoſita ex quatuor elementis habent locum inter ipſa elementa prędominantia; vnde piſces habent locum inter aquas, animalia ſupra terram, &c. cæli autem ſunt ſupra omnia elementa. Tum quia cæli non habent quatuor primas qualitates, ac proinde non poſsunt eſse mixta. Sol namque non apparet frigidus, ſed ſolùm calidus virtualiter, ſi enim eſset formaliter calidus, deberet eſse calidus intenſiſſimè ob remotionem à frigore. Tum quia mixtis debetur motus ſurſum, aut deorſum, pro ratione elementi prædominantis, quod non competit cęlis, vt patet; ergo, &c.

39. Infertur 2. in cęlis non eſſe primas qualitates, cum enim iſtæ conſequãtur ex virtute elementorum, & in cælis non ſint elementa, neque primæ qualitates erunt. Dicuntur autem ſtellæ calidæ, vel humidæ eminenter, non formaliter, quia ſcilicet cauſant hos effectus in his inferioribus; neque aliud volunt Aſtrologi; vnde non ſunt cauſæ vniuocæ harum qualitatum, ſed tantum æquiuocæ.

40. Infertur 3. quod in cęlis non ſunt veri colores, cum enim *iſti* conſequantur ex varia primarum *qualitatum*, refractione, & compoſitione, & iſtę qualitates non ſint in cęlis, ſequitur quod neque veri colores erunt. Apparent tamen aliquo modo *colores ex varia* luminis reflexione, eiuſque intenſione, & maximè ex diſpoſitione medij per quod ad nos lumen reflectitur. Soluuntur argum. in contrarium.

41. Primum argum. nam quantitas eſt paſſio materiæ primæ ſublunaris, ſed in cęlis eſt quantitas; ergo eſt materia prima ſublunaris. Reſp. quod quantitas eſt paſſio materiæ primæ ſiue *ſublunaris*, ſiue cæleſtis. Eſt enim quantitas paſſio ſubſtant ę extenſibilis quæcumque illa ſit. Vnde licet materia *cęleſtis*, & ſublunaris vt tales ſint diuerſę ſpeciei, tamen in ratione *extenſibilis* conueniunt, vt ſint ratio vniuoca emanationis quantitatis. Vel dicas quod quantitas interminata, cui ſcilicet ratione ſubiecti, & aliarum qualitatum in *ipſo* non repugnat mutare continuò varios terminos, & figuras eſt paſsio materiæ primæ ſublunaris. Cœterum quantitas terminata tali, vel tali figura, quam nunquam amittere, aut mutare poteſt, eſt paſſio materiæ cæleſtis.

42. Se-

42. Secundum argum. non ſunt multiplicanda entiá ſine neceſsitate; ſed nulla eſt neceſsitas multiplicandi materiam vt aliá ſit in cælis, alia in elementis, & mixtis; ergo, &c. Reſp. negando minorē, non enim omnimòda incorruptibilitas cælorum ſaluari poteſt per ſolam incorruptibilitatem formarum. Tum quia ad perfectionem vniuerſi ſpectat quod ſicut dantur formæ cælorum incorruptibiles, ita ad eādem perfectionem ſpectat quod detur materia, quæ ſit radix incorruptibilitatis.

43. Tertium argum. nam poſita in cælis materia diuerſæ rationis, adhuc nō ſaluatur incorruptibilitas cælorum; ergo, &c. Antecedens probatur, nam in cælo vel erunt tot materię diuerſę ſpeciei quot ſunt cæli, vel vna pro omnibus, ſolo numero multiplicata. Si primum, fruſtra multiplicamus tot entia ſpecie diuerſa. Si ſecundum, ita ſe habebit materia cælorum ad formas ſingulorum cælorum, ſicut materia prin a noſtra ad omnes formas ſublunares; ſed in noſtra materia ideò eſt potentia contradictionis, quia reſpicit plures formas, ergo ob eandem rationem erit eadem potentia in materia cælorum. Reſp. dato quod materia cęli multiplicetur ſpecie in diuerſis cælis, vt in ſole v.g. & luna, ex hoc tamen non ſequitur quod habe.t potentiam contradictionis, vt habet noſtra materia, quoniam materia cęli ſiue multiplicetur ſpecie, ſiue numero, ſemper ſatiatur ſua forma, eaque contentatur, & ſic non machinatur necem illi formæ quam habet, maximè quia non eſt radix qualitatum corruptiuarum, vt noſtra.

44. Quartum argum. deſumunt ex ipſis cæli partibus, nam vel ſingulæ cæli partes v.g. firmamenti, vel primi mobilis habent materiam diuerſę rationis, vel eiuſdem: non diuerſę, quia eſſent materiæ infinitæ in cęlo diuerſiſſimæ, aut diuerſæ ſpeciei. Neque poſſunt eſſe eiuſdem rationis, nam aliàs quęlibet pars eſſet apta recipere alias, & ſic eſſet potentia contradictionis. Nec valet dicere, quod quælibet pars formæ ita actuat ſuam partem materiæ, vt adęquet totam capacitatem materię, vt non relinquat in ea potentiam contradictionis. Nam contra eſt, quia dato quod forma adæquet totam capacitatem materię, adhuc tamen non tollitur quod ipſa materia non habeat capacitatem ad aliam partem formæ cum illę materiæ ſint eiuſdem rationis. Reſp. quod materia cæleſtis non habeat potentiam contradictionis oritur ex duplici capite, ſcilicet ex eo quod forma adæquet, & expleat capacitatē materię, & ex eo quod ipſa materia illa forma ſatiatur; cuius ſignum eſt, quod non eſt radix qualitatum corruptiuarum. Nec ex eo quod illę materiæ ſint eiuſdem rationis ſequitur, quod vna pars v.g. ſit capax aliarum partialium formarum. Imò oppoſitum ſequitur, cum enim ſint eiuſdē rationis, oportet quod in hoc conueniāt, quod vna pars non appetat formam alterius, ſed vnaquęque ſit ſua ſorte contenta.

45. Quintum argum. quoniam ſi cęlum diceretur eſſe ignis non ſequeretur, quod eſſet extra ſuum locum, ſed in proprio loco pro ratione perfectionis. Et ſi diceretur terra, alias conditiones à noſtra haberet ratione perfectionis accidentalis; cum enim ibi poſita eſſet ad bonum vniuerſi, non poſſet naturaliter ſe mouere ad centrum, ſed circulariter tantum ob exigentiam boni vniuerſi. Idem dicas ſi eſſet aer, aut aqua. Reſp. quod potuit quidem Deus creare cęlos ex materia ignis, aut terrę, aut aquę, &c. de facto tamen id non fecit, attenta rerum diſpoſitione, quod ſcilicet elementa eſſent infra cælum. Tum quia elementa ita diſpoſita ſunt, vt in imo ſit terra, poſtea aqua, &c. & ſic cęli ob maiorem perfectionem debent ſupra omnia elementa, ſicut elementum perfectius eſt ſupra imperfectius. Tum etiam quia ſi terra eſſet ſupra aquam, aut aerem, &c. eſſet in ſtatu violento; ergo multò magis ſi eſſet v.g. ſupra ignem, vt ſi luna eſſet ex materia terræ, &c.

46. Sex-

46. Sextum argum. deſumunt ex Sanctorum Patrum teſtimonijs, vt Baſilij, Auguſt. Ambroſ. Theodorici, & aliorum apud Conimbric. apud Perer. & expoſitorum in illud Gen. *Fiat firmamentum in medio aquarum*, &c. in quibus apertè docent Patres cęlos fuiſse formatos ex materia aquę, aliàs firmamentum non diceretur diuidere aquas ab aquis, nec benè diceretur quod aquæ eſſent ſupra firmamentum. Et in pſal. dicitur. *Extendens cœlum ſicut pellem, qui tegis aquis ſuperiora eius*. Reſp. quod intantum aliqui Patres dixerunt cęlos conſtare ex materia aquæ, in quantum materia cæli habet quandam ſimilitudinem cum materia aquę. Loca autem Sacrę Scripturæ de exiſtentia aquarum ſuper cælos variè interpretantur. Pererius loco citato, vult, quod nomine firmamenti intelligatur totum hoc ſpatium quod eſt à terra vſque ad vltimum cęlum, non tamen accipitur pro toto hoc ſpatio, ſed nunc pro vna parte, nunc pro alia, ſicut etiam accidit in nomine aeris, vel aquæ: cum ergo dicitur fiat firmamentum, nomine firmamenti intelligitur hæc infima aeris regio, quæ eſt prima pars firmamenti per quam diuiduntur aquæ inferiores, quæ ſunt infra aerem ab aquis ſuperioribus, quę ſunt in media aeris regione coactę in nubes. Hæc interpretatio colligitur ex eadem Sacra Scriptura, dum paulò poſt dicitur Deum poſuiſſe aues in firmamento. Patres ergo dum dicunt firmamentum conſtare ex materia aquæ etiam de firmamento iſto intelligi poſſunt.

DVBIVM V.

An cæli ſint animati; vbi de intelligentijs.

47. Anaxagoras teſte Laertio *in eius vita*, & teſte D. Aug. *lib. 15. de ciuit. cap.* 14. quem plures ex antiquis Philoſophis ſequuti ſunt, tanta pertinacia defendebat cælos eſſe animatos, vt qui inanimatos aſſereret, impietatis arguebat. Hinc legitur, quod cum quidam negaret ſolem eſſe animatum, & apud Athenienſes fuiſſet accuſatus, fuit ab illis tanquam impius condemnatus. Communis tamen tam Philoſophorum, quam Theologorum ſententia eſt cælum non eſſe animatum; & quia anima alia eſt vegetatiua, alia ſenſitiua, & alia rationalis, de omnibus proprias ponemus concluſiones.

48. Prima concl. *Cœlum non eſt animatum anima vegetatiua*; eſt communis omnium ſententia, contra quoſdam antiquos, qui putabant cęlum nutriri humoribus è terra acceptis. *Aliqui ita deſipuerunt*, vt dicerent, quod per pluuiam mingerent, & per grandinem, &c. ventrem exonerarent. Probatur 1. concl. ex Ariſt. *2. metaph. tex. 3.* nam id quod eget alimento non poteſt eſſe perpetuum, quoniam id quod alitur debet alimentum alterare, vt illud in ſe conuertat, ac ſubinde debet ab illo pati. Secundo, quia nutritio inſtituta eſt à natura vt deſeruiat ad reſtaurandas partes deperditas, ſed hoc nequit eſſe in cælo cum ſit incorruptibile; ergo, &c. Tertiò, nam vapores qui hinc aſcendunt nō tranſeunt ſecundam aeris regionē, & dato quod aſcenderent valde modici ſunt reſpectu cęlorū vaſtiſsimorum, & nullo modo ſufficere poſſent.

49. Sed obijcies, nam cæli generant multa animalia, ergo habent animam ſaltē vegetatiuam, conſeq. probatur, potentia namque generandi propriè eſt animæ vegetatiuæ. Reſp. quod cęli generant animalia non propria virtute, & vt cauſæ prin-

principales, ſed virtute intelligentię motricis, & tanquam inſtrumenta illius, de quo alibi.

50. Secunda concl. *Cæli non habent animam ſenſitiuam*. Hęc concl. certa eſt, & communis. Conſtat, primò quia anima ſenſitiua ſupponit vegetatiuam; ſed hanc non habent cęli, vt diximus, ergo neque illam. Secundo quia anima ex Ariſt. 2. *de anim. tex.* 34. eſt actus corporis organici, ſed cęlum non eſt corpus organicum, caret namque organis ſenſuum, cum ſit corpus ſimplex, & omogeneum, corpus autem organicum debet eſse etherogeneũ & debet habere partes diuerſę rationis, & ſpeciei, ergo, &c.

51. Sed obijcies, nam ſi cęlum non haberet animam ſenſitiuam, eſset imperfectius quocumque viliſsimo animali, & vermiculo, hoc non videtur dicendum; ergo, &c. Reſp. 1. quod reipſa viliſsimum quodlibet animal ſi conſideretur ſecundũ animam eſt perfectius cęlo, tum quoad gradum vegetabilis, tum quoad gradum ſenſientis quibus caret cęlum, tamen quãtum ad corpus, cœlum eſt longe perfectius, eſt enim incorruptibile, habet materiam alterius rationis à noſtra, & habet formam ſuperioris rationis, quę totam materiam illam complet, & adęquat. Eſt etiã cęlum quid nobilius quodlibet animato, vt dicit quoddam aggregatum ex cęlo, & intelligentia aſsiſtente.

52. Tertia concl. *Cęlum non eſt animatum anima intellectiua diſtincta ab intelligentia motrice*. Eſt communis ſententia. Ratio clara eſt, quia hæc anima ſupponit vegetatiuam, & ſenſitiuam, & etiam debet ſupponere corpus organicum, quę vt vidimus non ſunt in cęlo. Tum quia omne animal indiget calore 2. *de anima tex.* 50 ſed cęli non habent calorem formalem, vt ex dictis ſupra conſtat, ergo, &c.

53. Maior difficultas eſt, an intelligentiæ mouentes cęlos ſint formę informantes, an tantum aſsiſtentes. Prima ſententia eſt, quod intelligentię motrices cęlos ſint formę informantes cęlos, & ſic cęli ſint animati. Sic tenuit Auicen. 2. *de anima tex.* 5. Sic etiam tenuerunt Platonici & omnes illi, qui totum mundum animatum poſuerunt. Nec deſunt qui dicant, quod ſecundum mentem Ariſtotelis optimè defendi poteſt, quod ſint cæli animati & non animati intelligentia motrice.

54. Sit quarta concl. in ordine. *Intelligentiæ motrices cælorum neque ſecundum Ariſtotelem, neque ſecundum veritatem ſunt formæ informantes, ſed tantum aſſiſtentes*. Prima pars de mente Ariſt. probatur, nã 12. *metaphy. tex.* 29. 30. & 35. docet Ariſt. intelligentias eſſe immobiles, impaſsibiles & indiuiſibiles, quod non eſſet verum ſi intelligentiæ eſſent formę informantes cęlos, cum diuidi poſſent ad diuiſionem eorum. Tum quia certum eſt in ſententia Ariſt. quod primum mouens eſt actus purus, perfectiſſimus, & omnino per ſe ſubſiſtens, quæ non eſſent vera ſi dictæ intelligentiæ eſſent formæ informantes, vt patet. Tum etiam quia 2. & 3. *de anima tex.* 60. cum ſequentibus, & 8. *phy. tex.* 34. docet primum mouens debere eſſe immobile, quod non eſſet verum ſi prima intelligentia eſſet forma informans, moueretur enim per accidens ad motum ſui cæli.

55. Sed obijcies, nam Ariſt. 2. *de cęlo tex.* 13. vocat cælum animatum, & propterea dicit eſſe in illo dextrum, & ſiniſtrum, aliaſque poſitionum genera, ſeu differentias. Hinc 1. *cęli tex.* 100. 2. *phyſ. tex.* 45. & alibi ſæpe vocat cælum quid diuinum, & 6. *ethic. cap.* 7. dicit cælum eſſe diuinius ipſo homine. Et 1. *de cælo tex.* 13. & 16. ait cælum eſſe nobilius cæteris animantibus, ergo, &c. Reſp. quod licet ſecundũ Ariſt. intelligentia non ſit forma informãs eſt tamen forma, ſeu actus aſsiſtens, vt tamen non ita aſſiſtat vt gubernator naui, qui pro libito ab illa diuelli poteſt, ſed aſſiſtit neceſſariò per ipſum, mouendo, & regendo neceſſariò, & quodammodo cenſerur ipſius forma, non quidem ipſum informando, & cum ipſo per ſe vnum faciendo, ſed ei aſsiſtendo, & cum ipſo cælo faciendo aggregatum quoddam magis vnum, quam faciat nauta tum naui. Itaque totum hoc aggregatum poteſt dici quoddam cõpoſitum, totum, vnum, ſed æquiuocè, & cælum dici poterit ipſius materia, & intelli-

telligentia, ipſius forma, æquiuocè tamen, ſeu analogicè vt notat D. Tho. 1. *p. q.* 70. *art.* 3. Hinc ſequitur cælum ipſum diei poſſe animatum ratione ſuæ formæ, æquiuocè tamen, vel analogicè. Dici etiam poteſt viuere, quamuis Ariſtoteles quando tribuit cælo vitam ſoleat manifeſtè ſignificare ſe loqui de cæli intelligentia. Simili modo dici poteſt cælum nobilius homine, & rebus inferioribus.

56. Deinde probatur ſecunda pars concl. quod ſcilicet cælum ſecundum veritatem non informetur intelligentia motrice; nam ex duobus entibus in actu non fit vnum per ſe; ſed intelligentia, & cælum ſunt duo entia in actu, & completa in genere ſua. Præterea ſi intelligentiæ vnirentur cælis, quæ mouent vt formæ informantes, vel hoc eſſet propter eſſe, vel propter operari; non propter eſſe, quia intelligentiæ ſunt ens per ſe ſubſiſtens, nec indigent cælis. Etiam cælum habet ſuum eſſe ſine intelligentia. Neque propter operari, ſeu propter aliquam operationem v. g. ipſius cæli, ſi enim aliqua eſſet maximè eſſet motus localis, ſed ad hunc non requiritur quod intelligentia informet cęlum, ſed ſufficit ſi ei aſſiſtat; ergo, &c. Neque propter operationem intelligentiæ, illa namque non indiget motu illo locali corporeo, nec aliquid perfectionis à cælo recipit, ergo fruſtra ponitur quod intelligentia informet cælum quod mouet.

57. Probari etiam poteſt hæc veritas ex noſtræ fidei principijs, conſtat namque Angelos fuiſse creatos in ſtatu merendi, & demerendi, & aliquos meruiſſe, & fuiſſe ſaluos, alios demeruiſse, & fuiſse damnatos; ſi qui ergo Angeli motores cęlorũ fuiſſent damnati, etiam cęli informati ab illis fuiſſent damnati, & illi qui meruiſſent fuiſſent ſalui, & beati, & ea beatitudo extenderetur ad ſuos cælos, quos informant, ſicut beatitudo animæ extendetur ad corpus in quo meruit, &c. Tum quia ſicut corpora beatorum adorantur ea adoratione qua adorantur animæ beatæ, ita cæli, qui informantur Angelis beatis poſſent adorari ea adoratione qua adorantur ijdẽ Angeli beati. Præterea hæc ſententia quod cęli informentur intelligentijs eorumque vita recta viuant, valde fauet Gẽtilium idolatrię; hine Iouerius *in Summa Concil.* refert hæc verba ex 6. Synodo. *Si quis dicit cęlum, ſolem, lunam, ſtellas, & aquas quę ſuper cęlos ſunt animantes eſſe, &c. anathema ſit.* Vnde D. Hierony. *in Deuter.* enumerat hanc ſententiam inter errores Origenis, & ab Epiphanio, & Ireneo enumeratur inter dogmata Marcaſionum. Sanctus tamen Thomas 2. *contr. gent. cap.* 70. dicit nihil ad doctrinam fidei directè, & per ſe petinere an cęli ſint animati; nec ne. Quocirca ſi quando illa ſententia reperitur damnata, erit damnata tanquam aduerſans principijs philoſophię, non fidei, ſaltem directè, & expreſsè. Soluuntur agum. in contrarium.

58. Primum argum. nam ſi ob aliquã rationem cęlum non eſset animatum, maximè ob illam quam adducunt Conimbr. hoc loco, quia anima cæli eſſet in qualibet eius parte, ſed hoc implicat; implicat namque quod vna, eademque anima ſit in tam vaſto loco, cum nullus Angelus poſſit tantum ſpatium occupare, nec poſsit eſſe tanta ſuæ *actiuitatis ſphæra*; ſed hęc ratio eſt nulla; ergo cęli poſſunt eſſe, vel de facto ſunt animati. Minor probatur, nam Angeli poſsunt habere tantam ſphęrã actiuitatis, quanta eſt vaſtitas cęli. Deinde non repugnat quod ſit maior vis informatiua, quam ſit actiua, & efficiens, ergo, &c. Reſp. quod licet hæc ratio non videatur ſatis firma, tamen adhuc non eſt ea ſententia ſequenda, tum quia in cælis *nullum* eſt veſtigium animalitatis, nec *vlla* ratio efficax ad illam inducendam, neque aliqua probabilis experientia. Deinde dico, quod etiam illa ratio *poteſt* ſuſtineri; nam vel illa anima cęlorum eſſet diuiſibilis, & tunc non poſset eſse intelligentia, ſed anima animalium imperfectorum, quę eſt diuiſibilis ob maximam immerſionem illius in materiam adeo craſſam, quod de cęlis diei non poteſt, maximè quia deberet habere nutrimentum, & excrementum, quod patet eſſe falſum. Vel eſſet indiuiſibilis, ac proinde tota in toto, & tota in qualibet parte, & hoc non poteſt compe-

tere

tere nobiliſsimæ intelligentiæ, quę ratione ſuæ perfectionis eſt actus per ſe ſubſiſtens; tum quia illa intelligentia eſset inſeparabilis à tanta mole, illique perpetuò alligata, contra tantam nobilitatem propriam, &c.

59. Secundum argum. nam ſi cęlum non eſset animatum maximè quia anima eſt actus corporis organici, cęlum autem nulla habet organa ſenſuum, ergo, &c. ſed hęc ratio non eſt ſufficiens ad excludendã animam à cęlis; ergo, &c. Minor probatur, nam ideo Ariſtoteles definiuit animã per organizationem, quia putauit cęlos nõ eſſe animatos. Tum quia cæli poſſunt habere ſufficientem organizationem, etiãſi nobis non appareat; maximè quia cęlorum organizatio eſt omnino diuerſa à noſtra, ſicut & ſenſus cęlorum erunt omninodiuerſi. Reſp. quod auctoritas Ariſtotelis, quod anima ſit actus corporis organici eſt magni habenda, maximè cum ea definitio ab omnibus acceptetur. Nec valet quod dicitur poſse cęlos habere ſufficientem organizationem à noſtra diuerſã; hoc enim gratis dicitur, & contra experientiam, & contra Aſtrologorum obſeruationes. In ſole namque lunę v.g. dempta ea lunæ parte, quę à ſole illuminatur, nulla apparet pars diuerſa ab alijs, ſed omnes ſunt omogeneæ.

60. Tertium argum. nam cęlum animatur anima vegetatiua; ergo eſt animatũ. Antecedens probatur, nam ad hoc vt animetur anima vegetatiua, non eſt neceſsè quod augeatur, quia etiam homines ipſi qui habent animam vegetatiuam quando perueniunt ad ſtatum non augentur, & tamen viuunt vita vegetatiua. Neque eſt neceſsè quod emittant excrementa, quia totam ſubſtantiam poſsunt in ſe conuertere abſque eo quod aliquid ſuperfluũ emittant. Reſp. negando antecedens. Ad probationem dico, quod implicat quod cęli animentur anima vegetatiua, & quod ſint incorruptibiles, vegetatio namque fieri nõ poteſt ſine aliqua partium tranſmutatione & abſque eo quod aliquid deperdatur, & aliquid adquiratur. Et licet detur vegetatio ſine augmentatione, poſtquam animal peruenit ad ſtatum, non tamen ſine nutritione.

61. Quartum argum. nam viuere eſt moueri à ſe, ſeu ab intrinſeco, in hoc enim diſtinguuntur viuentia à non viuentibus, quod illa moueant ſe, non iſta: ſed cœli mouentur localiter à ſe; ergo, &c. Minor probatur, quoniam licet aliqua, vt elementa, & mixta moueãtur ab alio, ſcilicet à generante quando ſunt extra proprium locum, & motu locali ſurſum, aut deorſum, tamen moueri motu locali in proprio loco eſt à ſe, & non à generante, ſed cæli mouentur motu locali in proprio loco; ergo mouentur à ſe. Reſp. negando minorem, moueri namque localiter ad proprium locum, eſt à generante, vt alibi diximus, at moueri localiter in proprio loco, eſt ab intelligentia aſſiſtente, motus namque localis ſiue ad locum, ſiue in loco non eſt vitalis, ſed non vitalis; vt patet in motu rotæ dum in eodem loco circulariter mouetur.

DVBIEM VI.

An Cæli ſint incorruptibiles.

62. Reſolutio huius dubij ſatis cõſtat ex dictis ſupra, ſi enim ſemel cœli non conſtãt materia ſublunari, & eiuſdem rationis cum noſtra, quæ eſt radix corruptionis, ſed alia quæ non eſt radix corruptionis, patenter conſtat eſſe incorruptibiles. Cæterum claritatis gratia hoc dubium diſtinctè proponitur, de quo prima ſententia eſt quod cœli ſint ex natura ſua, & ab intrinſeco corruptibiles. Sic tenuerunt plures antiqui Philoſophi cum Platone in Timæo, ſic tenere videntur aliqui Sancti Patres apud Ruuium, & Conimbric. hoc loco, & ſic etiam tenent omnes ferè illi qui dicunt cœlum conſtare ex materia ſublunari. Dixi ferè omnes, quia aliqui ex iſtis adhuc volunt cœlum eſſe incorruptibile non ratione materiæ ſecundum ſe, ſed ratione formæ, aut ſitus, &c. Secunda ſententia dicit, quod cœli ſunt corruptibiles ſecundum ſe, non tamen corrumpi poſſunt ab agen-

te naturali, Sic Molina *de oper. 6. di er.* quem aliqui moderni ſequuntur.

63. Noſtra ſententia ſeq. concl. explicatur. *Cælum ex natura ſua, et ab intrinſeco eſt incorruptibile, licet poſſet ab extrinſeco, ſcilicet à Deo corrumpi, vt per ceſſationem concurſus conſeruatiui.* Sic colligitur ex D. Dyoniſ. *de diuin. nomin. cap.* 4. Ex D.Aug. 14. *de ciuit. cap.* 24. Ex D. Hierony. *in Iſa. cap.* 51. Ex D. Gregor. 17. *moral. cap.* 5. & ex alijs Sanctis Patribus. Idem tenet Ariſt. *hic lib.* 1. *à tex.* 2. Quia cœlum non habet contrarium, tum quia eſt ſedes primæ cauſæ, & intelligentiarum quæ ſunt incorruptibiles. Tum etiam quia in cœlo nunquam viſa eſt generatio, & corruptio. Sic Ariſtoteles quem omnes peripatetici ſequuntur Adde rationem ex fine cœli deſumptam, nam cum cœlum ſit ordinatum ad conſeruanda hæc inferiora tanquam cauſa vniuerſalis, debet ſe ipſum conſeruare, ac proinde debet eſſe incorruptibile; patet etiam ex carentia qualitatum corruptiuarum, & ex ſitu nobiliſſimo, ſuper omnia elementa quæ ſunt principium corruptibilitatis. Conſtabit magis veritas huius concluſionis ex ſolutionibus argumentorum.

64. Primum argum. quia ſi ob aliquam rationem cœlum non eſſet corruptibile maximè ob rationem Ariſtotelis, quoniam cœlum non habet contrarium, ſed hæc ratio non eſt vera, nam motus circularis habet contrarium; ergo, &c. Minor probatur, nam motui circulari ab oriente in occidentem contrariatur motus circularis ab occidente in orientem. Hinc Aſtrologi in primo mobili admittunt tantum vnum motum ab oriente in occidentem, at in cœlis inferioribus admittunt duos motus, vnum ab oriente in occidentem, & vocatur motus raptus quo cœli inferiores rapiuntur à primo mobili. Alium proprium, & naturalem quo mouentur ab occidente in orientem, nullo rapiente. Reſp. quod motus circularis non habet contrarium phyſicè, & propriè, licet dici poſſit illud habere mathematicè. Quare punctum orientis, & occidẽtis in linea circulari non opponuntur phyſicè; ratio eſt, quia non habent contrarios reſpectus à centro mundi, cum ab eo æqualiter diſtintent, ad illudque eodẽ modo ſe habeant. Dici etiam poteſt quod partes cæli ſint ſibi contrariæ ratione extremorum, ſicut via Thebis Athenas; & Athenis Thebas, dicuntur ab Ariſt. contrariæ ratione extremorum. Ad illud quod dicitur de motu naturali, & raptus, dico quod cœli non mouentur abſolutè duobus hiſce motibus, illo ſcilicet qui eſt celerior; altero vero non niſi impropriè, & declaratur exemplo formicę quę in rota mouetur ad orientem, interim dum rota celerius mouetur ad occidentem. Explicatur etiam exemplo nautæ qui in naui tendit ad orientem dum nauis mouetur ad occidentem. Vel enim ipſe celerius mouetur naui, & tunc abſolutè tendit ad orientem: vel tardius naui, & tunc abſolutè rapitur ad occidentem; vel denique ipſe, & nauis mouentur pari celeritate, & tunc abſolutè quieſcit, quia non recedit ab illo puncto immobili in quo concipitur eſſe ipſius locus; nunquam ergo abſolutè mouebitur duobus hiſce motibus.

65. Secundum argum. nam interdũ viſæ ſunt in cœlo aliquæ mutationes, & ſtellæ quædam nouæ vt refert Plinius *lib.* 2. *cap.* 26. & anno 1570. viſa eſt quædã noua ſtella in Caſſiopea quæ ferè per biennium durauit. Et tempore Clem. VIII. viſa fuit alia ſtella noua in Sagittario, quæ poſtea paulatim videri deſijt. Et anno 1600. fuit viſa noua ſtella in *pectore* Cygni quæ durat vſque in hodiernum diem; ergo ſtellæ de nouo generantur, & corrumpuntur, ac proinde cœlum eſt generabile, & corruptibile. Reſpondent aliqui quod licet cœlum ſit incorruptibile ſecundum ſe totum, tamen eſt corruptibile ſecundum aliquam ſui partem, & ſic poſſunt nouæ ſtellæ apparere, & deſinere. Sed hoc non placet, eadem namque ex ratio totius, & partis, & ſi cœlum eſt corruptibile ſecundum partes, poterit etiam corrumpi ſecundum totum, quantum eſt ex principijs intrinſecis. Aliqui quoad

quoad illas nouas ſtellas recurrunt ad Epyciclos per quos aliquid de nouo apparet, quod non apparebat prius, vel alio modo, ratione diſtantiæ, aut propinquitatis. Sed neque hoc placet, nam ſi datur Epyciclus erit pro toto ſigno v.g. Caſiopeæ, aut Cygni non pro vna tantum ſtella in pectore v.g. Cygni, maximè cum pectus Cygni ſemper eodem modo appareat. Communior ſolutio eſt, quod ſi quando apparent nouæ ſtellæ in octaua ſphæra, non ſunt virtute naturali factæ, ſed miraculosè à Deo propter aliquem finem ab ipſo intentum, vt ad manifeſtādam gloriam, & potentiam ſuam, vel ad denotandum aliquem euentum grauem, &c. Neque hoc gratis dicitur, poteſt enim efficaciter probari eas ſtellas non poſſe generari ab agentibus naturalibus; nam hoc agens naturale vel eſſet ſol, aut aliquod ſydus, ſuo lumine, vi, & efficacia, aut aliquod agens infra cœlum vt ignis, aqua, &c. Non hoc quia iſta agentia nō poſſunt mittere ſuam virtutem vſque ad octauam ſphæram, & ad partem determinatam, & producere effectum nobiliorem ſe. Neque ſol aut ſydus, nam ſi ſol v.g. poſſet producere aliquā ſtellam in octaua ſphæra, poſſet etiam eam conſeruare, cum virtus qua ſol eam producit non deficiat; maximè cum ibi nulla ſit actio contrariorum, à qua poſſit corrumpi, neque illa ſtella eget pabulo vt nutriatur ſicut ignis apud nos cum ſit corpus ſimplex. Facit etiam ad ſui conſeruationem ingens ſtellarum magnitudo. Præterea, quare non frequentius ſtellæ generantur cum continuo habeant præſentes cauſas generantes; Deinde quare non generantur in alijs ſphæris, vt in ſphæra lunæ, aut ſolis; demum quia ſtellæ non differunt ſpecie ab alijs partibus cæli, ſed ſunt partes denſiores; vnde licet concederetur ſtellas fieret de nouo naturaliter, quia aliquæ cæli partes condenſarentur, & poſtea diſparerent, cum paulatim rare fierent, non tamen ex hoc ſequeretur, cœlum eſſe ſubſtantialiter corruptibile, ſed ſolum ſequeretur quod pati poſſet aliquam alterationem perfectiuam, & accidentalem, non corruptionem ipſius ſubſtantiæ cœli, quæ incorruptibilis eſt, licet mutari poſſit accidentaliter, ſecundum raritatem, & dēſitatem, &c.

66. Sed contra hanc vltimam ſolutionem obijcies 1. quoniam raritas, & denſitas ſunt ſecundæ qualitates pullulantes ex primis, ſeu ſupponentes primas, ſcilicet calorem, frigus, ſiccitatem, & humiditatem, ſed iſtæ ſunt qualitates corruptiuæ ſubſtantiæ; ergo ſi in cœlo dantur raritas, & denſitas partium, etiam corruptio ſubſtantiæ dari poterit. Reſp. negando antecedens. Raritas namque & denſitas non ſunt ſemper ſecūdæ qualitates, nec ſemper ſupponunt primas, ſed tantum per accidēs ratione ſubiecti quod non habet appetitum ad raritatem, & denſitatem niſi preuia alteratione primarum qualitatum, vt accidit in ſublunaribus. At in ſubiecto independente à tali alteratione, quod ſcilicet habet raritatem, & denſitatem ex natura ſua vt eſt cœlum quod habuit raritatem, & denſitatem in ſui creatione ſine preuia alteratione, non ſunt ſecundæ qualitates, ac proinde ex illis inferri non poteſt alteratio corruptiua, aut corruptibilitas ſubſtantiæ.

67. Obijcies 2. nam ex hoc infertur, quod dictæ ſtellæ factæ fuiſſent naturaliter ab aliquo agente naturali per raritatem, & denſitatem, abſque eo quod ad miraculum recurreretur. Reſp. negando antecedens, nō enim poteſt aſſignari cauſa naturalis raritatis, & condenſationis in cœlo; nam ſi cæli partes poſſent ab agente naturali condenſari, deberent aliæ vicinæ rarefieri ne daretur vacuum, hæc autem fieri nequeunt à cauſa naturali, cū nulla cauſa naturalis poſſit rarefacere, tā immenſam molem, vt ex partibus condenſatis appareat noua ſtella, quæ ſi fuerit in firmamento erit quinquageſies, aut ſexageſies maior tota terra. Ad hæc facit quod ſi cælum poſſet ab agente naturali condenſari vt noua ſtella appareret, non eſſet cur non poſſet cælum rarefieri vt ſic perirent antiquæ ſtellæ.

68. Tertium argum. quoniam ſententia quæ ponit cœlum corruptibile eſt

magis conformis Sacræ Scripturæ,& Sā-ctis Patribus, ergo illa eſt tenenda. Conſeq. conſtat; ea namque ſententia ſemper eſt tenenda quæ eſt magis conformis Sacræ Scripturæ, & Sanctis Patribus. Antecedens probatur, nam 2. *Petri cap. vlt.* dicuntur cœli qui nunc ſunt, & terra, eſſe reſeruata igni in diem iudicij; & poſtea ſubditur. *Adueniet dies domini vt fur in quo cœlum magno impetu tranſiet* & infra. *Per quem cœli ſoluentur, et elementa ignis ardore tabeſcent*; & addit nos expectare cœlos nouos, &c. Iſa. 51. legitur. *Cœli ſicut fumus liqueſcent*. Et pſal. 101. dicitur. *Opera manuum tuarum ſunt cœli, ipſi peribunt*. Matt. 24. habetur. *Cœlum et terra tranſibunt*. Et Luc. 21. *Stella cadent de cœlo*. Et Eccleſ. 17. *Quid lucidius ſole? et hic deficiet*. Sacræ Scripturæ teſtimonijs accedit Patrum auctoritas, vt Hilarij, Iuſtini, & aliorum quos videre potes apud Pereriū in Gen. *lib.2. cap.1.* alioſque.

69. Reſp. quod incorruptibilitas accipitur aliquando pro eo quod ex natura ſua eſt, ens omnino neceſſarium, vt ſit impoſſibile quod non ſit, & hoc modo ſolus Deus eſt incorruptibilis, & immortalis, reliqua verò ſunt corruptibilia, qua ratione intelligendi ſunt aliqui Sancti Patres dum dicunt cœlum eſſe corruptibile natura ſua. Loca ſcripturæ intelligi debent vt cœli non ſint immutandi ſecundum ſubſtantiam, ſed tantum ſecundum accidentia, quatenus nouam lucem acquirent, vt immutari videantur. Ignis autem conflagrationis nō aſcendet ſupra cœlum aereū, & ita intelligitur locus D. Petri de cœlo ſcilicet aereo quod in fine mundi purgabitur ab igne, & in feliciorem quemdam ſtatum renouabitur. Ad illud Eccleſ. & Lucæ, de ſolis defectu, & ſtellarum, dicendum eſt intelligenda eſſe ante diem iudicij cum ſol obſcurabitur. Stellæ autem dicuntur cadere de cœlo, quia lucem amittent; quo ſenſu intelligitur etiam attritio cœlorum apud Iob. Vel loquuntur de magna illa mutatione quam mundus patietur ante diem iudicij, vel certe de renouatione futura, quæ in cœlis ſolum accidentaria erunt.

70. Quartum argum. nam non debemus confugere ad miracula, neque ad Deum tanquam ad auctorem extraordinarium, quando res poteſt ſaluari abſque graui incommodo; ſed apparitio nouarū ſtellarum in cœlo poteſt ſaluari, dicendo cœlum eſſe corruptibile ſaltem ſecundum aliquam partem, quod nullum affert incommodum; ergo, &c. Vt enim communiter dici ſolet, eſt ſignum ingenij imbecillis quando philoſophus recurrit ad miracula, aut ad Deum operantem præter, aut ſupra naturæ ordinem. Reſp. concedendo maiorem, & negando minorem; nam dato, quod cœlum eſſet corruptibile non ſolum ſecundum partem, ſed etiā ſecundum totum, adhuc non daretur agens naturale à quo illæ nouæ ſtellæ cauſari poſſent, & ſi poſſent, deberet hoc frequentius fieri, & nō ſolum in octaua ſphęra, ſed etiam in alijs, vt in ſpæra ſolis, lunæ, &c. quod tamen eſt falſum.

71. Quintum argum. nam dicere quis poſſet quod illæ nouæ ſtellæ nō cauſentur in octaua phæra, ſed in ſuprema parte aeris vt Cometæ, ergo, &c. Reſp. quod aliqui reuera ſic dicunt, ſed non eſt recedendum ab obſeruatione Aſtrologorum qua obſeruant non poſſe eſſe in aere, vt Cometæ, quod probant tum ex duratione illarum ſtellarum, tum ex motu vniformi cum octaua ſphæra; tum ex firmitate eiuſdem loci, vt Caſſiopea, &c.

DVBIVM VII.

An Cœli ſint ſolidi, an fluidi.

72. ILlud corpus dicitur ſolidum per quod alia corpora nequeunt trāſire ſine penetratione, vt eſt ferrum, duri lapides, æs, &c. Illud autem dicitur fluidum quod ſine penetratione pertranſitur, vt eſt aqua per quam pertranſeunt piſces: aer per quem tranſeunt aues, &c. De quo prima ſententia eſt, quod cælum ſtellatū ſit ſolidum, non alij. Sic tenent aliqui iuniores. Secunda ſententia tenet quod cœli habeant aliquas partes ſolidas, vt ſtellæ, & planetæ, alias verò fluidas, Sic D. Bo-

D. Bonau. *in 2. diſt. 12.* & alij.

73. Noſtra ſententia ſeq. concl. explicatur. *Cæli ſunt ſolidi ſecundum omnes ſuas partes*. Eſt ſententia communis tum antiquorum, tum modernorum, qui aduertunt quod oppoſitum tenentes non incurrunt aliquam notam, quod an ita ſit conſtabit ex noſtris probationibus. Probatur 1. noſtra concl. nam in Sacra ſcriptura cœlum vocari ſolet firmamentum. *Fiat firmamentum*, firmamentum autem denotat ſoliditatem, non fluiditatem; per firmamentum autem intelliguntur omnes cœli in quo ſiue ſtellæ, ſiue planetæ firmantur.

74. Occurrunt aduerſarij, hinc non ſequi quod partes cœli in quibus mouētur aſtra non ſint fluidæ, quoniam adhuc hoc non obſtante cœli dici poſſunt ſimpliciter ſolidi, quia longe pars maior eorum eſſet ſolida. Tum quia nomine firmamenti intelligitur etiam aer qui tamen non eſt ſolidus. Addunt aliqui, quod nomen firmamenti non eſt neceſſe quod ſignificet ſoliditatem oppoſitam fluiditati, ſed poteſt etiam ſignificare perſeuerantiam, & ſtabilitatem in eodem ſitu, loco, aut diſpoſitione abſque aliqua alteratione corruptiua.

75. Sed contra, quoniam verum non eſt quod longe maior pars eſſet fluida, non ſolida, quoniam aſtra non ſunt maior pars cœli, ſed valde minor. Sol namque non eſt maior pars cœli in quo eſt; neque Luna, & ſic de alijs. Nec illud, quod dicitur de aere ſatisfacit, quia licet aliquando aer poſſet venire nomine firmamenti, tamen abſolutè per firmamentum intelligitur cœlum, & non quodlibet, ſed illud in quo ſtellæ firmantur. Neque illud quod alij addunt ſatisfacit, nam aliàs cœlum empyreum rectius diceretur firmamentum, cum habeat omnimodam ſtabilitatem perſeuerantiam, & ſitus immobilitatem in eodem ſemper loco, &c.

76. Probatur 2. concl. ex illo Iob 33. *Tu forſitan fabricas es cælos, qui ſolidiſſimi quaſi æs fuſi ſunt*. Hoc teſtimonium conantur aduerſarij infirmare dicentes primò, quod cœli vocari poſſunt ſolidiſſimi quaſi æs fuſum propter ſtabilitatem incorruptibilem, & propter continuationem, & expanſionem. Secundò dicunt, quod illa verba ſunt Heliu amici Iob, non ipſius Iob, cui non conſtat aſtitiſſe ſemper Spiritum S. ſi in omnibus, quæ locutus fuit, vt non potuerit errare. Vnde dicunt quod fuit iſte amicus Iob increpatus à Deo tanquam inuoluens ſententias ſermonibus imperitis, & ſic, inquiũt, non debet locus iſte vrgeri contra ſententiam admittentem cœlos eſſe fluidos. Sed contra, nam totus liber Iob tenetur canonicus, & non ſolum quoad verba quæ dixit Iob, ſed etiam quoad ea quæ dixerunt amici illius. Et S. Gregor. Magnus exponit omnia quæ in eo libro reperiuntur. Vnde cum dixit Deus. *Quis eſt ille inuoluens ſententias ſermonibus imperitis*; non dixit quod illæ ſententiæ fuerint falſæ, ſed quod fuerint inuolutæ ſermonibus imperitis.

77. Probatur 3. ex Apoſtolo *ad hebreos* 4. vbi dicitur quod Chriſtus D. penetrauit cœlos, ſi autem cœli eſſent fluidi, non fuiſſet neceſſe quod Chriſtus D. eos penetraſſet. Etiam hoc teſtimonium conantur infirmare aduerſarij, dicendo, quod Chriſtus D. potuit cœlos penetrare tametſi fluidi ſint, vt ſic citius pertingeret ad cœlum empyreum. Alij addunt, quod Apoſtolus non loquitur de penetratione propriè dicta, ſed impropriè, ſcilicet tali per quam tranſiret cœlos. Sed contra, nam non eſt ponendum miraculum ſine neceſſitate, ſed vbi cœli ſunt fluidi nõ eſt neceſſaria penetratio cũ per fluiditatem facilè cedant corpori trãſeunti vt patet in aqua quæ facilè cedit piſcibus, & in aere qui facilè cedit auibus, & malè diceret qui teneret piſces penetrare aquam, & aues aerem. Nec verum eſt, quod Apoſtolus non loquatur de penetratione propriè dicta; verba nãque ſacræ ſcripiuræ intelligi debent in proprio ſenſu quando nullum ſequitur inconueniens, vt in noſtro caſu.

77. Probatur 4. ab inconuenienti, nam ſi cœli eſſent fluidi, non poſſent aſtra tenere ſemper eandem ſitum, eundem ordinem,

dinem, eandem diſpoſitionem, &c. hoc eſt inconueniens; ergo, &c. Minor nota, eſt. Maior probatur, quia in corpore fluido res facilè poſſunt eleuari, & deprimi. Hoc argumentum maximè vrget contra eos qui putant. quod aſtra ſint ſolida, & reliquæ cęli partes ſint fluidæ, res namque ſolida in re fluida non rectè conſiſtit, vt videre eſt in aqua, & aere, vbi res ſolidę non conſiſtunt. Tum quia ſi cæli ſunt fluidi, vel ea fluiditas conſiſtit, & eſt immobilis, vel certè non conſiſtit, ſed mouetur, & agitatur. Si primum, & fluiditas erit ſoliditas, proprium namq; eſt rei fluidę non conſiſtere, ſed agitari, aut ſaltem poſſe agitari. Si ſecundum, ſequitur, quod aſtra quę in ſuis cęlis fluidis manent, continuò mouebuntur, huc, illucq; agitabuntur, quod eſt inconueniens. Soluuntur argum. in contrarium.

78. Primum argum deſumunt ex auctoritate Sanctorum Patrum Iuſtini Martyris, Euſebij Emiſſeni, Gregor. Niſſeni, Chryſoſtomi, & aliorum apud Camerarium, & Ariagam hoc loco, qui docent cœlos eſſe fluidos, & naturę aquę, aut aeris. Reſp. Sanctos Patres ſolum velle, quod cęli ſint naturę aquæ, aut aeris, quoad rationem tranſparentię; non enim volunt quod ſint fluidi ſicut aqua, aut aer, cum ſatis notum ſit hoc eſſe falſum cum videamus clariſſimè cęlorum ſtabilitatem & non fluxum, & refluxum.

79. Secundum argumentum, quoniã cum cœlorum ſoliditate non poſſunt facilè explicari planetarum mutationes, vt vicinitatis, & remotionis, obſeruant namque Aſtrologi, quod planetæ modo appropinquant terræ, modo recedunt: modo cernuntur altius, modo demiſius, ergo, &c. Reſpondent aliqui quod iſtæ mutationes ſaluantur per quoſdam canales in quibus vel ſunt corpora fluuida; vel in quibus nihil eſt; licet enim repugnet vacuum in ſublunaribus, quia non darentur influentiæ, non tamen in cœlis. Addunt alij quod illi canales ſunt pleni corpore ſolido, tamen ibi facilè dari poteſt penetratio, vel ob bonum vniuerſi, vel ob naturę cœlorum exigentiam, &c. Alij ſaluant per quoſdam epyciclos, ſeu per quoſdam globulos intra idem cœlum, per quos globulos aſcendunt, & deſcendunt planetæ, & hoc magis communiter tenetur.

DVBIVM VIII.

Quot ſint cæli, quotque planetę.

80. Qvantum ad planetas certa, & communis ſententia eſt ex longa Aſtrologorum obſeruatione, quod ſint ſeptem. Scilicet 1. Luna, 2. Mercurius, 3. Venus, 4. Sol, 5. Mars, 6. Iupiter, 7. Saturnus. Difficultas eſt, an omnis planeta proprium habeat cœlum in quo reſideat, ſuumque motum, curſumuè efficiat, an verò vnum tantum habeant cœlum in quo reſideant, licet vnumquodque planeta ſuum proprium habeat canalem in quo ſuum iter conficiat diuerſimodè ab alijs. Prima ſententia tenet omnes planetas habere vnum tantum cœlum, in eoque eſſe ſeptem canales, ſeu vias diuerſas, magis aut minus longas; magis, aut minus à nobis diſtantes in quibus adeo diuerſa conficiunt itinera. Sic tenent omnes illi qui dictos canales admittunt, & illi qui putant cœlos eſſe fluidos. Quare iſti tantum tres cœlos admittunt, vnum planetarum, in quo ſcilicet ſunt omnes planetæ, alterum ſtellatum in quo ſunt omnes ſtellæ fixæ, & aliud empyreum in quo ſũt ſedes Beatorũ, & probant hoc ex Apoſtolo, dum dicit quod fuit raptus vſq ad tertium cœlum, ad cœlũ ſcilicet beatorum, vbi audiuit arcana verba, &c. Nõ enim probabile eſt, quod ſi planetæ haberent proprios cœlos, quod fuerit raptus vſque ad cœlum Veneris, quod eſt tertium in ordine, vbi non potuit audire arcana verba, nec videre tot mirabilia, vt idem Apoſtolus teſtatur.

81. Noſtra, & communis ſententia ſequentibus concluſioninib. explicatur. Prima cõcl. *Secundũ fidẽ dantur plures cæli.* Sic tenent omnes auctores catholici. Cõſtat ex ſacra Scriptura, nam pſal. 148. dicitur. *Laudate eum cæli cælorum, et omnia*

qua

quæ ſuper cęlos ſunt. Et *Laudate Dominum de cęlis*. Et *Cęli enarrant gloriam Dei*. Et ad Epheſ.4. *Aſcendit ſuper cęlos cęlorum*. Et in Symbolo dicimus. *Qui aſcendit ſuper omnes cęlos*, &c. idem habetur alibi.

82. Secunda concluſ. *Planetę habent proprios cęlos, et ſic erunt ſeptem cęli ſeptem planetarum*. Sic tenent communiter Aſtrologi, & ratio videtur euidens, quia ſine proprijs cœlis non videtur quomodo poſſit ſaluari tanta diſtantia inter planetas; nec quomodo poſſit ſaluari tanta motuum diuerſitas. Ne valet recurrere ad canales, ſeu vias, nam hoc modo oporteret dicere, quod hoc cœlum eſſet immobile, & ſolum per illas vias mouerentur planetæ, quod eſt contra experientiã Aſtrologorum. Deinde oporteret dicere quod hoc cœlum eſſet immenſæ molis, vt in eo eſſent viæ adeo diſtantes, per quas mouerentur planetæ.

83. Sed obijcies 1. nam nulla eſt neceſſitas multiplicandi tot cœlos pro numero planetarum; ergo erit tantum vnũ pro omnibus, cui ſi addatur cœlum ſtellatum de quo nemo dubitat, & cœlum empyreum, erunt tres Cœli. Antecedens probatur, quia diuerſitas motuum planetarum, & diſtantiæ illorum, poſſunt ſaluari in eodem cœlo; ergo, &c. Reſp. quod licet fortè poſſent abſolutè iſta ſaluari, non tamen æquè benè, & ita rationabiliter, nam rationabilius eſt, quod non dentur illi canales, quam quod dentur. Si enim dentur, vel ſunt pleni, aut vacui. Si pleni aut corpore fluido, aut ſolido, nõ ſolido, quia oporteret dari continuò penetrationem. Non fluido, quia cœli, & omnes partes illorum ſunt ſolidæ. Tum quia corpus quantumuis fluidum habet aliquam reſiſtentiam, & ſic vel oporteret quod Angelus mouens v.g. ſolẽ ſemper illi aſſiſteret diſcurrendo per illum canalem cum eodem ſole; vel ſi maneret in Oriente, & ibi præberet impulſum eidem ſoli, ad finem motus ſol non moueretur eadem velocitate, vt prius retardante paulatim corpore fluido quod eſſet in eo canali.

84. Obijcies 2. Si planetæ haberent proprios cœlos, ſequeretur quod moueri deberet ad motum planetarum; ſed hoc videtur falſum; ergo, &c. Minor probatur, nam vt obſeruant Aſtrologi, cœlum Saturni, magis excedit ſtellam Saturni, quam totum mare excedit vnam aquæ guttam, ſed eſſet abſurdum dicere, quod ad mouendã vnam guttã aquæ eſſet neceſſe mouere totum mare, ita abſurdum videtur, quod ad hoc, vt Angelus moueat ſtellam Saturni, debeat mouere immenſam machinam cœli Saturni. Reſp quod quoties res minor non poteſt moueri ſine maiori, eo quod eſt cum maiori connexa, tunc nullum eſt abſurdum quod vt moueatur minor, debeat moueri maior. Cum autem in noſtro caſu ſtellæ errantes, ſeu planetæ ſint vnitæ cum ſuis cœlis, vt moueantur, moueri debent ipſi cœli; imò non planetę mouentur per ſe, & cœli ratione planetarum, ſed è contra planetæ mouentur ad motum cælorum. Nec mirum eſt, quod vnus Angelus poſſit mouere tantam machinam, tum quia Angeli ſunt maximæ virtutis, tum etiam, quia cœli vel nullo modo grauitant, vel valde parum ob eorum perfectionem. Quare ſi vna gutta aquæ non poſſet moueri ſine toto Oceano, & neceſſum eſſet pro bono vniuerſi, quod ea gutta moueretur, prudentiſſimè motus Oceani ordinaretur ad motum illius guttæ. Sic quia ad bonum vniuerſi neceſſum eſt, quod planetæ moueantur, ſapientiſſimè Deus ordinauit motum tantarum machinarum ad motum ſtellarum errantium.

85. Maior difficultas eſt, an præter ſeptem cœlos planetarum, & octauam ſphæram ſtellarum fixarum, quæ vocatur firmamentum, dentur alij cæli mobiles, dico mobiles, quia certum eſt dari cælum empyreum, quod eſt immobile, & ſedes Beatorum, eſt enim inconueniens quod cęlum in quo reſident Beati continuò moueatur, in eo nãq; & ipſi beati mouerentur, quod non videtur conueniens.

86. Prima ſententia eſt, quod dentur tantum octo cœli mobiles, vnde firmamentum, ſeu cœlum ſtellatum erit primũ mobile, non aliud ſupra hoc. Sic tenent

Aria-

Ariaga, & Amicus, qui pro ea ſententia alios plures citant. Eandem ſententiam ſequitur Pontius hoc loco, & alij moderni, tollentes de medio cœlum cryſtallinum, ſeu aqueum,& primum mobile diſtinctum à firmamento. Fundamentum potiſſimum huius ſententiæ eſt, quia non ſunt multiplicanda entia ſine neceſſitate, & maximè talia entia, quæ ſunt machinæ adeo immenſæ, & quod Aſtrologi non afferant experientias adeo claras, vt ob illas debeant machinæ adeo immenſę multiplicari. Hæc ſententia probabilis eſt.

87. Noſtra ſententia ſequenti concl. explicatur. *Præter octo cælos mobiles dantur ſupra illos duo alij, ſcilicet cælum cryſtallinum, et primum mobile.* Sic tenenr communiter moderni, & in hac multum valet communis conſenſus Aſtrologorum. Nec deeſt ſufficiens fundamentum deſũptum ex ſacra Scriptura,quæ ſuper firmamenrum ponit aquas. Gen. 1. & pſal. 148. quatenus dictum cælum ratione tranſparentiæ aſſimilatur aquæ, aut cryſtallo, & cum hoc cælum non ſit primum mobile, oporret quod ſupra illud detur aliud à quo & hoc, & alij cœli moueantur. Præterea obſeruant Aſtrologi,quod etiam in cœlo ſtellato dantur duo motus, ſcilicet raptus, & primi mobilis ab oriente in occidentem, & proprius ab occidente in orientem, quod ſi ita eſt, manifeſtè ſequitur, quod cælum ſtellatum non eſt primum mobile. Potius ego negarem cælum aqueum, quam primum mobile ſupra cœlum ſtellatum.

88. Quia autem Sancti Patres variè loquuntur de numero cælorum, nam alij ponunt vnum tantum, alij duos,alij tres, alij plures, vt omnia concordentur nota, quod Sanctus Ioannes Damaſcenus, & alij duos tantum cęlos poſuerunr, ſcilicet aereum, & eſt totum ſpatium à rerra, vſq; ad ſphæram lunæ, & æthereum, & eſt totum ſpatium à luna vſque ad ſedes Beatorum, & in hoc ſenſu cęlum ſcilicet æthereum eſt tantum vnum, rarione luciditatis, & ſublimiraris. Rabanus, & alij poſuerunt quatuor cælos aereos,& vnum æthereum; nã aerem diuidebat in quatuor orbes, comprehendendo orbem,ſeu ſphęram ignis, cum tribus regionibus aeris. Alij ſphæram aeris vocant cęlum igneũ, & globum aeris vocant cęlum Olimpiũ ab Olimpio monte in Macedonia qui altior eſt nubibus. Alij etiam globum aeris in duos cælo diuiſerunt, vt partem ſuperiorem vocent cælum æthereum, & partem inferiorem cælum aereum.

89. Nota præterea quod cœlum myſticè accipitur aliquando à Sanctis Patribus, & hoc modo dicunt eſſe vnum quãdo accipitur pro loco in quo eſt thronus Dei, & multiplex, quando accipitur pro bonis cæleſtibus, iuxta illud Matth. 5. *Merces veſtra copioſa eſt in cęlis.* Aliquãdo cœlum accipitur pro viſionibus ſupernaturalibus, quæ ſunt trium generũ, ſcilicet corporalis, imaginaria, & intellectiua, & in hoc ſenſu ſunt tres cæli, ad quorum tertium raptus eſt D. Paulus, vt ipſe narrat 2. *Cor.* 12. & ſic exponit D. Aug. *lib.* 12. *Gen. ad litt. cap* 24. 28. 29. *et* 34. & D. Thom. 1. *p. q.* 68. *art.* 4. Quæ ſi rectè intelligantur facilè concordabuntur, & exponentur Sancti Patres, dum variè loquuntur de numero cælorũ. Sic etiam intelligetur Moyſes, qui vniuerſam mundi machinam in duas rãtum partes diuiſit, ſcilicet in cęlum,& terram, cum dixit. *In principio creauit Deus Cælum, et terram,* &c.

90 Sed quæres 1. quid ſit cælũ? Cęlũ iuxta D. Ambroſ. dictum eſt quaſi cælatum cum diphtongo æ eo quod impreſſa habeat ſtellarum lumina, velut quandam cęlaturam quemadmodum argentũ, quod ſignis eminentibus refulget cælatũ dicimus, ſic ille *lib.* 2. *Exam. cap.* 4. Iuxta alios cœlum dicitur à concauitate cum diphitongo œ ex verbo græco, quod ſignificat concauum. Secundum alios cælum à celando dicitur ſine diphtongo, quod omnia ſuo complexu contegat.

91. Quæres 2. vnde cælum empyreum dicarur? Reſp. quod dicitur ab igne, quaſi igneum ob nimiam lucem, qua perfunditur,eſt enim totum lucidiſſimũ. Vel dicitur igneum eo quod nõ ignis elemen-

elementaris ibi ſit,ſed quia in eo eſt ignis amoris, & charitatis qua beati ardent. Licet hoc cælum lucidiſſimum ſit, non tamen videtur, vel quia à parte exteriori non eſt tam lucidum; vel quia ſuperficies extima, ſeu conuexa ſaltem vltimi cœli impedit tantæ lucis tranſmiſſionem ad nos; vel quia Deus via ſibi nota impedit ne videatur, vt fidem exerceamus, &c. Definitur hoc cælum, quod ſit corpus ſubtiliſſimum, immobile, lucidiſſimum, quantitate maximum, ſitu ſupremum, cæleſtium ſpirituum, omniumque beatorum habitaculum. Hoc cęlum ſecundum aliquos non eſt ſphæricum, ſed quadratum,& videtur colligi ex Apocal. vbi vocatur ciuitas in quadro poſita. At ſecundum alios eſt ſphæricum,& vocatur quadratum ob quandam ſtabilitatem denotandam: Vocatur hoc cælum regnum cælorum propter diuerſitatem præmiorũ. Dicitur Paradiſus propter ſummam amęnitatem, & fructus multiplices donorum cœleſtium. Vocatur ciuitas propter ſummam vnionem, & conformitatem habitantium.

92. De hac ciuitate plura recenſuit Sanctus Rex, & Propheta Dauid, vt *Quam dilecta tabernacula tua Domine virtutum, concupiſcit, & deficit anima mea in atria Domini.* Et *Beati qui habitant in domo tua Domine, in ſęcula ſęculorum laudabunt te.* Et *Melior eſt dies vna in atris tuis ſuper milia* pſal. 83. Rurſus. *Domine dilexi decorem domus tuę, et locum habitationis gloria tua,* pſal. 25. Item. *Replebimur in bonis domus tuę, Sanctum eſt Templum tuum. mirabile in ęquitate.* Pſal. 64. Prætereа pſal. 121. *Lętatus ſum in his quę dicta ſunt mihi in domum Domini i bimus.* Adde illud. *Glorioſa dicta ſunt de te ciuitas Dei.* Pſal. 86. & illud. *Filij autem hominum in tegmine alarum tuarum ſperabũt. Inebriabuntur ab vbertate domus tuę,et torrente voluptatis tua potabis eos. Quoniam in te eſt fons vitę, et in lumine tuo videbimus lumen.*

93. Quæres 3. an dentur epycicli, ſeu quidam cæli excentrici, & concentrici? Reſpon. affirmatiuè, ita communiter aſtrologi, vt per eos ſaluentur diuerſæ mutationes planetarum, tam quoad motus, quam quoad varias apparitiones, diſtantias, & propinquitates.

§. *Incidens de numero ſtellarum fixarum, planetarumque magnitudine.*

94. Vidimus dubio præcedenti numerũ cœlorum, ſeptem, ſcilicet planetarum, octauum firmamenti, nonum cœlum aqueum, ſeu cryſtallinum, & decimum primum mobile, qui omnes proprios habent motus. Super omnes eſt cælum empyreum immobile. Modo pro complemento huius materiæ videnda ſunt ea quæ in titulo proponuntur. Et quantum ad numerum ſtellarum fixarũ colligitur ex illo *Numera ſtellas cęli ſi potes.* Eſſe innumerabiles,& colligitur etiam ex via lactea, quę formatur ex multitudine ſtellarum, quæ indiſtinctè videntur, & ob ſpiſſitudinem formant illam viam, quæ lactea appellitatur. Et ſic eſt communis Aſtrologorum opinio, quod omnes numerari non poſſint. Dicunt tamen, quod illæ ſtellæ quæ quouis anni tempore diſcerni poſſunt ſunt mille, & 15. aut ſecundum alios 1022. tantum,& has in quadraginta, & octo conſtellationes redegerunt per conſtellationem autem intelligunt Aſtrologi certum ſtellarum numerum, habentium inter ſe ordinem quendam, quo à quocumque alio ſtellarum numero diſtinguuntur. Inter has conſtellationes tenent locum potiſſimum ſigna Zodiaci, quæ ſunt duodecim, ſcilicet. *Aries, Taurus, Gemini, Cancer, Leo, Virgo, Libra, Scorpio, Sagittarius, Capricornus, Aquarius, et Piſces.* Vocantur his nominibus iſtæ 12. conſtellationes, vel quia harum rerum effigiem aliquam præſeferunt illæ ſtellæ. Vel quia dum ſol per iſta ſigna pertranſit, fiunt in mundo actiones, ſeu mutationes naturis dictarum rerum correſpondentes. Verbi g. dum ſol eſt in ſigno Leonis, quoſdam quaſi rugitus vehementis caloris emittit. Dum ſol eſt in ſigno Libræ,dies adæquati noctibus. Dum ſol eſt in Virgine, terra non parit ad modum Virginis cum ſit ni-

mijs caloribus aduſta, & ſicca, & ſic proportionabiliter dici poteſt de alijs.

95. Circa ſtellarum magnitudinem relictis antiquorum Philoſophorum erroribus, de quibus Plutarch. *lib. 2, de placit. Phil. cap.* 21. Stoici namque dicebant Lunam eſſe terra maiorem. Parmenides dicebat eſſe ſoli æqualem, &c. Et relicto eorum errore qui dicebant omnes ſtellas firmamenti eſſe æquales, licet videantur inæquales, quia aliquæ ſunt fixæ in parte infima craſſitudinis ſphęræ, aliç in ſuprema, & aliæ in media. Quæ fixæ ſunt in infima parte, videntur maiores, quæ in media minores, & quæ in ſuprema minimæ, & ſic tres tantum gradus magnitudinis ſtellarum conficiunt, ſcilicet maiorum, minorum, & minimarum. Hæc ſententia cõſtat eſſe falſa ex varijs aſtrologorum obſeruationibus.

96. Pro quo nota quantum ad ſtellas fixas, quod moderniores Aſtrologi diuidunt dictas ſtellas fixas in 6. claſſes, ſeu in 6. magnitudines. Stellę primę claſſis, ſeu primæ magnitudinis ſunt 15. & vocantur ſtellæ maiores, & ſunt ſplendidiſſimæ, & pulcherrimæ, & ſunt maiores terra centies, & ſepties. Stellæ ſecundæ claſſis, & ſecundæ magnitudinis ſunt 45 & ſunt maiores terra nonageſies. Stellæ tertiæ claſſis, ſeu tertiæ magnitudinis ſunt 208. & ſunt maiores terra ſeptuageſies, & bis. Stellæ quartæ claſſis, ſeu quartæ magnitudinis ſunt 474. & ſunt maiores terra quinquagies, & quater. Stellæ quintæ claſſis, ſeu quintæ magnitudinis ſunt 227. & ſunt maiores terra trigeſies, & nonies. Stellæ ſextæ claſſis. ſeu ſextæ magnitudinis ſunt 46. & ſunt maiores terra decies, & octies.

97. Quantum ad magnitudinem ſtellarum errantium, ſeu planetarum, cõmunis ſententia Aſtrologorum eſt, quod *Saturnus* contineat terræ magnitudinem decies, & nonies. *Iupiter* nonagies, & quinquies. *Mars* ſemel, & paulo amplius. Sol centies, & ſexagies ſexies. *Venus* ſuperatur à terra ſepruagies, & ter. Mercurius ſuperatur à terra quinquagies & bis. *Luna* ſuperatur à terra trigeſies, & nouies.

DVBIVM IX.

An cæli, & aſtra differant ſpecie.

98. Prima ſententia eſt, quod cœli, & aſtra in illis contenta, ſeu fixa ſint eiuſdem ſpeciei, vnde non ſolum cœlum Lunæ, & Solis v. g. ſunt eiuſdem ſpeciei; ſed etiam ipſa luna, & ſol ſunt eiuſdem ſpeciei, ac proinde ſolo numero differunt. Hanc ſententiam quantum ad cœlos, docent Ariaga, & Pontius hoc loco. Quantum autem ad aſtra, docent alij moderni. Secunda ſententia tenet, quod omnia aſtra ſunt diuerſæ ſpeciei, non tamen cœli. Addit hæc ſententia, quod etiam aliquæ ſtellæ fixæ differunt ad inuicem ſpecie. Et ſic omnes ſtellæ primæ magnitudinis licet ad inuicem ſint eiuſdẽ ſpeciei, tamen differunt ſpecie à ſtellis ſecundæ magnitudinis. Sic Pontius hoc loco *diſp. 22. qu. 7. concl.* 2. & alij.

99. Noſtra ſententia ſeq. concluſ. explicatur. *Omnia aſtra differunt ſpecie ad inuicem, ſicut etiam eorum cæli, cum ſint cæli cum ſuis aſtris eiuſdem ſpeciei, & omnes ſtellæ firmamenti ſunt eiuſdem ſpeciei.* Eſt cõmunis ſententia. Quod omnes ſtellæ firmamenti ſint eiuſdem ſpeciei, conſtat, quoniam differunt ſolum ſecundum maiorem, & minorem magnitudinem; magis autem, & minus non variant ſpeciem. Imò ſi verum eſt, quod ſtellæ non ſint ad inuicem diuiſæ, ſicut nec à cælo in quo ſunt, ſequitur quod neque diſtinguantur ab inuicem, neque à cœlo adæquatè, ſed rantum inadæquatè, ſicut manus, & pes in homine. Stellæ namque non videntur aliud niſi partes cœli magis, aut minus denſæ; quę enim ſunt magis denſæ, apparent maiores, quia lumẽ recipiunt à ſole, qui eſt fons luminis, quę minus denſæ, apparent minores, quia minus lumen recipiunt à ſole. Et idem dicendum eſt de aſtris, quod ſcilicet neque numero adæquatè differant à ſuis cœlis, ſed ſint partes illorum magis dẽſæ, & ſic magis luminoſæ. Quando namque materia luminis eſt adeo rara, non

videtur,

videtur, vt patet in igne in propria ſphæra qui non videtur ob nimiam raritatem.

100. Quod autem aſtra, eorũq; cœli diſtinguãtur ſpecie, vt ſol, & luna, v.g. cęlum ſolis, & cęlum lunæ, probatur, nam ſol, & luna, vt aduerſarij fatentur diſtinguuntur ſpecie, ergo etiam eorum cœli. Antecedens conſtare videtur, nam ſol, & luna vt in externa ſpecie apparent ſunt valdè diuerſa, diuerſæque naturæ; ergo differunt ſpecie. Tum quia ſol habet lucem à ſe, & luna à ſole, ſed ſi eſſent eiuſdem ſpeciei non eſſet ſic, ergo, &c. Tum etiam, quia habent effectus valdè diuerſos, nam ſol generat aurum in viſceribus terræ, & Luna Mercurium. Sol calorem inducit, Luna frigus. Sol ſiccitatem, Luna humiditatem, &c. ergo. Conſeq. probatur, nam vt dicebamus aſtra non habent diuerſam materiam, ac ſubinde nec formam ſubſtantialem à ſuis cęlis, ſed tãtum magis denſam materiã habẽt, & formã diuerſam accidentaliter, ergo &c. Tũ quia diuerſitas effectuum quę eſt ab aſtris eſt etiam ab ipſorum cælis, ridiculum namque eſſet dicere quod cœli aſtrorum nullum haberent effectum, vel diuerſum à ſuis aſtris; effectus qui tribuitur aſtris, tribuitur etiam ipſorum cælis, ſed illis fortius ob maiorem, denſioremque materiam. Quare ſi Saturnus tribuitur frigiditas, & melancholia, ijdem effectus tribuuntur ipſius cælo. Si Marti tribuitur ſiccitas, & bilis, iijdem effectus tribuentur ſuo cælo. Si Veneri tribuitur ſanguinis ebullitiò, hoc idem tribuetur ſuo cælo. Si Mercurio tribuitur ſagacitas, & ingenij ſubtilitas, idem tribuetur ipſius cælo. Si Soli tribuitur recta humorum temperies, & lunæ humiditas chatarri, et diſtillationes, ijdem effectus tribuentur ipſorum cælis. Soluuntur argumenta in contrarium.

101. Probatur 1. quod ſtellæ errantes diſtinguantur ſpecie à ſuis cælis, nam maior conuenientia apparet inter ipſas ſtellas, vt inter Mercurium, et Martem, quam inter ipſos cælos, ſed illæ ſtellę differunt ſpecie ab inuicem, ergo etiam debent differre ſpecie ab ipſis cælis. Reſp. hoc argum. nil aliud probare, quã quod ſi illæ ſtellæ differunt ab inuicem ſpecie, etiam earum cęli debent differre ab inuicem. Stellæ namque conſtant ex eadem materia, et forma qua conſtant earum cæli, licet habeant formas accidentales, vt lucem, denſitatem &c. diuerſas.

102. Secundum argumentum, quia cæli omnes quantum ad externam apparentiam videntur omnino ſimiles, vt tota diuerſitas refundatur in aſtra, ergo non eſt cur dici debeat quod ſint diuerſæ ſpeciei; quæ enim ſunt diuerſæ ſpeciei, diuerſam habent apparentiam externam. Reſp. quod etiam quoad externam apparentiam cæli ſunt diuerſi non ſolum in magnitudine, in diſtantia, verum etiam in alijs accidentibus, ex diuerſitate autẽ accidentium, præſertim quando non ſunt communia, colligitur diuerſitas eſſentiæ.

103. Tertium argumentum ad probandum quod ſtellæ firmamenti differant ſpecie, ſi non omnes ſaltem aliquæ, nam aliquæ habent vnam influentiam cum coniunguntur, aut opponuntur cum ſtellis errantibus. Item ſtella polaris trahit magnetem, quem non trahunt aliæ ſtellæ. Item ſtellæ errantes, imò ipſe ſol diuerſimodè influit cum coniungitur cum vna ſtella fixa, ac quando coniungitur cũ alia; ergo, &c. Reſp. quod totum hoc admitti poteſt, abſque diſtinctione eſſentiali, cum ſufficiat diſtinctio accidentalis, ratione ſcilicet diuerſorum accidentium. Ad illud quod dicitur de tractu magnetis, dico non eſſe verum, quod magnes trahatur ab Vrſa vt vult Pontius, neque à ſtella polari, ſed ab ipſo polo, ratio clara eſt, quia tam Vrſa, quam ſtella polaris diſtant à Polo per aliquot gradus, & ſic gyrant circum Polum, ac proinde etiam magnes deberet gyrari, cum tamen ſtet immobilis verſus polum.

104. Sed quæres 1. an ſol ſit perfectior cæteris planetis? Reſp. affirmatiuè, tum ratione loci, nam tenet medium locum inter planetas. Tum ratione magnitudinis, vt conſtat ex dictis §. præcedenti. Tum ratione lucis, eſt enim fons lucis, &c. Tum ratione influentiarum, & effe-

effectuum, nam ſoli tribuitur productio auri, alijs autem planetis tribuuntur productiones aliorum metallorum.

105. Quæres 2. an cœli ſuperiores ſint perfectiores inferioribus; an è contra? Reſp. affirmatiuè cum D. Thom. 12. *metaphy. cap.* 8. excepto cęlo ſolis, vt dictum eſt num. præcedenti. Ratio eſt quia dignitas loci per ſe eſt ſignum perfectionis. Tum quia ſicut in hoc mundo inferiori elementum ſuperius eſt perfectius inferiori, nam aqua eſt perfectior terra, aer eſt perfectior aqua, & ignis eſt perfectior aere; ergo hoc idem dicendum de ordine cęlorum, quo vnum cælum eſt alio ſuperius, eſt eo nobilius.

106. Oppoſitum huius tenet Pontius vnde arguit primo, quia nulla prorſus ratio eſt ob quam id quod minus præſtans eſt non poſſit eſſe in ſuperiori loco, etiam ex natura ſua; nec ex eo quod aqua ſit ſuperior terra colligitur quod ſit ea perfectior; nec ex ſuperioritate aeris ad aquam, ſequitur eum eſſe perfectiorem; ergo, &c. Reſp. negando antecedens, locus namque quo eſt ſuperior, eo eſt dignior, & quod petit eſſe in loco ſuperiori, oſtẽdit maiorem dignitatem ſuper id, quod petit eſſe in loco inferiori; vnde videmus quod in quocumque ordine ſeruatur ſedium dignitas, etiam inter Angelos, vt Angeli infimæ hierarchiæ ſint inferiores Angelis ſupremæ hierarchiæ.

107. Arguit 2. quia licet ſi peterent cęli locum ſuperiorem ex natura ſua cõcedi poſſet, quod ſuperiores eſſent perfectiores inferioribus, tamen non conſtat, quod id petant ex natura ſua, an accidẽtaliter, & ex eo quod habeant maiorem quantitatem, vt non poſſint contineri ſub cælis inferioribus; ergo, &c. Reſp. non eſſe probabile, quod infinita Dei ſapientia per accidens ordinauerit cælos, & ſolum vnum poſuerit ſupra quia ratione maioris quantitatis non poſſit ſub alio contineri. Hoc enim modo dici poſſet, quod cælum empyreum ſit collocatum in ſupremo loco, quia ratione eximiæ magnitudinis non poteſt contineri in infimo loco. Deus namque ita cælos diſpoſuit, quia eorum natura, & conditio id repoſcit.

108. Arguit 3. nam ſol inter aſtra eſt perfectiſſimus, & tamen non habet ſupremum locum, ergo altior locus non eſt ſignum maioris excellentiæ, nec maiorẽ arguit dignitatem. Reſp. ex dictis, quod ſol aliunde eſt cæteris aſtris perfectior, vt iam diximus; cum enim ſit fons lucis debebat tenere medium locum, vt ſic commodius omnia aſtra illuminaret, propterea num. 105. excepimus ſolem.

DVBIVM X.

Quænam ſtellæ habeant lucem à ſe, & quænam à ſole.

109. Pro intelligentia dubij noto 1: contra Academicos, quod lumen cæli non eſt corpus, quoniam ſi eſſet corpus penetraret corpus, *ſcilicet cælos* per quos tranſit, & aerem per quem ad nos pertingit. Sed eſt qualitas quædam eaque perfectiſſima inter omnia materialia accidentia, quæ qualitas dependet a ſubiecto corporeo, de quo educitur, & in quo ſubiectatur, & ſuſtentatur. Noto 2. quod actio qualitatum non pendet ſolum ab illarum intenſione, nam calor ignis vbicumq; ſit, ſemper eſt intenſus vt octo, ſed etiam à denſitate ſubiecti. Vnde videmus, quod calor magis calefacit in ferro quam in aere, & ferrum ignitum fortius vrit quam flamma. Idem accidit in lumine cuius ſplendor non animaduertitur, niſi in corpore denſo reflectatur, aut refrangatur, vt patet in radio ſolis, qui per feneſtram apertam, aut portam pertranſit cubiculum, nec cernitur niſi aer ſit impurus, aut permixtus pulueribus; & ignis elementaris non lucet nobis in materia rara, ſed tantum in denſa.

110. His poſitis prima ſententia eſt, quod non ſolum planetæ, ſed etiam ſtellæ firmamenti recipiant lumen à ſole, ita vt nulla ſtella à ſe habeat aliquid luminis, ſed omnino totum mutuet à ſole. Sic tenent aliqui moderni. Secunda ſententia tenet, quod planetæ totum lumen

reci-

recipiant à ſole, vt nullum à ſe habeant, at ſtellæ firmamenti totum lumen habent à ſe, & nullum recipiunt à ſole. Sic tenet Pontius *diſput.* 22. *quæſt.* 8. *concluſ.* 1. *&* 2.

111. Noſtra ſententia ſequentibus concluſionibus explicatur. Prima concluſ. *Omnes ſtellæ ſiue errantes, ſiue fixæ aliquod lumen habent à ſe*. Eſt ſatis communis ſententia. Probatur 1. notatis experientia, nam luna in ecclypſi oſtendit aliquod lumen, & tale vt diſtinguatur à reliquis ſui cæli partibus, quod non eſſet ſi aliquod lumen non haberet. Hinc eſt, quod tunc temporis luna apparet rubra, & quaſi ſanguinea, hic autem color neceſſariò oritur ab aliquo lumine, quod non niſi à ſe eſſe poteſt, quod à fortiori dici debet de cæteris aſtris, de quibus minusdubium eſt.

112. Occurrunt aduerſarij, quod illa rubedo eſt quidem aliquod lumen, ſed non lunę proprium, ſed acceptum à ſtellis vicinis, aut ab alijs planetis, ſiue etiã à vicinis cęli partibus à ſole illuminatis. Sed contra, quoniam illa rubedo non poteſt eſſe à ſtellis, aut planetis, aut cęli partibus, cum iſta non habeant in ſe rubedinem, ſi enim ſemel cauſarent prædictum lumen in luna, deberet eſſe eiuſdem rationis cum illo, quod in ſe habent.

113. Probatur 2. nam ſtella Veneris, & Mercurij cum ſint infra ſolem, vt eſt luna, ſi ex ſe non haberent lumen, deberent vt luna ſuſcipere modo maius, modo minus lumen, & ſic pro diuerſitate ſitus ſolis, modo deberent apparere lumine plenę, modo non plenę; vt videmus in luna, quod tamen apparet eſſe falſum. Reſpondent aduerſarij, quod ſtella Veneris, & Mercurij ſint adeo exiguæ, quod ſemper totæ illuminantur. Sed contra, nam licet illæ ſtellæ ſint minores luna, non tamen adeo vt non poſſint non totæ illuminari, vt enim diximus ſupra, luna ſuperatur à terra trigeſies, & nouies. Stella Veneris ſeptuagies, & ter, & ſtella Mercurij quinquaſies, & bis, & ſic ſicut luna apparet aliquanbo ſolum dimidia illuminata, & aliquando ſolum dimidia obſcura; illæ deberent apparere aliquando illuminatæ, quoad tertiam, aut quartam partem; & eodem modo aliquando obſcuræ.

114. Probatur 3. nam cœlorum, aſtrorumque nobilitas repoſcit, quod ſicut ſoli tantum luminis conceſſum eſt, ſaltem aliquid concedatur alijs aſtris. Occurrunt aduerſarij, quod ſol creatus eſt à Deo ita luminoſus, vt ab ipſo tanquam à fonte, reliqua lumen recipiant. Hæc confirmari poſſunt argumento Scaligeri *exercit.* 62. quoniam in luna pars illa à nobis ſolum videtur, quæ à ſole illuminatur, reliquæ non videntur, ac proinde caret omni luce. Sed contra, nam ſol creatus quidem eſt à Deo cœteris aſtris luminoſior, non tamen ob id ſequitur quod etiam cœteræ ſtellæ non habeant aliquid luminis. Nec argumenrum Scaligeri verum eſt, nam aliquando cœlo valde ſereno videntur etiã illæ partes lunæ, quæ à ſole non illuminantur. Deinde dato, quod illæ partes lunæ, quæ à ſole non illuminantur non viderentur, adhuc non ſequeretur, quod non haberent proprium lumen, quoniam maius ſolis lumen obſcuraret exiguum lumen lunæ, vt conſtat in die ſereno, vbi candela non videtur ad præſentiam luminis ſolis. Item ſol obſcurat lumen ſtellarum fixarum, & tamen de die non apparent cum earum lumen obſcuretur à lumine ſolis.

115. Probatur 4. nam ſi aſtra haberent lumen à ſole, creſcerent, & minuerentur, vt creſcit, & minuitur luna, ſed hoc non obſeruatur; ergo, &c. Reſpondent aduerſarij, quod aſtra quę ſunt ſupra ſolem ſemper illuminantur, qua parte nos reſpiciunt, & ſic in illis nullus apparet defectus præſertim in tanta diſtantia. Cœterum aſtra quæ ſunt infra ſolem poſſunt pati aliquod detrimentum, tamen eſt valdè exiguum, ac proinde inſenſibile. Addunt alij, quod Venus, & Mercurius ſunt rariores luna, & magis diaphani; luna namque eſt valde opaca, & denſa, vt ſol nequeat diffundere lumen per totam lunam, ſed ſolum

lum

lum per partem quæ ipſum reſpicit. At Venus, & Mercurius, cæterique planetæ ſunt magis rari, & diaphani,& ſic ſecundũ ſe totos diffunduntur à lumine ſolis. Sed contra, quoniam Sol etiam reſpectu aſtrorum,quæ ſunt ſupra ipſum nõ ſemper obſeruant eundem ſitum, ergo non ſemper eodem modo illuminantur. Item aſtra, quæ ſunt infra ſolem ſi patiuntur aliquod detrimentum in lumine, non poteſt eſſe adeo exiguum,& inſenſibile quin non poſſit obſeruari. Nec id quod additur eſt ad rem, nam ſi Venus, & Mercurius ſunt rariores luna, minus recipient lumen, cum raritas faciat quod lumen non appareat, vt notauimus *n.* 109. Denſitas namque materiæ, denſat lumen vt magis appareat, ſicut denſitas materiæ denſat calorem, vt magis calefaciat.

116. Probatur 5. nam ſi aſtra reciperent lumen à ſole, deberent aliquando ecclypſari, ſed hoc non obſeruatur; ergo, &c. Reſpondent aduerſatij, quod infra ſolem non ſunt alia aſtra præter Mercurium Venerem, & Lunam, quæ reipſa ecclypſantur, non tamen reliqua ſuperiora,quæ nunquam opponuntur Soli per diametrũ, & ſic nunquam terra interponitur inter ipſa, & Solem, & quod nunquam per ſemicirculum à Sole recedant. Addunt alij, quod licet opponantur per diametrum, nõ patiuntur ecclypſim, quia conus vmbræ terræ ad illa non pertingit cum breuior ſit. Sed contra quia iſta ecclypſatio non cernitur niſi in Luna, deinde etiamſi cerneretur etiam in illis aſtris, non ob id ſequitur quod totum lumen mutuent à ſole, ſed ſolùm aliquam partem. Nec verum eſt quod ſol nõ opponatur aſtris ſuperioribus ex diametro, & per ſemicirculum, ſi enim opponi poteſt aſtris inferioribus, non eſt cur eodem modo non opponatur etiam aſtris ſuperioribus. Quod autem conus vmbræ terræ non pertingat ad illa aſtra, parum refert ad hoc vt dicamus quod habeant, vel non habeant lumen à Sole, ſed ſolum vt nõ ecclypſentur, quoad lumen à Sole receptum. Soluuntur argum. in contrarium.

117. Primum argum. nam luna recipit lumen à ſole, ergo etiam reliqua aſtra. Conſeq. conſtat cum ſit eadem omnium ratio. Antecedens probatur, tum ex ecclypſi in qua luna priuatur lumine; tum ex continuo incremento, & decremento ratione diuerſi reſpectus ad ſolem. Reſp. quod luna recipit quidem lumen à ſole, ſed non totum, ſed maiorem partem, & quantum ad hoc ecclypſatur, & patitur incrementum, & decrementum, non quantum ad proprium lumen.

118. Secundum argum. quoniam Sol ideo poſitus videtur in medio planetarum, vt tam ſuperioribus, quam inferioribus aſtris lumen impertiat, vnde fons luminis, & cor planetarum appellatur. Reſp. ex hoc argumento ſolum haberi quod ſol impertiat planetis magnam, & nobiliorem,& ſplendidiorem luminis partem, non tamen quod etiam planetæ ſuum non habeant lumen, quod licet non ſit tantum, debet tamen eſſe maximum,cum in tanta diſtantia aliqualiter à nobis obſeruetur.

DVBIVM XI.

Quare Venus, & Mercurius non ecclypſant nobis Solem cum ſint infra ipſum, vbi aliquæ curioſæ difficultates reſoluuntur.

119. IDeo Luna ecclypſat nobis Solẽ, quia interponitur aliquando inter nos, & ipſum Solem; cum Venus, & Mercurius poſſint interponi, & aliquando interponantur inter nos,& Solem, cum nõ ſint ſupra, ſed infra Solem,datur locus dubitandi, an aliquando Venus, & Mercurius ecclypſent Solem. Ad quod dico, quod circulus viſualis Veneris *v.g.* eſt ſolũ centeſima pars circuli viſualis Solis, vt probant Aſtrologi pro quo videri poteſt Clauius *in cap.* 1. *ſphæræ*, & ſic Venus interpoſita inter ſolem,& nos non poteſt obtegere niſi centeſimam partem Solis, ac proinde talis ecclypſis vix poterit deprehendi, licet Scaliger *exercit.* 72. dicat aliquando fuiſſe deprehenſam partem aliquam Solis obſcuratam per modum exiguæ alicuius

cuius maculæ. Si enim in Sole aliquæ maculæ deprehenduntur, etiam iſta deprehendi poteſt. Idem de Mercurio dici debet, maximè quia eius circulus eſt longè minor. Luna verò etſi ſit exigua, ſolem amplius obſcurat quam Venus, aut Mercurius, quia eſt nobis propinquior, ſicut manus oppoſita oculo, occultat corpus quantumuis maximum. Verum pro complemento huius materiæ ſoluemus aliquas difficultates.

120. Prima difficultas, quare ſtellæ firmamenti ſcintillent, non planetæ? Communis reſolutio eſt, quod ſtellæ fixæ micant, & ſcintillant, quia longè diſtant à nobis; at Planetæ quia ſunt propè nos non ſcintillant; viſus namque ſui compos ad illos accedit, ad ſtellas autem fixas viſus nõ poteſt ob tantam diſtantiam ſe extendere, & ſic tremit, tremor autem facit, vt ſtella videatur moueri, & lumen ipſius quaſi ſaltare. Pro quo nota, quod ſcintillatio non eſt aliquod accidens in ipſis ſtellis, vt acceſſus, aut receſsus, augmentatio, aut diminutio luminis, aut motus aliquis interruptus ſtellarum, vt quidam putauere, ſicut pulſus, aut motus arteriarum in animali, cum continuò moueantur, & lumen perpetuò, & eodem modo ferunt.

121. Nota prçterea, quod ſcintillatio nil aliud eſt, niſi quædam viſus titubatio orta ex magna obiecti diſtantia, ex paruitate luminis, & imbecillitate viſus, ad quod aliquando accedit aliqua medij diſpoſitio. ad ſcintillationem ergo requiritur improportio inter potentiam viſiuam, & rem viſam, vt ſcilicet potentia ſit debilior, quam vt ferri poſsit in tantam diſtantiam conſtanter, & vt obiectum non ſit tantæ claritatis, vt ſuo lumine poſsit potentiæ defectum ſupplere. Hæc eſt cauſa ſufficiens ſcintillationis in ſtellis fixis, quæ ſemper ſcintillant; non tamen hæc eſt ſola cauſa ſcintillationis, poſſunt enim aliæ aſsignari, vt impotentia viſus, indiſpoſitio medij, exceſsus rei viſibilis ſupra potentiam viſiuam, &c. Sic aliquando Sol in ortu ſuo, vel occaſu ſcintillare videtur, & quaſi in gyrũ agi. Alij etiam planetæ præſertim Mars, & Iuppiter ob aerem impurum, & medium permixtum varijs exhalationibus ſolent ſcintillare. Vnde Cardanus dicit, quod quando Mars ſcintillat, venti futuri ſunt, aut futuræ tempeſtates.

122. Secunda difficultas, quid ſint maculæ in Luna? Reſp. eſſe partes rariores quç minus luminis reflectunt, quam denſiores. Fauet huic reſponſioni, quod in magna ecclypſi Solis anni 1560. vt à ſe animaduerſum teſtauit Clauius, contigit, quod tota luna ſubiecta Soli viſa fuerit fuſca, & nigri coloris præter illas partes vbi apparere ſolent maculæ, quæ cæteris erant lucidiores, quia Solis radij illas penetrare poterant vt potè rariores. Sententia Plinij *lib. 2. cap. 9.* quod maculæ lunæ contrahantur ex ſordibus, quas luna cum humoribus attrahit à terra, & mari communiter reijcitur, quoniam illæ maculæ ſi procederent à dictis ſordibus non ſemper, & in eadem lunæ parte apparerent, vt patet. Reijcitur etiam communiter illorum ſententia quod dictç maculæ ſint imagines montium, & vallium, quæ in luna tanquam in ſpeculo apparent, nam etiam tunc variari neceſſe foret, cum non ſemper eodem modo repręſententur. Reijcitur etiam communiter illorum ſententia, quod illæ maculç ſint partes lunæ minus prominentes, & minus capaces recipiendi lumen vt ſunt valles, & illæ quæ illuminantur ſint partes magis prominentes, vt ſunt montium cacumina, hoc enim modo ponerentur in luna valles, & montes, vt putant ruſtici; tum quia non ſemper apparerent eodem modo; nam montium illorũ cacumina pro diuerſitate aſpectus Solis diuerſas ederent vmbras.

123. Tertia difficultas, quid ſit via lactea? Reſp. relictis varijs Poetarum fabulis, & varijs antiquorum Philoſophorũ ſententijs dico quod via, ſeu circulus lacteus ſunt partes denſiores firmamenti, minus tamen denſæ quam ſint ſtellæ, quç candorem illum, ſeu ſplendorem candori, aut lacti perſimilem emittunt. Vel certè ſunt minimæ quædam ſtellæ, & frequentes ſeu ſpiſſæ, quæ ob paruitatem, aut multitudinem ſplendorem illum confuſum efficiunt. Quare errauit Ariſtoteles putans

dictam

dictam viam lacteam eſſe multitudinem exhalationum, quoniam credibile non eſt, quod tanta exhalationum multitudo ſemper, & eodem modo perſeueret.

124 Quarta difficultas, an lux Solis, corporumq; cæleſtium ſit eiuſdem rationis cũ luce corporum ſublunarium. Aliqui dicunt eſſe eiuſdem prorſus rationis; non enim eſt inconueniens, quod vnum, idemque accidens ſecundum ſpeciem reperiatur in corporibus cæleſtibus, & ſublunaribus, ſicut eadem quantitas ſecundum ſpeciem eſt in cęlis, & in ſublunaribus. Alij putant eſſe diuerſæ rationis licet ſecundũ externam apparentiam videantur eiuſdem rationis, nam lux corporum cæleſtium eſt virtualiter calida, non lux corporum ſublunarium. Vtrumque probabiliter ſuſtineri poteſt. Verius tamen videtur quod ſint eiuſdem rationis, licet ratione ſubiecti poſsit habere in corporibus cęleſtibus aliquem effectum, quem non habet in inferioribus.

125. Quinta difficultas, an Sol per lucem calefaciat? Negat Pontius *diſp.22. q.8.n.75.* Vnde exiſtimat falſam illam cõmunem ſententiam, quod ſol per lucem calefaciat tanquam per inſtrumentum, ſed calefacit immediatè ſiue per ſuam propriã ſubſtantiam, ſiue per calorem formalem. Sed contra, nam ſol per ſuam propriam ſubſtantiam non poteſt calefacere, cum nulla ſubſtantia creata ſit immediatè operatiua, vt vidimus de cauſa efficiente; deinde dato quod ſubſtantia creata poſſet immediatè operari, non tamen ſubſtantia Solis poſſet immediatè calefacere formaliter, cum hoc ſit proprium ignis non aliorum elementorum, & multò minus hoc facere poſſet Sol cum non ſit naturæ ignis nec cõponatur ex materia ſublunari. Neque poteſt Sol calefacere per calorem formalem, quia hæc qualitas conſequitur formam ignis, non formas cælorum. Tum quia ſi Sol haberet calorem formaliter, quo calefaceret hæc inferiora, deberet etiã calefacere cælos intermedios; ſed hoc non videtur dicendum, eſſet enim ille calor, cum ſit qualitas corruptiua, principium corruptionis; quod neque ille concedit.

126. Reſpondet Pontius tripliciter, 1. quod re ipſa Sol agit in alios cęlos ipſos calefaciendo, ad illud de corruptione nihil dicit, & ſic hęc ſolutio manet ſufficienter impugnata. 2. dicit quod non ageret in cælos, ſed ageret in diſtans habendo tamen actionem aliquam in medio. 3. Concedit abſolutè quod ageret in diſtans. Cœterum actionem in diſtans reiecimus de cauſis; vnde non eſt neceſsè hic immorari.

DVBIVM XII.

A quo cæli moueantur, vbi alię difficultates enodantur.

127. SVppono 1. quod cęli moueantur, non terra, vt ſomniauit Copernicus quem ſecuti ſunt quidã moderni dicentes, quod cæli ſint penitus immobiles, ſed terra ipſa moueatur, licet terra nobis immobilis appareat, exemplo eius qui mouetur in aqua ſuper nauim, cui terra moueri videtur, non nauis. Cœterum hæc ſententia prohibita eſt à Congregatione Indicis vt non ſolum Sacræ Scripturæ aduerſa, verum etiam philoſophicæ veritati. Eccleſ. namque 1. dicitur. *Generatio præterit, & generatio aduenit, terra autẽ in æternum ſtat. Oritur Sol, & occidit, & ad locum ſuum reuertitur, ibique renaſcens gyrat per meridiem, & flectitur ad aquilonem.* Et Ioſue 10. Sol ſtetiſſe refertur. Et 4. Reg. 20. Sol retroceſsit decem gradibus.

128. Quod autem illa ſententia aduerſetur etiam philoſophicæ veritati, probatur, nam ſi ſola terra moueretur, non cęli, non poſset ſaluari quomodo Sol, Luna, cæterique planetæ accederent, & recederent à ſe inuicem per motum terræ iiſdem immotis, ſicut nec poſset ſaluari, ſi daretur tantum vnicum cęlum, quod moueretur, vt ſupra vidimus. Prętereà ſi terra moueretur, vt ſpatio 24. horarum volueretur ab vno puncto cęli, v. g. ab oriente, ad occidentem oporteret quod ſi quis proijceret lapidem, aut ſagittam, caderet in alio loco. Nec valet dicere, quod tam ab aere quam à motu terrę rapiatur lapis,

aut

aut ſagittæ vt cadat in eodem loco, nam experimur,quod nec aer ſemper mouetur, & aliquando à ventis mouetur in contrarium.

129. Suppono 2.ex dictis ſupra quod aſtra non mouentur per ſe cęlo immoto manente, eo modo quo piſces mouentur in aqua, & aues in aere, ſed mouentur ad motum ſui orbis, ſicut nodus mouetur in tabula. Sic Ariſt. 2. *de cælo à tex.46.* vbi ſic loquitur. *Reliquum eſt circulos quidem moueri, aſtra autem quieſcere, & fixa in circulo ferri.* Suppono 3. dubium non procedere de abſoluta Dei potentia, ſeu an implicet contradictionem, quod à Deo tale cælum producatur, quod habere poſsit formam, aut virtutem, ſeu qualitatem intrinſecam, & profluentem ex ſuæ naturę principijs, à qua moueatur, eo ſaltem modo quo elementa mouentur. Nec enim ſatis conſtat, an hoc implicet. Videtur tamen certum, quod ſi hoc cęlum fieret quod eſſet alterius rationis ab illis qui nunc ſunt. Nec etiam quæritur,an Deus potuerit imprimere cælo vim aliquam naturę ipſius indebitam per quam moueretur in orbem pręter naturam, eo modo quo proiecta mouentur ſurſum. Sed quæritur, an cęlũ ſecundum naturam quam habet de facto, moueatur effectiuè à principio intrinſeco, hoc eſt à ſua forma, aut qualitate connaturali, an verò ſolum ab intelligentia.

130. Prima ſententia tenet quod cæli moueantur à propria forma, & per qualitatem naturalem, neque ad motum indigent intelligentia. Sicut enim elementa v.g. ignis non indiget intelligentia, vt moueatur ſurſum, ſed hoc habet à ſua natura poſcente leuitatem, ita cæli habent à propria forma quod moueantur circulariter, &c. Ita Albert. 8.*phyſ.q.vlt.* Gabriel, Maior,& alij Theologi antiqui apud Conimbric. 2. *de cælo cap.5. q.5. art.2.*

131. Noſtra ſententia ſeq. concl. explicatur. *Cęlum non mouetur efficienter à propria forma,ſeu à principio intrinſeco, ſed à principio extrinſeco, ſcilicet ab intelligentia.* Et Ariſt. 8.*phyſ. &* 12. *metaph.tex.43.* Platon.1. *de leg.* & communis Platonicorum, & Peripateticorum; eſt D. Tho. 1. *p. q.70. art. 3.* & communis Theologorum. Colligitur ex Sacra Scriptura. Iob 9. dicitur. *Sub quo curuantur qui portant orbem*, ideſt Angeli qui mouent orbes cęleſtes. Et in Euang. dicitur. *Virtutes calorum mouebuntur.*

133. Probatur 1. nam omnis motus qui debetur corpori inanimato tanquam principio actiuo eſt propter quietem, aut perfectionem tali naturæ debitam;ſed motus circularis cælorũ nullam inducit quietem, aut perfectionem in illis, ergo ille motus non ſibi debetur à principio intrinſeco. Minor nota eſt. Maior probatur,nã motus localis non eſt per ſe expetibilis cum ſit actus imperfectus, & ordinatus ad aliquem finem. Vnde in noſtro caſu non ſit propter perfectionem cęli, ſed aliorũ; ergo, &c.

134. Probatur 2. quoniam ſi cęlum effectiuè moueretur à ſe, ſequeretur quod quies erit illi violenta, ſicut igni eſt violentum ferri deorſum; ſed hoc eſt falſum; ergo, &c. Minor conſtat, quia falſum eſt dicere, quod cælum poſt diem iudicij violenter æterno tempore ſit quieturum. Maior probatur, nam ſi formæ cæli tanquam principio actiuo debetur naturaliter motus circularis, conſequens eſt vt quandiu durat illa forma, duret etiam motus,ergo, &c. Tum quia ſi cælum moueretur à ſe non eſſet cur magis moueretur ab oriente in occidentem quam è contra; ergo,&c.

135. Probatur 3. nam dato quod cęli moueantur à ſe, ſeu à principio intrinſeco non eſt alia via ad inueſtigandas intelligentias, & ad probandum eas dari; vnde Philoſophi qui negarunt cælos moueri ab intelligentijs, vt Democritus, & Epicurus, & intelligentias, & diuinam prouidentiam abſtulerunt, ergo, &c.

136. Probatur 4. nam cælo eſt magis connaturalis quies quam motus, ergo ille motus non eſt à principio intrinſeco.Conſeq. conſtat. Antecedens probatur, nam eſt magis connaturale agenti naturali quieſcere in forma acquiſita, quam hanc expellere, & tendere ad aliam à qua nullam habet perfectionem, & nullum adquirit emolumentum,quod non habeat à prima,ſed cælum

lum per motum amittit prius vbi, & acquirit aliud à quo nullam habet perfectionem, & nullum acquirit emolumentum, quod non haberet à priori, ergo, &c. Soluuntur argum. in contrarium.

137. Primum argum. nam alia corpora inferiora minoris perfectionis habent virtutem loco motiuam ex ſuis principijs intrinſecis, ergo multò magis eam debent habere cæli. Reſp. negando conſequentiam. Ratio diſcriminis eſt quia virtus motiua in alijs corporibus vtilis eſt ad conſequenda ſua loca cum ſunt extra illa; at cælis vtilis non eſt, cum eſſet ad hoc vt moueantur in eodem loco, quod cælis nullius eſt vtilitatis; vnde videmus quod nullũ inanimatum habet virtutem, vt moueatur in eodem loco, cum hoc ad nihilum ſibi deſeruiat; quod ſi deſeruit alijs, vt motus rotæ, ab alio principio fieri debet cuius ſit reſpicere bonum aliorum.

138. Secundum argum. nam cælum moueri à ſe nullam inuoluit contradictionem, & poteſt à Deo fieri; ergo, &c. Reſp. quod nos hic non quærimus quid Deus facere poſsit, ſed quid de facto factum ſit. Deinde dico repugnare quod Deus faciat cælum, quod à ſe moueatur in eodem loco; virtus namque qua cęlum moueretur in eodem loco in eo caſu eſſet naturalis cũ eſſet à principio intrinſeco, & non eſſet naturalis, quia nulla virtus naturalis reſpicit formam non ſpectantem ad bonum rei, motus autem ille circularis, & in eodem loco non ſpectat ad bonum cæli cum non ſit ad acquirendam aliquam perfectionem vt iam obſeruauimus.

139. Tertium argum. quia aliàs forma cæli eſset otioſa, cum non concurreret effectiuè ad motum. Tum quia potentiæ paſſiuę naturali debet correſpondere potẽtia actiua naturalis, ſed cęlum habet potentiam paſſiuam naturalem ad motum; ergo etiam actiuam. Reſp. negando antecedens, vt enim non ſit otioſa non requiritur quod ſit principium factiuum illius motus, ſed ſufficit quod ſit principium paſsiuum; vel etiam quod ſit principium actiuum producendi aliquos effectus in hæc inferiora. Ad illud de potentia actiua dico, quod potentiæ paſſiuę cæli correſpondet potentia naturalis actiua, & eſt ipſa intelligentia. Sicuti potentiæ paſſiuę materiæ correſpondet potentia actiua naturalis, agentis, ſcilicet naturalis.

140. Quartum argum. nam ſi cæli ſolum haberent potentiam paſsiuam ad motum circularem non diſtinguerentur ab elementis, quæ etiam circulariter mouentur, contra Ariſtotelem, qui ex motu circulari diſtinxit cælos ab elementis. Reſp. quod elementa naturaliter ſolùm mouentur motu recto, non circulari; per accidens tamen mouentur motu circulari, quatenus rapiuntur à motu cæli. Ipſi autem cęli ſolo motu circulari mouentur. Ex hoc autẽ quod motus cæli eſt à principio extrinſeco non ſequitur quod ſit violentus, quia vlterius requiritur quod paſſum non conferat vim, ſeu quod reſiſtat, vt poſtea videbitur.

141. Quintum argum. nam poteſt motus cęli prouenire ab impulſu *impreſſo ſibi* à Deo ab inſtanti ſuæ creationis, ergo ſi non eſt cauſa illius motus forma intrinſeca neque erit intelligentia. Antecedens probatur, nam ſicut rota poteſt per impulſum ſibi impreſſum moueri per aliquod tempus, ita rotę illæ cæleſtes poſſunt moueri per impulſum ſibi factum à Deo. Reſp. concedendo antecedens, non enim videtur implicantia quod cæli moueantur per impulſum ſibi impreſſum à Deo ab initio. An autem de facto hoc factum ſit, dicimus quod non, vt poſtea dicemus contra Leſſium; congruum namque magis eſt, quod cæli moueantur à Deo mediatè, ſeu *medijs* intelligentijs ſuis miniſtris quã *immediatè*, vt colligitur ex locis Sacræ *Scripturæ* citatis *n.* 132.

142. Sextum argum. quo vtitur Camerarius cui prima ſentẽtia magis placet, eſt, quia in Sacra Scriptura dicitur de Sole, quod *exultauit vt gigas ad currendam viã*, quo modo loquendi ſignificatur quod Sol ſua virtute moueatur. Reſp. quod Sol exultauit ad currendam viam, non quia currat per virtutem ſibi intrinſecam, ſed quia ex motione intelligentiæ currit. Vel dicas quod per Solem intelligitur Chriſtus

ſtus D. qui exultauit ad currendam viam noſtræ redemptionis, &c.

143. Sed quæres 1. an cæli ex motu edant ſonum, ſeu concentum? affirmabat Plato, affirmarunt alij philoſophi, & affirmant aliqui auctores, & doctores Eccleſiæ, quos refert Sixtus Senenſis *Bibliot. lib.5. annot.105.* quod ſi verum eſt non ita facilè explicatur. Certum eſt, quod apud nos rota velociter mota aliquem edit ſonũ & virga velociter mota per aerem, ſuum etiam ſonum edit. Sonus namque apud nos editur ex percuſsione duorum corporum ſonororum aere reſiliente. Quando rota, aut virga edit ſonum, percutit vnam partem aeris, & alia reſilit, & ſonum edit. Cęli non percutiuntur, nec aer eſt qui reſiliat, aut qui ſecundum partem percutiatur, & ſecundum partem reſiliat. Non eſt in cęlis aer noſter, per quem formetur ſonus, ſed debet eſſe aliquid ſimile per quod etiam tonus cauſetur. Negandum namq; non eſt, quod Sancti in aſſumptis corporibus non loquantur, & non cantent coram Deo laudem; erit enim ibi ſecundum Ioannem in Apocal. canticum nouum. Cantabunt illud triſagium Sanctus, Sanctus, &c. erit alleluia perpetuum, &c. Si ergo poterit eſſe cantus, poterit etiam eſſe ſonus per medium, quod Deus prouidit pro eo loco. Aliqui probant quod cæli edant ſonum, ex illo Iob, *Concentum cæli quis dormire facit*, ideſt nullus poteſt facere, quod cæli concentus quieſcat, ſeu dormiat; nam licet Sanctus vir loquatur de cęlo in ſingulari, intelligi tamen debet de omnibus cælis cum vnum cælum non faciat concentum; vt enim ſupra notauimus, omnes cæli vocantur cælum, vt contra diſtinguuntur ab iſtis inferioribus, qua ratione dicitur. *Creauit Deus cælum, & terram.*

144. Quæres 2. an cæli moueantur à Deo, an ab intelligentijs? Leſsius *de diuin. perfect. lib.11. cap.8.* tenet moueri à Deo non intelligentijs. Quod Deus poſset per ſe ipſum cęlos mouere, nullum poteſt eſse dubium. Sicut enim Deus immediatè conſeruat ipſos Angelos, ita poteſt immediatè mouere ipſos cęlos. Difficultas eſt, an de facto id faciat, & dico quod non; colligitur ex illo Iob. *Sub quo curuantur, qui portant orbem*, & ſunt Angeli motores qui dicuntur portare orbem quatenus medijs cęlorum motibus, portant, ideſt curam habent orbis. Et Luc. 21. Angeli vocantur *virtutes cælorum*, quatenus ſua virtute mouent cælos. Deinde cum ſine dubio Angeli poſsint cælos mouere, congruum fuit, vt Deus per illos eos moueret, vt ſic in toto orbe appareat excellentiſsima ſubordinatio, qua corpora ſublunaria ſubordinantur cæleſtibus, hæc Angelis, & iſti Deo.

145. Sed objicit 1. Leſsius, quia ſi cæli mouerentur ab intelligentijs, deberent intelligentiæ magna cum cura, & diligentia aſsiſtere, & non poſſent nec inuiſere homines in terra, nec adire cęlũ empyreum; hæc videntur falſa, ergo, &c. Reſp. negando minorem, nullum enim ſequitur incommodum Angelis beatis ex eo quod ſint affixi cælis ex diuinæ voluntatis imperio, cum ſumma voluptas ſit illi ſe conformare. Si tamen aliquando eſſet expediens vt ea cura, & diligentia liberarentur, vel vt deſcenderent ad homines, vel vt aſcenderent ad cælum empyreum, id facilè facere poſſunt, committendo eam curam alij, vel alijs Angelis, neque enim neceſsè eſt vt ſemper idem Angelus aſsiſtat eidem cælo, &c.

146. Objicit 2. quoniam inde ſequeretur quod Angeli poſſent cęlos ſiſtere, vel celerius, aut tardius mouere pro ſuæ voluntatis arbitrio, ſed hoc eſt falſum; ergo, &c. Maior conſtat, cum enim Angeli non neceſsitentur mouere cælos, poſſunt & eos ſiſtere, & mouere ſecundum quod maluerint. Minor etiam conſtat, nam in eo caſu totus ordo vniuerſi perturbaretur. Reſp. quod ex ſuppoſitione diuinæ voluntatis, qua in omnibus ſe conformant non poſſunt nec cælos ſiſtere, nec celerius, aut tardius mouere, ſed iuxta præſcriptum diuinæ voluntatis, hæc tamen non eſt neceſsitas abſoluta, ſed ſuppoſitionis, quæ non tollit libertatem.

DVBIVM XIV.

An motus cœlorum ſit naturalis, an violentus, vbi aliqua difficultates explicantur.

147. SVpra vidimus motum cœlorum non eſſe violentum cum adhoc non ſufficiat quod ſit à principio extrinſeco, ſed rurſus requiritur quod paſſum reſiſtat, ſeu quod vim non conſerat. Neque etiam poteſt dici naturalis quatenus non eſt à principio intrinſeco, ſeu ab ipſa natura cœli, ſed à principio extrinſeco, ſcilicet ab intelligentijs. Vnde relinquitur locus inquirendi qualis ſit.

148. Prima ſententia eſt, quod motus cœleſtis non ſit cœlis nec naturalis, nec violentus ſeu præter naturam, ſeu vt loquuntur Scotiſtæ, neuter, ideſt non ſecundum inclinationem ipſius, neque contra inclinationem, ſed indifferenter ſe habet ad illum. Hanc ſent. ſequitur Scotus *in 2. diſt.* 48. *q.* 2. quem ſequuntur eius diſcipuli, quibus addo Hurtad. *hic diſp. 2. ſect.* 4. Ariagam *ſect.* 5. Amicum *tract.* 5. *dub.* 7. *art.* 7. alioſque ex modernis.

149. Noſtra ſententia ſeq. concl. explicatur. *Motus cæli eſt naturalis naturæ cæli non tanquam principio actiuo, ſed tanquam principio paſſiuo.* Sic nobiliſſimi Ariſtotelis interpretes vt Porphyrius relatus à Simplicio 2. *phyſ. tex.* 3. Philopponus, Auer. & alij. Item N. S. P. Ioan. Damaſ. *in ſua phyloſ. cap.* 3. Plotin. 2. *exa. cap.*8. D. Tho. 3. *contr. gent. cap.* 23. & alibi. Ferrar. ibid. Capreol. *in* 2. *diſt.* 9. *q.* 1. *art.* 3. Aegid. *in* 2. *d.* 14. D. Bonau. ibid. *art.*3. Argentina *q. vnic.* art. 1. Gabr. *art.* 3. *dub.* 2. Zimara *in theor. prop.* 70. Soncin. 12. *metaphyſ. q.* 11. Conimbric. *lib.* 1. *de cælo cap.* 2. *q.* 3. Ruuius hoc loco; & omnes ferè moderni, tum ex ſchola D. Thomæ, tum extra. Colligitur ex Ariſt. *hic lib.* 1. *cap.* 2. vbi dicit, quod omne corpus phyſicum vendicat ſibi aliquam naturalem lationem, ac proinde ſphæræ cœleſtes cum ſint corpora phyſica, aliquam naturalem lationem ſibi vendicabunt, quæ alia non eſt niſi latio circularis; non enim mouentur ſurſum, aut deorſum.

150. Maior difficultas eſt, an motus circularis ſit naturalis cœlo vt principio paſſiuo, ſolum ratione materiæ, an etiam ratione formæ. Aliqui putant eſſe ſolum naturalem ratione materiæ. Sed hoc videtur falſum, quoniam vt motus cenſeatur naturalis compoſito phyſico in quo recipitur (nō enim recipitur in ſola materia, ſed in tota, cum totum moueatur) oportet quod ſit naturalis tam materiæ, quàm formæ; ſi enim ſemel repugnat formæ, non erit abſolutè naturalis. Hinc motus circularis in igne, aut deorſum, non eſt naturalis, quia licet non repugnet materiæ ſecundum ſe, repugnat tamen formæ. Igitur motus cœli eſt naturalis cælo, non ſolum ratione materiæ, ſed etiam ratione formæ vt principio paſſiuo, quia forma cæli ita concurrit vt principium paſſiuum ad motum illum circularem, vt tamen nullū habeat principium impulſiuum ad aliam motum, qua ratione ignis ita recipit in ſe motum circularem ex raptu cœli, vt tamen habeat ex parte formæ inclinationem, & principium quaſi impulſiuum ad motum ſurſum, qua ratione motus circularis in igne eſt violētus, at in cœlo eſt naturalis.

151. Ex quibus deducitur fortiſſima ratio pro noſtra concluſione, nam ad hoc vt aliquid dicatur naturale alicui, ſufficit, quod vel ab eo procedat vt à principio intrinſeco, vel quod recipiatur in eo tanquam in principio paſſiuo; natura namque vt in principio phyſicæ vidimus, non ſolum eſt principium actiuum, verum etiam eſt principium paſſiuum; ſed in noſtro caſu motus cœli conuenit cœlo tanquam principio paſſiuo, non ſolum ratione materiæ ſecundum ſe, ſed etiam ratione formæ, quatenus forma cœli ita concurrit ad receptionem illius motus, vt nullam habeat poſitiuam inclinationem ad motum alium oppoſitum; imò neque habet inclinationem poſitiuam ad quietem,

Digitized by Google

tem, licet non ſibi repugnet; ergo, &c. Hæc ratio magis confirmabitur ex ſolutionibus argumentorum.

152. Primum argu. nam ſi ille motus eſſet naturalis cœlo, vel eſſet naturalis quia ab illo procederet vt à principio effectiuo intrinſeco, & hoc non vt ſupra vidimus; vel eſſet naturalis quia eſſet ſecundum inclinationem ipſius, & neque hoc, quia in tantum motus eſt ſecundum inclinationem mobilis, in quantum terminus acquiſitus eſt ſecundum inclinationem eiuſdem mobilis, ſed terminus acquiſitus per motum localem cæli non eſt ſecundum inclinationem illius; ergo, &c. Minor probatur, nam terminus acquiſitus per circulationem hodiernam non addit maiorem perfectionem cœlo, quam non haberet per circulationem externam, nec hæc circulatio addit nouum emolumentum, cum ſemper cœlum maneat in eodem ſitu, vt à ſimili colligi poteſt in rota quæ mouetur in eodem loco, nam nec perfectionem nouam acquirit ex eo motu, nec nouum emolumentum. Reſp. quod ille motus eſt naturalis, quia eſt ſecundum inclinationem paſſiuam. Ad probationem dico, quod etiam terminus eſt ſecundum inclinationem mobilis, nā licet circulatio hodierna non addat nouam perfectionem, neque nouum emolumentum in ſpecie, addit tamen nouam perfectionem, nouumque emolumentum in indiuiduo. Aliter reſpondet Ruuius, quod ſcilicet motus circularis non ſit naturalis cœlo vt eſt natura particularis, quia hoc modo non accipit perfectionem, aut beneficium, ſeu emolumentum, bene tamen vt eſt quædam natura vniuerſalis, & potior pars vniuerſi, hoc enim modo accipit emolumentum ab illo motu, ſicut accipit totum vniuerſum; emolumentum autem, totius cedit in bonum etiam partium. Cœterum hæc ſolutio non eſt ſic intelligenda quod motus cæli ſit ita ſecundum inclinationem vniuerſalem, qua pars inclinatur ad conſeruationem totius, etiam cum proprio diſpendio vt cum manus exponitur ictui pro conſeruatione capitis, vt ſit contra inclinationem particularem, ponendo in cælo duas inclinationes, vnam particularem cui ille motus repugnat, & aliam vniuerſalem cui conueniat, vti ponitur in aqua inclinatio vniuerſalis ad motum ſurſum pro impediendo vacuo, & inclinatio particularis ad motum deorſum. Sed ita intelligenda eſt, vt etiam ille motus ſit naturalis cælo, ſecundum quod eſt quædam natura particularis inclinata ad recipiendum illum motum vt eſt quędam ipſius perfectio, quoddamque emolumentum, primò cæli vt eſt natura vniuerſalis, ſecundò vt eſt natura particularis, cui bonum eſt varias, multaſque in ſe recipere circulationes. Vnde ſicut eſt aliqua perfectio columnæ, aut Obeliſci firmitas, & immobilitas, ita eſt perfectio rotæ gyrari, adhunc enim finem rotæ formantur; tamen quia hæc perfectio non eſt tanta, ideo dici ſolet, quod cæli non acquirunt perfectionem aut emolumentum ex motu, quo ſenſu etiam nos aliquando locuti ſumus.

153. Secundum argu. Si cælum haberet naturalem inclinationem ad motum, aut ſi motus circularis eſſet cælo naturalis, deberet habere virtutem productiuam ipſius, ſed hoc eſt falſum, aliàs cæli non mouerentur ab intelligentijs, ergo, &c. Maior probatur, nam ex eo quod grauia, & leuia habent inclinationem ad motum ſurſum, & deorſum, habent virtutem ad producendos illos motus; vnde cum ſunt extra ſua loca, ablatis impedimentis non indigent intelligentijs, aut alio principio extrinſeco vt ad illa moueantur; ergo, &c. Reſp. hoc argum. probare quod vbi eſt inclinatio actiua ad motum, ibi debeat dari virtus productiua illius, vt contingit in grauibus, & leuibus, non vbi eſt tantum inclinatio paſſiua.

154. Tertium argum. nam cæli nullum habent proprium locum naturalem, ergo neque motum; Conſeq. conſtat, quoniam motus naturalis ordinatur ad locum naturalem. Antecedens probatur, nam ille eſt locus naturalis in quo res conſeruatur, & extra quem corrumpitur, ſed

ſed cœlum cum ſit incorruptibile vbique conſeruaretur; ergo cœlum nullum habet locum naturalem. Tum quia ſi locus in quo cœlum eſt, eſſet naturalis, non poſſet in eo moueri; motus namque datur ad acquirendum locum naturalem, quo acquiſito ceſſat motus. Vnde ſi daretur pars cæli auulſa à reliquis partibus, & extra illum locum, ad illum moueretur, vel ſi non moueretur, ille locus non eſſet ei naturalis. Reſp. negando antecedens, locus namque naturalis cœli, eſt ille in quo eſt. Ad probationem dico, quod licet cælum cum ſit incorruptibile, vbique conſeruaretur, non tamen ob id requiritur quod non habeat proprium locum. Sicut proprius locus corporum beatorum eſt cælum empyreum, & tamen etiam extra illud conſeruarentur. Quod ſi daretur aliqua pars cæli ſeparata ab alijs, niſi ab intelligẽtia moueretur, quieſceret, cum non haberet in ſe principium motus circularis, nec alterius.

155. Cæterum vt omnia quæ ab aduerſarijs nobis obijciuntur, facilè ſoluantur, nota, quod dupliciter poteſt aliquis motus dici naturalis alicui principio paſſiuo. Primò quia hoc principium ita natura ſua poſtulat illum motum, vt ſi denegetur fiat illi violentia, ſicuti eſt naturale materiæ diſpoſitæ recipere v. g. animam rationalem, & hoc modo non eſt naturale cælo moueri circulariter, quia alioqui quies eſſet illi violenta. Secundò poteſt eſſe naturalis, quia principium paſſiuum natura ſua aptum eſt recipere illum motum, vt neque formæ repugnet, licet illi congruat, quamuis eum non exigat neceſſariò, vt ſi denegetur, nulla fiat violentia. Hoc modo dicimus naturale eſſe homini mouere ſe ipſum, cum tamen ſi quieſcit, non quieſcit violenter, ſed naturaliter. Similiter eſt naturale materiæ recipere formam ignis, non tamen patitur violentiam ſi ponatur ſub forma aquæ. Et vniuerſaliter naturale eſt potentiæ actiuæ operari poſitis requiſitis, ſi tamen requiſita non ponantur, non eſt illi violentum non operari. Sic naturale eſt cœlo moueri ab intelligentia, poſito fine generationis, & corruptionis rerum, at ceſſante hoc fine nullam patietur violentiam ſi quieſcat, vt erit poſt diem iudicii, quod nu. ſeq. magis explicabitur.

156. Hinc infertur quod quies poſt diem iudicij non erit cœlis violenta, ſed naturalis. Ratio conſtat ex dictis, quia cælum ex natura ſua non poſtulat determinatè, & neceſſariò moueri, licet motus ſibi naturaliter modo explicato competere poſſit; tum ratione figuræ circularis, tum quia caret grauitate, ſed potius quãdam habeat leuitatem; tum ob id genus alia. Sed poteſt indifferenter moueri, & non moueri. Vel ſi aliquo modo poſtulat moueri, erit quandiu durat finis generationis, & corruptionis, quo ceſſante videtur poſtulare quietem, vt poſt diem iudicij.

157. Sed quæres 1. an cœli agant in hæc inferiora per motum tanquam per virtutem actiuam, an verò ſit tantum conditio applicationis illius, ſeu quatenus per motum virtus actiua cœli tali, vel tali modo applicatur? Prima ſentẽtia eſt M. Bannes 2. *de generat. cap.* 10. & aliorum, quod motus ſit cauſa actiua, ſeu quod cœli agant per motum tanquã per virtutem actiuam. Communior ſententia eſt, quod motus ſit tantum conditio ad agendum. Sic Valeſius, Ruuius, & alij hoc loco. Ratio eſt quia motus eſt quidam modus, & minimæ entitatis, ac proinde non poteſt eſſe cauſa nobiliſſimorum effectuum, vt generationis hominis, ſol enim, & homo generant hominem. Tum quia ita ſe habet motus in cœlis in ordine ad ſuorum effectuum productionem, ſicut ſe habet motus, ſeu applicatio ignis ad productionem caloris, ſed iſte motus, ſeu applicatio eſt ſolum conditio, ergo &c. Tum etiam quia dato quod motus eſſet vna virtus actiua, non tamen ſola, nam ſol v. g. habet etiã alias qualitates quibus agere poteſt etiã ſi non moueretur; nam ſi ſemel verum eſt quod lux eſt virtualiter calida, calefaceret licet Sol non moueretur.

158. Sed obijcies, nam vt certa docet experientia, motus eſt cauſa caloris; ergo

ergo licet ſit minimæ entitatis poterit producere qualitates perfectas vt eſt calor, &c. Reſp. diſtinguendo antecedens. Motus eſt cauſa caloris vt conditio, accipiendo cauſæ nomen in ampla quadã ſignificatione,conceditur. Eſt cauſa caloris propriè, eum producendo per propriam virtutem, negatur. Vnde manus v.g. frigidæ ſimul fricantur, & calefiunt, hoc prouenit ex eo quod per talem motum calor qui eſt in alijs partibus trahitur ad manus. Dum quis fortiter ambulat per aerem etiam frigidum, calefit, quia per talem motum excitatur calor, vel excitantur ſpiritus qui ſunt calidiſſimi, qui concurrentes ad partes quæ per motum magis defatigantur,eas calefaciunt, aliæ cauſæ aſſignari poſſunt ſecundum diuerſam materiam.

159. Quæres 2. an ceſſante motu cœli, ceſſarent omnes alij motus? Prima ſententia affirmat, ſic tenent aliqui moderni poſt Capreol. Soncin. & Sotũ, volentes quod ſi cæli ceſſarent à motu, omnia manerent in eo ſitu in quo reperirentur,vnde qui haberet os apertum non poſſet claudere illud,qui haberet manus eleuatas non poſſet eas deprimere, &c. Quocirca, ſi tempore Ioſue homines, & animalia mouebantur hoc ideo fuit quia Sol dumtaxat ſtetit; vel quia miraculosè factum eſt, quod motus non ceſſarent. Alij volunt quod ſolus motus generationis, & corruptionis ceſſaret. Communis ſententia tenet quod nõ ceſſaret motus quilibet, ſed illi ſoli qui ab eodem motu dependent tanquam à conditione ſine qua non. Sic tenent S. Doctor 2. *de cælo lect.* 4.& alij quos citant Ruuius, Ariaga, & alij hoc loco. Ratio videtur euidens, quoniam ridiculũ videtur quod ſi ſtantibus cœlis ignis applicaretur ſtupæ,non combureret illam: aut ſi magnus lapis dimitteretur, ſeu eſſet in aere non deſcenderet. Tum quia dato quod inferiora dependeant à cœlis in ſuis motibus,non tamen neceſſe eſt quod dependeant à motu ipſorum,ſed poſſunt depẽdere etiam ab alijs ipſorum actionibus, nec videtur probabile quod omnis cœlorum actio dependeat à motu, cum etiã in alijs rebus mobilibus non omnis actio à motu pendeat, vt patet in viuentibus in quibus eſt continuus motus cordis, & tamen non omnis actio hominis ab illo motu dependet, vt patet in actionibus animæ vegetatiuæ, & rationalis, quæ ſecundum ſe non dependent à motu cordis licet aliunde hoc motu ceſſato, ceſſent alij, ſed hoc eſt per accidens ob indiſtinctionem animæ vegetatiuæ ſenſitiuæ, & rationalis in homine. Non ſic in noſtro caſu, vbi cauſæ inferiores diſtinguuntur à ſuperioribus. Vnde videmus quod quando tempore Ioſue ceſſauit à motu Sol, ac ſubinde alij cœli ne cogamur dicere cœlos fuiſſe tunc deordinatos, aut defeciſſe à primo illo ordine, & non ceſſarunt motus rerum inferiorum; nec recurrendum eſt ad miraculum, quia licet fuerit illa ceſſatio à motu miraculoſa,nõ tamen poni debet nouum miraculum, quod non ceſſauerint alij motus. Ceſſarent tamen vt diximus illi motus aut actiones quæ ſequuntur ex varietate applicationis per motum;ex varietate namque applicationis cauſæ,ſequitur variatio effectus.

160. Objicit 1.Iauellus quod omnis motus reduci debet in aliquod principiũ immobile, ergo omnis actio generatiua reduci debet in cauſam ingenerabilem; ac proinde ſicut generatio reducitur in cœlum, ita & omnis motus in motum cœli; & ſic ſi motus cœli ceſſet omnis alius motus ceſſabit. Reſp. non eſſe neceſſe quod omnis motus reducatur in motum, ſed vel in motum vel in quamcumque actionem cœli, quæ etiam ſine motu eſſe poſſet.

161 Objicit 2.nam Deus non concurrit immediatè cum cauſis ſecundis inferioribus,ſed medijs cauſis vniuerſalibus, ſed cauſæ vniuerſales non agunt niſi medio motu; ergo, &c. Reſp. quod Deus etiam aliquando immediatè concurrit cum cauſis ſecundis,plura namque Deus ſe ſolo facit,& non medijs cauſis vniuerſalibus, vt eſt creatio, conſeruatio Angelorum, & animarum rationalium, &c.

Dein-

Deinde dato quod non niſi cauſis ſecundis medijs concurreret Deus ad hæc inferiora adhuc non ſequitur, quod ſolum hoc faceret medio motu,cum cauſæ vniverſales poſſint habere aliquas actiones independentes à motu.

DVBIVM XV.

Quomodo fiat motus cæli.

162. HOc dubium plures habet difficultates, quas oportet proponere,& explicare,vt plenè maneat explicatum. Prima difficultas, an vna intelligẽtia moueat omnes cœlos, an ſingulæ ſingulos? Reſp. cum Ariſt. 12. *metaphy. tex.* 42. & communi Theologorum ſententia, quod ſinguli cœli mouentur à ſingulis intelligentijs. Ratio clara videtur, quia Angelus nõ poteſt mouere aliquod corpus niſi ſit illi præſens, ſed nullus poteſt eſſe præſens omnibus cœlis; ergo, &c. Nullus enim dicit, quod tanta ſit ſphæra actiuitatis, vt ad tantum cœlorũ diſtantiam extendatur. Tum quia ſinguli cœli ſingulos habent motus diuerſos, ſed nullus datur Angelus, qui poſſit producere tot motus diuerſos in diuerſis, & adeo diſtantibus ſubiectis; ergo, &c.

163. Dices prima intelligentia, quæ mouet primum cœlum, mouet etiam omnes alios motu raptus ſcilicet ab oriẽte in occidentem;ergo alij cœli non mouentur ab alijs intelligentijs. Conſequ. probatur, nam quid faciunt aliæ intelligentiæ, vel enim mouent etiam ab oriẽte in occidentem, & tunc vel fruſtra mouerent, vel contra naturam cœlorum, & motu raptus, vel mouent motu proprio ſuorum cœlorum; & tunc deberent reſiſtere primæ intelligentiæ rapientis ſuos cœlos. Reſp. quod prima intelligentia non mouet niſi primum mobile, quod poſtea ſuo raptu mouet cœlum aqueum, & hoc mouet, & rapit cœlum ſtellatum, & ſic deinceps. Eo ſimili modo quo quis mouens vnam rotam cum qua aliæ nectuntur, mouet etiam alias, non immediatè imprimendo illis virtutem, ſed mediate, media ſcilicet virtute im preſſa primæ ſphæræ. Angeli autem aliorum cœlorum raptorum mouent eoſdem cælos, vel gubernant, vt illæ motus raptus ſit ordinatus, etiam mouent quantum ad proprium motum, vt à motu raptus non deordinetur. Non deſunt, qui dicant, quod prima intelligentia moueat cælos inferiores motu raptus, ſed non tanto,vt ſufficiat ad illum ordinem quem habent, & quantum ad hoc iuuatur ab intelligentijs inferioribus.

164. Secunda difficultas, an Angeli moueant cælos per intellectum, & volũtatem, ſeu intelligendo, & volendo, an per aliquam potentiam motiuam diſtinctam ab intellectu, & voluntate? Aliqui admittunt in Angelis potentiam motiuã diſtinctam ab intellectu, & voluntate, & per hanc mouent cœlos, & alia quæ mouent. Communis ſententia Thomiſtarũ eſt quod in Angelis non detur potentia motiua diſtincta ab intellectu, & voluntate realiter, ſed quicquid agunt, agunt per intellectum, & voluntatem, & ad ſũmum illa potentia diſtinguitur virtute, non re.

165. Sed dices, nam poteſt Angelus intelligere, & velle motum alicuius corporis à ſe diſtantis, & non mouere illud, ergo potentia loco motiua, non eſt in Angelis intellectus, & voluntas. Reſpo. negãdo conſeq. ad hoc enim vt Angelus per intellectum, & voluntatem moueat aliquod corpus, oportet quod ſit intra ſphęram ſuæ actiuitatis.Vnde intellectus, & voluntas in Angelis conſiderari poſſunt vt intelligunt, & volunt,& conſiderari poſſunt vt efficiunt quod intelligunt, & volunt, vt efficiunt, ſunt potentia motiua, ſeu executiua, vt intelligunt, & volunt ſunt potentiæ intellectiua, & volitiua.

166. Tertia difficultas an Angelus mouens cœlum ſit præſens toti cœlo, an ſolum vni parti. Reſp. vni tantum parti, ita tenent omnes communiter poſt Ariſt. 8. *phy.* Eſt hoc rationi conſentaneum, tum quia non eſt neceſſe, quod applicet ſuam virtutem toti cęlo, ſed ſufficit quod

eam

eã applicet vni parti, eo modo quo apud nos quis mouet rotã. Dicũt ergo cõmuniter, quod Angelus ponatur in ſuperficie cõuexa cæli, in aliqua parte illius circuli maximi, qui ex polis illius cæli conficitur, ita vt ponatur ab vtroque polo æqualiter diſtare, idque propter rationem Ariſtotelis eo quod ea pars celerius moueatur, quam quęuis alia. Noto tamen, quod etſi hęc ratio ſit probabilis, poſſet tamẽ Angelus mouere ſuum cælum ex quacumque parte, ſemper tamen partes cæli ſub circulo maiori, mouebuntur celerius quam illę quæ ſunt ſub paralellis.

167. Quarta difficultas, an ſicut anima mouetur per accidens ad motum ſui corporis, ita Angelus ad motum ſui orbis? Reſp. negatiuè, non enim eſt forma informans cælum; ſicut anima corpus; diximus enim ſupra cælum non eſſe animatum. Ratio eſt, quia ad motum per accidens requiritur connexio eius; quod per ſe mouetur cum eo quod mouetur per accidens, ſed hanc connexionem nõ habet Angelus cum cælo, cum non inhæreat illi, nec ab illo feratur ſicut nauta naui, neque illi aliquo alio modo ſit alligatus, ſed ſolum eſt præſens localiter, ita ramen vt ſemper in ſe ipſo, & per ſe ſubſiſtat. Non videtur tamen negandum, quod Angelus non poſſit ſe ipſum mouere cum cælo, ſed tunc non moueretur ex vi motus cæli, ſed ex ſua voluntate. An autem poſſit Deus alligare Angelum ita alicui corpori, vt moto corpore etiam ipſe neceſſariò moueatur per accidens pertinet ad Theologos, veriſimile eſt poſſe fieri. Rationes quibus Ariſtoteles probat Angelos eſſe immobiles nihil omnino probant, & oppoſitum habemus ex ſacra Scriptura.

168. Quinta difficultas, an primum mobile immediatè moueatur à Deo? Ariſtoteles 8. *phyſ.* & alibi putauit primum mobile moueri à Deo, & ſic volebat, quod prima intelligentia eſſet Deus. Nihilominus dicendum eſt primum mobile non moueri immediatè à Deo, ſed à ſua intelligentia ſicut cæteri orbes, licet non ſit dubitandum potuiſſe Deum ſi voluiſſet, immediatè per ſe ipſum, & primum mobile, & omnes cælos mouere. Rationes verò Ariſtotelis præſertim cum putet Deum neceſſariò mouere, nullius ſunt momenti, & alibi eas ſoluimus. An autem ex motu cælorum oriatur aliquis ſonus, concentus, aut harmonia, negat Ariſtoteles 2. *cæli tex.* 52. quia cæleſtia corpora ſe ipſa non atterunt, nec comprimunt, ſed tantum leuiter tangunt, ſed de hac re diximus ſupra.

169. Sexta difficultas, an in cælo ſint differentiæ poſitionum, vt dextrum, ſiniſtrum; ſurſum, deorſum ante, & retro, &c. Noto 1. ex Ariſt. 2. *de cælo tex.* 7. *et* 8. quod diuerſitas poſitionum in animalibus deſumitur ex diuerſitate motuum, ſic enim dicit. *Eſt autem quidem ab ipſo ſurſum, augmentatio; à dextris autem motus qui ſecundum locum fit. Ab alijs vero, quæ ante ſunt, qui ſecundum ſenſum.* Quorum verborum ſenſus eſt quantum ad poſitiones, relicta augmentatione, quæ potiſſimè ſurſum fit, quod in animalibus ea pars corporis, quæ promptior eſt ad motum, & à qua incipit motus, vocatur dextrum; oppoſita, ſiniſtrum. Pars ante eſt illa in qua præcipuè vigent ſenſus; retro, pars illi oppoſita. Pars ſurſum eſt illa ex qua animal attrahit alimentum; deorſum, oppoſita.

170. Nota 2. quod multipliciter poteſt alicui conuenire dextrum, & ſiniſtrũ. Primò per denominationem extrinſecam vt cum dicitur columna dextra, vel ſiniſtra. Secundò per denominationem intrinſecam, & hoc tripliciter. 1. propriè, & perfectè vt in animalibus. 2. per quãdam analogiam fundatam in aliqua ſimilitudine extrinſeca, quo modo ſtatua hominis dicitur habere dextrum, vel ſiniſtrum. 3. per quandam intrinſecam ſimilitudinem, de qua poſtea. Nota 3. quod dum agitur de poſitionibus, ſeu differentijs cęli, debet conſiderari quatenus analogicè eſt animatum, ſeu quatenus eſt aggregatum quoddã ex ipſa ſubſtãtia cęli, & intelligẽtia, ſi enim conſideretur vt ſeparatũ à ſua quaſi anima, ſeu motore, aut intelligentia, tunc differentiæ poſitionũ non

non inueniuntur in eo, cum propriè ſolum inueniantur in animatis ratione motus, vt dictum eſt cum Ariſtotele; licet dici poſſint per quandam denominationem extrinſecam, vt fit in columna.

171. Nota 4. quod aliter loquuntur Philoſophi de iſtis cælorum differentijs, aut poſitionibus, & aliter Poetæ, Aſtronomi, & Geografi. Nam Philoſophi loquuntur de iſtis differentijs phyſicè, & in ordine ad motum. Poetæ vocant partes ſeptemtrionales dextras, & auſtrales ſiniſtras, eo quod obſeruantes occaſum ſyderum, vident quod habent faciem verſus occidentem, ac proinde ad ſeptemtrionem habent partem dextram, & ad Auſtrum ſiniſtram. Aſtronomi verò faciunt occidentem dextrum, & orientem ſiniſtrum. Coſmografi, qui maximè attendunt altitudinem poli, dextrum faciunt orientem, & ſiniſtrum occidentem. Vide Clauium *cap. 2. ſphæræ pag.* 374.

172. His poſitis dico quod cælum prout eſt animatum analogice ab intelligentia habet intrinſecè, & ex natura rei, non propriè, ſed analogicè dextrum, & ſiniſtrum. Sic Ariſt. 2. *cæli tex.* 13. Ratio eſt, quia ſic animatum analogicè poteſt dici moueri à principio intrinſeco ab oriente in occidentem, ergo non ſolum per denominationem extrinſecam, ſed quaſi intrinſecè oriens erit ipſius dextrũ, & occidens ſiniſtrum. Aliæ etiam poſitionum differentiæ inueniri poſſunt in cælo per quandam accomodationem. Vnde poſſumus cælum concipere ad modum ingentis hominis qui caput habeat ad polum Articum, & pedes ad Antarticum; dexteram ad orientem, & ſiniſtram ad occidentem; faciem ad nos, & dorſum ad antipodas.

DVBIVM XVI.

An Cæli agant in hæc inferiora, ſeu an cæli influant in hæc inferiora.

173. Dubij præſentis reſolutio ſatis colligi poteſt ex dictis, & tradit Ariſtoteles 1. *Meteor.* 2. quod ſcilicet *Neceſſarium ſit mundum iſtum eſſe contiguum ſuperioribus lationibus, vt omnis eius virtus inde gubernetur*; & hoc tradunt omnes Theologi, & Philoſophi. Tamen quia ſub hoc dubio plures ſolent difficultates proponi, vt noſtro lectori ſatis faciamus, eos ſuo ordine proponemus, & ſoluemus.

174. Prima difficultas, an re ipſa dentur influentiæ cæleſtes? Negarunt aliqui Philoſophi antiqui, quos ſequitur Pius Mirand. apud Conimbr. hoc loco. Sed communis ſententia eas admittit. Probatur, nam tanta corporum varietas tam varia ſeries rerum inferiorum, debet à corporibus cæleſtibus regi, & in aliquẽ finem ordinari, ergo medijs influentijs. Antecedens conſtat ex teſtimonio Ariſtotelis num. præcedenti citati. Conſeq. probatur, nam ſi corpora cæleſtia nihil influerent, non eſſet vnde iſta inferiora regerentur, & in ſuos fines ordinarentur; ergo, &c. Vnde experimur, quod ex diuerſo motu aſtrorum cauſantur varij effectus, ex diuerſo motu ſolis cauſantur quatuor anni tempora, & medici diuerſa tempora obſeruant, tum in collectione herbarum, tum in dandis medicinis, &c. Et Chirurgi obſeruant lunationes in in flebotonatione, &c.

175. Hinc videmus, quod *luna* per incrementum, & decrementum dominatur fluxibus, & refluxibus aquæ. Sol per calorem dominatur igni. Saturnus influit in terram per ſtabilitatem, aliæ etiã planetarum ſphæræ, natæ ſunt mouere aerem, vnde aer diuerſis mouetur motibus, eſt enim in aere frigus congelatiuũ ex ſphæra Saturni. Eſt æſtus ex ſphæra Martis. Eſt temperies ex calido ex ſphæra Iouis. Eſt temperies ex frigido ex ſphę-

ra

ra Veneris. Commiſcibilitas, & paſſibilitas facilis ex ſphæra Mercurij, &c.

176. Nec valet dicere cum Mirandulano, quod habent quidem aſtra influentias in inferiora, tamen non alias diſtinctas à motu, & lumine, ac proinde non dantur illæ influentiæ quas vocant occultæ. Sed contra nam ſine alijs influentijs diſtinctis à lumine (de motu enim diximus, quod non poteſt concurrere ad actiones, vel productiones, nam aliàs effectus ſuperaret ſuam cauſam, cum motus ſit modus quidam debiliſſimæ entitatis) non poſſunt ſaluari effectus adeo diuerſi vt ſunt enumerati, & alij mox enumerandi. Nam luna habet dominium ſuper argentum ſolidum, Mercurius ſuper argentum floridum, ſeu viuum. Venus ſuper æs. Sol ſuper aurum, Mars ſuper ferrum, & calybem. Iupiter ſuper Stannum, & electrum. Saturnus verò ſuper plumbum.

177 Influunt etiam planetæ ex communi ſententia Aſtrologorum, & naturalium in animatis vt in arboribus. Vnde ſi arbores plantantur, aut inſeruntur in plenilunio non fructificant ob exceſſiuam humiditatem deſtruentem bonum temperamentum. Influunt etiam in animatis ſenſitiuis. Vnde formica cum nono die à concepto fœtu quem ſibi aduerſum cognoſcit, è latebris non exit. In interlunio ſemper quieſcit, & in plenilunio noctu, dieque laborat. In hominibus etiam influunt aſtra, nam dies critici ęgritudinis aſſignantur ſecundum motum lunæ, & ſunt quando luna peruenit ad ſignum oppoſitum in quo inchoata eſt ægritudo, quod ſit præcipuè in ſeptimo, & nono die, & in vndecimo.

178. Ex influentijs etiam aſtrorum deſumitur ratio, cur puer natus in octauo menſe non viuit, & natus in ſeptimo viuit, ex influxu namque diuerſo ſyderum ratio aſſignatur, nam in conceptione fætus, prior menſis tribuitur Saturno, ſecundus Ioui, tertius Marti, quartus Soli, quintus Veneri, ſextus Mercurio, ſeptimus Lunæ. Verum quia luna eſt planeta beneuolus, niſi ex mala coniunctione alterius deprauetur, natus in ſeptimo menſe viuere poteſt. Et quia menſis octauus iterum datur Saturno, qui eſt frigidus, & ſiccus quaſi terreſtris, hinc eſt, quod natus in octauo menſe difficulter viuere poteſt; frigidum namque et ſiccum ſunt cauſa corruptionis hominis.

179. Similiter ſol cordi hominis reſpōdet. Mars felli, Iupiter iecori, Mercurius capiti, Luna cerebro. Item Mars flauam bilem concitat, Saturnus melancholiam, Luna pituitam: Sol, & Iupiter præſunt ſanguini. Ex quibus patet quantam habeant dependentiam hæc inferiora à cæleſtibus, & non ſolum per motum, & lumen, verum etiam per alias qualitates; non enim tanta diuerſitas influentiarum à ſolo lumine deſumi poteſt, vt conſideranti patebit.

180. Obſeruantur etiam aliæ aſtrorum influentiæ, quæ non ſolum à luce, ſed etiam ab alijs qualitatibus oriri creduntur, & cum hodie ſit dies Conuerſionis D. Pauli, placet referre aliquos verſus qui creduntur Venerabilis Bedæ, ex quibus aliqua præſagiuntur, non quidem vt certò futura, ſed ſecundum aliquam aſtrorum inclinationem. Tene uerſus.

Clara dies Pauli, bona tempora denotat anni
Si fuerint venti, deſignant prælia genti,
Si fuerint nebulæ, pereunt animalia quæque.
Si nix, vel pluuia; tunc fient tempora cara.

Negabat quidam has inclinationes, eo ductus principio, quia quot annis mutātur aſtrorum conſtellationes. Ita eſt, propterea non ſemper illa dies eſt ſerena, ſed aliquando nubiloſa, aliquando ventoſa, aliquando ea die pluit, aliquando ningit, &c. Deinde dicebam, quod licet varientur conſtellationes, non tamen eſt neceſſe, quod varietur prædominium alicuius ſtellæ firmamenti, quæ ſuo influxu poteſt eas ponere inclinationes. Vnde videmus quod aliquæ herbæ habent vim ad aliquem effectum, ſi tali die colligantur, non ſi alio, ex influxu ſpeciali alicuius ſtellæ ſub qua illa herba dicitur eſſe

Sed negabat ille influxū ſtellarum firmamenti, ſicut & cæli empyrei,& primi mobilis,& cæli aquei, eum vel careant luce, vel motu vt cœlum empyreum, & influxus non fiat niſi medio motu, & luce; ſtellę autem firmamenti licet habeant lucem, non tamen motum, cum moueantur ad motum cœli in quo ſunt fixæ ſicut claui in tabula.

181. Omnia iſta impugnabam, nam quantum ad ſtellas firmamenti non videtur negandum quod ſuum non habeat influxum. Stellæ namque primæ, ſecundæ, & tertiæ magnitudinis excedunt in magnitudine omnes planetas. Excedunt in luce, propterea ſcintillant ratione tātæ diſtantiæ, quod ſi lux eſt ratio influēdi in planetis, erit etiam in ſtellis firmamenti. Neque influentiæ negandæ ſunt cœlo empyreo, primo mobili, & cœlo aqueo, aliàs non eſſet per quid pertinerent ad perfectionem orbis, nec eſſet per quid conſtituerent quoddam vnum cum iſtis inferioribus. Influentiæ namq; ſunt quædam quaſi catenæ per quas iſta inferiora colliguntur cum ſuperioribus, & quoddam vnum conſtituunt, &c.

182. Probari etiam poteſt quod dentur in aſtris quantitates aliæ diſtinctæ à lumine quibus varias producant influentias in hæc inferiora, nam non eſt denegandum nobiliſſimis mundi partibus, perfectiſſimiſque corporibus, quod conceditur viliſſimis; ſed viliſſimis corporibus conceduntur virtutes, ſeu qualitates occultæ, & ſatis perfectæ, ergo iſtæ non ſunt negandæ nobiliſſimis corporibus, vt ſunt aſtra, eorumque cœli. Minor probatur, nam magnes attrahit ferrum per qualitatem occultam; electrum attrahit paleas per qualitatem occultam. Aurum lætificat cor hominis per qualitatem occultā; multæ herbæ, & multi lapides habent virtutes occultas, &c. ergo non ſunt denegandæ nobiliſſimis cœli corporibus.

183. Confirmatur 1. quia vt affirmāt Aſtrologi, luna natura ſua eſt humida, humiditatemque influit, quæ non poteſt oriri à luce. Saturnus eſt frigidus. Iupiter ſiccus. Venus calida, & humida. Mars ſiccus, & aliquantulum calidus. Mercurius promiſcuæ qualitatis, &c. & non apparent quomodo fiant per lumen; nam lumen eſt in illis formaliter, & illæ qualitates ſolum virtualiter, & eminenter ratione ſcilicet aliarum influentiarum nobis occultarum.

184. Confirmatur 2. nam plures dantur influentiæ quæ per motum, & lumen ſaluari non poſſunt, nam à luna fit fluxus, & refluxus maris etiam quando non eſt in noſtro hemiſpherio, & lumen non emittit. In nouilunio vehementius mouet hæc inferiora, mutat aerem, & corpora morbida, & Oceani reciprocationes, & tamen minorem lumen tunc habet. Conchilia, & animalia teſtacia creſcunt creſcente luna, & ea decreſcente decreſcunt. Ligna cæſa luna decreſcente non facile putreſcunt, creſcente verò putreſcunt citiſſimè. Quæ omnia non facilè ſaluantur ſolo lumine lunæ. Præterea medici docti experientia diligenter obſeruant coniunctiones, oppoſitiones quadratas, alioſque aſpectus ſyderum, & dies criticos in dandis medicinis, ſecanda vena, &c. vt dicebamus. Hinc refert Plinius *lib.* 18. *cap.* 28. quod ortus ſyderum valdè mutant hęc inferiora. Ortus hyadum excitat pluuias; ortus canis calores; & ex Ariſt. *ſect.* 1. *problem.* Ortus Orionis, Arcturi, Vergilarum, & Caniculæ, flatus, imbreſque excitant. Soluuntur argum. in contrarium.

185. Primum argum. nam Ariſtot. agens de actione orbium cæleſtium ſolū facit mentionem de motu, & lumine; ergo non dantur aliæ influentiæ. *Reſp.* quod Ariſtoteles ideo fecit ſolum mentionem de motu, & lumine, quia non agebat de cælis vt Aſtrologus, ſed vt phyſicus, quia agit de rebus ſecundum naturam, quę eſt principium motus phyſici. Non tamen negauit alias influentias, vt patet ex teſtimonio nu. præcedenti citato, & alibi ſæpe.

186. Secundum argum. Virtus aſtri eſt ſemper eiuſdem rationis, ergo non poteſt habere tot influentias quibus tam diuerſos effectus producat. Reſp. quod

aſtra ſunt varia, & vario modo inter ſe combinantur, vt credibile ſit, quod nunquam in anno Platonico ſint habitura eundem ſitum, & ordinem quem nunc habent, aut olim habuere, obtinereque poſſe, &c. teſte Clauario *in* 1. *cap. ſphera, pag.* 57. Vnde ſemper per varios aſpe-ctus varios efficiunt effectus. Quod ſi aliquo determinato tempore, vel die idem ſemper effectus producitur erit ex eo, quod illa herba v. g. eſt ſub ſpeciali dominio alicuius ſtellæ, quæ vt ita dicam, ſemper curam illius habet.

187. Tertium argum. nam lumen cæli cum ſit qualitas nobiliſſima habet virtutem producendi non ſolum calorẽ, ſed etiam omnes alias qualitates, ergo non debent iſtæ poni cum ſufficiat lumẽ. Reſp. lumen cæli cum ſit eiuſdem rationis cum lumine aliorum corporum, cum ad inuicem intendantur, non poteſt continere eminenter omnes qualitates inferiores. Tum quia lumen non pertingit ad omnia inferiora, & terræ viſcera, loca que concluſa, & ſic aliæ influentiæ cõcedi debent, quæ illò pertingãt. Demum quomodo lux producit frigus, ſiccitatem, & humiditatem? Nec valet dicere cum Auer. produci frigus dum cælum motu ſuo lumen à nobis remouet. Nam contra eſt, quia tunc ſol ſolum per accidens refrigeraret eum tamen Aſtrologi tribuant per ſe Saturno vim refrigerãdi.

188. Quartum argumentum, nam agens, & paſſum debent communicare in materia eiuſdem rationis per Philoſ. 1. *de generat. tex.* 87. ſed corpora cæleſtia non conueniunt in eadem materia cum ſublunaribus; ergo corpora cæleſtia nõ poſsũt agere in hęc inferiora, ac proinde neque influent. Reſp. mentem Philoſophi eſſe quod agens, & paſſum debẽt communicare in eadem materia, quoad hoc quod paſſum debet eſſe capax recipiendi actionem alterius, vt ſunt omnia ſublunaria, quæ ſunt capacia recipiendi actionem corporum cęleſtium, non è cõtra. Vel dicas, quod Ariſt. loquitur de ſublunaribus, non de omnibus; nam Deus, & Angeli agunt in iſta cum tamen in nulla materia conueniant.

189. Quintum argumentum, omne agens intendit aſſimilare ſibi paſſum in eo in quo agit, ex Ariſt. 1. *de generat. tex.* 51. Sed cæli non poſſunt intendere aſſimilare ſibi hæc inferiora, ergo non poſſunt agere in illa. Reſp. quod non omne agens intendit aſſimilare ſibi paſſum, ſeu & in idem recidit, producere ſibi ſimile, ſed ſolum agens vniuocum, non æquiuocum, aut analogum. Vnde Angeli mouẽt cęlos, non tamen ſibi aſſimilant.

190 Sextum argumentum, nam omne agens agendo repatitur; ſed cæli non repatiuntur ab iſtis ſublunaribus; ergo non poſſunt agere in illa. Reſp. diſtinguendo maiorem. Omne agens actione alteratiua, & capax paſſionis, agendo repatitur conceditur. Agens incapax paſſionis, negatur. Cœli autem non ſunt capaces paſſionis, ac ſubinde neque reactionis.

191. Secunda difficultas, qua ratione Ariſtoteles putauerit, quod ceſſante motu cæli, ceſſarent omnes actiones inferiorum? Reſp. quia Ariſtoteles putauit, quod prima intelligentia quæ in ſententia ipſius eſt prima cauſa, & Deus non alio modo concurrit ad actiones inferiorum niſi per motum, & qualitates cæli; quare ſi cęlum ceſſaret mouere, perinde eſſet, ac ſi Deus non concurreret. Deo autem non concurrente certum eſt nullam futuram actionem. Illud tamen falſum eſt, quod putauit Deum non concurrere niſi per motum cęli; vt docent Theologi, & Philoſophi, & conſtat ex dictis à nobis pluribus in locis.

192. Tertia difficultas, an cæli aliquid agant in intellectum, & voluntatẽ humanam? Reſp. agere aliquid indirectè, & per accidens, ſeu per aliud, non directè, & per ſe. Prima pars probatur, nam cæli poſſunt agere in corpus humanum, & alterare ipſius organa, humores, imaginationem, &c. & hiſce mediantibus inclinare intellectum, & allicere voluntatem, relinquendo illam in ſua libertate; vnde eſt commune dictum, quod *Planetæ inclinant, non cogunt*. Secunda pars eſt com-

communis omnium Scholaſticorum *in 2. diſt.* 15. Ratio eſt euidens, quia iſtæ potentiæ ſunt ſpirituales, ergo nihil directè pati poſſunt à cœlis, qui non agunt niſi per qualitates corporeas, aut pet contactum quendam phyſicum.

193. Sed obijcies, nam dæmones certo quodam aſpectu ſyderum, quibuſdam etiam herbis, aut ſignis inuocantur à magis ergo in illis corporibus ineſt aliqua virtus quæ agit in rem ſpiritualem, ergo poterit etiam dari virtus quæ agat in animam. Reſp. hoc contingere ex aſtutia dæmonum ad decipiendos homines vt credant, quod in illis rebus ineſt quædam virtus diuina; cum re vera non inſit. Id etiam fieri poteſt per aliquod pactum, non verò quod dæmones quicquam ab illis patiantur, licet fingant ſe pati, & violentiam ſuſtinere.

194. Ex quibus infertur, quod circa futura contingentia, circa rerum ſucceſſus, & actiones ex humana voluntate pédentes, non poſſunt Aſtrologi iudiciarij aliquid certi prædicere, cum aſtra nec voluntatem poſſint neceſſitare, nec illam intrinſecè mouere. Quia verò hæc aſtronomiæ pars res eſt ſuperſtitione plena, fuit Sanctis Patribus exoſa, & à varijs Pontificibus, & Concilijs damnata. Eam præſertim damnauit Sixtus V. ſtatuitque ne quis eam exerceat, nec quicquam circa illa quę ex humanis actionibus pédent, aſſerat, præter quam circa agriculturam, nauigationem, & rem medicam. Circa hæc enim, vt circa tempeſtates, ventos, morbos, & ſimilia, poſſunt multa ex aſtris probabiliter prænunciari.

†

DVBIVM XVII.

Quid in particulari producant aſtra in hoc noſtro mundo.

195. Conſtat ex dictis dubio præcedenti aſtra plura apud nos producere ſuis influentijs, reſtant tamen aliquæ difficultates in particulari examinandæ, & 1. quæritur an aſtra producunt mineralia ſeu metalla, ac gemmas, cæteraque corpora vitæ expertia quorum aſſignari non poteſt alia cauſa particularis? Reſp. affirmatiuè, eſt ſententia communis. Quod aſtra producant mineralia, ſeu metalla, & gemmas, vt luna argentum ſolidum, Mercurius argentum viuum, Venus es, ſol aurum, Mars ferrum, Iupiter ſtannum, & electrum, Saturnus plumbum, probatur, nam horum metallorum cauſa non alia videtur poſſe aſſignari, quam aſtra, elementa namque nō habent tantam perfectionem vt poſſint ea producere cum ſint minus perfecta quā illa, cauſa autem debet eſſe perfectior ſuo effectu: idem dicendum eſt à fortiori de gemmis, quod ſcilicet nullam poſſunt habere cauſam ſublunarem, quæ earum virtutem contineat, ſed tantum cæleſtem. Quod autem aſtra producant etiam ea corpora vitæ expertia quorum alia cauſa aſſignari non poteſt, probatur eadem ratione, cum enim ſint imperfectiora aſtris, & aliunde non aſſignetur cauſa particularis, recurrendum eſt ad cauſas vniuerſales.

196. Quæritur 2. an cœli concurrát ad productionem viuentium? Conueniūt omnes, quod cœli concurrant *ſaltem* diſpoſitiuè ad productionem omnium viuētium, etiam hominis, iuxta illud *Sol, & homo generant hominem.* Nullo tamen modo concurrunt ad productionem animæ rationalis, hæc enim ſecundum fidē à ſolo Deo creatur. Poſſunt ergo cœli diſponere, ſeu concurrere ad diſpoſitionem materiæ, tali, vel tali modo, vt fiat apta ad receptionem animæ rationalis cum à Deo infunditur. Difficultas eſt à quo pro-

producantur animæ rationalium imperfectorum quæ ſcilicet producuntur abſque ſeminis interuentu, ſed ex putri materia, vt ſunt ranæ, veſpæ, pulices, & ſimilia, de quo prima ſententia eſt, quod producantur à cœlis; ita Marſilius *in prima quæſt. 1. art. 2.* Auerſa *quæſt. 35. ſect. 8.* & alijs. Secunda ſententia eſt, quod dictæ animæ, ſeu dicta animalia non producuntur à cælis tanquam à cauſa principali, ſed tanquam à cauſa inſtrumentali Dei. Sic Conimbric. Ruuius, & alij.

197. Dico 1. *Dicta animalia, quę naſcuntur ex putri non cauſantur à cęlis tanquam à cauſa principali, ſed in virtute, & tanquam inſtrumenta intelligentię motricis.* Quod non cauſentur, nec cauſari poſſint à cœlis tanquam à cauſa principali probatur, nam iſta animalia ratione animæ ſunt perfectiora cœlo, ergo non poſſunt ab eo cauſari tanquam à cauſa principali. Conſeq. conſtat, quoniam cauſa principalis debet eſſe perfectior ſuo affectu. Tum quia nemo dat, quod non habet, ſed cęli non habent vitam; ergo illam non poſſunt dare alijs. Antecedens eſt. D. Auguſt. *lib. de vera & falſa relig. cap. 29.* vbi ſic habet. *Non enim qualiſcumque moles, quamquam iſta viſibili luce præfulgeat, ſi vita careat magni æſtimanda eſt; quælibet namque viua ſubſtantia, cuilibet non viua ſubſtantiæ, naturę lege præponitur.* Quod autem cauſari poſſint, & debeant in virtute intelligentiæ motricis, patet, quia cæli cum intelligentia excedunt in virtute, & perfectione dicta animalia, ergo ab iſlis cauſari poſſunt.

198. Dico 2. *Dicta animalia non cauſantur à cęlis, vt ſunt inſtrumenta Dei.* Poſſet quidem Deus medijs cælis tanquam inſtrumentis producere dicta animalia imperfecta, imò & perfecta, excepto homine, cum, vt aliàs oſtendimus, nulla creatura aſſumi poſſit vt inſtrumentum ad creandum, anima autem rationalis cum veniat de foris, creatur immediatè à Deo. De facto tamen tenendum eſt, quod Deus non vtatur cęlis, vt inſtrumentis ad producenda illa animalia, cum non excedant virtutem intelligentiarum, quibus cælorum curam Deus commiſit.

199. Sed obijcies 1. cum Conimbr. quoniam cælum eſt ſuprema, & nobiliſſima pars mundi, & vitæ expers, ergo conueniens fuit, quod ſibi daretur fæcunditas, & vis productiua dictorum animalium. Reſp. concedendo antecedens, & negando conſequen. Licet enim cęlum quoad ſitū ſit ſuprema mundi pars, & nobiliſſima etiam quoad gradum corporis, non tamen eſt nobiliſſima pars mundi pars quoad gradum vitæ, quo caret, ſed quantum ad iſtum gradum exceditùr ab illis animalibus imperfectis, ac proinde non poſſunt ab illis produci, niſi virtute intelligentiarum, &c.


200. Obijcies 2. nam ſi cœli non producerent illa animalia imperfecta, non poſſet aſſignari cauſa à qua commodius producerentur. Nō à forma abſtracta datrice formarum, vt tenuit Themiſtius, & Auicenna apud Auer. 12. *metaphy.* quia iſta vel eſt viuens, & tunc eſt fictitia; vel eſt non viuens, & tunc non poterit producere formam viuentem. Non ab intelligentia, ſeu Angelo, quia Angeli non habent virtutem producendi neque accidentia, ſed tantum motum localem. Neque poteſt eſſe animal ſimile, vt cum producitur rana, cauſa principalis ſit alia rana communis, quia non datur niſi fictè rana iſta communis. Reſp. quod licet detur, quod Angeli non poſſint producere animalia ſi accipiantur vt ſoli, poſſunt tamen ea producere vt faciunt quoddam vnum cūm cælis quos mouent, hoc enim modo dicta animalia non excedunt virtutem cælorum, &c.

201. Obijcies 3. nam quod poteſt produdere diſpoſitionem ad formam, poteſt etiam producere formam, ſed cæli poſſunt producere diſpoſitionem ad formam v. g. ranæ; ergo etiam poſſunt produ-

producere formam ranæ. Reſp. quod cæli vt ſoli non producunt diſpoſitionem ad formam v. g. ranæ, ſed in virtute intelligentiæ aſſiſtentis, & in eiuſdem virtute poſſunt etiam producere formam, non vt ſoli, &c.

202. Quæritur 3. an animalia imperfecta quæ in virtute cælorum generantur ex putri, vt ranæ, veſpæ, &c. ſint eiuſdem ſpeciei cum illis quæ generantur ex ſemine, vt ſunt veſpę, &c. Negant Auerroes 8. *phyſ. comm.* 46. Iandun. 7. *metaphy. quæſt.* 25. & alij. Communis ſententia affirmat, quod ſcilicet ſint eiuſdem ſpeciei, ita Thomiſtæ poſt D. Thom. 7. *metaphy. lect.* 6. Scotiſtæ cum Scoto *in* 1. *diſt.* 2. *quæſt.* 7. & communiter recentiores. Colligitur ex Ariſt. 7. *metaphy. textu* 23. *et ſect.* 11. *problem. q.* 64. Ex S. P. Auguſt. 3. *de Trin. cap.* 4. ex D. Ambroſ. *lib. de Incarnatio. Verbi*, & ex alijs Sanctis Patribus. Ratio eſt, quoniam nulla apparet ratio diſtinctionis ſpecificæ, & omnia accidentia externa, omniaq; indicia indicant vnitatem ſpecificam.

203. Dices, diſtinctionem ſpecificam illorum animalium deſumi ex diuerſitate cauſarum; tum quia iam ſatis obſeruatum eſt, quod veſpæ quæ naſcuntur ex putri, ſunt infæcundæ, non quæ naſcuntur ex ſemine. Item mures, qui naſcuntur ex putri vel non generant, vel ſolum ſemel, &c. Reſp. quod diuerſitas cauſarum non cauſat diſtinctionem ſpecificam, aliàs Adam, & Eua non eſſent eiuſdem ſpeciei cum cæteris hominibus, ſed deſumitur ex diuerſitate prædicatorum eſſentialium, quæ in noſtro caſu non reperitur inter animalia nata ex putri, & ex ſemine. Poteſt quidem eſſe aliqua diuerſitas accidentalis tollens fæcunditatem, aut minuens illam, cum ipſa putredo ex qua naſcuntur, ponat in genito aliquam imperfectionem. Et hæc de cælo.



DISPV-

DISPVTATIO VNDECIMA.

In libros Meteororum Ariſtotelis.

1. METEOROLOGIA, idem eſt quod ſciẽtia de rebus ſublimibus. *Meteoron* namque idem eſt quod ſublime, & *logos* ſermonem, ſeu ſcientiam ſignificat. Licet enim Ariſtoteles agat etiam in his libris de his quæ in aquis, locîſque ſubterraneis fiunt, vt poſtea videbimus, tamen, ab ijs tantum opus nomen accipit quæ fiunt in ſublimi, ſeu in aere, quę maiorem ingerunt admirationem, quæ digniora cenſentur, quæ magis ſciri deſiderantur, & quæ maiorem occupant conſiderationis partem. Diuiditur hoc opus in quatuor libros. In primo agit (poſt tradita quædam communia, & præambula præcepta) de impreſſionibus ignitis, quæ in ſublimi cernuntur; agit de circulo lacteo, de generatione vaporis, caliginis, pluuiæ, roris, pruinæ, niuis, & grandinis. Item agit de generatione fluminum, & fontium; denique de viciſſitudine, & de diluuijs.

2. In ſecundo libro agit de generatione maris, de loco, de ingreſſu fluuiorum in ipſum, de ſalſedine, ac eius perpetuitate. Deinde diſputat de natura, ac generatione ventorum, quibus temporibus perflent, à quibus locis exeant. Item agit de ventorum numero, ſitu, contrarietate, temperatione, & operationibus. Præterea agit de terræ partibus habitabilibus, de terræ motu; ac denique de generatione tonitrui, & corruſcationum.

3. In tertio libro agit prius de procellis, de vertice, de turbine, & de fluminum ſpeciebus; deinde de aere, de variarũ figurarum ſignificationibus, de earum cauſis, de generatione, de coloribus, de apparentijs, de phalerijs, ac verigijs, & denique de ijs, quæ in terræ partibus generantur.

4. In quarto libro agit prius de ſimplici generatione, & corruptione, de putrefactione; de concoctione, & inconcoctione, eiuſque ſpeciebus. Præterea agit de ſiccitate, & humiditate; de corporum molitie, & duritie; de cauſis corruptionis, & liquefactionis, de incraſatione, & quęnam hæc patiantur, & quomodo. Denique explicat quomodo corporum paſsiones, & differentiæ dignoſcantur, &c. & ex his facilè cognoſcere poteris quodnam ſit obiectum horum librorum, vt ratio cõmunis ſit ratio ſublimitatis, & ſpecies ſunt omnia recenſita, vt præſeferunt aliquam ſublimitatem, dignitatem, aut admirationem. Sed vt hęc clarius & recto ordine habeantur, ſit.

DVBIVM I.

Quænam ſit materia impreſsionum meteorologicarum, vbi alia videnda.

5. PRo intelligentia difficultatis notandum 1. quod cum materia proxima harum impreſsionum ſit vapor, & exalatio, & remota ſint elementa, videndum eſt quænam elementa ſint vaporabilia; ad hoc autem vt elementum vaporet neceſsè eſt, quod habeat partes alias craſſas, & alias ſubtiliores, & quod iſtę ſint ſeparabiles à craſsioribus, quoniam vaporare non eſt aliud, quam partes ſubtiliores ſeparari à craſsioribus; quapropter dicimus ignem non eſſe vaporabilem, quia habet omnes partes ſubtiles, & puras; cũ enim ſit ſummè actiuus omnem in ſe conſumit craſsitatem, ac proinde non poteſt habere partes craſſas ſeparabiles à ſubtilioribus. Pariformiter nec aer eſt elementum vaporabile, quia tametſi habeat partes alijs ſubtiliores, tamen partes aeris craſsiores, ſubtiliores ſunt omnibus vaporibus, & exhalationibus, quocirca ratione horum duorum elementorum nulla datur impreſsio meteorologica; ſicut ſi ſolum hęc duo tantum darentur elementa.

6. Notandum 2. & colligitur ex dictis, quod duo tantum ſunt elementa vaporabilia, ex quibus extrahi poteſt materia impreſsionum meteorologicarum, ſcilicet aqua, & terra. Aqua namque cum ſit liquida habet partes ſubtiliores ſeparabiles à craſsioribus, ac proinde habet partes vaporabiles. Idem dico de terra, vt ex ſe notum eſt. Ex quibus patet, quod materia remota impreſsionum meteorologicarum ſunt duo elementa dicta, ſcilicet aqua, & terra. Proxima autem ſunt exhalatio, & vapor.

7. Sed quęres 1. quomodo fiat euaporatio tum ex aqua, tum ex terra? Reſp. fieri virtute Solis, & ſyderum, eum medio calore partes ſubtiliores ſeparentur à craſſioribus, quæ cum ſint leuiores, ſi nullum detur impedimentum, ſubleuantur, & in altum attrahuntur; patet experientia omnibus nota, quando ſcilicet Sol calefacit terram madefactam, eamque exſiccat trahendo partes ſubtiliores, & relinquendo craſsiores.

8. Quęres 2. quænam elementa recipiant illas ſeparationes? Conueniunt omnes quod recipiantur in aere, vt patet ad ſenſum, aſcendunt namque à prima regione ad ſecundam, vbi communiter fiunt impreſsiones meteorologicę. Difficultas eſt an etiam recipiantur in igne. Affirmãt aliqui volentes quod dictæ vaporationes aſcendunt non ſolum vſque ad tertiam aeris regionem, ſed etiam vſque ad ſphęrã ignis, vbi accenduntur, & corruſcant. Ego puto poſſe id quidem eſſe, ſed vel raró, vel nunquam, cum non ſint tantæ ſubtilitatis, vt coyſque pertingat, quod magis in ſequentibus patebit.

9. Quæres 3. quotuplex ſit vaporatio? Reſp. eſſe in duplici differentia, nam alia retinet commune nomen vaporis, & extrahitur communiter ab aqua, & iſte vapor natura ſua eſt frigidus, & humidus, licet ab extrinſeco ſit calidus. Alia vaporatio ſortitur nomen exhalationis, & extrahitur communiter à terra, & natura ſua eſt ſicca, & frigida, licet ab extrinſeco ſit calida ratione Solis, & ſyderum medio calore extrahentium. Dixi quod vapores extrahuntur communiter ab aqua, & exhalationes à terra; nam aliquando vapores extrahuntur etiam à terra, vt cum eſt madefacta, & exſiccatur; & exhalationes extrahuntur etiam ab aqua, pręſertim maris in cuius ſuperficie habet ſalſedinem, quæ eſt ſicca, & magis apta vt ab ea extrahantur exhalationes, quam vapores.

10. Quęres 4. an vapores, & exhalationes diſtinguantur eſſentialiter à materia, ſeu ab elemento à quo extrahuntur? Communiter dicitur, quod non diſtinguantur eſſentialiter; & ſic vapor non diſtinguitur eſſentialiter ab aqua cum natura ſua ſit frigidus, & humidus, vt aqua. Et exhalatio non diſtinguitur eſſentialiter à terra, cum ſit vt terra, natura ſua ſicca, & frigida.

11. Sed dices, nã vt dicebamus, exhalatio poteſt etiam ſumi ab aqua, & vapor à ter-

à terra, vt cum eſt humida, & madefacta; ergo tunc diſtinguuntur eſſentialiter ab elementis à quibus ſumuntur. Reſp. quod cum exhalatio deſumitur ab aqua, non deſumitur ab ea qua aqua eſt, ſed prout continet aliquas partes terreas; & cum vapor ſumitur à terra, ſumitur ab ea qua continet partes aliquas aquę, & ſic ſemper ſaluatur quod exhalatio nō diſtinguatur eſſentialiter à terra, & vapor ab aqua. Hinc videmus quod tam exhalatio, quam vapor facilè reuocantur ad elementa ex quibus extrahuntur. Vapores enim ſtatim ac refrigerantur, denſantur in guttis, vel coagulantur in niues, aut grandines. Idq; videmus in vaporibus aſcendentibus ex feruenti olla, qui vt attingunt operculum frigidum, aut minus calidum denſantur quaſi in rorem, vel in guttas. In exhalationibus licet non videamus ita manifeſtā hanc reductionem in elementum terræ, colligitur tamen manifeſtè ex aqua pluuiali, & liquefactione niuium; hæc enim aqua non eſt ita pura ſicut aqua fontium, ſed turbida, non alia de cauſa niſi quia cum vaporibus ſemper miſcentur exhalationes, quæ infrigidatæ cum pluuia, vel niue ſimul pariter deſcendunt. Vnde ſi aqua pluuialis, vel niuium conſeruetur in vaſe, ſegregantur partes terrę in fundo.

12. Ex quibus infertur, quod materia proxima impreſsionū meteorologicarum ſunt exhalatio, & vapor. Exhalatio definitur quod ſit halitus, ſeu reſpiratio calida, & ſicca, quę extrahitur ex terra, & eſt ſimilis fumo, qui aſcendit ex camino. Natura ſua eſt ſicca, & frigida, tamen vt aſcendit eſt calida, alìàs non aſcenderet. Hęc exhalatio ſi extrahatur ex pinguiori terra melius concipit calorem, altiuſque conſequenter trahitur, ex qua deinde generantur impreſsiones ignitę. Quod ſi extrahatur ex terra aridiori, non ita benè calorem concipit, neque conſequenter tam altè aſcēdit, & ex hac generantur venti. Vapor eſt halitus, ſeu reſpiratio calida, & humida; humiditatem habet à ſe, ſicut & frigiditatem, tamen ab extrinſeco, & vt aſcendit habet calorem qui frigus expulit. Eſt ſimilis vaporibus qui ex aqua calida aſcendunt, qui ſi tangant corpus frigidum coagulantur, & condenſantur in guttas.

13. Queres 5. an tam vapores quam exhalationes extrahantur ex mixtis, an ſolùm ex dictis elementis aqua ſcilicet, & terra? Reſp. extrahi etiam ex mixtis. Solet enim aliquādo ignis lambens, qui eſt quędam flamma genita ex rara, ſubtilique exhalatione, hominum, iumentorumque capillis inhærere. Et ſolent etiam aliquando tales ignes apparere ſuper cæmeteria, & illorum capita qui pendent in patibulis. Licet tunc dici poſset quod ea materia trahitur ex mixtis ratione terræ, vel aquę; &c. Soluuntur aliqua argum. in contrarium.

14. Primum argum. nam vapores, & exhalationes ſunt ſubſtantiæ raræ, ſubtiles, leues, & calidæ; ergo non poſſunt eſſe eiuſdem ſubſtantiæ cum terra, & aqua. Antecedens conſtat. Conſeq. probatur, nam terra, & aqua ſunt ſubſtantiæ denſæ, frigidæ, & graues, ac proinde diſtinguuntur eſſentialiter à prædictis, diuerſitas namque accidentium arguit ſubſtantiæ diuerſitatem. Reſp. quod tunc diuerſitas accidentium arguit diuerſitatem ſubſtantiæ, quando conueniunt ab intrinſeco, & connaturaliter ſecus quando conueniunt ab extrinſeco, & violenter, vt eſt calor in aqua, vel in lapide; quod colligitur quando ſi remouetur agens extrinſecum ſtatim ſubſtantia illa reducit ſe ad temperiem priſtinam, & connaturalem, remoto enim calefaciente ſtatim aqua calida redit ad naturale frigus. Sic contingit in noſtro caſu; nam accidentia illa in exhalationibus & vaporibus ſunt ab extrinſeco, ſcilicet à ſole, vel facta aliqua antipariſtaſi, quibus ceſsantibus redeunt ad temperiem connaturalem.

15. Secundum argum. nam vapores, & exhalationes, quæ extrahuntur à corporibus mixtis, non ſunt ipſa mixta à quibus extrahuntur, vt fumus ligni non eſt lignū, vapor carnis, non eſt caro; exhalatio ex ſanguine non eſt ſanguis, &c. ergo neque exhalatio ex terra erit terra, nec vapor aquæ, erit aqua. Reſp. 1. negando antecedens, nam etiam vapor argenti viui, eſt argentum viuum, & vapor carnis eſt ſubſtā-

tialiter caro; hinc dicitur quod odor carnis aſſæ, ſeu friſtæ nutrit, ratione ſcilicet exhalationis, ſeu vaporis fumoſi. *Reſp.* 2. negando conſeq. Ratio diſcriminis eſt, quia in corporibus mixtis multi vapores continentur, & exhalationes, quæ vi caloris ſegregantur. In ligno enim, & in carnibus multi continentur vapores immixti; & in ſanguine quidē manifeſtè videmus, quod poſtquam è vena abſtractus eſt, ſegregantur humores diuerſi, vt atra bilis, & pituita. Atra bilis ſupernatat, pituita verò in ima deſcendit, & ſanguis eſt in medio. Prętérea quando vi caloris extrahuntur vapores, & exhalationes ex corporibus mixtis, tunc ipſa ſunt in via corruptionis, & ſic non eſt mirum ſi illi vapores non ſint ipſa mixta, quandoquidem cum mixta corrumpuntur, in quatuor elementa reſoluuntur, vt dicemus in *lib. de generat. & corrupt.*

16. Tertium argum. Si exhalatio eſſet ſubſtantialiter terra, ſequeretur quod in ſecunda aeris regione antequam tranſiret ad tertiam frigeſieret, ſicuti frigeſiunt etiam vapores, & ſic rediret in terram, antequam ad eam pertingeret, in eaque inflammaretur; ergo, &c. *Reſp.* negando ſequelam. Ratio diſparitatis eſt. 1. Quia fortior eſt actio Solis in eleuando exhalationes ex terra, quam in eleuando vapores ex aqua; quoniam ſubiectum eſt durius, & ideo fit impreſsio caliditatis, & leuitatis longè maior in exhalatione, propterea citius, & altius tollitur in altum, quam tollantur vapores. 2. Quia calor cum ſiccitate fortius agit, & maiorem inducit leuitatem quam cum humiditate, vt patet manifeſtè in igne, & propterea à ſecunda aëris regione aſcendit ad tertiam. Non nego tamen multas partes exhalationis remanere in ſecunda aëris regione, ibique miſceri cum vaporibus, cum quibus refrigerantur, aut ratione antiperiſtaſis ita calefiunt, vt accendantur, vt fiant coruſcationes, tonitrua, &c. de quibus infra.

17. Hinc infertur 1. quod benè ab aliquibus impreſsiones meteorologicæ vocantur mixta imperfecta, non ſecundum ſubſtantiam, cum hoc modo ſint ipſa elementa, aut mixta, aut modo explicato, ſed ratione accidentium, vt caloris, ſiccitatis, aut humiditatis, leuitatis, &c. ſed ex his non ſequitur, quod dici poſsint niſi mixta imperfecta, & ſecundum quid. Infertur 2. non poſſe dari exhalationem frigidam, & ſiccam; nec vaporem frigidum, & humidum, vt volebat Magnus Albertus, quoniam illa eſſent tam ſubſtantialiter, quam accidentaliter terra, & aqua, quod patet eſſe falſum, eſt quidem exhalatio ſubſtantialiter terra ratione ſiccitatis, ſed accidētaliter ignis ratione caloris impreſſi à Sole; & vapor eſt eſſentialiter aqua ratione humiditatis, ſed accidentaliter ignis ratione caloris à Sole communicati, vt ex dictis conſtat.

DVBIVM II.

De cauſis extrinſecis meteororum, ſcilicet efficiente, & finali; vbi de modo quo creſcunt calor, & frigus.

18. SVperiori dubio vidimus quænam ſint cauſæ intrinſecæ impreſſionū metereologicarum. Nam materia remota ſunt elementa vaporabilia, & proxima ſunt vapor, & exhalatio. Forma ſubſtantialis materiæ proximę eſt forma elementorum, & formæ accidentales in exhalationibus ſunt calor, & ſiccitas. Et formæ accidentales in vaporibus ſunt humiditas, & calor. Modo reſtat vt videamus quænam *ſint* cauſæ extrinſecæ ſcilicet efficiens, & *finis* earumdem impreſsionum *meteorologicarum*.

19. Quantum ad cauſam *efficientem* dico eam eſſe duplicem, *principalem*, & inſtrumentalem. *Principalis ſunt* corpora cæleſtia, præſertim *Sol ex Ariſt.* hoc loco. Agunt autem corpora cæleſtia per motum, lumen, & influentias, de quibus egimus tract. de cælo probantes dari prædictas influentias occultas, à quibus producuntur quandoque ratione diuerſarum coniunctionum quidam effectus inuſitati, vt ſunt mutationes ſubitaneæ temporum, & vehementes, quæ non videntur poſſe fieri

fieri à ſolis primis qualitatibus à lumine productæ, ſi verum eſt quod lumen poſſit omnes eos producere, quod non puto verum cum lumen non poſſit producere frigus, vt diximus loco citato. Cauſa inſtrumentalis proxima dictarum impreſſionum ſunt dictæ primæ qualitates, & influētiæ; & quia res clarior eſt quantum ad primas qualitates, ideo omiſſis illis influentijs occultis de iſtis qualitatibus agemus, maximè quia quod de iſtis dicemus facilè applicari poterit ad dictas influentias.

20. Sciendum ergo eſt, quod pro varia primarum qualitatum combinatione reſultant in materia elementorum non ſolùm diuerſæ formę ſubſtantiales, vt patet etiam in mixtis, & in tranſmutatione eorumdem elementorum; ſed etiam reſultant diuerſæ ſecundæ qualitates, vt eſt raritas, & denſitas, grauitas, & leuitas. Reſultant autem raritas, & leuitas ex calore, ita tamen quod ſi calor ſit coniunctus cū ſiccitate faciat maiorem raritatem, & leuitatem, quam ſi ſit coniunctus cum humiditate, vt manifeſtè patet in elemento aeris & ignis, in exhalatione, & vapore: & quo magis creſcit calor, ſiue cum humiditate, ſiue cum ſiccitate, eo maiòr eſt raritas, & conſequenter ſiccitas.

21. Cœterum denſitas, & grauitas cauſantur ex frigiditate, & ſic frigiditas eſt harum ſecundarum qualitatum cauſa, vt patet in terra quæ eſt frigida, & ſicca; tunc enim frigiditas coniuncta cum ſiccitate facit maiorem denſitatem, & grauitatem, & ſi frigiditas coniungatur cum humiditate vt in aqua, facit maiorem denſitatem, & minorem grauitatem. Ex his habetur cauſa efficiens inſtrumentalis vaporis, & exhalationis, & eſt præſertim calor receptus in ipſis elementis à quo efficienter, & proximè eſt combinatio qualitatum, & in tali intenſione; nam ſi calor creſcit in exhalationibus, illas inflammat; ſi creſcit frigus in vaporibus, vertuntur in aquam, aut niuem.

22. Non leuis difficultas eſt quomodo creſcant calor, & frigus in vaporibus, & exhalationibus. Alij alia dicunt. Ego dico creſcere virtute corporum cæleſtium, per motum, per antipariſtaſim, & ab ipſa forma ſubſtantiali. Creſcit calor per motum, vt patet manifeſta experientia, multiſque exemplis, quæ videri poſſunt apud Ioan. Bapt. Portam *lib. 1. de aeris tranſmut. cap. 4.* nam ſagitta arcu expluſa cum plumbea cuſpide, liqueſcit per motum. Similiter oua cruda celeri rotatione coquuntur vt eſt mos apud quaſdam gentes, in ſolitudinibus degentes. Quomodo autem motus ſit cauſa caloris, an tanquam cauſa principalis, an ſolùm tanquam conditio, diximus de cælo. Hinc exhalationes in ſuprema aeris regione facilius accenduntur, cum ex velociſsimo lunæ motu aer ille fortiſsimè rapiatur.

23. Creſcunt etiam calor, & frigus per antipariſtaſim in vaporibus, & exhalationibus; antipariſtaſis latinè eſt circumobſiſtentia contrarij. Videmus namque quotidiana experientia, quod corpora calida ad præſentiam corporis frigidi, fiunt magis calida, vt patet in calce, & in illis qui diutius contrectant niues. Et corpora frigida ad prēſentiàm corporis calidi, videmus fieri magis frigida, vt patet in criptis, & in aquis putealibus, quæ ex calore æſtiuo fiunt magis frigidæ. Hyemis autē tempore ſunt magis calidæ, quia frigus ambiens impedit euaporationem exhalationum, quæ cum ſint calidæ, calefaciunt aquam.

24. Quomodo autem huiuſmodi qualitates, ſcilicet calor, & frigus creſcant per antipariſtaſim, non omnes eodem modo explicant. Communiter tamen ſic ſolet explicari, quoniam in corporibus calidis multæ continentur exhalationes, ſeu partes tenuiores calidæ, quæ continuò exhalant quando nullum eſt impedimentum. Non exhalant autem omnes ſimul, ſed vna poſt aliam, vt patet experientia; qui ordo oritur prēſertim ex eo quod exhalationes, quæ in his corporibus continentur, non ſunt omnes eodē modo calidæ, aliæ enim ſunt alijs calidiores, & hę prius exhalantur. Si autem his exhalationibus exitus præcludatur à corpore circumobſiſtente frigido, cuius proprium eſt prēſtingere potos corporis, ſicuti caloris eſt illos dilatare,

tare, tunc magis accenduntur, nam hoc modo partes illæ calidæ præcluduntur intus, vniuntur, contrahunturque vt fugiant contrarium in quo regreſſu, & motu magis calefiunt, & ſic vnitæ calefaciunt alias partes eiuſdem corporis, quæ vel ſunt minus calidæ, vel frigidę, & ſic totum corpus fit calidius. Hac de cauſa etiam calx, quæ ante infuſionem aquæ erat frigida ad aquę poſitionem calefit.

25. In corporibus frigidis diuerſo modo res ſe habet, & antiperiſtaſis alio modo contingit; nam in corporibus calidis fit per præcluſionem partium extimarum; at in corporibus frigidis fit per apertionẽ partium intimarum; nam circumobſiſtente corpore contrario, ſcilicet calido, ipſum corpus fit magis frigidum, calor namque calefacit partes extimas corporis frigidi ex quo fit aditus exhalationibus calidis vt exeãt, quibus euaporatis remanent ſolummodo partes frigidæ, & ſic corpus frigidũ fit magis frigidum.

26. Demum creſcunt etiam illæ qualitates per formam ſubſtantialem, modo alibi explicato; videmus namque quod remoto agente extrinſeco calefaciente v. g. aquam, ſenſim eadem aqua, quæ natura ſua eſt frigida, reuocatur ad naturalem frigiditatem.

27. Finis impreſsionum meteorologicarum eſt duplex, intrinſecus, & extrinſecus. Finis intrinſecus eſt ipſa conſeruatio, aut generatio elementorum; propterea namque vnum elementum alteratur, & corrumpitur ſecundum aliquam partem, vt ex illo aliud generetur, & ideo ſe reducunt ad temperiem connaturalem, vt ipſa elementa iam producta conſeruentur. Finis extrinſecus eſt ille qui intenditur ab agente extrinſeco, præſertim à Deo, qui in his effectibus aut agit vt auctor naturæ, & tunc habet pro fine vniuerſi bonum, & conſeruationem, vt generationem animalium, frugum, &c. Vel operatur vt auctor gratiæ, & tunc per illos effectus aliud exigit, vt conuerſionem peccatoris ex timore fulguris, tempeſtatis, grandinis, &c.

DVBIVM III.

Quinam ſit locus impreſſionum meteorologicarum.

28. Tria communiter aſsignantur loca meteorologicarum impreſſionum, & ſunt tria elementa, ſcilicet aer, aqua, & terra. In terra generantur terræmotus, ignes ſubterranei, metalla, fontes, aliæque ſcaturigines, &c. In aqua, & præſertim in mare cauſantur multa meteorologica de quibus infra. In aere generãtur omnes effectus, qui propriè dicuntur meteorologici, qui ſunt aut igniti, aut aquei, aut ventoſi.

29. Pro quo ſciendum, quod elementum aeris natura ſua; eſt humidum, & calidum, vt dicemus in *lib. de generat.* licet ab agente extrinſeco alias habeat qualitatum combinationes, nam tertia regio ob vicinitatem ad ſphęram ignis, & ob velociſſimum eiuſdem ignis, & lunæ motum habet etiam ſiccitatem. Secunda regio ob aſcenſum vaporum, eſt frigida, & prima regio varia eſt.

30. Diuiditur aer in tres regiones, infima, media, & ſuprema. Infima aeris regio eſt ille aer, qui nos ambit, & extenditur vſque ad eam partem, ad quam pertingit reflexio, ſeu repercuſsio radiorum ſolis, quę aliquando ſolet eſſe nimis calida, tum calore extrinſeco Solis, tum ob dictam radiorum reflexionem, tum propter combuſtionem vaporum, & exhalationum; tum propter ignes naturales, & etiam ſubterraneos, quorum aliqui erumpunt, vt ſunt illi qui apparent in quibuſdam montibus. Alij intus flagrant, licet calorem extra communicent, vt docet Seneca *lib. 20. natural. quaſt. cap. 10.*

31. Media, ſeu ſecunda aeris regio, eſt inferior quam ſint altiſsimi montes, nam videmus quod imbres niues, grandines, venti, &c. qui in hac media regione fiunt altiſsimorum montium iuga non attingunt vt dicitur de monte Olympo in Theſſalia, & de monte Adone. in Macedonia in quibus per annum relicti cineres cum characte-

raſteribus à Sacerdotibus ibi ſacrificantibus, nec diſsipati ſunt à ventis, aut pluuijs, vt tradit S.P. D. Aug. *lib. 3. Gen. ad litter. cap. 2.* vbi etiam obſeruat quod in apice montis Olympi eſt adeo tenuis, vt homines ad cordis refrigerationem indigeant aliquo quo humorem ſugat quo aer aliquo modo incraſſetur. Quocirca ſolent deferre ſpongiam aqua, vel aceto plenam, qui illuc aſcendere volunt.

32. Hæc media, ſeu ſecunda aeris regio, vt dicebamus, eſt valdè frigida tum propter vapores ibi conſidentes, qui cum longè ſint à reflexione Solis, ad frigus naturale redeunt. Cum propter aliquam antiperiſtaſim; tum quia vt alij probabiliter exiſtimant, inditum eſt frigus huic ſecundæ regioni ab ipſo mundi exordio ad generandas pluuias, niues, aliaque quæ ſunt neceſſaria ad generationes frugum. Tum denique quia longe abeſt ab elemento ignis à quo vel ratione propinquitatis, vel circumvolutionis poſſet calefieri. Si vera eſt mathematicorum opinio, qui volunt totum aeris elementum extendi ad 52. milliaria, quod colligunt ex altitudine cometarum, vt videre eſt apud Clauiũ *in cap. 1. ſphæra*. Et ſi vera eſt opinio quã refert Buccaferreus, quod ſcilicet altitudo montis Olympi eſt duodecim ſtadiorum, ſequitur quod hæc ſecunda aeris regio diſtet ab elemento ignis pluſquam 45. milliaria.

33. Tertia, & ſuprema aeris regio extenditur vſque ad elementum ignis, & eſt ſummoperè calida, tum natura ſua, tum propter combuſtionem exhalationum calidarum ibi conſiſtentium; tum propter viciniitatem ignis elementaris; tum denique quia celerius mouetur motu raptus.

34. Ex quibus deducitur, quod ad cauſandos effectus meteorologicos in terra, aqua, & in tribus aeris regionibus ſufficiunt vapor, & exhalatio; nam cum exhalatio ſit calida, & ſicca, & conſequenter leuis, vel petit ſurſum, vel propter aliquod impedimentum detinetur inter terræ viſcera. Si petit ſurſum, aut petit ſupremã partem ſupremæ regionis aeris, & tunc per illam inflammatam fiunt cometæ. Aut petit infimam partem ſupremę regionis, & ſic per inflammationem fiunt capræ ſaltãtes, & alia ſimilia de quibus infra. Aut petit mediam aeris regionem, & ibi vel includitur intra nubes, & ſic fiunt tonitrua, coruſcationes, & fulmina. Aut inflammatur extra nubes in eius ſuperficie propter antiperiſtaſim, & tunc fiunt coruſcationes ſine ſono. Si verò intra nubes non includitur, nec extra ſuperficiem accenditur, ſed fugiens contrarium pellitur, aut ex multa exhalatione, quæ cum à frigiditate medię regionis mouetur fit ventus, aut talis exhalatio propter frigus mediæ regionis ipſam circumiens accenditur, & tunc fiunt ſydera cadentia, & reliqua huiuſmodi, quę noctu apparent. Aut hæc exhalatio intra mediam regionem ſtat, & à ſtellarum lumine circundatur, & tunc fit vorago, hiatus, &c. Quod ſi exhalatio petat infimam aeris regionis, vt cum varijs de cauſis diſſeminata in partes varias, & tunc ſi cadat in mare, fit ſalſedo; ſi in terram fiet aliqua infectio. Si exhalatio propter ſui craſsitudinem intra terræ viſcera concludatur, cum mouetur, petens exitum, facit terręmotum, vel terræ ſubuerſionem. Si autem moueatur ad loca ſubterranea aquoſa, ſe aquis miſcendo, tunc fiunt aquæ balneares. Si non miſcetur aquis, ſed inflammatur, velocitate motus, inflammat partes terræ, fiuntque ignes ſubterrannei, & cineres.

35. Vapor etiam eſt ſufficiens ad ponendas impreſsiones meteorologicas aqueas, ſicut exalatio eſt ſufficiens ad ponendas omnes impreſsiones igneas, quod inductione oſtendi poteſt, nam vel vapor aſcendit vſque ad mediam aeris regionem, & conuenienter infrigidatur, & tunc ex illo cauſantur pluuiæ, vel infrigidatur intenſius, & tunc fiunt grandines, vel niues, vt infra dicetur. Quodſi vapores aſcendunt tantum ad hanc infimam aeris regionem, & tunc vel propè terram ob frigiditatem noctis, & fiet pruina. Vel parum frigebit, & fiet ros. Quod ſi altius petat, & per antiperiſtaſim nimium frigeſcat, & fit pluuia quæ dicitur labrotera. Si adhuc magis infrigidatur, fiunt magnæ grandines, quæ vulgo lapides appellantur. Quod ſi va-

ſi vapor in hac regione non multum frigeſcat, fit caligo, aut nebula, quæ ſi fuerit craſsior, & diſsimilaris, cum à Sole oriente, aut occidente illuſtratur, fit iris, &c.

DVBIVM IV.

De impreſſionibus ignitis.

36. Variæ ſunt ignitæ impreſsiones, ſcilicet Cometæ de quibus dubio ſeq. Capræ ſaltantes, Draco volans, Caſtor, Pollux, & Helena, ſydera diſcurrentia, ſtellæ cadentes, ignis perpendicularis, ignis fatuus, ignis lambens, lancea, ſagitta, ardor, fulgur, fulmen, titiones, columnæ pyramidales, &c. Differunt inter ſe pluribus modis, ſcilicet magnitudine, figura, colore, motu, loco, tempore, & duratione. Differunt magnitudine, quia quædam amplæ, & magnæ ſunt, quædam verò exiguæ. Differunt figura, quia aliæ ex dictis impreſsionibus ſunt oblungę, alię quadratæ, aliæ rotundæ, aliæ pyramidales. Differunt colore, quia aliquæ apparent valde rubræ propter materiæ denſitatem; aliæ ſubalbæ propter materiæ raritatem. Differunt motu, nam aliquę mouentur ſurſum, aliquæ deorſum, aliæ lateraliter, alię circulariter à cæli motu; aliquæ lento pergunt gradu, vt aliqui cometæ, quædam magna velocitate, vt ſydera cadentia. Differunt loco, quia aliquando in vna parte aeris videntur, aliquando in alia; aliquando fiunt intra terræ viſcera, &c. Differunt tempore, & duratione, nam aliquæ ſunt diuturnæ, alię non patiuntur moram; quædam noctu fiunt, quædam interdiu latenter propter diuturni luminis fulgorem, atque claritatem.

37. Verum expediamus aliquas ex dictis impreſſionibus, non tanti momenti. Capræ ſaltantes non vno modo explicantur ab omnibus, nam Seneca *lib. 1. natur. quaſt. cap. 1.* vult Ariſtotelem vocari caprã quaſi globum ignis, qualis fuit ille, qui ad magnitudinem globi lunaris apparuit Aulo gerente bellum contra Perſeum. Themiſtocles *in lib. 1. meteor. ſum. 2. cap. 1.* Venetus, Hiclus, & alij hoc loco dicunt Capras tunc fieri cum materia exhalationis in longum magis, quam in latum eſt propenſa, habetque multos globos compactos, qui inuicem per partes ſubtiliores ſucceſsiuè accenduntur, vt appareat quędam ſcintillatio, videturque flamma diſcurrere, ſeu ſaltare ad modum Capræ ſaltantis, tunc enim partes ſubtiliores videntur eſſe pedes globus verò corpus. Olympiodorus, & Philoppomen ibidem dicunt ſimilitudinem Capræ in eo ſitam eſſe, quod appendices emicantes in modum pilorum, ac barbulæ caprinæ à reliqua pendent materia.

38. Addit Ariſtoteles, quod ſi illa exhalatio in longum protenſa, magis quã in latum ſine vlla diſcontinuatione accendatur, tunc erit ignis torrens. Quod ſi exhalatio in longum per modicos globos veluti in pilos ſit multipliciter diuiſa, ſi inflammetur primo globus, eoque extincto inflammetur alius, & ſic deinceps vſque ad vltimum apparent noctu ſydera volantia, quaſi vna, eademque flamma ex vno loco in alium moueatur, eo ferè modo inquit Ariſtoteles, quo lucerna ſuperior fumum inferioris paulò ante extinctæ, ita celeriter inflammat, vt illius flamma ad hanc deſcendiſſe videatur. Alij breuius explicant capras ſaltantes, quando ſcilicet exhalatio eſt in longum porrecta quaſi filo aliquo inter ſe diſtincta, & vna pars accẽſa accendit aliam per modum ſaltus, qua ratione iſti ignes dicuntur Capræ ſaltentes.

39. Sydera volantia tunc contingunt, cum vna, eademque exhalatio inflammata ab vno in alium locum fertur, vel quia accenſa fit leuior, & nullo obſiſtente contrario in alium locum commeat, vt videatur ſydus volans. Vel ſi obſiſtens frigidũ occurrat, truditur ſurſum, vt exhalatio plus accedat ad ſupremã aeris regionem; nam ſi plus ad infimam tam celeriter deorſum trudatur, vt ſtellæ cadentes, aut vt dimiſsi iaculi accenſi è ſuperiori ſpeciem exhibent. Aliquando videntur hæ ſtellæ ſcintillare, & fauillas deijcere idque contingit ex motus violentia, vel etiam cũ ex ventorum impetu exhalatio accenſa diſpergi-

pergitur, & diſgregatur. Alij ſic explicāt quod ſydera volantia, ſiue diſcurrentia duplicitèr accidant. Primò dum materia in longum protenſa ſucceſsiuè, & velociter accenditur per aliam ſupra poſitam, quaſi deſcendendo flamma per fumum extinctę. Secundò cum exhalatio accenſa de vno loco migrat, vel quia rarefacta aſcendit ſuperius, vel quia à frigiditate nubis impellentis exploditur.

40. Notat 1. Seneca, quod cum magna harum ſtellarum copia appatet, tunc truces denunciantur venti, quia licet materia ventorum non ſit tam pinguis, & viſcoſa, quam ſit materia ſyderum cadentiũ, & diſcurrentium, ſeu volantium, eadem tamen cauſa vtramque eleuat materiam. Quod ſi ex diuerſis mundi plagis exiliant dictæ ſtellę ſignificatur pluralitas materię quæ aerem conturbat; vnde nautæ argumentum tempeſtatis ſumunt, vt dicit Porta. Notat 2. Seneca loco ſupra cit. *cap.* 14. quod dictę ſtellę cum velociter mouentur videntur longus ignis, quia quandoque eſt tantæ celeritatis illarum motus, vt acies noſtra non diſcernat earũm tranſitum, ſeu motum; vt quaquauerſum cucurrerint, aut moueantur, locus totus ignis reddatur. Sicuti cum virga in extremitate ignita, quam celerrimè rotatur, videmus talem ignem, ac ſi eſſet circularis, maximè ſi aliquantò longius diſtemus ab obiecto; & ratio eſt, quia non poſſumus benè diſcernere motum.

41. Ignis perpendicularis fit cum exhalatio eſt benè coherens, habetque partes diſſimiles, tum craſſitie, tum ſubtilitate, & partes ſubtiliores eleuantur ſurſum, quæ craſſę ſunt deorſum ſedent, & calore dilatantur; quo fit vt pars inferior formam baſis repreſentat, & pars ſuperior formam columnæ ſupra baſim oſtendit, atque ex allatis rationibus iſte ignis dicitur perpendicularis.

42. Ignis fatuus fit ex exhalatione viſcoſa, & benè conglutinata, eſtque in infima aeris regione, vbi accēditur per antiperiſteſim nocturni frigoris, vel per colliſionem partium exhalationis inter ſe. Per agitationem aeris mouetur, vt ſi quis eum fugiat videtur fugientem inſequi, & aliquando à perſequente recedere. Aliquando hic ignis videtur inhęrere equorum, hominumque capillis, quoniam ex ſudore animalium aliquando fit ea viſcoſa exhalatio, maximè cum velociter mouentur, & ex aeris caliditate accenditur ad modum candelæ. Si animalia à tali flamma tangantur, à praua qualitate interficiuntur.

43. Ignis lambens eſt flamma genita ex rara, ſubtilique exhalatione, quæ per aerem diſperſa ſolet aliquando videri in cœmeterijs, & parum differt ab igne fatuo & ſolet aliquando videri in capillis equorum, hominumque. Vnde apparuiſſe deſcribit Virgilius Aenead. 2. ſuper caput Aſcanij. *Lambere flamma comas, & circum tempora paſci, &c.*

44. Draco volans dicitur ea impreſſio ignita, quę ventrem, caudam, & os draconis ignem euomēs repreſentat. Tunc fit hæc impreſsio quando exhalatio non eſt admodum calida, nec validè congelata, & compreſſa, quę cum in ſublime vehitur trahitur ab occurrente nube frigida, quo motu incuruatur, & facta aliqua antiperiſtaſi, accenditur; & quia materia iſta in anteriori parte ſubtilis eſt, & ſcintillas ardentes tanquam ex ore vomere videtur, ideo figuram capitis repreſentat. Pars autem poſterior, quæ attingit nubem fit quaſi cauda ab ipſo nubis frigore conſtricta.

45. Caſtor, Pollux, & Helena ſunt veluti candelæ accenſę, ex materia viſcoſa, & vnctuoſa, quę ſolent apparere nauigantibus tempore tempeſtatis; ſi duo ſimul apparent, vocantur Caſtor, & Pollux, & prænunciant futuram tranquillitatem. Si verò vna impreſsio videatur, vocatur Helena, & infauſtum prænuncium eſt. Hæc nomina iſtæ impreſsiones adeptę ſunt à Gentilibus, ſupponentes ex vana ſuperſtitione dum aſtabant, adeſſe tunc Caſtorem, & Pollucem, ſiue Helenam. Ratio boni, aut mali nuncij poteſt hæc aſsignari, nam cum vi ventorũ agitantur prędictæ exhalationes, ſi quieſcant ſuper antennas, aut alibi, ſignum eſt, quod tempeſtas frangitur, & venti non ita impetuoſè agitantur.

Si verò hinc ferantur, ſignum eſt adhuc ventos vigere,& tempeſtatem perdurare. Helena autem quæ fuit Soror Caſtoris, & Pollucis,Troiæ, Græciſque attulit exitium. Vel dicas quod quando lumen, ſeu accenſio exhalationis ſolitaria eſt, & appellatur Helena, ſignificatur quod exhalatio valde compacta eſt,quæ cum non poſsit tam facile conſumi,& diſsipari,arguit magnam exhalationum abundantiã ex qua venti vehementes poſsint generari, ex quibus poſtea gignantur tempeſtates. At quando flamma apparet geminata, & dicitur caſtor, & Pollux ſignum eſt non tantam exhalationum copiam, nec ita denſam,eaſque reſolutioni proximas eſſe; quod hoc vnico indicio confirmari poteſt,nam ſicut quando cœlum eſt nubiloſum,& vna tantum nube contectũ, ſignum eſt quod immineant futuræ pluuiæ, quia tunc ſignificatur copia vaporum. Quod ſi nubes diſsipari, & diſgregari incipiant, ſignum eſt proximæ ſerenitatis, quia tunc maior eſt reſolutio,quã congregatio vaporum. Ita in exhalatione, vna namque cenſetur magis fæcunda quam duplex.

46. Titiò tunc producitur cum nimis denſa exhalatio aſcendit, quæ nec igniri, nec inflammari poteſt, ſed potius ignem extinguit, & nigra apparet, quocirca titio dicitur. Columnæ pyramidales, tunc fiunt quando exhalatio eſt inæqualis, vt partes ſubtiliores eleuentur, & craſſiores ad baſim deprimũtur,& accenduntur. Lanceæ, & Trabes tunc fiunt, quãdo æqualis exhalatio in longum porrecta, & inflammata, immobilis perſeuerat. Ex dictis de iſtis impreſſionibus ignitis,facilè colligi poterit intelligentia aliarum, cum à iam dictis nonniſi figura differant, vt ſint ſtipulæ ardentes, quæ generantur cum exhalatio non eſt ita magnæ longitudinis, & latitudinis, vt cito accendantur, & cito extinguantur. Ignis diuiſus fit ex fumo calido, & ſicco habente diuerſas partes diſcontinuas, &c.

DVBIVM V.

De Cometis.

47. Cometæ nomine intelligimus corpus lucidum, ſeu ignitum ad modum ſtellæ; vel crinitæ, vel barbatæ, vel caudatæ, hæc enim ſunt communes Cometarum ſpecies, magiſque vulgares. Aliæ autem Cometarum ſpecies quæ ab Alberto 1. *meteor. tract.* 3. *cap.* 10. à Plinio *lib.* 2. *cap.* 5. & ab alijs aſſignantur ad illas tres ſpecies facilè reuocari poſſunt.

48. Cometa crinitus eſt ille qui lumen circumquaque veluti crines in orbem effundit. Cometa caudatus eſt, qui lumen verſus vnam tantum partem longius extendit. Barbatus eſt qui modicè lumen extendit verſus vnam tantum partem. Veteres Philoſophi exiſtimabant Cometas eſſe corpora cæleſtia, non tamen eodem modo loquebantur;nam Democritus, & Anaxagoras dicebant Cometam eſſe duos Planetas ex ſeptem ſimul coniunctos, qui confuſo in vnum lumine faciem longioris ſyderis oſtenderent, & propter varium ſitum, mutuamq; diſtantiam nunc maiores, nunc minores apparerent, & modo hanc, modo illam figuram oculis offerrent.

49. Sed hæc ſententia meritò ab alijs Philoſophis impugnabatur 1. Quia facilè obſeruatur, quod dum omnes Planetæ à ſe diſiuncti ſunt, aut cum ferè omnes ſupra orizontem videntur, apparet Cometa. 2. Quoniam Planetæ non diſgrediuntur à Zodaico, at Cometæ in alijs etiam cæli regionibus obſeruantur. 3. Quia coniunctio Planetarum breui tempore durat, vt patet in eclypſi Solis, & Lunæ, quæ nõ contingit in Sole niſi cum hi duo Planetæ coniunguntur, & hæc coniunctio durat breui temporis interuallo, vt nota docet experientia. At Cometæ diutius durant,& vſque ad ſpatium quandoque ſex menſium. 4. nam Atole regnante fulſit Cometa qui totum lacteum circulum cõplectabatur, qui ſi ex Planetis coaluiſſet

non

non tantum ſpatium occupaſſet. Nam nec omnes Planetæ ſimul qui nunc ſunt, nec multò plures ſi darentur ad eam magnitudinem efficiendam ſatis eſſent.

50. Hypocrates, & alij putarunt, quod Cometa eſſet ſtella errans à ſeptem vulgatis diſtincta, atque diuerſa, quæ non niſi poſt longum temporis interuallum nobis colluceat, ex eo quod à Solis lumine quem ferè ſemper comitatur abſcōdatur, & tunc ſolum videatur cum à Sole digreditur, & recedit. Hanc ſententiam etiam Pitagorici ſequebantur. Sed neq; hæc ſententia ſatisfaciebat alijs Philoſophis, eamque primò impugnabant, quoniam aliquando viſi ſunt ſimul duo Cometæ, vt narrat Ariſtoteles, & Scaliger. *exercit.* 70. *in Cardan.* qui affirmat ſe ſimul duos Cometas vidiſſe diuerſa figura, & latitudine, vnum matutinum, & alium veſpertinum, ac proinde Cometa non poteſt eſſe ſtella errans, ſed quid omnino diuerſum. Secundò, quia ſi Cometa eſſet vna ex ſtellis quæ tunc ſolum videtur, quando diſgreditur, & ſeparatur à Sole, non poſſet iterum occultari niſi redeundo ad Solem à quo diſceſſerat, ſed hoc eſt falſum, quia etiam quando magna diſtantia abeſt à Sole euaneſcit, vt experientia compertum eſt. Seneca, & alij putant Cometam eſſe vnum ex ſyderibus, & paulo aliter philoſophantur à ſupradictis.

51. Vera, & communis ſententia ſeq. concl. explicatur. *Cometa non conſtat ex materia cæleſti, ſed conſtat ex exhalationibus, ex illiſque gignitur ſicut aliæ impreſſiones ignitæ de quibus dubio præcedenti.* Sic Ariſtot. & omnes Peripatetici hoc loco. Ptholomęus *lib.2.de coniunct.* differt Cometa ab alijs impreſſionibus, quod exhalatio Cometarum debet eſſe, pinguis, craſſa, & conſtans partibus bene augmentatis, vt diutius poſſit retinere flammam, de quo nu.ſeq. Ratio concluſionis conſtat ex dictis. Tum quia videmus, quod dum Cometæ generantur, magni ventorum flatus exiſtunt; non alia ratione niſi quia ex eiuſdem materiæ abundantia generantur venti, & Cometæ. Hinc dicit Ariſt. quod tempore Anaxagoræ ingens Cometa per dies 75. exaruit, quem tanta ventorum copia ſequuta eſt, vt lapidē valicali magnitudine à rupe auulſum in ſublimeturbo tulit, & dimiſit in Angelos flumen Traciæ. Tum etiam, quia vt obſeruant Mathematici inſtrumentis Aſtronomicis, altitudo Lunæ eſt valde ſupra altitudinem Cometarum. Demum experientia compertum eſt, quod Cometæ faciliimè mutantur de magnitudine in paruitatem, & è contra, ergo ſignum eſt quod materia illorum eſt exhalatio, quæ facilè generari, & mutari poteſt. Verum vt hęc materia clarius habeatur.

52. Quæres 1. quænam ſit materia Cometarum? Reſp. quod materia remota eſt terra, proxima eſt exhalatio ſicca, & frigida ex natura ſua, ſed ab extrinſeco calida, vt ſupra vidimus de materia impreſſionum mateorologicarum in communi. Hæc autem materia Cometarum, vt dicebamus, debet eſſe copioſa, pinguis, & craſſa, partes habens bene coherentes, quæ ignem conceptum retinere diu poſſit.

53. Quæres 2. quænam ſit cauſa efficiens Cometarum? Reſp. quod potiſſima cauſa eſt Sol, & etiam reliqui Planetæ, qui attrahendo craſſam exhalationum materiam, illam ad ſupremam vſque æris regionem deducunt, vt teſtatur ipſorum motus ab Oriente ad Occidentem, qui ex motus illius Plagæ, raptæ à motu ignis, & Lunæ, qui motus pertingit vſq; ad ſecundam plagam. Iſtæ exhalationes illucvſque deuectę inflammantur, tum à motu regionis illius, tum præcipuè ex propinquo igne elementari, & ſic accenſæ varias formant figuras, vt diximus.

54. Quæres 3. in quonam loco fiant Cometæ? Reſp. fieri in ſuprema aetis regione, & nunquam in media, aut infima, conſtat ex motu eorumdem Cometarum ab ortu ad occaſum, quo vna cum aere voluuntur, qui motus non eſt in ſecunda, neque in prima aetis regione, ſed tantum in ſuprema. Tum quia inſtrumentis matematicis compertum eſt Cometas multum tranſcendere montes altiſſimos, quos tamen non attingit ſecunda regio. Tum

quia ſecunda aeris regio cum ſit valde frigida, non poteſt eſſe conſeruatiua materiæ accenſæ, &c.

55. Quæres 4. cur etiam Cometæ nõ accenduntur in regione ignis? Reſp. non accendi, quia exhalationes non habent tantam raritatem, nec tantam leuitatem quantam habet ignis ille puriſſimus, ideo eò conſcendere non poſſunt; tum quia citius materia Cometarum à voracitate ignis diſſoluitur.

56 Quæres 5. vbi conſpiciantur Cometæ, & quantum perdurare ſolent? Reſp. quod rarò conſpiciuntur intra tropicos, ideſt inter circulos ſolſtitiales, ſæpè tamen extra tropicos, tam ex parte Septemtrionis, quam Auſtri. Vt plurimum videntur autumni tempore, quia veris calor non eſt ſufficiens ad euehendam illam materiam craſſam ex qua Cometa conficitur. Hyemis autem frigus, & humiditas prohibet exhalationum attractionem. Æſtatis autem feruor diſſipat, & conſumit, &c. Solent Cometæ perdurare ad minus ſeptem diebus, & ad ſummum 80. aliquando tamen ex aliqua cauſa durarunt per 6. menſes, & etiam per annum, vel quia cœlum ſuo influxu attrahit materiam illam craſſam, qua ſucceſſiuè alitur. Vel quia calor modicus Solis eſt inſufficiens ad depaſcendam illam viſcorũ, & coagmentatam materiam.

57. Quæres 6. quot modis Cometa moueatur? Reſp. quod quatuor diuerſis modis. Primò ab Oriente ad Occidentem, quia ſuprema aeris regio rapitur à motu Planetarum, & ignis. Secundò ab Occaſu ad Orientem, qui potius eſt motus retardatio quam motus; nam cum Cometa ab aliquo peculiari ſydere depẽdeat, à quo præcipuè confectus eſt, quandiu durat, ſemper dicit ordinem ad punctum cœli illius. Quia verò aer eſt flexibilis, nec poteſt ita bene efficacitatem ſuperioris motus recipere, non eſt ſufficiens illum ſecum trahere, ſed veluti concatenatus tenetur à ſydere à quo dependet, & motu illius naturalis aliquantulum mouetur. Tertiò eſt nunc ad Aquilonem, nunc ad Auſtrum, cuius cauſa eſt materia combuſtibilis, quæ modo in iſtam partem, modo in illam inuitat. Quartò denique eſt motus ſurſum, quia deficiente inferiori materia trahitur ad ſuperiorẽ.

58 Quæres 7. quibus nominibus Cometa nominatur. Reſp. ſequentibus. Primò qui incedit prope Solem vocatur *Veru*. Secundò qui eſt quaſi ex colore Martis habens iuxta ſe radium ad modum fumi ſubcinericij vocatur *Tenaculum*. Tertius dicitur *Pertica*, & eſt ille qui non eſt valde lucidus, ſed poſt ſe habet groſſum radium, quaſi trahat partium. Quartus vocatur *miles*, & eſt de natura Veneris, magnus ad modum Lunæ, crines fundens poſt ſe. Quintus dicitur *Dominus aſcona*, qui eſt de complexione Mercurij, cuius color eſt ceruleus, & paruulus eſt reſpectu aliorum Cometarum, caudam protendens longam, & radios mittens in altum. Sextus dicitur *Aurora*, & eſt rubeus, longam habens caudam, ſed minorem Domino Aſconæ. Septimus dicitur *Argentum*, & radium habet ad ſimilitudinem puriſſimi argenti. Octauus dicitur *Roſa*, & eſt magnus, & rotundus in quo facies hominis viſitur, colore medio inter aurum, & argentum. Nonus demum vocatur *Niger*, & eſt de natura Saturni illi ſimilis.

59. Quæres 8. quot colores fucati quidem, & apparentes in cometis videantur. Reſp. multi quidem nam aliquando apparet color albus, & argenteus, & tunc fit quando exhalatio ab igne rareſit, & ſubtilizatur, quæ facilè inflammatur. Aliquando apparet color rubeus; cum materia eſt denſa, quæ non inflammari ſed igniri poteſt. Aliquando tetrus, & obſcurus, & fit cum præ nimia denſitate, & craſſitie ignis proximus extinguitur, ob quam cauſam videtur ingens carbo, & cœlum videtur quaſi perforatum. Aliquando etiam cruentus apparet, & fit cũ exhalatio ignita plus denſa eſt quam par eſt ad ignem.

60. Quæres 9. quare tam rarò appareant cometæ? Reſp. cauſam eſſe, quia cum materia cometarum ſit multitudo Siccarum exhalationum ad ſupremam

aeris

aeris regionem eiectarum, fit quod talis materia non poteſt tam frequenter ad illam plagam aſcendere; nam vt exhalationes cum magna copia extrahantur à terra neceſſe eſt prius fieri euaporationẽ humoris humidi, qui aſcendens ad mediam aeris plagam incraſſatur, & nubes euadit; aſcẽdens deinde exhalatio vt plurimum adinuenit in media regione extẽſas nubes veluti pelles quæ tranſitum prohibent, eaſque in ſe concludentes fulgura producunt, corruſcationes, & tonitrua; & ſic vt exhalationes expeditum, liberumque habeant aditum requiritur nubium, vaporumque reſolutio pr. nimio calore, & ſiccitate, quod cum rarò fieri contingat, rarò etiam videntur cometæ.

61. Quæres 10. quid prænuncient cometę? Reſp. quod cometa in primis prænunciat magnam terræ ſiccitatem; ratio eſt euidens, nam cum tunc temporis magna extrahatur à terra exhalationum copia, oportet quod terra remaneat arida, ex quo ſequitur terræ ſterilitas ac ſubinde fames, ſeu cariſtia. Secundò cometa prænunciat ventorum flatum. Ratio eſt, quia cometæ non fiunt niſi ex multitudine exhalationum ad ſupremam aeris plagam euectæ, quæ cum debeant pertranſire ſecundam regionem, debent ibi multæ remanere ex quibus fiant venti Vel quia ab ipſo nubium frigore fortiter depelluntur, & ſic fiunt venti. Hinc ſequuntur tempeſtates maris, fluminum inundatio impedientibus ventis eorumdem fluminum ingreſſum in mare, ex quo regurgitant, &c.

62 Tertiò prænunciant cometæ terremotum. Ratio eſt, quia cum tunc maximo impetu exhalationes extrahantur quæ in terræ viſceribus occluduntur, & cum exitum quærunt vi terram concutiunt, & mouent, & quibus exploſis maximos terræ hiatus aperiunt, quod etiam contingit aliquando fieri in mari, & tunc inundationem cauſant. Quartò prænũciant cometæ aeris intemperiem, quam venenatus, & ſiccus habitus inducit; maximè vbi ſunt loca paluſtria in quibus humor ad fecem exſiccatus computreſcit. Hinc Aſtrologi autumant Principum mortes, hoc de cauſa quia cum Principes ſint tenuiores, & delicatiores, eo quod delicatius viuant, modica aeris infectio eos interimit, ſed hæc incerta ſunt.

63. Sexto prænunciāt bellorum ſtrepitum, Regnorum translationem, legum tranſgreſſionem, &c. vel quia hæc ſequũtur ex morte Principum; vel quia ingens caliditas accendit hominum corda, iram inflammat, coleram commouet, & ad prælia, vindictaſque concitat. Sed hæc incerta ſunt. Aſtrologi deſcendentes ad particularia dicunt cometam vndique radiatum ſignificare aquarum inundationes, & vnico radio illuſtratum præſignat nimiam ſiccitatem, & magnum ventorũ flatum. Multa alia dicunt, ſed non ſunt certa.

DVBIVM VI.

De tonitru.

64. Aliqui poſt Empedoclem, & Anaxagoram putant quod tonitrua fiant ex extinctione exhalationum accenſarum inter nubes. Sicut enim ferrum candens dum in aquam inijcitur quendam edit ſtrepitum, & fumus, quidam eleuatur; ita dum illæ exhalationes accenſæ velut ferrum candens quaſi iniectæ in aquam nubium, ſonum, ſtrepitum edunt, quem tonitrum vocamus.

95. Impugnant nonnulli hanc ſententiam, quia ſi tonitrum fierit extinctione ignis in nube non apparerent corruſcationes ignitæ, ſed potius humidæ, & obſcuræ, vt apparet fumus in extinctione ignis in aqua, vt cum ferrum candens ſuffocatur. Cœterum hanc impugnationem deludunt aduerſarij dicentes, quod non ſemper cum fiunt tonitrua apparent corruſcationes, quãdo ſcilicet exhalationes accenſæ extinguuntur intra nubem, maxime cum eſt denſa, quod ſi aliquando apparent illæ corruſcationes, ideo eſt quia illæ exhalationes accenſæ non ex toto extinguuntur. Vel dicas quod coruſca-

ruſcatio non videtur poſt extinctionem, ac proinde poſt tonitrum, ſed ante. Vnde videmus prius coruſcationem, & poſtea audimus tonitrum, cum ignis coruſcans extinguitur.

66. Melius impugnat illam ſententiam Ariſt. *lib. 2. cap. vlt.* nam ſi ignis extingueretur intra nubem, quaſi ſuffocando ſe ipſum non valens ibi manere incluſus, vel quia vult aſcendere ad ſuam ſphæram, & hoc non, quia corruſcatio non videretur à nobis, cum non fieret infra, ſed ſupra nubem, imò tonitrua aut parum audirentur à nobis, cum extinctio ignis & ſtrepitus fieret in parte ſuperiori nubis. Vel quia ille ignis vult deſcendere, & neque hoc quia deſcenſus eſt igni contrarius, ſibique repugnat: Tũ quia non eſt maior ratio cur ignis magis deſcendat quando cœlum eſt nubiloſũ ac quando eſt ſerenum. Tum etiam quia ex extinctione ignis non fit tonitrum, ſed potius ſtridor, vt patet manifeſtè in extinctione ignis in aqua.

67. Noſtra ſententia ſequentibus concl. explicatur. Prima concl. *Tonitruum fit cum exhalatio calida, & ſicca à nube craſſa intercluditur, & cum exire non poſſit, huc, illucque eam percutit, ex qua percuſſione ſtrepitum facit.* Sic tenent omnes peripatetici cum Ariſt. hoc loco, & conſtabit ex noſtris rationibus. Probatur 1. & explicatur concluſio. Nam cum exhalatio, & nubes ſint contraria, fit quod exhalatio intra nubem incluſa, per eiuſdem nubis raritates, ſeu partes rariores illius huc, illucque diffugiat per quam fugam, per motum, & per antiperiſtaſim incaleſcit; magis magiſque rareſit, ac proinde ampliorem locum quærit. E contra nubes ſuo naturali frigore magis coarctatur, exhalatio incitato ſpiritu fugam fortius quærit ictu vehementi in nubem impingit, vt tandem eam diſrumpat, ex quo ingens ſonitus editur, quem ſonum tonitruum vocamus.

68. Probatur, & explicatur 2. exemplo exploſionis bombardæ ex qua ſimilis tonitru fragor generatur; quia puluis ille tormentarius accenſus vehementi impetu aerem diſrumpit, ac percutit, & ſic magnus ille fragor editur. Aut vt ait Ariſtoteles cum ligna ſiccas cõtinent exhalationes, dum vruntur, vel nimium caleſiunt, exhalationes magis dilatantur, & ſic impetu facto diſrumpunt meatus, & exeunt. Hanc ſimilitudinem pulchrè explicat Lucret. *lib. 6. ſui Poematis.*

69. Secunda concl. *Fiunt aliquando tonitrua abſque eo quod exhalationes accendãtur, atque adeo abſque eo quod ignis, aut corruſcationes, aut fulgura appareant.* Hanc concluſionem nota docet experientia. Probatur 1. nam duplici ratione contigere poteſt, quod ignis non appareat, vel quia exhalatio non accenditur, non enim neceſſe eſt, vt cum qualicumque calore, aut motu fiat exhalationis accenſio. 2. nam dato quod exhalatio accendatur, poſſunt aliæ nubes interponi quæ impediant ne ſplendor à nobis videatur. 3. Quia exalatio ignita ſurſum potius quam deorſum truditur. 4. Quoniam vt vult Seneca hoc loco, poſſunt fieri tonitrua abſque exhalationibus, quando ſcilicet nubes ſe ipſis colliduntur, & effringuntur, nam ſi nubes cum exhalationibus colliduntur ſonum edunt, etiam ſonum edere poſſunt cum à vẽtis magno colliſæ impetu confringuntur, aut effringuntur.

70. Sed contra hoc obijcies, nam nubes magno ventorum impetu colliſæ in montes, ſonum non edunt; ergo neque quando colliduntur, & effringuntur ſimul. Reſpondet Seneca diſparitatem eſſe, quia montes non ſcindunt nubes, ſed eas ſibi circumfundunt, & ſic ſonum non edunt. Negari tamen nõ poteſt quod dum nubes fortiſſimè in montes collidũt & impingunt non faciant aliquem ſtrepitum, vt patet ex ſonitu quem producũt venti fortiter ſpirantes. Tum quia ſicut cum colliduntur manus auerſæ ſonum non edunt, aut valde parum, bene cum palma palmam percutit, quia hoc modo ſunt magis diſpoſitæ ad edendum ſonum Ita nubes non quomodocumque impulſæ tonant, ſed cum impelluntur, aut colliduntur modo quodam adaptato. Sicut etiam

etiam cum nubes franguntur, non fit tonitruum, ſed quidam quaſi ſibilus, ſicut cum tali ſcinditur impetu, &c. Explicatur totum hoc exemplo veſſicæ, quæ non ſonat quomodocumque ſpiritum, ſeu aerem emittat, ſed cum tali modo percutitur, nam ſi ferro ſcindatur ſine vllo aurium ſenſu aer egreditur, bene tamen ſi impulſu vehementi frangatur, & quo impulſus eſt vehemens, eo maior ſonus editur. Sic nubes non edunt ſonum quouis modo collidantur, ſed cum colliduntur impetu vehementi.

71. Tertia concluſio. *Fiunt aliquando tonitrua abſque nubibus*. Sic Seneca, & alij hoc loco. Probat Seneca quia talia tonitrua aliquando fuerunt audita, cum mons Ethna ingentem arenæ copiã eructauit, & dies puluere inuoluerentur, vt populi valde terrerentur; hæc tonitrua non fuerunt nubium concurſus, cum nubes non eſſent, maximè in tanto aeris ardore, ſed cauſabantur illa tonitrua ex magno impetu quo è cauernis terræ ſpiritus, & ſulphurea materia egrediebatur, vt quodammodo aer creperet, & frangeretur.

72. Sed quæres 1. quomodo tonitruum definiatur? Pro quo nota ex dictis quod priuſquam Sol, & Sydera extrahant exhalationem à terra, eleuant vaporem humidum, & calidum ab extrinſeco, quem ſubſequitur exhalatio. Anſcendens vapor ad ſecundam aeris regionem, à frigiditate locus inſpiſſatur, & nubes frigida euadit, quæ quaſi pellis in ſinu ſuo exhalationem includit, quæ per antiperiſtaſim roborata fugam meditatur, & vehementi impetu in partem ſuperiorem nubis impingit à qua parte cum ſit denſior ratione maioris diſtantiæ à reflexione radiorum ſolis, ac proinde frigidior, repellitur ad partem inferiorem, rariorem, quam cum maxima vehementia rumpit, ex cuius fractione tonitruum ſequitur. Aliquando etiam fit fragor ex concuſſione ipſa exhalationis intra nubem incluſa abſque vlla fractione, & ille ſonitus eſt ad modũ cuiuſdam mugitus. Et ſecundum hanc rationem ſic tonitruũ definitur ab Ariſtotele. *Eſt ſonus in nube ex percuſſione violenta exhalationis calidæ, & ſiccæ cito inflammabilis contra nubes cõtinentes*. Fragor autem ille qui fit ex fractione nubis aliquando vocatur tonitruum, aliquando non, de quo nu. ſequenti.

73. Quæres 2. quot modis contingat ſonus tonitrui? Reſp. multiformiter. Primò fit aliquando ad modum tumultuationis, quod contingit cum exhalatio eſt debilis, nec vim habet rumpendi nubem, ſed hinc inde nubis latera coneutit, vnde ſine corruſcatione accidit. Secundò fit ad inſtar ſciſſionis telæ, aut panni cum magno conatu, & fit cum aliqua corruſcatione, & iſtæ ſonus ſolet timorem incutere. Tertiò fit ad inſtar fractionis veſſicæ, & tunc accidit quando tota exhalatio, aut pars aliqua maior illius ſimul è nube tam rotunda exit, eam frangendo. Quartò fit ad modum ignis crepitantis in materia valde diſpoſita, quod contingit quando exhalatio admodum ſicca, & ſubtilis cito, & ſucceſſiuè nubẽ frangit, eo quaſi modo quo fit caſtanearum crepitus, dum non inciſis corticibus decoquuntur; exhalatio namque ſub cortice incluſa per calorem prunarum diſcriminatur, & rareſit, inde querens maiorem locum, tumeſcentem corticem frangit, ac crepitat.

74. Igitur exhalatio intra nubem inflammata aliquando cum fragore, aliquando abſque illo exit. Si cum ſilentio edatur dicitur corruſcatio, & hæc præcipue tempore nocturno ſolet in nubibus perlucere. Si cum aliquo ſonitu emittatur, vocatur fulgur. Vnde fulgur definitur, quod ſit *exalatio in nube accenſa, & igneo colore tincta ex vehementi colliſione ad nubem*. Hinc patet prius fieri tonitruum quam fulgur, licet fulgur prius videatur; cuius ratio eſt, quia ſpecies viſibilis, ſeu rei viſibilis in ictu oculi, ſeu in inſtanti peruenit ad viſum, & inſtantaneè oculus viſionem perficit. At ſpecies ſoni indigent tempore vt per mediũ vſque ad auditum perducantur, & ideo prius auditur fulgur, quam ſonus audiatur,

tur,

quam flammeum, & hoc combuſtionis ſignum relinquit.

81. Quæres 4. quinam ſint effectus fulminis? Reſp. eſſe varios, inter quos aliqui ſunt valde mirabiles, de quibus tractant auctores hoc loco præſertim Conimbric. Ego refero aliquos. Fulmen raræ exhalationis, & flammeum ſi vites tetigerit florigeras, flores exurit, & ſignū combuſtionis non relinquit. Ratio eſt, quia hoc fulmē facile inuadit flores molles, & ob motum velociſſimum non moratur adurando, quod non facit in arboribus duris. Item iſtud fulmen excæcat ſine ſigno, aſpicientes. Comburit pilos hominum intacta pelle, dum debile eſt. Veſtes quoque, calceoſque comburit ſine corporis læſione; ratio eſt quia ob debilitatem non poteſt agere in partes fortes, & magis reſiſtentes, maximè ſi humidæ ſunt. Quod ſi fulmen ſit forte ex forti exhalatione, tunc agit in res magis reſiſtentes, vnde conſumit in ſacculis aurum, æs, argentumque conſumit enſem in vagina, conſumit ferrum pilæ ferratæ, &c. intactis Sacculo, vagina, lignoque. Aliquando oſſa comminuit, intacta carne. Ratio eſt, quia tunc rariora corpora cito peruadit, & tranſit per poros illorum, at duriora, & reſiſtentia inuadit in illis immoratur, eaque vrit, & conſumit. Aliquando occidit animalia ſigno non relicto. Aliquando vulnus relinquit, cum ſcilicet denſa eſt exhalatio, quod ſi non ſit denſa arbores aliquando diuidit, non comburit.

82. Mirum referunt auctores hoc loco, quod ſcilicet quandoque hoc fulmen comburit dolium vino plenum, ſine vini effuſione. Ratio eſt, quia fulmen igneum dolium inuadens, & reſiſtens ob duritiem, & denſitatem comburit, vinum verò ob humoris copiam non poteſt tam facile abſorbere, ſed tantum tunc extimas, & extrinſecas eius partes exſiccat, & obdurat, eiſque ſulforeum immittit humorem, & viſcoſum extrahit vaporem, per quod partes ſuperficiales ad modum pellis, ſeu vexicæ compactæ, vinum in ſe continent, ne diffundatur, quod triduo perdurare ſolet, poſtea illis partibus ab humiditate vini humectatis, & relaxatis vinum diffunditur. Hoc idem præſtat pſylium vino permixtum, ſuo namque calore viſcoſitatem extrahit, partes extimas exſiccat, & in pellem obdurat, in qua vinum continetur ſicut albugo oui in pelle intrinſeca.

83. E contra contingit aliquando quod vinum abſorbetur à fulmine, intacto dolio, quod fit cū fulmen intenſiſſimum calorem, & ſubtiliſſimum habet, qui partes dolij penetrans, vinum exſiccat. Nota quod vinum percuſſum fulmine venenatum eſt per venenoſam qualitatem, vel ſulphuream, vel aliam ab illo immiſſam.

84. Quæres 5. cur dormiens percuſſus à fulmine inuenitur cum oculis apertis, at vigilans percuſſus, & mortuus inuenitur cum oculis clauſis? Item cur animal percuſſum à fulmine inuenitur reſpiciens retrorſum, vultuque ſeu capite inuerſo. Reſp. quod dormiens præ timore fulminis expergefactus oculos aperit, & illico percuſſus moritur. At vigilans præ timore apertos oculos claudit, illicoque percuſſus deuiuit. Animal verò fugiens retro fulmen reſpiciens illico percuſſum moritur.

85. Quæres 6. cur fulmina Ioui tribuantur, non Soli, aut Marti, aut alteri Planetæ? Reſp. rationem eſſe, quia cum hic Planeta terreæ naturæ ſit, habet vim attrahendi exhalationem ſiccam ex qua fulmen conficitur, quod maximè præſtat dum Marti copulatur, ſeu coniungitur in ſignis ſeptentrionalibus, Geminis, Cancro, & Leone, quo tēpore fulgura, & fulmina certiſſimò pronoſticare, ſeu prædicere poterimus.

DVBIVM VIII.

De Galaxia, ſeu via lactea, Voragine, & Hiatu, alyſque.

86. NOn loquimur de Galaxia, ſeu via lactea quæ apparet in octaua ſphera de qua *in diſp. de cælo*, vbi diximus quod illa pars cœli alba apparet, vel ob multitudinem ſtellarum ſpiſſarum vel propter raritatem quam habet maiorem illa pars cœli ſuper alias, &c. Sed loquimur de alia via lactea quæ quandoque apparet in ſuprema aeris, regione, de qua dico nihil aliud eſſe niſi magnam quantitatem exhalationum attractarum à ſtellis viæ lacteæ, quæ via ab eiſdem ſtellis efformatur, & per aliquot tempus conſeruatur, ad modum Cometæ. Sicut enim Planetæ, & aliæ ſtellæ ſuas faciunt attractiones, ita etiam eas facere poſſunt ſtellæ illæ ſpiſſæ firmamenti.

87. Vorago, & Hiatus cauſatur ab exhalatione terreſtri calida, & ſicca, cum materia in extremitatibus ſubtilior, in medio denſior condenſatur, tunc enim lumen lunæ, aut alterius aſtri illam irradians, in medio nigrum colorem cauſat propter denſitatem, in extremitatibus verò rubrum. Cœterum quia color niger minus mouet quam rubeus, fit quod partes centrales apparent diſtantes, & voraginem præmonſtrant ſi magna eſt materia, ſi autem parua premonſtrant hiatum. Partes verò extremæ videntur propinquiores. Hinc pictores cum aliquod cauum, aut profundum pingunt, ſeu vt multum diſtans colore nigro vtuntur. Cum autem aliquod propinquum oſtendere volunt, colore albo vtuntur, & ſic ex varia colorum diuerſitate diſtantias, & propinquitates oſtendunt.

88. Sed quæres 1. quinam ſint colores qui quandoque apparent in acre? Reſp. hos colores non eſſe veros qui ex primarum qualitatum varia admixtione generantur, & ſolum cernuntur in corporibus mixtis, ac terminatis, de quibus dicemus *in tract. de anima*. Sed ſunt apparentes cauſati ex varia luminis reflexione. Harum materia in qua videntur eſt exhalatio, vapor, aer, vel aqua: aqua debet eſſe in maiorem raritatem attenuata. At aer debet eſſe in maiorem condenſationem addenſatus. Locus in quo videntur iſti colores apparentes eſt potiſſimè aer. Forma eſt lux variè modificata. Efficiens cauſa eſt illa quæ attrahit vapores aut exhalationes. Horum colorum varietas oritur ex varia materiæ affectione in qua lux incidit. Oritur etiã ex diuerſo aſpectu luminoſi. Oritur præterea ex diuerſitate, & qualitate medij, & ex varijs etiã modis quibus ſpecies franguntur, & refranguntur, & ad oculos feruntur. Et demum oritur ex alia, & alia intenſione luminis. Quare vapores, & exhalationes aliquando preſeferunt colorẽ puniceum, aliquando purpureum, aliquando viridem, &c.

89. Quæres 2. quomodo formetur corona coloris etiam ſanguinei ſub Sole? De hac re agit Plinius *lib. 2. cap. 30.* cum quo, & alijs dico, quod cauſatur cum multus vapor, aut exhalatio in orbem veluti ſpargitur ſub Sole, ſi ſub Sole, aut circum Solem apparet, aut ſub alijs aſtris, cum ſub illis conſtituta videtur, vt radius aſtri propter denſitatem materiæ progredi nequit, ſed reſilit, & per omnes extremitates diffunditur, tunc enim ſub aſtro apparet ſplendens circulus ad modum lucidæ coronæ. Nonnunquam deficiente materia nõ formatur integer circulus, ſed tantummodo quædam illius pars. Fit iſta corona frequentius ſub Luna, quam ſub Sole, quia Solis feruor non ſinit denſari illam materiam, ſed eam diſſipat. Luna autem non ita facile eam facit diſſipationem ob minorem vim ratione ſuæ frigiditatis, & humiditatis. Quando iſta corona apparet magis denſa, tunc aquam, ſeu pluuiam prænunciat.

90. Quæres 3. quomodo formentur Parelia? Parelia alia ſunt Solis, alia Lunæ. Parelia Solis ſunt immagines Solis, & Parelia Lunæ ſunt immagines Lunæ. Formantur autem Parelia Solis (& idem dic proportionaliter de Parelijs Lunæ) cum

cum ſol non verſus terram, nec in medio cœli, ſed ad latera exiſtens ſuis radijs percutit in nubem diaphanam qua parte reſpicit Solem, & debet eſſe terminata ex parte oppoſita, vt Solis imaginem receptam reddat. Eo modo quo ſpeculum ex vna parte debet eſſe diaphanum vt immaginem recipiat, & ex alia debet eſſe terminatum, vt receptam imaginem reddat. Hinc eſt quod ſpecula vitrea, vt receptas reddant immagines plumbo liniuntur in parte aduerſa. Quod ſi plures nubes huiuſmodi dentur, ita diſpoſitæ vt vna recipiat Solis immaginem, & eam imprimat in aliam, ſicuti contingit in ſpeculis diſpoſitis, vt vnum recipiat primo Solis immaginem, poſtea eam vibrat in aliud, tunc tres Soles videbuntur, ſeu videbitur vnus, & idem Sol, ſed primo per ſpeciem ab eo immediatè receptam. Deinde in ſpeculo primo recipiente eiuſdem Solis immaginem,& denium in alio ſpeculo recipiente Solis immaginem à primo ſpeculo. Aliquando videntur tantum duo Soles, aliquando etiam tres; aliquando etiam ſex. Licet Plinius *lib.2.cap.31.* dicat non extare memoriam quod plures quam tres Soles viſi fuerint. Quantum ad Lunam Pontanus in ſuis meteor. ſolum duplicem videri, ſic enim ait. *Sæpè etiam duplicem in tenebris eſt cernere Lunam, nube caua referente aliam ſub immagine formam.* Hoc, vt dicebamus de Sole, non accidit niſi eadem Luna vergente vel ad Orientem, vel ad Occidentem, & nonniſi in plenilunio eo quod tunc ſit fortior ad emittendum lumẽ, quo medio eius imago in rubro imprimatur.

DVBIVM IX.

De Ventis.

91. VAriæ fuerunt antiquorum ſententiæ, de quibus Ariſt. hoc loco, Plutarc. *lib. 3. de placit. cap. 7.* Plinius *lib. 2. cap.45.* Magnus Albert. *lib. 3. tract.1. cap.6.& 7.* Agricola *lib. 2. de ortu & cauſis ſubterran.* Mirand. *lib.1. de exam. vanit. cap.12.* & alij. Celebrior, communiorq; opinio erat, quod venti nihil aliud ſint quam *aer agitatione commotus.* Sic tenuerunt Hippocrates *in lib. de flatibus*, licet *lib. 2. de victus ratione* velit cauſari ab exhalationibus mixtis à niue, glacie, gelu vehementi, fluminibus, ſtagnis, terraque humida, & refrigerata. Anaximander quatenus dixit ventum eſſe *aeris fluxum*, Vitruuius *lib. 1. architect.cap. 6.* cum dixit ventum eſſe *aeris vndam.* Stoici eandem ſententiam ſequuti ſunt, quatenus vocabant ventum *impetum aeris fluentis.* Idem tradidit D.Iſidorus *lib.13.* dum definit ventum eſſe *aerem commotum.* Citatur D. Damaſc. *lib. 2. fidei cap. 8.* definiens ventum *aeris agitationem.* Idem tenent communiter Aſtrologi, vt teſtantur Conimbric. hoc loco, quatenus tenent ventum eſſe aerem commotum, & diſſipatum ab aſtris, quod tunc fieri dicunt, cum Iupiter, Solem, Lunam, & Mercurium irradiauerit, aut Mercurium Mars inſpicit, aut etiam quadratè inſpexerit. Item cum Iupiter,& Luna in Ariete, & Scorpione fuerint. Item cum Iupiter, & Mars cũ ſignis aereis, ideſt Geminis,& Libera copulati fuerint. Item cum Luna ſociatur Mercurio.

92. Communis, & vera Peripateticorum ſententia ſeq. concluſ. explicatur, *Venti ſunt commota exhalatio, ſeu tunc venti fiunt, cum multa exhalatio calida, & ſicca, eaque ſubtilis impetuosè mota, non aer etiam impetuosè motus.* Quod ventus non ſit aer etiam impetuosè commotus, patet, nam cum tormenta bellica laxantur, fit magna aeris commotio, & tamen nemo dicit, quod tunc fiant venti; cum turris, aut domus aliqua cadit, fit magna aeris commotio,& nullus dicit quod tunc fiat ventus: cum virga fortiſſimè mouetur. fit fortiſſima aeris commotio in loco motus & tamen in eo nõ dicitur quod ſint venti.

93. Quod autem vẽti ſint exhalatio commota probatur. 1. Quoniam videmus ventos fieri cum magna eſt copia exhalationum, vt vere,& autumno. 2. Fiunt venti frequenter matutino tempore, & tempore veſpertino cum Sol oritur, & occidit, quia Sol tam in ortu, quam in occaſu ſolet excitare exhalationes. 3. Fiũt etiam,

Digitized by Google

etiam venti dum nix liqueſcit, quoniam tunc exhalatio in niue reperta excitatur, & exit. 4. Nam ideo color igneus in aere ventus denunciat, quia ſub eo igneo calore exhalationes continentur. 5. Quia ideo Cometa ventos portendit, quia illius ignis exhalationum copia nutritur. *6.* Quia ventus exſiccat non aer, quia iſte humidus eſt, non illæ, cum ſint ſiccæ, & calidæ.

94. Sed dices, nam flabellum cauſat ventum dum mouetur, & tamen ſolus aer mouetur; ergo ventus nil eſt aliud quam aer cõmotus, ſeu aliqua vi. Conſeq. conſtat Antecedens probatur, nam flabellũ dum mouetur refrigerat faciem, expellendo aerem eam calefacientem, aut calefactum ab ea, & ſuccedendo alius non tantum calidus, hoc autem non faciunt exhalationes cum ſint calidæ, ſed aer. Reſp. quod flabellum non cauſat ventum, ſed ſuo motu expellit priorem aerem, & ſuccedit alius non ita calidus. Ille ergo aer habet ſe ad modum venti, ſed ventus non eſt.

95. Sed quæres 1. an materia ventorum ſit ſola exhalatio, an etiam vapor, non quidem ſolus, ſeu ſolitariè, ſed ſimul cum exhalationibus? Affirmant Conimbr. ea ratione ducti, quod aliquando per integros menſes ſpirant venti è mari, quod etiam ſi habeat multum exhalationis ob admiſtionem terrenæ concretionis, vt eius ſalſedo teſtatur, tamen etiam vapores exhalat ſimul cum exhalationibus, nec eſt veriſimile quod tanta exhalatio naſcatur ex mari. Tum quia etiam vapores ad mediam regionem euecti poſſunt repelli, non minus ac exhalationes, ac proinde etiam ex illis poſſunt cauſari venti. Tum etia quia videmus, quod venti è mari flantes ſentiuntur humidi, humiditas autem vaporis naturam teſtatur. Demum quia videmus, quod vnde vapores oriuntur, inde venti aſpirãt.

96. Sed hæc ſententia non placet, & rationes adductæ *nn. 93.* videntur fortiſſimæ, ac proinde hanc ſententiam explodere. Tum quia vapores non mouentur tortuosè vt vento, ſed recta quadam via aſcendunt niſi à ventis agitentur. Nec ea quæ pro ſe adducunt Conimbric. illis videntur fauere, non primum, quia poſſunt è mari ſpirare, venti per integros mẽſes per exhalationes ſubminiſtratas ab eodem mari, quod ſi mare emittat tum exhalationes, tum vapores, *iſti* recto tramite aſcendunt ſurſum, & exhalationes tortuosè mouentur. Nec ſecundum, nam vapores vel non repelluntur à ſecunda aeris regione, cum ibi à natura deſtinentur ad nubes efformandas, ad pluuias creandas, &c. Nec poſſunt expelli maximè quia quando ibi accedunt ob diſtantiam à reflexione radiorum Solis, iam ferè calorem extraneum depoſuerunt, vt ſic ingredi poſſint ſecundam illam regionem vbi expectantur. Nec tertius; nam venti qui à mari fluunt afferunt humiditatem, & humectant, quia ipſi venti trahunt ſecum vapores qui cum humidi ſint humiditatem cauſant, non quia ipſi vapores ſint ventus, vel ſint materia venti. Neque vltimum, nam vt obſeruaui, ex aliquibus cauernis egrediuntur venti, & non vapores; ſed detur quod etiam vapores egrediantur, non inde ſequitur, quod etiam vapores *ſint materia venti.*

97 Quæres 2. à quo moueantur venti? Seneca *lib. 5. cap. 6. nat. 9.* cum opinione Stoicorum, quorum ſectã ſequebatur tenet quod venti moueantur à ſe, putant enim aerem eſſe ventum, & à ſe moueri ſicut Sol, Luna, &c. dicit prætererea, quod etiam Sol eſt cauſa venti, cum aerem rigentem facit, & condenſat, & *cum* extenſo rarum facit. Sed iſtam *ſententiam* impugnauimus de cœlo, oſtendentes, quod ſola viuentia mouentur à ſe. Tum quia ſi aer moueretur à ſe, *deberet* moueri aliquo motu *ordinato,* non inſtabili, & tortuosè.

98 Theophraſtus putauit, quod venti moueantur ab ipſa exhalatione habente diuerſas partes, nam partes magis graues mouent deorſum, & magis ſubtiles, & leues mouent ſurſum, & ſic tortuosè, vt diximus de fulmine, vna namque pars ſcilicet ignea trahit ſurſum, & terra deorſum, & ſic partim ſurſum, & partim deorſum,

ſum, ac proinde tortuoſè. Sic exhalatio. Cœterum non explicatur quomodo ventus aliquando tanta vi, tantouè impetu moueatur.

99. Alij volunt, quod motus ventorum cauſetur à ſecunda aeris regione; nam cum exhalationes aſcendunt, ad eãdemque regionem pertingunt, ab aere illo frigido, & denſo protruduntur, vt refracto, ac diſſultanti impetu reſiliunt, & quia ex alia parte leuitate conſtant, ex vna parte conantur aſcendere, & ob impulſum receptum cogentur deſcendere, ideo tortuoſè mouentur. Cœterum hoc poteſt quidem contingere cum exhalationes pertingunt vſque ad ſecundam aeris regionem, licet neque tunc appareat quomodo cum tanto impetu moueri poſſint, cum neque ab impulſu poſſint hoc habere, neque à leuitate, vt conſideranti patebit. Dixi cum exhalationes pertingunt, &c, nam non omnes venti cauſantur ab exhalationibus à ſecunda regione repulſis, cum experientia didicerim exire fortiſſimos ventos ex cauernis terræ, ex critis, alijſue locis.

100. Aliqui ab hac difficultate ſe expediunt dicentes ventorum impetum non habere aliam cauſam niſi eam quam Deus mouet. Colligunt ex *pſalm.* 134. & Ierem. 10. vbi Deus dicitur producere ventos de theſauris ſuis. *Qui producit vētos de theſauris ſuis*, ideſt de occultis naturæ cauſis. Ego ſaluo meliori iudicio dicerem, quod non eſt vna, eademque cauſa ventorum, aliam namque cauſam habent venti cum à frigiditate ſecundæ regionis repelluntur, & aliam cum à cauernis terræ excitantur, tunc enim, vt dicebamus non excitantur venti à ſecunda aeris regione, ſed ab aſtro extrahente exhalationem, à quo aſtro habent etiam venti motum. Habent etiam venti motum, & maiorem motum, & vehementiam motus ab aere impellente per fortem ingreſſum in locum exhalationum; nam cum exhalationes mouentur, aer ingreditur ad impediendum vacuum, & per illum ingreſſum impellit exhalationes à tergo; iterum exhalationes mouentur ab illo loco, & aer propinquùs iterum ingreditur, eoque ingreſſu de nouo impellit exhalationes, & ſic paulatim augetur exhalationum motus vſque ad quandam vehementiam. Pro hac re ſubijcientem certam experientiam de qua ego ſum teſtis, quemque diligenter obſeruaui; dum eſſem in ore cuiuſdam cauernæ ex qua ventus egrediebatur, obſeruaui, quod in ore cauernæ ventus erat ſatis tenuis, & delicatus, & quantò magis recedebam ab ore cauernæ, tantò magis ventus augebatur, quod augmentum non poterat eſſe ex additione nouarum exhalationum, cum aer à dextris, & ſiniſtris oris cauernæ eſſet omnino quictus, & motus eſſet ſolum in ea parte quæ directè reſpiciebat os cauernæ, &c. Sed ex cauſa mox dicta.

101 Queres 3. à quo fiat motus tortuoſus ventorum? Reſolutio huius quæſiti iam ferè conſtat ex dictis. Claritatis tamen gratia in particulari eam reſoluemus. Aſtrologi fieri dicunt ex influxu ſyderum; venti namque ſuis cauſis cupiunt aſſimilari, quæ per ipſos ſunt Iupiter Septemtrionalis, Sol Orientalis, Luna Ocdentalis, & Meridionalis, & ſic venti modo mouentur ad Occidentem, modo ad Occaſum: modò ad Septemtrionem, modo ad Auſtrum, & ſic tortuoſè. Sed non eſt ſic, vt ex dictis conſtat. Sed fit hoc modo. Sol, & Aſtra multam attrahunt exhalationum materiam, maximè in Vere, & Autumno, quia tunc temporis terræ pori ſunt aperti, nec diſſipantur præ nimio calore vt in Aeſtate; nec præ nimio frigore obdurante impeditur exhalationum extractio, quæ ad mediam regionem euectæ, quando venti ob hanc cauſam generantur, à frigiditate illius repelluntur deorſum, & à leuitate inſita ſurſum mouentur, & ſic tortuoſè. In ijs autem qui ex cauernis, criptis exeunt, &c. aut ex mari generantur, aut ex niue liquefacta, &c. ratio tortuoſitatis oritur potiſſimè ex diuerſitate materiæ; nam ea pars quæ eſt magis terreſtris, & grauis, mouet deorſum, ea verò quæ eſt magis ſubtilis, & leuis ſurſum, & ſic fit motus tortuoſus, ſed non ita vehemens.

102 Quæ-

102. Quęres 4. quot ſint venti? Reſp. quod aliqui ponunt tantum quatuor, qui ſpirant à quatuor partibus mundi. Alij ponunt ſeptem, cauſati à ſeptem planetis; alij ponunt duodecim, cauſati à duodecim ſignis Zodiaci; alij demum volunt eſſe triginta duos. Communis ſententia ponit 4. Cardinales, ſcilicet Septentrio, Auſter, Subſolanus, & Zeffirus, & hi ſpirant à quatuor mundi partibus, veluti à quatuor cardinibus. Et octo collatera les. Collaterales Septentrionis ſunt duo videlicet Aquilo à dextris, & Corus à ſiniſtris. Collaterales Auſtri ſunt alij duo ſcilicet à ſiniſtris Euroaſter, & Auſter. Africus à ſiniſtris. Collaterales ſubſolani ſunt Vulturnus à dextris, & Eurus à ſiniſtris. Collaterales Zeffiri ſunt Aricus à dextris, & Circius à ſiniſtris. Quatuor venti Cardinales, ſcilicet Septentrio ſpirat à polo Artico, qui Septentrio nuncupatur ab Vrſa maiori, quæ grecè dicitur *Arctos*, vnde & Polus Arricus, & latinè Septentrio ob ſeptem ſtellas circa polum verſantes. Auſter ſpirat à polo Antartico, qui Auſter dicitur quaſi auriens aquam, cum ſit pluuialis. Grçcè dicitur Notus, quia generat tabem ex praua qualitate calida, & humida putrefactiua. Subſolanus ſpirat ab Oriente ęqui noctiali, ſcilicet à ſigno Librę; dicitur Subſolanus, quia ſub Solis radijs emanat. Zeffirus, ſiue Fauonius ſpirat ab Occidente æquinoctiali; diametraliter opponitur Subſolano. Dicitur græcè Zeffirus, quaſi viuificans; & latinè Fauonius, eo quod foueat, vel faueat. Spirat à ſigno Arietis.

103. Quæres 5. à qua parte ſpirent venti collaterales? Reſp. quod Aquilo qui eſt ventus collateralis Septentrionis, ſpirat à circulo Artico; dicitur Aquilo quaſi ligans aquas, habet enim exſiccare, & ligare, ſeu expellere nubes. Vocatur etiam Boreas, qui flat à montibus Hiperboreis. Corus qui eſt alter ventus collateralis Septentrionis ſpirat ab alio latere circuli Artici; & dicitur Corus quaſi in ſe claudens circulum ventorum. Euroaſter, qui eſt ventus collateralis Aſtri, habet ex vna parte Eurum, & ex alia Auſtrum; ſpirat à circulo Antartico, & vulgo dicitur Sirocco. Alter ventus collateralis Aſtri dicitur Auſter Africus, & mediat Auſtrum, & Africum, ſpirat ex alio latere circuli Antartici, & vulgo dicitur Lebeccio. Eurus eſt collateralis ſubſolani, & ſpirat à tropico hyemali, dicitur Eurus ab eos græcè, quod latinè oriens interpretatur. Alter eſt Vulturnus quaſi circa turres volitans, flat à tropico æſtuali. Africus qui eſt collateralis Zeffiri, ſpirat ab Africa, & à tropico hyemali. Circius qui eſt alter collateralis Zeffiri ſpirat à tropico æſtuali; & dicitur Circius quia ſuo circuitu circumuoluit quæ illi obſiſtunt. Prædicti venti dicuntur cauſati a duodecim ſignis Zodiaci, quæ ſunt Aries, Taurus, Gemini, Cancer, Leo, Virgo, Libra, Scorpius, Sagittarius, Capricornus, Aquarius, & Piſces.

104. Quæres 6. quaſnam qualitates habent prædicti venti? Reſp. quod communes ſunt ſiccitas, & humiditas terræ ex qua exhalationes extrahuntur, à Sole tamen, & ſyderibus accipiunt extrinſecam caliditatem. Tamen à locis, ſeu regionibus per quas tranſeunt, diuerſas participant qualitates quibus diuerſos, varioſque producunt effectus. Vnde Septentrio has dicitur habere qualitates, quod ſcilicet eſt frigidus, & ſiccus, eſtque vehementiſſimus, ſpirat in autumno, & vere: diſſipat nubes, ſerenitatem inducit. Idem facit Aquilo. Corus ſubuertit terram, euellit arbores, obnubilat cælum in oriente, in meridie verò ſerenat.

105. Auſter calidus, & humidus eſt excitat terras nubes, & pluuiam generat cœlo fulminante, inſalubris eſt, corpora grauat, diſtillationes excitat, caput obnubilat illud replens humiditate. Leniter perflat, roremq; ſua humiditate generat. Eadem ferè præſtat Euroaſter. Auſter africus pluuiam retardat, & in alijs communicat cum Auſtro. Vulturnus impetuosè ſpirat, ſerenat, exſiccat, & conglaciat. Eurus ſæpè ſæpius pluuiam aduocat. Zeffirus frigidus, & humidus tēperatè, omnibus fauet, viuificat, fructificat

ficat

Digitized by Google

ficat, & ſerenat. Africus ſuauiter perflat & ſerenat. Si tamen frigiditate vigeat, prius congregat nubes, quam diſſoluat; vnde fulgurat, tonat, ningit, grandinat. Circus pruinas diſſipat, calefacit aerem, flores aperit etiam in hyeme.

106. Vt autem melius percipias quomodo venti tranſeuntes per varias regiones varias percipiant qualitates, nota, quod ſicut anni tempora potiuntur elementorum plexionibus, nam æſtas cum igne eſt calida, & ſicca: Hyems cum aqua eſt frigida, & humida. Ver cum aere eſt calidus, & humidus; & Autumnus cum terra eſt frigidus, & ſiccus. Sic eaſdem temperies habent omnes ferè plagæ terræ. Vnde ea pars terræ, quæ eſt ſuppoſita Cancro eſt calida, & ſicca ob Solis propinquitatem. Pars terræ ſuppoſita Capricorno eſt frigida, & humida ob Solis diſtantiam, & elongationem. Pars terræ Arieti ſuppoſita eſt calida, & humida ob Solis acceſſum. Pars ſuppoſita Libræ eſt frigida, & ſicca, ob Solis receſſum, & declinationem. Quocirca venti tranſeūtes per illas terræ partes, illarum qualitates, & affectiones participant. Hinc venti Boreales ſunt frigidi, & ſicci. Auſtrales calidi, & humidi. Orientales calidi, & ſicci: Occidentales frigidi, & humidi. Benè verum eſt, quod venti mutant quandoque qualitates ob varias aſtrorum influētias à quibus dominantur. Dantur præter dictos alij venti, nam alij ſunt vniuerſales qui vbique perflant, Alij ſunt prouinciales, qui perflant in aliqua tantum prouincia. Alij ſunt locales qui ſolum in vno loco perflant.

DVBIVM X.

De quibuſdam tempeſtatibus, ſcilicet Ecnephia, Typhone, & Preſtere.

107. DE his agunt fusè Conimbric, nos ea dicemus, quæ neceſſaria videbuntur. Videntur quandoque venti conſpirare in hominum vtilitatem, & quandoque in hominum perniciem; deſæuiunt namque nonnunquam horrendè, & terribiliter contra hominem, domos, & turres deijciendo, ſata ſternendo, naues ſubmergendo, tempeſtates commouendo, mare fortiter concutiendo; quod maximè præſtat in mari Eurus, vel Africus. Quare ventus iſte tum in terra, tum in mari, vbi tria turbulentorum flatuum genera ſolet cauſare, quæ nautis eſſe ſolent formidabilia, & ſunt illa quæ in titulo dubij ſunt poſita, quæ hoc loco breuiter explicanda ſunt.

108. Ecnephias tunc gignitur cum multæ exhalationes denſæ aſcendunt, & in nube pergrandi, & caua includuntur, quæ intus per antiperiſtaſim, ſeu per motum calefactæ, rareſcunt, maioremq; ac ampliorem locum quærentes fracta nube cum impetu, recto tramite deſcendunt. Quod ſi deſcenſus fiat in terra, eam conturbat, eleuando non ſolum puluerem, ſed & terram, & ſaxa; imò & ipſas plantas euellendo. Si verò deſcenſus dictarum exhalationum fiat in mari, tunc illud tempeſtuosè conturbat, & naues ſubuertit. Iſte flatus in mari deſcendens, vocatur Ecnephias, quaſi è nube prorumpens.

109. Typho, ſeu turbo, eſt ventus, qui è nubibus diſcuſſus in gyrum reflexus deſcendit. Fit cum exhalationes è diuerſis nubibus, ſeu pluribus partibus eiuſdem nubis, pertunditur, & non valet in lateribus ſe diffundere, quoniam dum ſe dilatat, vna pars in aliam impingit partem, ab altera nube impulſam, & hoc modo cogitur retrogredi. Cœterum quia nubes à qua hæc prima pars proceſſit aliam explodit, flatus iterum illam repellit,

lit, & in gyrum ducit, & ſic fit turbo, eoque ferè modo quo turbo fit in aquis fluminis, quæ in aliquod obſtaculum impingentes, reflectuntur; & in verticem efformantur. Vnde Typhon non deſcendit recto tramite vt Ecnephias, ſed tortuosè. Hæc tempeſtas valdè formidoloſa eſt nautis, quia nedum vela, ſed nauigia ipſa confringit, abſorbet, & aliquando in altum eleuat, ſecumque attollit; ſi Typho contingat in terra, non ſolum homines, ſed etiam arbores, ſaxaque ingentia in altum eleuat. Dicitur Typhon quia ad inſtar tubæ aquam abſorbet, & attrahit. Quod ſi contingat quod dictæ exhalationes, vel aliqua earum pars accendatur per motum, aut agitarionem, & deorſum feratur, tunc dicitur Præſter, qui proxima quæque nedum proſternit, ſed exſiccat, comburit, & conſumit. Iſtæ tres tempeſtates per hoc differunt ad inuicem, quod Ecnephias eſt exhalatio ſicca è nube exiens, non inflammata, cuius deſcenſus eſt directus. Typhon gyrando deſcendit, & Præſter deſcendit inflammatus. Differt Præſter à fulmine ratione minoris accenſionis, maiorisque flatus. Ecnephias vt plurimum fit in hyeme, Typhon autem, & Præſter in æſtate. Procreantur maximè in ortu Hyadum, & Orionis, aliarumque conſtellationum, quæ in partibus determinatis ſuos mittunt influxus, de quo periti nautæ. In Oceano, ſolent frequentius contingere in capite Bonæ ſpei, ſeu in promontorio Bonæ ſpei.

†

DVBIVM XI.

De Terræmotu.

110. Variæ fuerunt de hac re antiquorum Philoſophorum ſententiæ, nam illi qui putarunt terram eſſe animatam dicebant Terræmotum ex eo contingere, quod terra, vel ex toto, vel ex parte non poſſet amplius in eo ſitu manere, ſed illum mutat, ex qua mutatione mouetur, ad eum modum quo, iacens in lecto proſtratus, & extenſus, ſi ſitum mutet, quę ſupra ſe habet mutari debent, & quaſi concuti. Hinc Poetæ finxerunt terræmotum fieri ex eo quod Atlas ſe mouet, ſitumque mutat, & mundum quem humeris ſuſtinet in aliam partem vertit. Thales Mileſius dicebat terræmotum ex eo fieri, quod terra ab aliqua aquæ vnda huc, illucque impellatur. Putabat namque Thales quod terra eſſet in aqua, quaſi magna quædam nauis, quæ dum in alteram partem deflectit, aquam excipit. Hinc eſt, inquiebat, quod in magnis terræ motibus noui fontes aperiantur, nouæque aquarum ſcaturigines, & nonnunquam inundationes, ex eo quod terra quæ prius ſuper aquam natabat, ſub aquis demergitur. Democritus putabat terræmotum ex eo fieri, quod aqua pluuia deſcendit ad terræ cauernas, quę cum ibi capi non poteſt, à terra vi quadam repellitur, ex quo terræmotus cauſatur. Anaximenes Mileſius voluit quod ex eo terręmotus fieret *quia* terra ab aqua, aut igne labefactata præceps voluitur. Aut cum pars labefactata vt ſe conſeruet, aut ne deſtruatur *in* aliquam voraginem ſe demittit, ex quo fit terræmotus, aut etiam *inundatio*, expellendo ab ea voragine aquam, vt eam ſe repleat. Cæterum iſta videntur potius poetica, & fabuloſa, quam philoſophica, ac proinde non indigent ſpeciali impugnatione.

111. Vera, & communis ſententia ſeq. concluſ. explicatur. *Terræmotus fit ab exhalationibus in terræ viſceribus in-*

clu-

Digitized by Google

cluſis, & foras exire contendentibus. Sic tenet Ariſt. *hic lib.2. cap.7.* & omnes cum eo. Cauſa ergo terręmotus ſunt exhalationes craſſæ, calidæ, & ſiccæ extractæ à terra virtute Solis, & ſtellarum, quæ in eadem terra ob frigiditatem aeris, aut pluuiæ obturantem poros eiuſdem terræ incluſæ, & in ſe per antipariſtaſim roboratæ, foras exire contendunt, & viam obtuſam inueniunt, ob idque conantur effringere eius terræ latera, hinc terram concutiunt, eamque tremere faciunt. Si enim prædicta exhalatio, terræ viſceribus incluſa, eſſet ſubtilis, facilè exiret, & ventos, aliaſque impreſſiones cauſaret. Quando autem eſt modica per terræ meatus facilè diſpergitur, putealeſque aquas, ſpecus, criptas, &c. in hyeme calefacit.

112. Probat Ariſtoteles quod materia terræmotus ſit exhalatio, tum à tempore quo fiunt, tum à loco quo fiunt. A tempore quidem, quoniam terręmotus maximè contingere ſolent in autumno, & vere, quando eſt magna exhalationum copia; in ęſtate namque à Solis calore facilè reſoluuntur; & in hyeme à frigiditate, & humiditate fieri prohibentur. A loco, quia regiones cauernoſæ, fungoſæ, & concauę frequenter ſubduntur terræmotibus, ex eo quod in illis cauernis magna exhalationū copia recipiatur.

113. Sed quæres 1. quomodo exhalationes quæ ſunt adeo tenues, ſubtiles, & rarę, ſubtilique corpore poſsint tam vaſtam terræ molem agitare, ingentia ſaxa mouere, turres deijcere, palatia proſternere, & ciuitates integras ſepelire? Reſp. cum Ariſt. miram eſſe vim exhalationum, ſicut & ignis, & aeris, cum contra ſuam naturam detinentur. Venti agitati ingentia ſaxa ab vno in alium locum geſtant, arbores, ſyluaſque euellunt, turres, & edificia deijciunt, cum tamen venti, vt vidimus, nil aliud ſint niſi exalationes agitatæ. Nec mirum, nam etiam ſpiritus in animalibus quandoque id pręſtant quod à pluribus præſtari nequiret, vt videre eſt in phrenetico frangente funes quibus detinetur, quæ à ſaxo frangi non poſſent.

114. Quæres 2. quot modis fiant terræmotus? Reſp. ſequentibus 1. cum ſubito generatur tanta exhalationum copia, aut cum iam genitæ tanta additur, vt loci anguſtia eam nequeat detinere, vnde quærens locum maiorem, terram concutit. 2. Cum terra à frigore conſtipatur, & condenſatur, vt exhalationum locus reſtringatur quam par eſt, tunc enim exhalationes quærentes maiorem locum, terram feriunt. 3. Cum exhalatio per antiperiſtaſim condenſatur, calore introrſum collecto, poſtea cum rareſit quærit maiorem locum, & ſic terram cōmouet.

115. Quæres 3. an terræmotus fieri poſſit ſine exhalationibus? Reſp. affirmatiuè. Fieri namque poteſt ab igne ſubterraneo cum detinetur, vt exire nequeat, vt patet in tormentis bellicis, ob quam rationem fortiſsimè ignis in illis incluſus, & accenſus cum quærat maiorē locum expellit globos plumbeos, ferreos &c. magni ponderis. Fieri etiam poteſt à vento, aut aere in terræ cauernis, criptis, ſpecubus, &c. genito, cum ei aditus præcluditur. Contremiſcit etiā aliqando terra non ſolum ex ruina turriū, aliorumque magnorum ædificiorum, verum etiam ſi intra terræ viſcera ingens aliqua molęs deuoluatur, aut præcipiti ruina cadat. Sunt enim intra terræ viſcera cauernæ ingentes in quibus recipiuntur vicinæ moles cadentes.

116. Quærès 4. quot ſint ſpecies terræmotuum? Reſp. quod ſecundum Ariſt. ſunt duæ ſpecies, vnam vocat tremorem cum terra tremit, aliam pulſum, quo terra ſurſum, deorſumque iactatur. Has ſpecies vocat Poſsidonius inclinationem, & concuſsionem; nam tremor eſt quędam concuſsio, & pulſus eſt quædam inclinatio. Magnus Albertus *lib.3. tract.2, cap.18.* definit terræ motum per ſuas ſpecies dicens. *Terræmotus eſt ruina, tremor, titubatio, pulſio, perforatio, ſciſsio, ſubuerſio depreſſio, & eleuatio quædam.* In qua deſcriptione variæ terræmotuum differentiæ recenſentur. Prima dicitur pruina, cum terræmotus demolitur turres, ædificia,

ciuitateſque. Secunda vocatur *Tremor*, quando terræmotus concutit, & tremefacit terram. Tertia appellatur *Turbatio*, cum terram modo ad dexteram, modo ad ſiniſtram agitat. Quarta eſt *Pulſio*, cum ex vehementia montes pellit. Quinta eſt *Perforatio*, cum multa foramina, ſeu ſciſſuras exiguas aperit. Sexta dicitur *Sciſſio*, cum terra hiatus aperit. Septima vocatur *Subuerſio* cum infimæ partes in ſublime euehuntur, & è contra. Vltima eſt *Depreſſio*, *& Eleuatio*; cum terræ ſuperficiem nunc eleuat, nunc demittit

117. Quæres 5. quos diuerſos ſonos edat terræmotus? Reſp. varios pro diuerſitate tum exhalationum ſe percutientium, tum pro diuerſitate locorum, aut cauernarum, &c. Vnde aliquando auditur mugitus, aliquando rugitus, aliquando ſybilus. In quodam loco auditur ſonus veluti plurium campanarum, vt propterea dicant ruſtici quod ibi ſunt plures campanę ſepultæ ob antiquũ terręmotũ Sed hoc eſſe nequit cum campanæ in terra ſepultæ non edant ſonum, maximè cum non ſit à quo percutiantur.

118. Quæres 6. quænam ſint ſigna antecedentia terręmotum? Reſp. eſſe multa. Primum eſt maxima aeris tranquillitas, & intempeſtiua, quando ventus flare deberet; tunc enim ſignum eſt, quod exhalationes continentur incluſæ in terra, ex quibus fit terręmotus. Secundum cum in aere apparent reliquiæ quędam nubium magnarum in longum tenuiter diſtentarum, interdiu, vel poſt Solis occaſum, quia indicant nec minimum flatum ſpirare, ſed omnem ſpiritum eſſe intra terram cohibitum. Inſuper longitudo nubeculę denotat exhalationem extractam eſſe vehementer ſiccam, pungitiuam, & velociter nociuam. Nigredo denotat eſſe craſſam, & terreſtrem, quę ſunt conditiones neceſſarię ad terręmotum. Tertium, cum aquæ puteales fiunt turbidæ, & fœtidæ; item cum aſcendunt ebulliunta mpullaſque formant: item cum mare quieſcentibus ventis intumeſcit; turbatio enim aquarum, & ebullitio, ſicut etiam tumor maris, oriuntur ex inchoato terræmotu, ſigna namque ſunt maximi conatus exhalationum in terra incluſarum quęrentium exitum, ex quo aqua fit turbida, ebullit, & mare intumeſcit. Quartum ſignum eſt, cum in medio æſtiui caloris aer riget frigiditate, tũc enim denotat quod extractæ ſint calidæ exhalationes, & quod includuntur in terrę cauernis.

119. Quæres 7. quænam ſint alia ſigna terręmotuum? Reſp. eſſe tenebroſitas Solis cauſata ex magna exhalationũ copia à terra exeunte, circa Solem eleuata, quæ etiam aliquando ipſum Solem, Lunam, aut ſtellas cruentant, vnde ſanguinolentas faciunt apparere. Aliud ſignum eſt aeris peſtilentia, quę procedit ex exhalationibus, quæ diu in terra incluſę, ac aere priuatæ venenoſam includunt qualitatem; quo etiam modo aer concipit qualitatem venenoſam quando diu manet incluſus in puteis, in criptis, in ſepulchris, &c.

120. Quęres 8. in quibus locis maximè cõtingunt. vel non contingunt terręmotus? Reſp. quod rarò audiuntur terręmotus in locis *Septentrionalibus*, & *orientalibus*, quia ibi frigiditas impedit extractionem exhalationum, & extractas facilè diſſipat, cum frigiditas extinguit caliditatem; idem etiam contingit in Aequatore ratione ęqualitatis aeris loca ſangoſa, caua, montuoſa, & inſultata frequenter concutiuntur, quia apta ſunt cauſare exhalationes, vt in Italia, Phrigia, &c. quę ſangoſa, & cauernoſa ſunt. *Si tamen cauernæ ſint apertæ, ſecurum reddunt locum*, quia exhalatio liberum habet exitum. Secura ſunt etiam *loca* arenoſa, & ex limo concreta, *quia ibi* liberum habent aditum *exhalationes*.

121. Quæres 9. quinam ſint potiſsimi effectus terręmotus? Reſp. quod potiſsimus effectus eſt timorem incutere hominibus per mugitũ, clamorem, murmurem, vlulatum, frangorem, fremitũque productum. Tum etiam per parietũ crepitum, nutationem, propter terræ hiatos, &c. quę proximæ mortis ſunt pręnuncia.

nuncia. Item terram de loco in locum commouent, commutantque montes arietare faciũt, ędificia cõſternunt. Prouincias integras quandoque terræmotus abſorbit, nullo quandoque apparente ſigno. Montes etiam nonnunquam æquat ſolo, humat, ſuiſque profundis faucibus abſorbet: terrã etiam in montes ſubleuat, hyatos prægrãdes aperit; terram in partes diuidit. Vnde dicitur quod terræmotus diuiſit montem Oſſa à monte Olympo; & apud Aſsiſium diuiſit montem in duas æquales partes. Maritima quoque alluuione diuiſit Africã ab Hiſpania; diuiſit Siciliam ab Apulia. Plures etiam inſulas in mare erexit; alias extinxit. Nouas aquarum ſcaturigines, nouos lacus, nouaque flumina, nouique fontes. Aliquando terræmotus eructat ignem exhalationibus accẽſis, & alia multa producit de quibus videri poſſunt expoſitores hoc loco.

DVBIVM XII.

De impreſsionibus aqueis, & humidis, & primo de nube, pluuia, & nebula.

122. HVcuſque egimus de impreſſionibus igneis per exhalationes cauſatis modo agendum de impreſsionibus aqueis, ſeu humidis ex vaporibus formatis. Et quantum ad Nubem certum eſt ſecundum Philoſophum quod non eſt niſi vapor humidus, & craſſus, euectus vſque ad mediam aeris regionem virtute Solis, & aſtrorum à loci frigiditate condenſatus, poſtea in pluuiam redactus. Eleuatur itaque vapor ad mediam aeris regionem vt nubes euadat, quia ſi ad ſupremam aut infimam regionem tantum eleuaretur ab exceſsiuo calore conuerteretur in aerẽ, vel in pruinam, ſi eſſet ſubtilis, & infima regio frigida vt tempore hyemis; aut in rorem ſi temperata. At per frigiditatem mediæ regionis vapor craſſus adenſatur, mutatur in nubem, & nubes eſt materia pluuiæ; pluuia namque nil eſt aliud niſi nubes in aquam reſoluta.

123. Pro quo nota quod pluuia eſt duplicis differentiæ, vna dicitur imber, & alia nimbus. Imber fit cum nubes aquoſa non admodum denſa à vehementi frigiditate ſecundæ regionis denſata, crebras, ac minutas guttas iugi tenore diffluit. At nimbus fit cum nubes magis denſa, & fortius à frigiditate preſſa guttas maiores, & eum maiori impetu fundit. Nubis autẽ compreſsio fit hoc modo. Secunda aeris regio licet ſit valdè frigida habet tamen circunſtantem caliditatem, qua frigiditas tunditur, & repellitur; hęc inuadens nubes præmit illas, & in guttas conuertit, quæ præ grauedine coguntur deſcendere. Quãto autem fortior fuerit compreſsio, quæ tunc fit quantoque maior eſt extrinſeca caliditas, tantò velocius aqua deſcendit; vnde in æſtate guttæ profluunt grandiores. Quod autem caliditas extrinſeca ſit neceſſaria, patet, quia in hyeme non generatur pluuia niſi flante vento Auſtrali calido.

124. Sed quæres 1. quænam aſtra influant pluuiam? Reſp. quod influit Saturnus cum Ioue iunctus in ſignis Cancri, & Scorpionis, vel etiam piſcium hyemali tempore. Fit etiam ſæpe temporis mutatio diebus interlunij, & plenilunij, tum de bono in malum, tum de malo in bonum. Obſeruatur etiam, quarta, & quinta Lunę, iuxta illud. *Quarta, & quinta qualis, tota luna talis.*

125. Quæres 2. quomodo pluuia differat ab alijs impreſſionibus humidis? Reſp. differre quod pluuia fit toto anni tempore, non aliæ impreſſiones, vt ros, pruina, &c. Ratio eſt, quia humor humidus facilè eleuatur; & hinc eſt, quod pluuiæ aliquando diu durant, quia pręcedens pluuia eſt materia ſubſequentis. Sol enim ſemper agit, & extrahit vapores; vnde inueniens terram madefactam, vaporem humidum eleuat, & in nubes condenſat, qui à maiori frigiditate cõpreſſus in aquã reſoluitur. Quod ſi nubes fuerit aliqualiter calida, ob idque rara, tunc frigiditas à circunſtante calore ingroſſatur, & graſſiores guttas producit. Quod ſi nubes fuerit frigidior, & dẽſior minores guttæ producuntur ex illa; quæ in inferiori parte

ducuntur, ideo ſunt rotundæ, quia omnes illius partes conantur prius attingere centrum, & locum naturalem.

126. Quæres 3. quomodo, & ob quã cauſam aliquando deſcendunt cum pluuia ranæ, piſces, lac, ſanguis, lapides, ferrum, &c. Reſp. quod quando vapores ſimul cum exhalationibus miſcentur in aere, vt fiat talis temperies, quę ſit apta producere dicta viuentia, tunc cum pluuia producuntur. Sanguis autem, & lac non ſunt niſi apparentia, & tunc fiunt cum Sol, & aſtra attrahunt vapores eo colore tinctos. Lapides, & ferrum poſſunt in aere generari, cum vapores, & exhalationes habent earum rerum temperiem. Aliquãdo tamen poſſunt iſtæ pluuiæ portentuoſæ procedere ex aliqua diuina ordinatione, vt ad terrendos homines, vt à peccatis abſtineant.

127. Quæres 4. ex quibus ſignis dignoſci poſſint futurę pluuię? Reſp. quod Solis rubedo ventos indicat. Si Sol purus occidat, & ſi purus oriatur, ſignum eſt ſerenitatis. Erit autem ſignum pluuiæ ſi Sol maior appareat in ortu quam ſoleat, quia tunc eſt ſignum quod eſt magna vaporum copia. Si nubes ante ortum Solis rubeſcant, ſi palleſcant, aut cum rubore nigreſcant, pluuia ſignificatur. Si nubes pellatur ab ortu Solis ad occidentem ſerenitas denotatur. Si permaneant, vel aduentur imber ſignificatur. Si illum circundant, quantò minus luminis relinquũt tanto maior tempeſtas denotatur. Si Sol corona cingatur, ex illa parte ex qua dilabitur, venti erunt; ſi tota permaneat pluuiam notat; ſi tota conſumatur ſerenitatem indicat.

128. Ex luna etiam ſumuntur pronoſtica pluuiæ. Nam Luna ſi in ortu appareat pura, denotat ſerenitatem, ſi rubra ventos; ſi palida, vel nigra pluuiam. Vnde verſus.

Pallida Luna pluit, rubra flat, alba ſerenat.

In quarta, vel quinta die ſi habeat cornua obtuſa pluuiam, ſi erecta, & infeſta ventos prenunciat. Si habet cornu Septentrionale acuminatum, atque rigidum ventum Auſtrum: ſi vtrumque rectum, noctem ventoſam præſagit. Si quarto die luna erit directa magnam in mari tempeſtatem denunciat, niſi coronam circa ſe habuerit, & illam ſerenam, tunc enim ſerenitatem oſtendit. Si in plenilunio habebit medietatem puram ſerenitatem denunciat, ſi rubram ventos, ſi nigram pluuiam. Si Luna in ortu habeat ſupremum cornu nigrum ſignificat pluuiam in decremento; ſi inferius, pluuiam ante plenilunium; ſi mediũ dabit pluuiam in plenilunio. Si habeat cornua craſsiora horridam tempeſtatem. Potiſsimi dies in quibus Luna præſagit ſunt 3. 7. 11. 15. 19. 23. 27. & interlunium, quia in his in angulo Solis incedit.

129. Ex ſtellis pluuiæ præſagia ſumi poſſunt; nam cum ſtellæ abſque nube, aut caligine obſcurantur, pluuiam, aut tempeſtatem denunciant. Si in ſigno Cancri duę ſtellæ paruæ quas *aſellos* vocant ſudo cælo apparere deſierint atrox hyems ſequetur. Si altera illarum ſcilicet Septentrionalis obſcuretur, ventus Auſter flabit; ſi Auſtralis, Aquilo. Si corona circa aliquam ſtellam fuerit, dum per pluuiam ex aliqua parte aperitur pluuiam; ſi deſuper ventum; ſi æqualiter euaneſcat ſerenitatem denunciat. *Si videantur plures* ſtellę *quaſi volantes* ventum denunciant.

130. Calor craſſus perſeuerans pluuiam ſignificat, quia virtus eleuatiua vaporum vigoratur; è contra ſi eſt tenuis. item pluuiam ſignificat humiditas lapidũ, & parietum. Item ſtridor olei in lucerna, quorum cauſa eſt, quia tunc eleuantur multi vapores qui adhęrent lapidibus, parietibus, & oleo, aut aeri, qui cauſant eam humiditatem in illis, & in oleo ſtridorem.

131. Pluuiam etiam pręſagiunt cantus ranarum frequentatus; cantus galli inſolitus; pulicum morſus infeſtus, muſcarũ pertinacia, &c. Ratio eſt, quia per eleuationem vaporum prędictorum animalium viſcera exſiccantur, vnde illa conquęruntur, iſta alimentum quęrunt, & humiditatem. Item boues cęlum olfactantes, ſeque lambentes contra pilos. Aſini aures concutientes: Mergi, Anateſque roſtro pennas purgantes imbrem denotant, quia vaporum

rum

rum eleuatio cauſat in illis pruritum. item inſolita edacitas ouium, & porcorum ſignat pluuiam.

132. Dantur etiam aliqua ſerenitatis ſigna, vt cum Grues ſilentio peruolant in ſublime: Alcyones in littore nidificantes; Noctuæ garrulæ: Delphini turbato mare ſpargentes aquam: è contra tranquillo mare laſciuientes prænunciant tempeſtatem. Apparente Iride ſi ventus flet contra Iridem, ſignum eſt pluuiæ, quia nubes elongantur à caliditate Solis, vt ſic facilius diſſoluantur. Quod ſi ventus flauerit ex parte Iridis ſignum eſt ſerenitatis. Dant etiam ſignum pluuiæ incriſpatio manuum, eleuatio puluerís, & commotio inſolita maris. Famoſum tamen pluuiæ ſignum eſt quando ad ortum Solis apparet ſupra illum nubes nigra longa vt turris, & breui diſsipatur, quod ſi diu permanſerit ſignum eſt ſerenitatis.

133. Quantum ad nebulam, ſeu caliginem hæc accipe. Nebula eſt duplex, vna eſt quæ fit quando virtute Solis eleuantur ex partibus humidis vapores craſſi, qui ob grauitatem non poſſunt ad mediam aeris plagam aſcendere, quæ ſi ad Solis aduentum euaneſcat ſerenat, ſi verò eleuetur pluit. Alia nebula eſt quæ eſt reſiduum nubium in aquam reſolutarum, & ſunt quaſi nubium excrementa, ſicut partes inutiles alimenti. Pro quo nota, quod in vapore aquoſo, & humido ſunt aliquæ partes craſſæ, aliquæ ſubtiles, craſſæ facilè conuertuntur in aquam, non ſic ſubtiles, ſed poſt pluuiæ effluxum à frigiditate noctis condenſatæ aliquantulum, vertuntur in caliginem, quæ cum ſit vapor tenuis à radijs ſolaribus reſoluitur in aerem; quod ſi habeat aliquas partes craſſiores eleuantur, & fiunt guttæ.

DVBIVM XIII.

De Niue, & Grandine.

134. Materia niuis eadem eſt ac materia nubium, nam tam pluuia, quam nix ex nube generantur. Fit autem pluuia ex nube frigida, & denſa. At nix fit ex nube magis rara, & aliquantulum calida, ex calore namque procedit raritas. Differunt etiam nubes niuoſa, & aquoſa, quia aquoſa eſt atra, & obſcura, & in ſe vnita. At niuoſa cum habeat multum de aere, eſt alba, & clarior, & per aerem ſparſa. Hæc enim eſt cauſa albedinis ſpumæ, & aquæ oleo perfuſæ.

135. Sed quæres 1. quomodo nubes niuoſa reſoluatur in niuem? Reſp. quod tunc cum frigiditas per aerem diſperſa inuadit nubem raram, quam diſcriminando, & in particulas ſeccando antequam conuertatur in aquam condenſat in niuem. Vnde vt fiat nix neceſſe eſt, quod nubes ſit diſperſa per aerem; item frigiditas debet eſſe diſperſa, quia ſi tam nubes quam frigiditas eſſent vnita non nix ſed pluuia gigneretur. Vnde quia in hyeme, & in eacumine montium reperitur diſperſa frigiditas ideo & in hyeme, & in cacumine montium niues generantur. Signa caſuræ niuis ſunt nubes albicantes.

136. Quæres 2. cur maior frigiditas requiritur ad generationem pluuiæ quam ad generationem niuis? Reſp. quod ad generationem pluuiæ requiritur quod nubes ſit magis denſa, at ad generationem niuis requiritur quod nubes ſit rara, & diſperſa: denſitas cauſatur à frigore, & rariras à calore. Tum quia in niue ſunt aliquę exhalationes, propterea dum ningit frigus remittitur.

137. Quæres 3. quænam ſint niuis proprietates? Reſp. quod ſunt albedo, recitas, & mollities. In albedine conuenit nix cum pruina, & grandine. Differunt quod pruina eſt rigida, & magis ſicca

ſicca quam nix. Grando eſt dura, ſiccior etiam quam pruina. Nix eſt alba, quia fit ex nube rara, multumque participante de aere, & ptopterea eſt etiam nubes niuoſa diaphana. Diaphanum autem interminatum cum ſit luminis receptaculum, ſicut terminatum eſt receptaculū coloris; color namque eſt actus diaphani terminati, ideo poſtquam nix ex nube genita eſt, recipit albedinem quæ eſt primus ipſius color, & magis de luce participat. Habet etiam nix, vt dicebamus aliquem calorem; vnde antequam ningat experimur in aere aliquem calorem vltra ſolitum. Cuius ratio eſt, quia cum nix fiat ex nube calida, ex frigiditate aeris diſcriminata, & in niuem condenſata, dū aeris frigiditas inuadit nubem calidam, expellit caliditatem, quæ ſucceſſiuè, & paulatim recepta in aere, lenit frigoris rigorem, aeremque tepefacit.

138. Quæres 4. quænam ſint niuis vtilitates? Reſp. multas, primò quidem affert vtilitatem aruis nō ſolum quia calor quo generantur, & nutriuntur germina intus cohibetur ad maius radicum incrementum, tum quia nix liqueſcēs præbet magis aptum alimentū vt per radices attrahatur. Vel dicas niuem prodeſſe vegetabilibus, quia cum ſit mollis, humida, & frigida, exhalationem calidam repercuſſam intus terram comprimit, nec exire permittit, quæ frugum radices fouet, & per humiditatem paulatim emanatam nutrit. Quare nix dicitur mater vegetum in principio, ſi tamen diu durat, eſt nouerca, quia illa exſiccat. Nix condenſatur in glaciem, & glacies reſtringitur in chryſtallum, præcipuè in montibus Aquilonaribus, vbi niues perpetuo perdurant.

139. Grando eſt pluia, vel aqua cōgelata. Differunt materia proxima, differunt efficiente proximo; differunt loco, tempore, & cauſalitate. Differt grando materia proxima à niue, quia materia proxima niuis eſt vapor, at materia proxima grandinis eſt pluuia, vt videre eſt in guttarum forma quam retinet. Differunt efficiente proximo, quia cauſa proxima niuis eſt frigus ambiens. At grandinis eſt frigus excellens, per antiperiſtaſim intenſum à calore ambiente. Differunt loco, quia niues ſemper generantur in media aeris regione, at grando vt in plurimum generatur in hac prima, vt docet Ariſtoteles hoc loco. Quare nubes rara conuerſa in aquam tranſiens per aerem frigidiſſimum congelatur in grandinem. Hinc eſt quod aqua calefacta in hyeme facile conglariatur quam aqua frigida, quia eſt magis rara, & ampliorem prebet aditum frigiditati. Hinc etiam eſt, quod grando aliquando deſcendit interceptis paleis, quas veriſimile non eſt perueniſſe vſque ad ſecundam aeris regionem.

140. Differt etiam grando à niue tempore, nam nix non fit niſi hyeme, & ſummo frigore, at grando non habet certum anni tempus, ſed vt plurimum incertum; in autumno in vere, frequentius, iuxta tamen regionum conditionem. Ratio eſt quia ad generationem grandinis requiritur calor aeris ambientis non nimium feruens ne humor omnino diſſoluatur vt contingit in æſtate dum maximus calor vrget: nec calor adeo exiguus eſſe debet vt non *ſit aptus ad antiperiſtaſim vt contingit* in hyeme. Ex quo colligitur, quod grando frequentius fiat inter diu, quam de nocte, quia calor nocturnus non eſt talis qualis opus eſt ad antiperiſtaſim. Hinc etiā colligitur quod facilius diſſoluatur grando quā nix, quia hæc fit tempore ambientis calidi.

141. Demum grando differt à niue cauſalitate, & effectu; nam nix magnam affert vtilitatem fructibus, frugibus, & & aruis. At grando magnum affert nocumētum, præſertim fructibus, tum propter duritiem qua ſua percuſſione læſionē facit: Tum etiam quia grando magnam habet frigiditatem, quæ diffuſa calidum extingit nutrimentale, vt accidit in homine qui comedit cibos admodum frigidos, qui extinguentes partem caloris nutrimentalis, magnam faciunt ſthomaco læſionem. Grando cum habet globulos rotundos, & non magnos, denotat quod fuit congenitus in media aeris regione,

ſunt

ſunt enim rotundi, & parui, quia per deſcėſum à caliditate aeris, & à motu liquantur in circuitu. At cum haber globulos pergrandes, & aſperos ſignum eſt fuiſſe genitum in infima regione, qui globuli non potuerunt pariter liquari. Grando in medio habet partes terreſtres, & magis denſas, aut minus, ratione cuius videtur aliquando repreſentare aliquas figuras, etiam humanam.

DVBIVM XIV.

De glacie, rore pruina, Melle, Manna, & Zaccaro.

142. Glacies eſt aqua congelata, quæ congelatio ſic fit. Aqua ante congelationem habet aliquam caliditatem, quæ illius partes rarefacit, habet quoque admixtam terream cõcretionem, cum non ſit purum elementum, hanc peruadens frigus penetrat, & conſtringit. Vnde niſi aqua haberet aliquam terreſtritatem non congelaretur; ſi namque frigus ſufficeret, cum aqua in ſuo naturali ſtatu ſit frigida, ex ſe congelaretur.

143. Ros eſt vapor ſubtilis, & purus, qui veris præſertim, & autumni tempore propter temperatum Solis calorem non multum à terra eleuatur, & à noctis frigore in aquam reſoluitur. Eſt ros vapor ſubtilis, & paruus, quia facilè, & celeriter ad primam Solis irradiationem, ſeu aſpectum reſoluitur. Non multum ille vapor è terra eleuatur, quia cum ſit tenuis facile amittit calorem, ac deorſum cadit, quo fit vt ros, & pruina in altis montibus non fiat.

144. Pruina eſt vapor humidus circa terram congelatus, non enim multum aſcendit propter impediens frigus noctis. Prodeſt, & obeſt frugibus, & aruis diuerſis temporibus. Prodeſt hyemali tempore quatenus calorem intus claudit ex quo ſata magis in terra radicantur, &c. Obeſt alienis temporibus, adeo vt aliquando ſpem omnem fructuum vnius noctis ſpatio præcipiat, quia ſuo frigore quaſi exprimit, & elicit totum humorem; hoc enim eſt frigoris proprium exprimere humorem à corporibus humidis, quo exhauſto opus eſt quod flores exſiccentur, ſicut & germina, & fructus præſertim vna & ſi frigus eſt vehemens etiam ramos exſiccat; & aliquando etiam in ipſas radicum fimbrias adeo inuehitur, vt etiam vitam adimat. Differt pruina à rore 1. Quia cauſa efficiēs pruinæ eſt frigus acutum, roris verò temperatum. 2. Quia ros fit tempore calido, at pruina fit temporibus frigidis. Ros ſoluit ventrem, vt cum comedimus vuas rore coopertas. Ratio eſt, quia cum ſit admodum ſubtilis penetrat inteſtina, & per calorem quē continet virtutem expulſiuam excrementorum auget. Ros eſt præſagium ſerenitatis, quia tunc temporis ros deſcendit cum ſudo cœlo aer ſerenus quieſcit, tempore namque nubiloſo vapores ſubtiles non eleuantur, ſed craſſi; tempore autem uentoſo vel non eleuantur vapores ſubtiles, vel ſi eleuantur facile diſſoluuntur.

145. Mel generatur cum vapor humidus, & ſubtilis, aereuſque eleuatur, & ex temperata aeris caliditate digeritur, per quam digeſtionem admiſcetur ſubtile aliquod terreſtre, & ſiccum, & cum tali permiſtione prope ad mediam aeris regionem euehitur, poſtea à moderata frigiditate æſtiuæ noctis impinguatur; & à grauitate depreſſus ſuper flores, & herbes deſcendit, quē poſtea colligunt apes, & in aluearijs ponunt. Pars craſſior eſt cereo, ſubtilior, ſuccus. In Sardinia mel eſt amarum quia ex abſynthio accipitur. In melle infima pars deſideratur, in oleo ſuprema; in vino media. Ratio horum eſt, quia optimum mel eſt illud quod nō eſt fluidum, ſed eſt concretum, & hoc per grauitatem deſcendit. Oleum illud eſt perfectius quod eſt purius, & aereum, & propter leuitatem aſcendit. Vinum illud eſt perfectius quod eſt calidius, quod in medio reperitur, extrinſeca nociua fugiens, in medio roboratur.

146. Manna conſimile babet cum melle temperamentum. Sol namque agens in vaporem roridum humidum ſubtile, & aereum, illi miſcet terreſtre, & ſiccum,

ſiccum, quod exſiccans humiditatem, ex parte, reliquam conſtringens ad modum coriandri reducit, quę maſſa dicitur māna. Hæc ob nimiam ſiccitatem exſiccat folia, & depaſta ventrem ſoluit. Sapit quandoque virtutem herbæ ſupra quam cadit. Eiuſdem eſſentiæ fuit Manna quod Deus pluit hebræis in deſerto, licet accidentaliter diuerſum; tum quia Angelorum miniſterio preparabatur applicando actiua paſſiuis. Tum etiam quia omnem dulcedinem, & ſaporem videbatur habere.

147. Zaccarum naſcitur iu quibuſdam orientis plagis in Sicilia, & alibi, & generatur in quibuſdam arrudinibus, quæ indicæ appellantur, eo quod fortè ex illis partibus aliò translatæ ſunt. Ex iſtis arundinibus exprimitur Zaccarum, eſt ad modum ſalis cādidum quando eſt purgatum. Rubrum eſt ſolutiuum. Album eſt optimum ciborum condimentum.

DVBIVM XV.

De Iride ſeu arcu cæleſti.

148. PRo intelligentia huius mirabilis impreſſionis, notandum 1. triplicem eſſe radiū, ſcilicet rectum, reflexum & refractū. Radius rectus eſt ille qui per lineam rectā per medium extenditur, quod fit cum medium in raritate, aut denſitate eſt vniforme. Radius reflexus eſt ille cui occurrit medium, ratione cuius non poteſt vlterius procedere, & ſic cogitur retrocedere. Radius refractus eſt qui nec habet inceſſum rectum, nec reflexum, ſed habet medium non æquè denſum, aut rarum, per illudque refrangitur, vt accidit cū medietas baculi eſt in aqua, qui in medio fractus apparet.

146. Notandum 2. triplicem eſſe viſionem, ſcilicet rectam reflexam, & refractam. Viſio recta eſt cum aliquid directè videmus. Reflexa qua nos videmus in ſpeculo. Et refracta qua videmus per ſpeciem refractam, vt cum quis ponit in catino pleno aqua denarium, & diſtans ab illo quantum poſſit ſuperficiē aquæ cernere, in illa videt denariū quod maior apparet ex refractione ſpecierum facta per aquam, & quod ab illo loco ſine aqua videre non poſſet.

150. Notandum 3. quod colores Iridis multi ſunt. Primus eſt niger qui fit vel per aduſtionem ſicci terreſtris, vel per priuationem luminis, vel per nimiam opacitatem, ſecundus eſt albus, & cauſatur à vapore humido ſubtili in medio aeris calidi ſituatus, qui calor cum diſgreget, & rarefaciat nubem, radij Solis eam penetrant, & albam apparere faciūt. Cui ſi admiſceatur plus de fumoſo ſubtili quam de humido apparet color croceus clarus. Tertius eſt rubeus ad inſtar claræ puapuræ, & cauſatur à vapore humido fumoſo admixto cum terreſtri aduſto per quem nubes addenſata recipiens radios ſolares apparet rubra clara. Eſt etiam rubeus obſcurus quādo vapor habet multum de terreſtri aduſto incipiens inflammari, quo magis enim nubes de illo participat eo magis nigreſcit. Quartus eſt color viridis & fit ex craſſiori materia nubis roridæ cum ſtillare incipit, cum à radijs repercutitur, habetque temperamentum ad colorem viridem, ſcilicet humorem aqueum indigeſtum. Ex quo obiter collige quare color viridis conferat viſioni, quia eſt temperamenti aquei ſicuti eſt potentia viſiua, ſiue organum ipſius. Iſti colores non ſunt veri, ſed ficti, cum veri cauſentur in corpore opaco ex diuerſa temperie primarum qualitatum.

151. Notandum 4. pro maiori intelligentia dicendorum, quod ſpeculum eſt corpus terminatiuum ex ſui natura politum, & terſum: eſt terminatiuum quia non debet eſſe diaphanum, ſed opacum vt metalla, lapideſque pretioſi, vel diaphanum ab oppaco terminatum, vt vitrum cui ſupponitur plumbum, vel Mercurius. Fit ſpeculum per condenſationem diaphani, vel per altam profunditatem non bene illuminatū; denſitas enim, & profunditas non bene illuminata pro opaco deſeruiunt, vt ſpecies reflectant a

Va-

Variæ ſunt ſpeculorum ſpecies, alia ſunt plana, Alia concaua, & iſta repreſentant obiectum in maiori magnitudine, alia conuexa, &c.

152. His poſitis. Variæ fuerunt antiquorum Philoſophorum ſententię de Iride. Aliqui namque dixerunt, quod ſingulæ guttæ aquæ cadentis ſint quædam ſpecula, quæ Solis imaginem repręſentat, & omnes illæ imagines, quaſi confunduntur, & in arcum tranſeunt. Sicut enim via lactea ſunt plures ſtellæ, in gyrum poſitæ, ſic arcus cæleſtis ſunt plures Solis imagines, à pluribus aquæ guttis repreſentatæ, & in gyrum poſitæ. Alij alia dixerunt à veritate aliena. Melius dixerunt illi, qui putarunt Iridem eſſe Thaumantis, ideſt admirationis filiam. Vocarunt aliqui Iridem Iunonis arcum. Aliqui & benè diuinæ intelligentiæ, aut ſapientiæ ſignũ. Hinc Eccleſ. 3. dicitur. *Vide arcum, & benedic eum qui fecit illum: valde ſpecioſus eſt in decere ſuo, &c.*

153. Communis ſententia eſt, quod cauſa efficiens Iridis ſint radij ſolares, & cauſa materialis ſit nubes rorida. Et fit hoc modo. Antequam nubes in pluuiam reſoluatur, ſequentia præcedere ſolent, quando pluuia poſt Iridem ſequitur. Primò quod nubes ſit nigra, denſa, & concaua. Secundò quod illa nubes incipiat rorare. Tertiò, requiritur quod roratio ſit craſsior. Quartò, quod iſti rorationi ſit permixtus aer, qui prædictæ rorationi antepoſitus induit quaſi rationem ſpeculi, aut diaphani recipientis in ſe, & tranſmittentis ad nos varios nubis colores pro ratione raritatis, denſitatis, &c. vt dictum eſt *n.* 150. Igitur Iris trahit ex Sole colores, vt cecinit Virgilius 3. Aenead. *Mille trahit varios aduerſo Sole colores*. Apparent namque colores in nube ex lumine à Sole in eam tranſmiſſo, & ad noſtrum aſpectum repulſo, variè modificato, quod duplici experientia oſtendi poteſt. Prima cum quis diffundit aquam in aerem Soli obuerſum tunc enim in eo aere varij apparent colores quales in arcu refulgent. Secunda in collo Columbæ cum illud vertit ex aduerſo radiorum Solis. Facit etiam ad hoc quod cernimus in aere lucernæ lumen ambiente cum præhumidus eſt, denſus, infectuſque nigrore fuliginis à flamma defluentis, &c.

154. Sed quæres 1. an poſſint eodem tempore ſimul effici plures Irides? Reſp. affirmatiuè, primò ſi vtraque fiat directè à Sole, vt cum Sol medium cæli tenet, & nubes aptæ ad receptionem Iridis ita ſunt diſpoſitæ vt vna ſit in oriente, & alia in occidente. Secundò ſi vna fiat directè à Sole, & ſecũda ex reflexione primæ, hæc tamen debilior erit, & colores habebit quaſi euaneſcentes. Notant aliqui quod ſecunda Iris habet colores oppoſito modo à prima. Nam prima habet colorem nigrũ in profundo, poſtea ſequuntur alij, at ſecunda habet nigrum in vltimo circulo, quia tunc reflexio fit oppoſito modo, ſicut cum quis ſe reſpicit in aqua, habet enim caput in profundo, & pedes in ſuperficie.

155. Quæres 2. an ante diluuium fuerit arcus cæleſtis? Negant aliqui, quia Deus videtur ponere arcum cęleſtem in ſignũ quod non amplius immitteret aquarum diluuium. Communis tamen ſententia eſt, quod etiam tunc fuerit arcus cæleſtis, licet non fuerit tunc poſitus in ſignũ quod non amplius diluuium eſſet. Cum enim Arcus cæleſtis ſit quoddam meteorum cauſam habens naturalem, vt nubes tali modo poſita, & Sol ſic ſuos radios vibrans, non debet tunc negari. Notant aliqui, quod arcus cæleſtis duplex diluuiũ ſignat, ſcilicet aqueum in colore cæruleo, & hoc non amplius erit ex diuina promiſſione. Aliud igneum in colore rubeo, & hoc erit in nouiſſimis diebus.

156. Quæres 3. an etiam Luna cauſet Iridem vt Sol? Reſp. affirmatiuè, Iris tamen Lunæ alba eſt, lineis ſub nigris diſtincta. Ratio eſt, quia lumen apparens in noctis obſcuritate videtur album, quoniam per frigiditatem noctis nubes in qua arcus lineatur fit denſior, at radij Lunæ cum ſint imbecilles non poſſunt nubem illam tranſfundere, ſed in illius ſuperficie recepti debiliter reflectuntur; vnde ex obſcuritate noctis, ex denſitate nubis, & ex debilitate radiorum, color albus in arcu conſpicitur,

qui cauſari non poteſt niſi in decima, quarte nocte poſt plenilunium.

157. Quæres 4. quare Iris ſolum ſemicircularis apparet, & nunquam cum integro circulo? Aliqui reſpondent hoc ideo eſſe quia moles in qua cauſantur eſt rotunda, Sol autem non poteſt totam illuminare, ac proinde ſolum dimidia illuminari videtur. Conimbric. relinquunt huius rei rationem perſpectiuis. Dicunt ergo Perſpectiui quod oculus videntis centrum eſt Solis, & Iridis; vnde non poteſt Iris videri niſi Sol ſit à tergo, & Iris ante centrum in eadem linea, vt ſi Sol eſt in Oriente,Iris ſit in Occidente, & è contra, & ſic cum iris ſit in oppoſito Solis, ſequitur quod non tota nubes illuminabitur, ſed tantum medietas. Vt autem Iris videatur ad modum arcus,ſeu ſemicirculi, non eſt neceſſe quod nubes ſit rotunda, nam videmus quod radij ſolares tranſeuntes per foramina quadra, oblunga, &c. paulatim producunt lucem rotundam; cum enim radij ſint rotundi, paulatim reuocantur ad ſuam rotunditatem.

158. Quæres 5. quænam ſint præſagia Iridis? Reſp. quod Iris Lunæ magnam præſignat tempeſtatem, magnam auræ inſtabilitatem. At Iris Solis, deuunciat aquam, quia cum fiat ex nube rotunda, quæ iam parata eſt in aquam reſolui, aquam affert. Quod magis verum eſt quãdo ventus flat contra Iridem, quia tuuc nubes à Sole elongatur; quod ſi ventus flaret aduerſus Solem, denotat ſerenitatem,quoniã nubes ad Solem accedens facilè reſoluitur. Pro quo nota, quod tribus modis calor Solis poteſt ſe habere ad vapores qui ſunt materia nubis. Vel illos conſumendo, & reſoluendo v. g. in aerem, & hoc modo ex illis nec fit nubes, nec pluuia cauſatur. Vel eos trahit ad ſecundam aeris regionem, & tunc fit nubes, & ex illa pluuia. Vel denique nec reſoluit, nec in nubem conglobari ſinit, Iris fit ex nube & vaporibus ſecundo modo conſideratis, qui niſi conſumentur ob nimium acceſſum ad Solem, in imbrem reſoluentur.

DVBIVM XVI

De Fontibus, & Fluminibus.

159. PRo intelligentia dicendorum, notandum 1. quod ſicut aer partitur in tres regiones, ſcilicet ſupremam, mediam, & infimam, ita etiam terra rectè in tres regiones partiri poterit. Prima, & ſuprema eſt iſta quam nos pedibus calcamus, ſuper quam eſt mare, ſunt fontes, & flumina diſcurrentia. Secunda eſt illa vſque ad quam virtus Solis, & Aſtrorum pertingit, gignendo metalla, geminas,&c. Et tertia eſt illa ad quam virtus Solis,& Aſtrorum non pertingit,& in qua nulla fit generatio ex priuatione virtutis ſolaris, & aſtrorum, & ad centrum, ſeu verſus centrum vergit, illudque circumſtat.

160. Notandum 2. quod cum natura vacuum abhorreat, & in terræ viſceribus multæ, grandeſque cauitates pateant oportet quod tam aer, quam aqua illuc commeant, ille deſcendendo, iſta aſcendendo virtute aſtrorum. Illæ ergo cauitates aqua, acre, vaporibuſque plenæ poſſunt eſſe principia fontium, fluminumuè. De aqua nulli poteſt eſſe dubium, vt ex dicendis conſtabit; de aere etiam conſtat, aer namque admixus vaporibus à loci frigiditate adenſatur, & per humiditatem graueſcens in aquam conuertitur. Vt videmus in ſublimatori,ſeu alambito, qui halitum per frigiditatem extrinſecam condenſans, aquam foris diſtillat. Sic in terræ ſpecubus, ac cauernis, vbi per rimolas aer, & vapores perreniter ſuccedunt, in aqua perenniter conuertuntur. Vnde ſignum latentis aquę ſunt iuncus aquatilis, canna leuis, rubus validus, ſalix lenta, populus virens, & arbores quæ ſui natura fœlici proceritate luxuriant, ex Caſſiodoro *lib. 3. var.* Signum etiam latentis aquæ eſt, cum deſcendente Sole ponitur lana ſicca in olla rudi clauſa, quæ in terra pernoctare ſinitur, vbi aqua ſuſpicatur, quod ſi mane inuenies lanam humidam, prope erit aqua

aqua. Aliud etiam ſignum aquæ eſt, quod ibi reperiatur, vbi mane ſole aduētante columna tenuiſſimi fumi cernitur, tunc enim tanta terra fodienda eſt, quanta fuerit altitudo columnæ.

161. His poſitis. Prima ſententia eſt, quod fontes, & flumina fiant ex aqua pluuiali quæ deſcendens ad cauernas terræ eas replet, quæ poſtea paulatim exiens cauſat fontes, & flumina. Sed hæc ſententia falſa eſt, nam conſtat quod non ſolum hyeme quando eſt multa pluuia, ſed etiam æſtate quando non pluit fontes perennant. Tum quia fontes non eodem modo aquam emitterent, ſed valde diuerſo, quando cauernæ ſunt plenæ, & quando non. Tum etiam quia in æſtate, & vbi parum pluit, cauernæ deberent eſſe vacuæ, & ſiccæ. Denique quia redit communis difficultas quomodo aqua ex cauernis aſcendere poſſit ad locum fontium, maximè cum fontes generantur in cacumine montium, &c.

162. Cælebris eſt ſententia Ariſtoteles *hic lib. 1. cap. 13.* quod fontes, & flumina generantur ex aere, & vaporibus in aquam conuerſis, qui guttatim in aliqua terræ parte collecti, poſtea foras prodeūt; quod etiam fieri poteſt in cacuminibus montium. Aſcendentes namque vapores vſque ad cacumina, ibi à frigiditate circumſtante infrigidantur, in aquam vertuntur, & diſtillant, vt in ſublimatorio, ſeu alambico. Montes namque ſunt magna quædam ſublimatoria. Ariſtotelem ſequuntur Alexander, Olympiodorus, Auer. Aegid. Venetus, Pariſienſes, aliique permulti.

163. Cœterum ferè communis Sanctorum Patrum ſententia eſt, quod fontes, & flumina à mari generentur. Sic D. Baſil. *ho.4. Hexam.* D. Hierony, *ad cap.1. Eccleſ.* D. Iſid. *lib.3. Orig. cap.20.* D. Damaſc. *lib.2.fid.cap.9.* Hugo de S. Vict. ad illum locum: *Fons aſcendebat è terra.* D. Tho. *in 1. diſt. 14. q. 1. ad 5.* & alij plures, quam ſententiam tenuit etiam Plinius *lib.2. cap.65.* Colligunt Sancti Patres ſuā ſententiam ex illo Eccleſ. 1. *Omnia flumina intrant in mare, & mare non redundat: ad locum vnde exeunt flumina, reuertuntur, vt iterum fluant.*

164. Noſtra ſententia duobus concl. explicatur. Prima concl. *Sententia Ariſtotelis habet locum in quibuſdam fontibus, & fluminibus ex quibus non multum aqua procedit, & quæ à principio creata non fuerunt, ſed poſtea producta.* Patet concl. nam Deus à principio produxit tum fontes, tum flumina, vt conſtat ex ſacra ſcriptura Gen.2. vbi dicitur quod in medio Paradiſi erat fons qui irrigabat ſuperficiem terræ, non potuit autem tanta aqua produci ex vaporibus in aquam conuerſis. Similiter dicitur ibidem, quod ex Paradiſo exibant quatuor flumina quæ totam terram irrigabant, quæ certè flumina non poterant originem trahere ex vaporibus. Tum quia probabile non eſt, quod fontes, & flumina quæ à prima ſui eruptione ampliſſimas exhibent aquas ex vapore, & aere in aquam conuerſi poſſint generari. Hoc tamen dici poteſt de minoribus fontibus qui paruam dant aquam, & minimos habent alueos, iſti namque gigni poſſunt ex vaporibus, & aere in aquam conuerſis, & guttatim diſtillantibus, licet poſtea excreſcant ex additione aquæ ex alijs partibus diſtillantibus.

165 Secunda concl. *Communiter tam fontes, quam flumina ex mari generantur.* Hoc docent, & docere volunt Sancti Patres *nu. 163.* citati. Ratio eſt, quia tanta fontium, fluminumque aqua nonniſi à mari extrahi poteſt, non à vaporibus, aut aere in aquam conuerſis, neq; ab aquis pluuialibus in cauernis receptis, vt diximus. Tum quia non poteſt reddi ratio cur mare non creſcat ex quotidiano acceſſu tot magnorum fluminum, niſi quia tanta aqua rependitur, quanta regreſſu detrahitur. Vnde aqua quam Tyberis defert ad mare eam per occultas terræ rimulas, & venas ex mare detrahit. Non nego tamen quia etiam aqua pluuialis non multum faciat ad replenda flumina, vt patet ex eorum redundantia cum multum pluit; ſed hæc non prima, & originalis cauſa fontium, & fluminum eſt: ſed potius ſecunda, aqua pluuialis namque in ter-

in terræ finibus incluſa, ab eiuſdem terræ ſiccitate expulſa ad flumina deſcendit, vt reuertatur ad locum ex quo extracta eſt medijs vaporibus. Multum etiam facit ad fluminum incrementum niuis liquefactio, vt nota docet experientia.

166. Modo ſoluenda eſt cōmunis diffi cultas à quo ſcilicet eleuetur aqua maris, vt aſcendat vſque ad cacumina montium vt fons ibi cauſetur. Seneca *lib. 3. Natur. qq. cap. 15.* putat quod in terra ſint quædam venæ, ſicut in animali in quibus ſicut ſanguis in venis, aquæ excurrant. Sed in terra vel non dantur iſtæ venæ, vel dato quod dentur non poteſt aqua per illas aſcendere, hoc enim eſt proprium viuentium. Alij volunt quod terra ſit ſicut ſpongia quæ ſugit aquam, & ad partes quaſcumque reddit pro rei neceſſitate. Alij etiam volunt, quod aqua maris in terræ cauernis incluſa ſurſum pellatur à terræ grauitate. Magnus Albertus hoc loco putat, quod aqua maris trahatur ſurſum à vaporibus, ſed nō videtur quomodo vapores poſſint tantam aquam quandoque attrahere, &c. Melior videtur ſententia D. Thomæ, quod aqua maris trahatur ſurſum virtute Solis, & aſtrorū communis boni gratia, & ſic tracta per poros terræ deponit ſalſedinem. Iſte motus licet ſit contra naturam particularem aquæ, non tamen eſt contra naturam, & inclinationem vniuerſalem eiuſdem qua inclinat in bonum totius.

167. Sed quæres 1. ex quo proueniat quod aliquæ aquæ ſint frigidæ, & aliæ calidæ? Reſp. prouenire ex diuerſitate locorum ex quibus diſtillant; nam aquæ ex natura ſua ſunt frigidæ, incaleſcunt autem vel quia tranſeunt per ſulphur, & bitumen; vel per ignem ſubterraneum, &c. Aquæ ſulphuratę proſunt neruis; aquæ aluminatæ paralyſi. Aquæ vitroſæ, & bituminatæ ad purgationem ſunt.

168. Quæres 2. quare aliquæ aquæ ſunt amaræ, aliquę ſalſæ, &c. Reſp. quod aqua natura ſua nullum habet ſaporem, nec odorem, nam ſapor, & odor ſunt ſecundæ qualitates cauſatæ ex varia permixtione primarum, quæ permixtio cum in elementis non reperiatur, neque ſecundæ qualitates reperientur; tamen reperiuntur quandoque etiam in aqua ex permixtione alterius liquoris, vel per cōtactum alterius corporis. Vnde aqua tranſiens per loca aluminoſa redditur acerba; tranſiens per loca nitroſa eſt amara; tranſiens per loca ſalſa redditur ſalita. Eadem ratione varios recipiunt aquæ odores, vnde aliquando ita grauiter olent vt ſuperuolantes aues enecent.

169. Quæres 3. quęnam aquæ ſint ſalubriores? Reſp. quod illæ quæ leues, tenues, lucidæ, nulloque odore, ac ſapore conditę. Aqua vltra modum algens, eſt ſanitati obnoxia, quia impedit decoctionem, inducit cruditatem, & *eſt* ventri oneroſa. Aqua quo magis eſt ſubtilis eo magis eſt leuis. Aqua ſubtilis citius calefit, citiuſque frigeſit, quia facilè ab agente calido inuaditur, & penetratur, eoque remoto facilè reſtituitur in priſtinum. Aqua erumpens ab Oriente laudatur ſi tamen per terram puram, & craſſam percurrat, quia Solis calore decoquitur. Quo magis aquæ diſtant à principio ſalubriores ſunt. Si aqua ſcateat Anguillis *eſt ſignum bonitatis aquæ*, ſecus *ſi* ſcateat Teſtudinibus. Aquæ paluſtres, lacuſtres, & niuales damnantur, quia illæ per continuam Solis percuſsionem craſſæ redduntur, eo quod Sol attrahat partes ſubtiliores. Iſtę craſſę, & duræ ſunt, quia dum nix gignitur aqua ſubtilis exprimitur, & craſſa in niuem condenſatur. Aquæ fluentes magis bonæ ſunt quam puteales, quia iſtæ non decoquuntur à Sole. Expurgantur tamen ſupponendo duram, groſſamque arenam, aut glaream, aut ſabulum maſculum; itē purgantur per piſciculos, & per continuam extractionem, & commotionem, vt fit in ciſternis domeſticis. Aquæ optimę ſunt quæ diſcurrunt per venas auri, deinde argenti. Quæ per venas ferri minus bonæ ſunt, at peſſimę, quę tranſeunt per mineras ęris. Solent aliqui hic referre quoſdam mirabiles fontes, & quædam flumina portētoſa, ſed iſta ad nihil deſeruiunt.

uiunt. Videantur Conimbric. hoc loco, & alij. Et expoſitores in illud. *Benedicite fontes Domino*.

DVBIVM XVII.

De mari, eiuſque ſalſedine, atque de terra.

170. MAris ortus, & origo à Deo eſt in ipſo mundi exordio. Prius mare totam terram occupabat, poſtea Dei imperio in vnum locum collectum ad mortalium vtilitatem. Aliqui vt Burgenſis,et Catharinus *ad 1.cap.Gen.* M.Canus *in comment.1. part.* et ante iſtos Marcus Tull. *lib.2. de nat. Deor.* et alij volunt, quod mare ſit altius terra, ita enim requirere videtur elementorum diſpoſitio, et ipſa aquę natura, quæ cum ſit nobilior, ſubtilior, et leuior terra, ſupra eam eſſe debet. Ex alia parte S.Pater Aug. *in pſal.135.* D. Chryſoſt. *hom.9. ad populum.* Aegid. *lib. 2. Hexam. cap. 27.* Lippomanus, Caiet. et alij *ad cap.1. Gen.* oppoſitum tenent.

171. Primam ſententiam probabilē vocat D. Thomas *1.p. q.69. art.1.* nam cum Deus creauit aquam eam poſuit tāquam globum diſtinctum, ſupra terram, et ſic licet fuerit in locum vnum congregata, non ob id conſtituit vnum globum cum terra, ſed remanet globus diuerſus, ac proinde cum non ſit intra terram, debet eſſe ſupra terram. Hinc pro miraculo habetur, quod aqua in locum vnum fuerit poſita et altior terra, et non inundat terram, non declinando in decliuio, etc. Quocirca pſal.104. dicitur. *Terminū poſuiſti quem non tranſgredientur, neque conuertentur operire terram*. Vbi dici videtur, quod naturaliter aquæ deberent operire terram, tamen hoc non faciunt, Deo ſic diſponente, qui illis terminum aſſignauit, quem tranſgredi non poſſunt. Et Iob 38. dicitur. *Quis concluſit oſtijs mare, quando erumpebat quaſi de vulua procedens, cum ponerem nubem veſtimentum eius, & caligine illud quaſi pannis infantiæ obuoluerem? Circumdedi illud terminis meis & poſui vectem, et oſtia, & dixi: vſque huc venies, & non procedes amplius, et hic confringes tumentes fluctus tuos*. Et Ierem. 5. legitur. *Poſui arenam terminum mari, preceptum ſempiternum, quod non preteribit*. Aliqui non improbabiliter volunt, quod non adſcribatur miraculo, nec ſpeciali virtuti diuinę quod mare non operiat terram, ſed propenſioni naturali quam habet aqua, vt ſe conglobet in figuram rotundam, & per hoc non fluit. Probant experientia, videmus namque aliquando aquæ guttas non fluere, ne fortè amittant illam figuram ſphæricam.

172. Secunda etiam ſententia probabilis eſt, & habet pro ſe teſtimonia ſacræ Scripturæ, nā pſal. 23. loquens Pſalmiſta de Deo Creatore, dicit quod mundum fundauit ſuper maria; ſic enim dicitur. *Ipſe ſuper maria fundauit eum.* Et pſal, 135. dicitur. *Qui firmauit terram ſuper aquas.* Et pſal.106. habetur. *Qui deſcendunt mare in nauibus*. Hæc loca non obſcurè indicant eminentiam terræ ſuper aquas. Quod ſi quæras quomodo aqua, quæ totam terram tegebat, modo eam nec tegit, nec altior eſt ſecundum hanc ſententiam. Reſpondent huius ſententiæ auctores, quod Deus ingentes cauitates, & ſinus in terra aperuit, in quibus aquæ pars, quæ terram operiebat clauderetur. Ambæ iſtæ ſententiæ probabiles ſunt. Prior tamen videtur magis cōformis Sacræ Scripturæ. Loca Sacræ Scripturæ pro ſecunda ſententia, eam non confirmant, dato enim quod terra ſit altior aqua, non ob id, etiam ſecundum auctores ſecundæ ſentētiæ, terra eſt fundata ſuper aquas cum certum ſit quod infimum elementū ſit terra, ſed dicitur terra firmata, aut fundata ſuper aquas, quoad eam partem terræ, quæ manet diſcooperta, hæc enim dicitur fundata ſuper aquas, aut ſuper maria quia in cauernis illius eſt aqua, ſupra quam videtur fundata. Dicuntur etiam homines deſcendere mare in nauibus, quia reſpectu aliquarum partium terræ mare eſt demiſſius, non reſpectu totius globi.

173. Quæres quot motibus mare mouea-

moueatur? Reſp. quod quatuor. Primus eſt quo mouetur à ventis. Secundus eſt quo mouetur ab Oriente in Occidentem, quem aduertunt illi qui vadunt ad nouum Orbem, nam vno v. g. menſe eunt, & quatuor menſium ſpatium requiritur pro redditu. Huius motus cauſam aſſignant curſum ſyderum, quæ maximè influunt in mare. Tertius motus eſt à Septentrione ad Auſtrum, huius cauſa eſt altitudo terræ borealis à qua diuerſa flumina ſcatent, quæ in partem contrariam mouent mare. Quartus motus eſt quaſi orbicularis, qui experitur in mari veneto defluens ad meridiem verſus Flamminiã, inde Apuliam verſus, poſtea ad ortum Solis declinat, Eſt alius motus, & dicitur fluxus, & refluxus, ſeu ęſtus, qui in diuerſis locis diuerſam habet durationem. In aliquibus locis mare ſenis horis intumeſcit, & ſenis detumeſcit. In quibuſdam locis quaternis horis accedit, octenis recedit. Cambaiæ in India horis triginta accedit, & binis recedit. Huius motus cauſam communiter lunã faciunt, quatenus radijs ſolaribus irradiatur. Ratio eſt quia experimur quod mare ſecundum diuerſos Lunæ periodos mouetur. Nam ſicut cęlum in quatuor pariter, ſic & mare; vnde quatuor extant puncta, ſcilicet ortus, & occaſus, vertex diei, & noctis; vnde bis fluit, & bis refluit. Fluit quando Luna aſcendit ab ortu, vſque ad meridiem. Refluit cum declinat à meridie vſque ad occaſum. Iterum fluit ab occaſu vſque ad mediam noctem; & refluit à media nocte vſque ad ortum. Comprobatur, quoniã in plenilunio maiores fiunt æſtus. Finis huius motus eſt ne aqua maris putreſcat.

174. Quantum ad ſalſedinem maris eſt ſententia Ariſtotelis quod procedat ex multitudine exhalationum aduſtarũ, quæ à ventis delatæ in illud decidunt. Tum quia aquam maris Sol ſuo calore concoquit, & partes ſubtiliores ad ſe trahit, craſſiores hinc inde diſperguntur in ſuprema aquæ ſuperficie, quę cum aduſtæ ſint, ſalſedinem cauſant. Sapor namque non fit niſi ex permixtione humidi, & ſicci, terreſtris, & ad proportionem conceptionis variatur ſapor. Nam ſi benè materia ſit digeſta cauſatur ſapor dulcis; ſi malè ſptiticus, vel ponticus. Sapor agreſtis fit quando ſiccitas terreſtris minus eſt decocta, quantum requiritur ad ęqualitatem. Acutus fit ex forti digeſtione. Siccitas enim non aduritur, ſed digeritur. At quando aduſta erit, tunc ibi reperietur ſalſedo, ſapor proximus ad amaritudinem, vt patet in ſudore, lotio, & lixiuio. Quod autem ſalſedo aquæ marinæ fit modo dicto patet, quia aquæ maris exſiccant, & calefaciunt, imò & vicinioribus locis caliditatem inducunt. Additur grauitas aquę, & groſſities aptior ad ſuſtentanda pondera, quę groſſities nõ niſi ab exhalationibus aduſtis per calorem cauſatur. Ideo autem lacus, & & fluuij minimè ſunt ſalſi, quia non quæcumque ſiccitas terrea aduſta cauſat ſalſedinem, ſed magna copia illius, quæ tantum in mari reperitur.

175. Aliqua breuiter etiam de terra dicenda ſunt, & 1. quæres quanta ſit terræ magnitudo, ſeu ambitus? Reſp. quod de hac re variæ fuerunt ſcriptorum ſententiæ, nam Ariſtoteles putauit eſſe milliaria 50000. *Eratoſthenes milliaria 31500. Hyparchus 34625.* Ptolomęus milliaria 22500. Alphagranus 20400. At Aſtrologi, & Coſmographi volunt, quod ſit 19080. Huius rei diuerſitas orta eſt ex menſuratarum diſſimilitudine, vel forte ex aliqua deceptione.

176. Quęres 2. an terra comparatione cęli ſit ad inſtar puncti? Eſt hoc cõmune dictum, quod aliqui ſic impugnant, nam terra longè, latèque diffuſa, eſt diuiſa per quatuor ſui partes, ſcilicet Europam, Aſiam, Africam, & Americam, quæ ob vetuſtatem nouus mundus appellatur. Tum quia Luna non eſt punctum, nec quaſi punctum reſpectu ſui, & aliorum cælorum, & tamen eſt minor terra, vt omnes tradunt, & nos diximus *diſp. de cælo*; ergo neque terra reſpectu cæli erit punctum, aut quaſi punctum. Si illud dictum, eſſet verũ quod terra eſſet punctũ, eſſet omnino falſum propter argumenta alla-

allata, ſed eſt, quod terra eſt inſtar puncti, ideſt quod videatur punctũ, quatenus cõparata ad cœlorũ vaſtitatẽ, & maximè firmamenti videtur habere inſenſibilem magnitudinem. Conſtat, nam vnaquęque ſtella firmamenti etiam minima, quę viſu notari poteſt eſt maior quam tota terra, vt diximus loco citato, & tradunt Aſtrologi cum Alphragano *differentia* 4. & tamen videtur quaſi punctum, ergo à fortiori idem dicendum eſt de terra in comparatione firmamenti. Confirmat hoc argumentum Alphragani, Ptolomæi & aliorum obſeruatio, quia ex quacumque terrę parte cælum quis reſpiciat ſemper videt illius medietatem, & ſex ſigna Zodiaci apparentia ſupra Horizontem, quod ſi terra non eſſet reſpectu cæli ad modum puncti nõ diuideret oculus Orizontem in duas æquales medietates.

177. Quæres 3. quænam ſit cauſa immobilitatis terræ? Terram eſſe immobilem *de cęlo* docuimos, cuius oppoſitum ab Eccleſia reprobatum eſt. De cauſa autem immobilitatis illius, variæ fuerunt antiquorum ſentẽriæ. Nam Thales Mileſius dicebat, quod idcircò terra eſt immobilis, & in præceps nõ ruit, quia ab aquis fulcitur. Sed quid fulcit aquas vt non ruant? & quomodo terra ab aquis fulciri poteſt? Democritus, & Anaxagoras terræ immobilitatem tribuunt magnitudini figuræ, eo modo quo corpora in latitudinem protenſa in aqua ſupernatant. Sed reijcitur, quia terra non lata, ſed rotunda eſt. Xenophanes, & alij dicebant quod cauſa immobilitatis terræ eſt, quia ex vna parte protenditur in infinitum, infinitum autẽ moueri non poteſt. Sed hæc ſententia falſa eſt, tum quia conſtat terram eſſe rotundam; tum quia ſi protenderetur in infinitum, non poſſent circum eam moueri cæli; tum etiam quia conſtat terram non habere illam extenſionem infinitam, nam neque apud antipodas eam habet. Anaximander putabat terræ immobilitatem ex eo prouenire, quod æqualiter diſtat ab omnibus mundi partibus, ac proinde non eſt maior ratio cur ad hanc potius partem, quam ad illã moueatur. Sed neque hæc ſententia placuit Ariſtoteli, quoniam illa perplexitas fictitia eſt, ſi enim terra ſecundum ſe eſſet mobilis etiam ſi diſtaret æqualiter à partibus mundi hoc nihil officeret. Communis ſententia poſt Ariſt. eſt cauſam immobilitatis terræ eſse natiuã eius grauitatem, quæ cum maxima ſit remotiorem à cælo locum petit, ſicut leuia pro ratione leuitatis viciniorem cælo locũ petunt. Locus autem à cælo magis diſtans eſt centrum ad quod terra tendit, in eoque conquieſcit. Hinc pſal. 103. dicitur *Fundaſti terram ſuper ſtabilitatem ſuam non inclinabitur in ſæculum ſęculi*. Et Iob 26. habetur. *Qui appendit terram ſuper nihilũ.*

178. Quæres 4. an terra ſit nobilior alijs elementis? Non deſunt qui id affirment, nam alia elementa irrequieto motu agitantur, terra autem ſemper ſtat ſuo perfruens centro, in eoque quieſcens, dum alia vagantur ſuam quærentes quietem, ſuumue centrum. Perfectius autem eſt eſſe in ſtatu quam ad ſtatum pergere: perfectius eſt perfrui quiete, quam illam quærere; perfectius eſt centrum poſſidere, quã ad illud poſſidendum conari. Alij probant perfectionem terræ ſuper alia elementa ex eius beneficientia; beneficientia namque eſt ſignum magnæ perfectionis rei benefacientis, cum ſit tanta eius perfectio, vt eam eructet; alijſq; communicet. Quantum autem terra ſit benefica, maximè erga homines, conſtat; nam eos naſcẽtes excipit. Natos alit, mortuos recipit. Aqua rigeſcit in grandines, tumeſcit in fluctus: aer furit procellis: ignis terret fulminibus. At terra homini non iraſcitur, quia ſi quando concutitur, aliunde eſt, ſcilicet ab aere, igne, aut exhalationibus in eius viſceribus vltrò incluſis, & ſic terra ex ſe mitis eſt, placida, & indulgens. Hinc eſt quod apud antiquos nomen matris obtinuit, ſicut cælum nomen progenitoris. Terra enim vt pia mater ſemper ad noſtras commoditates attendit. Pro nobis in ſuis viſceribus procreat auri, argenti gemmarum, metallorumque opulentiam. Noſtri intuitu, magna fundit largitate herbarum, arborum, fructuumque genera. Alij etiam probant terræ præſtantiam ex maxima cognatione quam

Digitized by Google

quam ſupra alia elementa habet cum homine, rum ex eo quod ipſa maiorem habet partem in homine quam alia elementa. Tum etiam ex eo quod ſicut in homine ſunt venæ in quibus ſanguis continetur, & fluit, ſic in terra ſunt quędam aquarum venæ ex quibus aquæ quandoque erumpunt. In homine ſunt partes duriores, vt oſſa, & molliores vt caro, ita in terra ſunt partes duriores vt lapides, & molliores, vt arena, puluis, argilla, &c. Nihilominus communis, & vera ſententia eſt quod terra ſit infimum elementum, quod & ex craſſitie, & & ex diſtantia à cælis, & ex infimo loco colligi poteſt; ea autem quæ in oppoſitum adducta ſunt probant maiorem terræ excellentiam ſupra alia elementa tantum ſecundum quid non ſimpliciter.

DVBIVM XVIII.

De Metallis.

179. De metallis hæc breuiter quęruntur, quænam ſcilicet ſit metallorum materia, quęnam cauſa efficiens quo in loco generentur, & quænam ſint metallorum ſpecies. Quantum ad materiã Alchymiſtę putant eſſe ſulphur, & argentum viuum, ex his enim pro temperamenti, & mixtione varietate generatur, modo aurum, modo argentum, &c. Huius ſententię fundamentum duplex 1. quia in venis metallorum reperiuntur ſulphur, & argentum viuum. 2. quia ars chymica vtitur ſulphure, & argento viuo ad cõficiendum aurum, & argentum. Sed vtrumq; falſum eſt, nã aliquando obſeruaui, quod in quadã auri vena non erat nec ſulphur, nec argentũ viuũ. Nec vtuntur ſolum illis ad conficiendũ aurum, &c. Magnus Albertus putat quod metallorũ materia ſit humor pinguis, quia cũ metalli liqueſcunt in dictum humorem reſoluuntur. Gregor. Agricola vult quod ſit aqua terræ mixta. Communis ſententia poſt Ariſt. eſt, quod materia metallorum ſit vapor humidus in viſceribus terrę, & in locis ſaxoſis cõpreſſus à ſiccitate, & frigiditate, tum terrę, tum lapidum.

180. Cauſa efficiens principalis metallorum eſt Sol cum alijs aſtris; nam Soli tribuitur generatio auri, Lunæ argenti, Mercurio mercurij, Saturno plumbi, vt diximus de cælo, Venus eſt ſuper æs, Mars ſuper ferrum, Iuppiter ſuper ſtãnum, & electrũ, &c. vide *diſp. de cælo dub. 16.* Locus præcipuus in quo metalla generãtur eſt ſaxoſus, & montuoſus, locorumq; vmbra coopertus & licet quędam flumina aurum ſecum ferant, non tamen in ipſis generatur, ſed vel in ſpeluncis è quibus latebris exeunt, vel in ripis continuo fluxu ab ipſis deroſis.

182. Metallorum ſpecies communiter numerantur ſeptem, ſcilicet aurum, argentum, ęs, ferrum, plumbum, argentũ viuum, & ſtannum. Hę ſpecies quo magis abundant humiditate, eo magis ſunt fuſilia, vt plumbum, & ſtannum, quantò magis participant de ſicco, eo magis ſunt ductilia, vt ferrum, & calybs, at aurum, & argentum, quia mediam temperiem habẽt humidi, & ſicci, cum forti decoctione, ideo partim fuſilia, partimq; ductilia ſunt. Hinc omnia metalla dum liquantur minorantur pręter aurum, quia propter decoctionem partes craſsiores ſeparantur à ſubtilioribus, at aurum quia *fit ex ſubtiliſsimo vapore humido*, & ex ſubtiliſsimo terreſtri ſicco, ideo non minoratur dum in igne ebullitur.

183. Conueniunt metalla quod excepto argento viuo omnia ſunt ſolida. Ideo autem argentum viuum etiam in matrice eſt liquidum, quia procreatur ex vapore in quo aquæ humiditas nimium excedit. Omnia metalla igne liqueſcunt, omnia ductilia ſunt, & percuſſa dilatantur. Omnia ponderoſa ſunt, ob materiæ ſpiſſitudinem, & compactionem; aurum autem cæteris grauius eſt, licet non deſint qui dicant, quod tantæ ponderoſitatis ſit plumbum, quantum aurum, quia vtrumque æquè continet cauſas vnde grauitas generatur, de quo *in lib. de generat.* Et hęc de meteoris.

FINIS.

IN-

INDEX
RERVM NOTABILIVM
IN HOC VOLVMINE CONTENTARVM.

A

ABSTRACTIO *quando diuerſificetur ſpecie. diſp.1. num.54.& 55.*
Abſtractio paſſiuè ſumpta eſt ratio formalis ſub qua phyſica ſi ex parte obiecti ſumatur. diſp.1. num.79.
Abſtractio à ſingulari ſufficit, vt præſupponat cognitionem illius pee ſenſum. diſp.2. num,67.
Abſtractio facilior quando? diſp.2. n.74.
Accidens ſumi poteſt dupliciter. diſp.3. num. 234.
Accidens non poteſt dici natura. diſp.3.n.47.
Accidens idem numero non poteſt informare ſimul diuerſa ſubiecta. diſp.2.n.366.
Accidentia vnde educantur. diſp.2. n.385.
Accidentia quæ conueniunt ſpeciei ratione gradus generici illam non reddunt cognoſcibilem. diſp.2. n. 33.
Accidentia cur poſsint eſſe ſine ſubiecto, non autem formæ ſubſtantiales. diſp.2. n.265.
Accidentia licet ſecundum quid ſint nobiliora materia prima,nõ tamen ſimpliciter.diſp.2 n.345.
Accidentia nullo modo ſunt cauſa principalis productionis ſubſtantiæ. diſp.3.n.198. & ſeq.
Accidentia ſunt inſtrumenta in ordine ad productionem ſubſtantiæ, & non tantùm cauſę diſpoſitiuæ. diſp.3. à n.222. vſque ad 228.
Accidentia vini conſecrati quo pacto habeant conuertere aquam in vinum. diſput. 3. num.223.
Accidentia non emanant per actionem, quæ ſit propria ſubſtantiæ, ſed in virtute actionis illam generaniis. diſp.3. à n.236. vſque ad 241.
Accidentia ſolo numero diſtincta cur non poſſint eſſe in eodem ſubiecto, benè tamen duo corpora in eodem loco. diſp.5. n.74.
Actio ſumi poteſt tripliciter. diſp.4. n.56.
Actio immanens non eſt neceſſe vt producat terminum benè tamen actio tranſiens; diſp.2. n.436.
Actio præuia inſtrumenti non eſt neceſſe vt ſit realiter entitatiuè diſtincta ab actione principalis agentis, ſed ſufficit, vt ſit tantum formaliter. diſp.3. num.193. ſufficit etiam vt illam præcedat ſola prioritate naturæ. ibid.
Actio præuia requiſita ad effectus ſupernaturales non eſt propriè talis ſed quædam proportio entis ad ens. ibid. n.194.
Actio præuia inſtrumenti non eſt neceſſe vt contactu phyſico attingat effectum principalis agentis. ibid. n.195.
Actio ita debet egredi ab vna cauſa: vt nullo modo poſſit egredi ab alia, & quare.diſ.3. n.328.
Ad actionem non datur per ſe motus. diſp.6. num.18.
Actio non eſt ſuperior ad paſſionem, & motum. diſp.4. n.34. & ſeq.
Actio, & paſſio non habent aliam entitatem niſi motus ibid. n.36.

I N D E X.

Actio, & paſſio non inhærent ſubiecto niſi medio motu. diſp.4. n.44. & ſeq. ſunt affectiones illius, & inſeparabiliter identificantur cum illo. ibid. & n.45.

Actio creatiua licet fuerit ab æterno non tamen tunc fuit creatio. diſp.9. n.33.

Actio indiſtans cur dari non poſſit niſi prius detur in propinquum. diſp. 8 nu. 51. vbi alia curioſa.

Actio, Paſſio, & Motus ſunt tres formalitates diſtinctæ ante intellectum, & identificatę in eadem entitate motus. diſp. 4. à n.39. vſque ad 42.

Actio tranſiens abſolutè, & ſimpliciter ſubiectatur in paſſo, & ſub qua ratione. diſp.4. à n.53. vſque ad 64.

Actio tranſiens affert mutationem in ſubiecto. ibid. n.58.

Actiones cur non poſſint verſari circa vnum eundemque terminum. diſp.3. n.329.

Actiones immanentes, & tranſeuntes quæ, & quot? diſp.4. nu.50. & ſeq. vbi de actionibus immanentibus Dei.

Actio, & agere in quo differant. diſp.3. nu. 126. & ſeq.

Actus, & potentia debent eſſe in eodem genere. diſp.3. n.110. & ſeq.

Actus purus probat dari potentiam puram. diſp.2. n.247.

Actus, & potentia non poſſunt ſe ipſis ſine vnione ſuperaddita vniri. diſp.2. n.438. & ſeq.

Actus liber Dei quid? diſp.9. n. 51. cur non poſſit ſeparari à Deo. ibid.

Actus ſcientiæ in Deo cur ſit neceſſarius non autem actus volitionis. ibid. n.52.

Aer à quo moueatur quando aſcendit ad replendum vacuum. diſp.5. n.92.

Aeris natura, quæ diſp.11. à n.29. vſque ad 33. partitur in tres regiones infimam mediam, & ſupremam.

Aeternitas per eſſentiam, & participata. Aeuum, & tempus quid? diſ.5. à nu. 127. vſque ad 129.

Aeternitas propria Dei non eſt communicabilis creaturæ. diſp.9. n.100.

Agere immediatione ſuppoſiti, aut immediatione virtutis quid. diſp. 3. n.146.

Agere ex neceſſitate naturæ dupliciter intelligi poteſt. diſp.9. n.42.

Agere propter priuationem alicuius mali non implicat. diſp.3. n.280.

Agens naturale qua ratione agat propter finem. diſp.3. n.26. & ſeq.

Agens naturale quando producat effectum perfectiſſimum. diſp.2. n.70.

Agens naturale non poteſt de nouo ſtellas producere in firmamento. diſp.10. nu.65. & ſeq.

Agens increatum agit per præſentiam tum ſuppoſiti, tum virtutis. diſp.8. n.46.

Agens creatum non agit niſi vbi eſt immediatione virtutis, diſp. 8. à n.47. vſque ad 59. quomodo agat etiam immediacione ſuppoſiti. ibid.

Agens naturale inæqualiter applicatum paſſo agit vniformiter difformiter. diſp. 8. num.79.

Amor, & intentio finis ſunt effectus illius. diſp.3. n.292.

Angeli, & corpora cæleſtia quando identificent ſibi poſſe, & eſſe. diſp.4. n.68.

Angelis non conuenit definitio naturæ. diſp 3. num.10.

Angeli cur non pertineant ad obiectum phyſicæ. diſp.1. n.73. & 74.

Angeli non habent potentiam motiuam diſtinctam ab intellectu, & voluntate. diſ.10 num. 164. & ſeq.

Angelus mouens Cælum non eſt neceſſe vt ſit præſens toti cælo. diſp.10. n.166.

Angelus non mouetur per accidens ad motũ ſui orbis. ibid. n.167.

Angelus non eſt in loco niſi per operationem. diſp.5. n.46. & 47.

Angelus ratione ſuæ ſubſtantiæ præcisè non dicit diſtantiam, aut indiſtantiam poſitiuam à mundo ſed ſolum priuatiuam. ibid.

Angelus incipit, & deſinit in inſtanti, & quomodo poſſit deſinere in tempore. diſp.7. num.52.

Angulus rectilineus qui? diſp.7. n.87. & ſeq. vbi etiam de angulo contingentiæ.

Angulus rectilineus non habet partes actu infinitas. ibid.

Annorum quatuor ſunt ſpecies ſcilicet ſolaris, lunaris, magnus, & emergens. diſp.9. num.80. & ſeq.

Annus lunaris emboliſmicus qui? ibid. n.83.

Annus

Annus aſtronomicus, Ciuilis, ſeu Vſualis qui ibid. n.80. & ſeq. vbi etiam de anno Iubilæi. ibid. n.84.

Anima rationalis dupliciter poteſt conſiderari. diſp.3. n.32.

Anima rationalis quare non educatur de potentia materiæ. diſp.2. à n. 387. vſque ad 414.

Anima rationalis non indiget nouo concurſu Dei vt conſeruetur in ſtatu ſeparationis, nec aliquo modo perſeitatis illi ſuperaddito. diſp.2. n.411.

Anima rationalis eſt perfectiſſima natura. diſp.3. à n.28. vſque ad 35. quatuor continet gradus. ibid. n.29.

Anima rationalis incipit, & definit in inſtanti. diſp.7. n.51.

Animalia quæ naſcuntur ex putri ſunt eiuſdem ſpeciei cum illis quæ generantur ex ſemine. diſp.10. n.202, & 203.

Annihilatio lumine naturali oſtendi poteſt. diſp.9. n.29.

Antipathia, & eius effectus varij. diſp.8. n.74 & 75.

Appetitus quid diſp.2. nu.300. vbi quid ſit appetitus elicitus, quid innatus, quid in actu primo, quid in actu ſecundo.

Appetitus naturalis ſenſitiuus, & rationalis in quo differant. diſp.3. n.275.

Apprehenſio non eſt formalis ratio cauſandi in fine, ſed conditio ſine qua non. diſp.3. n.267. & ſequen.

Approximatio eſt duplex. diſp.8. n.44.

Eſſe apprehenſum poteſt accipi obiectiuè, & formaliter. diſp.3. n.279.

Aquam recuperare frigiditatem amiſſam quomodo intelligendum. diſp.3. nu. 241. & ſeq.

Aquæ ſalubriores quæ? diſp.11. n.169.

Aquæ aliæ frigidæ, aliæ calidæ, aliæ ſalſæ, aliæ amaræ. diſp.11. n.167. & 168.

Arbores ſylueſtres cur non perducant fructus ad maturitatem. diſp.1. n.27.

Ariſtoteles quid ſenſerit circa libertatem primæ cauſæ. diſp.9. n.54. & ſeq.

Ariſtoteles quomodo cognouerit creationem. diſp.9. n.10.

Ariſtotelis intentio in definienda cauſa efficiente. diſp.3. n.121.

Ariſtoteles ſenſit Deum ab æterno produxiſſe

Angelos intelligentias cælorum motrices, & cælos ipſos. diſp.9. à num. 57. vſque ad 62.

Ars non poteſt efficere per ſe opera naturæ. diſp.4. n.55.

Artem imitari naturam quot modis intelligendum. diſp.3. n.52.

Aſſimilatio alia eſt analoga alia vniuoca. diſp.2. n.332.

Aſtra pluuiam influentia quæ? diſp.11. n.124

Aſtrorum natura, & effectus diſp.10. n.100.

Omnia aſtra differunt ſpecie. ibid. à nu.99. vſque ad 108. ficut etiam eorum cæli. ibi.

Aſtrologia quomodo diſtinguatur à phyſica. diſp.1. n.86.

Augmentationem eſſe motum continuum tripliciter intelligi poteſt. diſp.6. n.10.

Augmentatio, & nutritio cur eſſe non poſſint à generante. diſp.8. n.23.

B

Baptiſmus collatus à pluribus non dependent ab illis tanquam à cauſis totalibus. diſp.3. n.318.

Baſiliſcus, & Bufo mirabiles operantur effectus. diſp.8. n.65. vbi varia carioſa.

Beatorum ſedes quæ? & vbi? diſp.5. n.55.

Beati non priuarentur viſione Chriſti etiamſi deſcenderet de cælo in terram. diſput.5. num.86.

Bonum dicitur vniuocè de materia, forma, & compoſito. diſp.2. n.341.

Bonum in quantum tale eſt ratio finalizandi in fine. diſp.3. n.271. & 273. non tamen eſt neceſſariū vt ſit reale. ibid. n.277. & 278. ſed ſufficit vt ſit vel verum, vel apparens. ibid. nec debet eſſe cognitum, vt apparens. ibid.

Bonum eſt paſſio entis participialiter ſumpti. diſp.2. n.338.

Bonum indiuidui cur magis repræſentat diuinam bonitatem, quam bonum ſpeciei. diſp.9. n.35.

Digitized by Google

C

Calor, & frigus quomodo creſcant in vaporibus, & exhalationibus.diſ.11. n.22. & 23. ſimiliter per antiperiſtaſim. ibid. n.24. & ſeq.
Capræ ſaltantes ex impreſſionibus ignitis generantur. diſp.11. n.37. & 38.
Caſtor, & Pollux quid prænuncient.diſp.11. num.45.
Cauſæ definitio multiplex. diſp. 3. num.58. & ſeq.
Cauſa poteſt eſſe notior, & ignotior. diſp.2. num.28.
Cauſarum genera quatuor, nec plura, nec pauciora. diſp.3. à n.66. vſque ad 74.
Cauſa inſtrumentalis continetur ſub efficienti. diſp.3. n.71.
Cauſa exemplaris reuocatur ad genus cauſæ formalis. ibid. n.72.
Cauſæ formalis genus duplex componens, & determinans. ibid.
Cauſa moralis quæ? ibid. n.74. in quo diſtinguatur à cauſa phyſica. ibid.
Cauſarum multiplicitas, & diuiſio. diſp. 3. num.83. & ſeq.
Cauſalitas, Cauſa, & Cauſatio in quo differant. diſp.3.n.102.
Cauſa tria importat. ibid. n.103.
Cauſa materialis eſt vna cauſa phyſica.diſ.3. à n.88. vſque ad 90.
Cauſalitas materiæ reſpectu formæ, & compoſiti in fieri, & in facto eſſe ibid. n.104.
Cauſæ efficientis definitio. diſp. 3. n.119. & ſeq.
Cauſalitas efficientis conſiſtit in actu agere vt verò reſpicit effectum cõſiſtit in actione. ibid. n.126. & ſeq.
Cauſa efficiens, & cauſa agens in quo differant. diſp.2. n.14.
Cauſa per accidens non infert cognitionem effectus. diſp.2. n.8.
Omnis cauſa in ſuo genere eſt ſaltem natura prior ſuo effectu. diſp.3. n.77. & ſeq.
Cauſam cauſæ eſſe cauſam cauſati quomodo intelligendum. ibid. n.80.
Cauſa quæ operatur ſucceſſiuè in quo differat ab illa quæ operatur in inſtanti. diſ.9. n.93.
Cauſæ eſſentialiter ſubordinatæ & accidentaliter quæ? diſp.9. n.143.
Cauſæ eſſentialiter ſubordinatæ cur non poſſint procedere in infinitum. diſput. 9. num.144.
Cauſæ eſſentialiter ſubordinatæ dependent non ſolum in eſſendo, ſed etiam in operando. diſp.3. n.168.
Omnes cauſæ ſecundæ ſunt propter ſuam operationem. diſp.3. à nu.133. vſque ad 143.
Cauſæ ſecundæ particulares licet non ſemper producant formam, producunt nihilominus totum compoſitum, & quomodo. diſp.3. n.139.
Cauſæ ſecundæ cur debeant prædeterminari à prima. diſp.3. à n.157. vſque ad 171.
Cauſa inſtrumentalis quot modis dicatur. ibid. n.172.
Cauſa principalis in quo differat ab inſtrumentali. diſp.3. n.196.
Cauſæ quomodo conferantur inter ſe.diſp.3. num.298.
Ratio cauſæ in communi non eſt ſynonima, nec vt res, nec vt relatio diſp.3. n.300.
Cauſæ ſunt ſibi inuicem cauſæ, ſed in diuerſo genere. ibid. n.301. & n.338. & ſeq.
Cauſæ diuerſi ordinis, & adæquatæ nequeunt in vnicum eundemque effectum influere. diſp.3. n.312. & ſeq.
Cauſa ſecunda non indiget determinari à prima quantum ad ſpeciem, ſed quantum ad indiuiduum. diſp.3. n.333.
Cauſæ inter ſe ſubordinatæ quomodo ad vnicum eundemque effectum concurrant. diſp.3. n.317.
In cauſis ſubordinatis non poteſt dari infinitum in actu. diſp.4. n.91.
Cauſa efficiens principalis, & inſtrumentalis impreſſionum meteorologicarum quæ? diſp.11. n.19.
Cælum quid? diſp.10. à n.2. vſque ad 9. eius materia eſt diuerſæ rationis à noſtra ſub lunari ibid. nec eſt quinta ſubſtantia. ibid.
Cæli non ſunt corpora ſimplicia ſed compoſita ex materia, & forma. diſp. 10. à n.11. vſque ad 20.
Cælum eſt ens phyſicum, & habet proprietates entis phyſici. ibid. n.13.

Cæli

INDEX

Cæli cur non ſint entia ſine materia. ibid. num.14.
Cælum cur non poſſit eſſe viuens cognoſcitiuum. diſp.10. n.17.
Cæli ſecundum Ariſtotelem componuntur ex materia, & forma. diſp.10. à n.21. vſque ad 26. non tamen, quæ ſit eiuſdem rationis cum noſtra. ibid. n.27.
Cælum non eſt compoſitum ex elementis. diſp.10. num.30. & 31. nec ex materia ſublunari. ibid. n.33. & ſeq.
Cælum non eſt ignea natura, aut aquea, aut terrea, aut aerea. ibid. n.38.
Cælum non conſtat ex primis qualitatibus. ibid. n.39. nec ibi ſunt veri colores. ibid. num.40.
Cælum non conſtat nec ex anima vegetatiua nec ſenſitiua, nec intellectiua, quæ ſit diſtincta ab intelligentia motrice. diſp.10. à n.48. vſque ad 52.
Cælum ſecundum ſe & ab intrinſeco eſt incorruptibile, licet poſſit ab extrinſeco ſcilicet à Deo corrumpi. diſp.10. à n.63. vſque ad 71.
Cæli inferiores mouentur duplici motu. ibid. num.64.
Cæli ſunt ſolidi ſecundum omnes ſuas partes. diſp.10. à n.73. vſque ad 79.
Cælorum ſoliditas non officit mutationi planetarum. ibid. n.79.
Cælorum numerus diſp. 10. à n.87. vſque ad 90.
Cælum vnde dictum. ibid. vbi etiam de cælo empyreo. ibid. n.91.
Cæli aſtrorum ſunt eiuſdem ſpeciei. diſp.10. à n.90. vſque ad 108.
Cæli ſuperiores cur perfectiores inferioribus. diſp.10. n.105. & ſeq.
Cælum non mouetur efficienter ab intrinſeco, ſed ab extrinſeco. diſp. 10. à nu.132. vſque ad 141.
Cæli ex motu edant ne? ſonum aut concentum? diſp.10 n.143.
Cæli non mouentur immediatè à Deo, ſed per Angelos. diſp.10. num.144. & ſeq.
Cælorum motus eſt illis naturalis non tanquam principio actiuo, ſed tanquam principio paſſiuo. diſp.10. à num. 149. vſque ad 156.
Cælorum motu ceſſante ceſſaret ne motus in hæc inferiora? diſp.10. n.159. & ſeq.
Cæli ſinguli mouentur à ſingulis intelligentijs. diſp 10. n.162. & 163.
Cælum habeat ne poſitionem dexteri, & ſiniſtri, & quomodo diſp. 10. à n.169. vſque ad 172.
Cæli nihil agunt directè, & per ſe in voluntatem humanam bene tamen indirectè, & per accidens. diſp.10. n.191. & ſeq.
Cæli producunt omnia mineralia, gemmas, &c. diſp.10. n.195.
Cæli diſpoſitiuè concurrunt ad productionē viuentium non tamen ad productionem animæ rationalis. ibid. n.196.
Cæli cauſant viuentia vt ſunt ſolum inſtrumenta intelligentiæ motricis. ibid. n.197. & ſeq.
Cæli omnes non tantùm Sol tempore Ioſue ſteterunt. diſp.5. n.137.
Cæli inceperunt, & deſinent in inſtanti. diſp.7. n.53. quomodo poſſet id fieri in tempore. ibid.
Circulus minor cur non poſſit eſſe æqualis maiori. diſp.7. n.19.
Cognitio quid? diſp.2. nu.2. alia eſt confuſa, alia diſtincta. ibid. n.3. & n.40.
Cognitio confuſa prius fertur in magis vniuerſalia, non autem cognitio diſtincta. diſp.2. n.73.
Cognitio quomodo ſe habeat ad finem. diſ.3. n.293. & ſeq.
Cognitionis difficultas in rebus materialibus vndè oriatur. diſp. 2. à nu. 91. vſque ad 94.
Cognitio alicuius rei non reſpicit omnes cauſas illius. diſp.2. à n.8. vſque ad 11.
Cognitio rei debet etiam haberi per cauſam remotam. ibid. n.12.
Cognitio comprehēſiua debet cognoſcere rem per omnes illius cauſas tam per ſe, quam per accidens. ibid.
Cognitio cur incipiat à notioribus. diſp. 2. num.15.
Cognoſcendi difficultas partim oritur ab intellectu partim à rebus. diſp.2. à n.91. vſque ad 97.
Cognoſcibilitas maior vel minor vndè attendenda. diſp.2. n.17.
Colores qui apparent in aere ſint ne veri an apparentes, & vnde originentur. diſ.11. n.88.

Co-

I N D E X.

Cometia quid, & eius ſpecies. diſp. 11. *à n.* 47. *vſque ad* 50.
*Cometa non conſtat ex materia caleſti, ſed ex exalationibus gignitur. ibid. n.*51.
*Cometarum materia proxima, & remota quæ? ibid. n.*52. *vbi de earum cauſa efficienti. n.*53.
*Cometæ vbi generentur. ibid. n.*54.
*Cometæ cur non accendantur in regione ignis. ibid. n.*55.
*Cometæ quo tempore, aut loco videantur, & quantum durare ſoleant. ibid. n.*56.
*Cometa quot modis moueatur. ibid. n.*57.
*Cometa quibus nominibus appelletur. ibid. num.*58.
*Cometarum colores quot, & quales. ibid. num.*59.
*Cometæ cur raro appareant. ibid. n.*60.
Cometæ quid prænuncient. ibid. nu. 61. *& ſequen.*
Compoſitionum genera quatuor. diſput. 2. *num.*359.
*Compoſitum non eſt natura. diſp.*3. *n.*43.
Concurſus Dei cum cauſa 2. *non eſt ſimultaneus ſed præuius. diſp.*3. *n.*157. *& ſeq.*
Conſeruatio mundi quomodo fiat. diſput. 9. *num.*75.
*Continua eße non poſſunt ea, quæ ſpecie differunt. diſp.*6. *n.*39. *&* 40.
*Continuum coaleſcit tam ex indiuiſibilibus continuatiuis, quam terminatiuis. diſp.*7. *à n.*4. *vſque ad* 12. *non tamen ex ipſis ſolis, ſed etiam ex partibus realiter inter ſe diſtinctis. ibid. à n.*12. *vſque ad* 42.
*Contrarietas motuum vnde ſumatur. dis.*6. *n.*41. *& ſeq.*
Contrarium fieri ex alio quid. diſput. 2. *num.*146.
*Corona coloris ſanguinei ſub Sole quomodo formetur. disp.*11. *n.*89.
*Corpus dupliciter ſumitur. diſp.*2. *n.*304.
*Corpus eſſe mobile quomodo probetur. dis.*1. *num.*63.
*Corpus aliud phyſicum aliud metaphyſicum, aliud mathematicum. diſp.*1. *n.*84.
*Corpora non viuentia habent naturam, & & quare. diſp.*3. *n.*12.
*Corpora tam ſimplicia, quam mixta habere formam ſubſtantialem multis probatur. diſp.*2. *à n.*351. *ad* 357.
*Corpus Chriſti in pluribus Hoſtijs cõſecratis non eſt idem numericè formaliter. disp.*3. *n.* 322. *nec pendet à pluribus cauſis totalibus, & adæquatis. ibid.*
*Corpus infinitum implicat habere figuram circularem. diſp.*4. *n.*125.
Corpus locans eſt etiam locatum. diſput. 5. *num.*17.
*Corpora quo perfectiora eo habent locum ſuperiorem. diſp.*5. *n.*38.
*Duo corpora non poſſunt naturaliter eſſe in eodem loco. disp.*5. *à n.* 64. *vſque ad* 66. *benè tamen ſupernaturaliter. ibid. à n.*68. *vſque ad* 75.
*Corpus idem non poteſt eſſe in pluribus locis circumſcriptiuè. diſp.*5. *à n.*77. *vſque ad* 87.
*Corpus Chriſti, qua ratione poſſit dici, quod ſit in pluribus locis. ibid. & n.*88.
*Corpus ſimplex non poteſt eſſe ſine materia. diſp.*10. *à n.*15. *vſque ad* 20.
*Corpora perfectè plana ſe in plano tangentia qua ratione poſſint ad inuicem ſeparari. diſp.*5. *a n.*98. *vſque ad* 103.
*Corpora ne penetrentur debent ſe tangere in indiuiſibili. disp.*7. *n.*4.
*Corruptio magis tribuitur materiæ quam formæ. diſp.*2. *n.*324.
*Creatio quid. diſp.*9. *n.*2.
*Creationem eſſe poſſibilem quomodo lumine naturali oſtendi poſſit. diſp.*9. *a n.*12. *vſque ad* 26.
*Creatio non eſt actio diſtincta a creatura, & quare. diſp.*9. *n.* 23.
*Creatura quid. diſp.*9. *nu.*3. *cur dicatur eſſe ex nihilo. ibid. n.*16.
*Creatura permanens vt Angelus, Homo, &c. potuit à Deo ab æterno produci. diſp.*9. *a n.*88. *vſque ad* 105.
*Creaturas poſſibiles poſſe produci in infinitum quomodo. diſp.*4. *n.*108. *& ſeq.*
Creaturæ poſsibiles quomodo poſſint eſſe quid certum, & determinatum. disp. 4. *n.* 120.
*Creaturam eſſe ab æterno nec repugnat eius limitationi, nec diuinæ infinitati. diſp.*9. *num.*94.
*Creatura ſecundum ſe nihil eſt, & quare abiret in nihilum ſi ſuæ facultati relinquatur. diſ.*9. *a n.*106. *vſque ad* 112.

Dari

D

Dari per ſe motum ad prædicamenta quid? diſ.6.n.2. quæ conditiones requirantur. ibid. n.3.
Definitio cauſæ quotuplex, & quæ? diſp.3. num.58. & seq.
Definitio naturæ quomodo competat cælo. diſp.3. n.7. & 8.
Definitiones philoſophiæ quinque diſp. 1. a n.2. vſque ad 8.
Definitiones principior.entis naturalis.diſ.2. a n.149. vsque ad 155.
Demonſtratio quia, & propter quid conſtituunt vnicum tantum habitum, vna tamen se habet primariò, altera ſecundariò. diſp.1. n.53.
Denominatio realis non fit ſine mutatione reali. diſp.2. n.430.
Deſitio quid. diſp.7. nu.43. duos habet terminos. ibid.
Deſitio alia intrinſeca, alia extrinſeca. ibid. num.44.
Deus, & intelligentiæ qua ratione pertineant ad phyſicam conſiderationem.diſp.1.n.85.
Deus quomodo ſit cæteris entibus cognoſcibilior. & notior. diſp.2. n.22.& 23.
Deus clarè viſus cur non poſſit connaturaliter ab intellectu creato videri. diſput.2. num.83.
Deus, & prima genera excluduntur a ratione primi principij entis naturalis. diſp.2. n.153.
Deus de potentia ſua abſoluta poteſt ponere vnam formam in alia materia abſque eo quod recipiat indiuiduationem ab illa. diſp.2.n.368. & 369.
Deum poſſe ſupplere effectum ſecundarium quomodo intelligendum. diſp.2. nu.400. & 401.
Deus non poteſt ſupplere genus cauſæ materialis, & formalis, benè tamen efficientis. diſp.3. n.142. & 306.
Deus concurrit ad omnes, & ſingulas actiones cauſarum ſecundarum.diſp.3.a n.145 vsque ad 154. & hoc quatuor modis cõtingere poteſt.
Deus & creaturæ vna eademque actione concurrunt. diſp.3. n.152.
Deus concurrit cum actionibus cauſarum ſecundarum tam immediatione virtutis, quam ſuppoſiti. ibid. nu.153. & 154. & iſte concurſus debet eſſe prauius, vt ſaluetur dependentia cauſæ ſecundæ a prima, & ratio primæ cauſæ. ibid. a n.155. vsque ad 171.
Deum eſſe præsentem per potentiam quid. ibid. n.165.
Deus, & corpora cæleſtia concurrunt effectiuè ad productionem ſubſtantiæ. diſput. 3. n.204. & ſeq.
Deus ſi applicaret duos ignes ad lignum quinam ex illis combureret? ibid. n.319.
Deus ad intra identificat ſibi eſſe, & poſſe, non autem ad extra. diſp.4. n.67.
Deus ſolus eſt infinitus ſecundum perfectionem eſſentialem. diſp.4. n.90.
Deus cur contineat omnem perfectionem creaturarum etiam poſſibilium. diſput. 4. num.94.
Deus etiam de potentia abſoluta cur non poſſit producere infinitum. ibid. num. 97. & ſeq.
Deus nõ poteſt cognoſcere infinitum in actu & quare. ibid. n.97. & seq.
Deus non cognoscit infinitas creaturas poſſibiles, factibiles actu, ſed potentia. ibid. num.109.
Deus non eſt agens neceſſarium, nec agit ſecundum vltimum sui poſſe, diſput. 4. num.114.
Deus in ſua mente nec formaliter, nec obiectiuè poteſt cognoſcere infinitum in actu, ſeu infinitos homines. ibid. n.115.
Deus cur poſſit producere rem ex nihilo, non autem creatura. diſp.9. n.15. & seq.
Deum eſſe agens liberum lumine naturali oſtendi poteſt. diſp.9. n.20.
Deus non produxit mundum in tempore per nouam actionem. diſp.9. n.32.
Deus cur non fuerit inuidus bonitatis ſuarũ creaturarum producendo mundum in tẽpore non ab æterno, benè tamen ſi ſic genuiſſet filium. diſp.9. n.36.
Deus liberè mundum produxit, & nihil ex neceſſitate producit. diſp.9. a n.43. vſque ad 53.
Deum eſſe vnum non plures multis oſtenditur.

diuidualis eſt limitata. ibid. num. 314. & ſequen.
Forma cadaueris producitur à Cœlis & quare. diſp. 3. n. 321.
Fulmen quid? diſp. 11. n. 75. & ſeq. differt à fulgure ibid.
Fulmen cur deſcendat motu irregulari, & tortuoſo. ibid. n. 78.
Fulmina quo tempore fieri ſoleant. ibi. nu. 79.
Fulminum genera tria. ibid. n. 80.
Fulminis effectus qui. ibid. n. 81. & ſeq. vbi varia curioſa.
Fulmina cur Ioui, & non alijs planetis tribuantur. ibid. n. 85.
Futuritio, & poſſibilitas finis non ſunt ratio finalizandi. diſp. 3. n. 272.

G

Galaxia, ſeu via lactea quid. diſp. 11. n. 86.
Gaudium, & delectatio non dependet per ſe a fine, ſed eſt paſſio conſequens ipſum. diſ. 3. n. 295.
Generans non poteſt eſſe cauſa augmentationis, & nutritionis. diſp. 8. n. 23.
Generans eſt cauſa principalis motus grauium, & leuium extra centrum. diſ. 8. nu. 19. & ſeq.
Generatio duplex alia ſimpliciter, alia ſecundum quid. diſp. 2. n. 124.
Generatio non fit ex nihilo. diſp. 2. nu. 127. & 128.
Generatio ſubſtantialis intelligi non poteſt ſine materia. ibid. & n. 130.
Generatio ſubſtantialis non eſt accidens. diſp. 2. num. 287. nec reſpicitur à materia prima tanquam quid diſtinctum à forma. ibid.
Generatio hominis differt à cæteris generationibus. diſp. 2. n. 382.
Generatio non ſolum dat eſſe, ſed etiam conſequentia ad eſſe. diſp. 3. n. 238.
Genera indiuiſibilium tria. diſp. 6. n. 3.
Generationes omnes dempta generatione humana potuerunt eſſe ab æterno. diſp. 9. à n. 128. vſque ad 144.
Generans eſt cauſa quietis elementorum in proprijs centris. diſ. 8. n. 27. & ſeq.
Generatio pluuiæ cur maiorem frigiditatem requirat quam generatio niuis. diſput. 11. n. 136.
Grando quid. diſp. 10. num. 134. differt à pluuia, & ab aqua congelata. ibid. n. 139. differt etiam à niue. ibid. nu. 140. & ſeq.
Glacies quid? diſp. 11. n. 142.
Grauia, & leuia à quo moueantur? diſput. 8. n. 16. & 17. & grauitas, & leuitas ſe habent tanquam inſtrumentum. ibid. à n. 19. vſque ad 27.
Granium, & leuium motus ſunt proprietates illorum. ibid. n. 21.
Grauia, & leuia ſecundum antiquos Philoſophos quaenam habeant principia ſui motus. diſp. 8. n. 30. & ſeq.
Grauitas, & denſitas vnde cauſentur. diſ. 11. num. 21.
Gubernator Mundi quis, & an detur. diſp. 9. n. 73. & 74.

H

Habitus ſpeculatiuus qui. diſp. 1. n. 40. Habitus virtutum tum naturalium, tum ſupernaturalium habeantne terminos magnitudinis, & paruitatis? diſp. 7. num. 77.
Hellena, Caſtor, & Pollux, vt impreſſiones caleſtes quid? diſp. 11. n. 45.
Hiatus quid. ibid.
Homo viuus in vacuo cur poſſet moueri. diſ. 5 à n. 115. vſque ad 121.

I

Idea quid? diſp. 2. num. 325. eius deſinitio. ibid.
Idea non eſt cognitio formaliter, ſed obiectum illius immediatum ſeu verbum expreſſum. diſp. 3. n. 113. & ſeq.
Idea non reperitur niſi in agentibus per cognitionem. diſp. 3. n. 119.
Idea materiæ primæ vel eſt totum compoſitum, vel forma. diſput. 3. à n. 327. vſque ad 335.
Idea eſt ratio intelligendi, & operandi. ibid.

I N D E X

Idea ad quod genus cauſæ principalis ſpectet. diſp. 3.n.112.
Ideæ diuinæ in quo conſiſtant. ibid.nu. 117.
Ignis perpendicularis quando contingat.diſp. 10. n.41. vbi quid ignis fatuus, & lambens. ibid. n.42. & 43.
Illuminatio continetur ſub definitione motus diſp.4.n.15.
Illuminatio non eſt noua emanatio lucis à Sole. diſp.2.n.60.
Inceptio quid. diſp.7. nu.43. alia eſt intrinſeca, alia extrinſeca. ibid.
Inceptio, & deſitio habent quatuor terminos. ibid.
Incepitis in inſtanti,& in tempore in quo differant. ibid.
Incorruptibilitas dupliciter ſumi poteſt. diſp. 10. n.69.
Indiuiſibilia motus,& cuiuslibet rei ſucceſſiuæ incipiunt, & deſinunt extrinſecè diſp. 7.n.46.
Indiuiſibilia continuatiua qua ratione afficiant partes vnitas. diſp.7. nu. 9. & ſeq.
Indiuiſibilia ex eo quod ſint poſſibilia probatur quod exiſtant. diſp.7.n. 7.
Impreſſiones ignitæ quæ, & quomodo differant inter ſe. diſp.11. n. 36.
Impulſus proiectorum recipiatur ne in ſuperficie an in toto? diſp.8. n. 37.
Infinitas debet eſſe vbicumque actus eſt indiuiſibilis, ſimplex, & idem cum potentia. diſp.4. n. 65. & ſeq.
Infinitum multiplex. diſp.4.n. 69. eius definitio.ibid.n.75.
Infinitum ſecundum eſſentiam pertinet ad conſiderationem metaphyſicam. ibid.n.70. non phyſicam. ibid.bene tamen alia infinita. ibid. & ſeq.
Infinito non conueniunt principia, & cauſæ entis naturalis. ibid. n. 73.
Infinitum in quantitate quinque modis ſumi poteſt. ibid. n.74.
Infinitum in actu non datur nec naturaliter dari poteſt. ibid. n.79. & ſeq. imo nec per potentiam Dei abſolutam.ibid. à num.90. vſque ad 120.
Infinitum in potentia non poteſt naturaliter reduci ad actum. diſput. 4. num. 82. & ſequent.
Infinitæ animæ rationales cur non ſint, infinita entia actu. diſp.4. n.86.
Infinitum nec ſecundum magnitudinem, nec ſecundum multitudinem, nec ſecundum intenſionem dari poteſt. diſp. 4. à nu. 93 vſque ad 120.
Infinitum ſecundum perfectionem eſſentialem ſolus Deus conſtituit. diſp. 4. nu. 98
Infinitum in actu non poteſt dari in cauſis ſubordinatis. diſp.4. n.91.
Infinitum ſecundum eſſentiam debet eſſe infinitum etiam ſecundum exiſtentiam. ibid. n.94. & ſeq.
Infinitum maius alio cur dari non poſſit. diſ. 4. à num.101. vſque ad 107. & 123.
Infinitum aliud Categorematicum aliud ſyncategorematicum. diſput. 4. num. 117. & ſequen.
Infinitum nullo modo poteſt numerari, & pertranſiri. ibid.n. 122.
Infinito formaliter nihil poteſt addi, aut demi. ibid.n. 124.
Infinitum corpus implicat habere figuram. ibid.n. 125.
Infinitum in actu dicitur ab actu exiſtentiæ. diſp. 7.n. 40.
Influentiæ cæleſtes cur negari non debeant. diſp. 10. à n.173. vſque ad 191. & quæ ſint iſtæ influentiæ. ibid. vbi plura curioſa.
Inſtrumenti definitio. diſp.3. n. 183.
Inſtrumentum vt attingat effectum non ſufficit ſola ſubordinatio ad cauſam principalem. diſp.3. n.178. & ſeq.
Inſtrumentum agit per virtutem receptam à principali agente. diſp.3.n.176. & ſeq.
Inſtrumentum phyſicum debet habere aliquã actionem prauiam ad actionem principalim agentis. diſp. 3.n.188. & ſeq.
Inſtrumenti actio prauia non eſt neceſſe vt ſit realiter entitatiuè diſtincta ab actione principalis agentis. ſed ſufficit tantum formaliter. ibi. n.193. ſufficit etiam vt præcedat ſola prioritate naturæ. ibid.
Inſtrumenta rei naturæ, & artis, in quo differant. diſp.3.n.190.
Inſtrumentum quotuplex. diſp.3 n. 172.
Inſtrumentum non conſtituit ſpeciale genus cauſæ ab efficienti. ibid.n. 171.
Inſtrumenti munus quod? diſp.3.n.192.
Inſtans temporis quid. diſp.5.nu. 170.
Inſtans quomodo afficiat partem præteritam, & fu-

I N D E X.

Actio, & paſſio non inhęrent ſubiecto niſi medio motu. diſp.4. n.44. & ſeq. ſunt affectiones illius, & inſeparabiliter identificantur cum illo. ibid. & n.45.

Actio creatiua licet fuerit ab æterno uon tamen tunc fuit creatio. diſp.9. n.33.

Actio indiſtans cur dari non poſſit niſi prius detur in propinquum. diſp. 8 nu. 51. vbi alia curioſa.

Actio, Paſſio, & Motus ſunt tres formalitates diſtinctæ ante intellectum, & identificatę in eadem entitate motus. diſp. 4. à n.39. vſque ad 42.

Actio tranſiens abſolutè, & ſimpliciter ſubiectatur in paſſo, & ſub qua ratione. diſp.4. à n.53. vſque ad 64.

Actio tranſiens affert mutationem in ſubiecto. ibid. n.58.

Actiones cur non poſſint verſari circa vnum eundemque terminum. diſp.3. n.329.

Actiones immanentes, & tranſeuntes quæ, & quot? diſp.4. nu.50. & ſeq. vbi de actionibus immanentibus Dei.

Actio, & agere in quo differant. diſp.3. nu. 126. & ſeq.

Actus, & potentia debent eſſe in eodem genere. diſp.3. n.110. & ſeq.

Actus purus probat dari potentiam puram. diſp.2. n.247.

Actus, & potentia non poſſunt ſe ipſis ſine unione ſuperaddita vniri. diſp.2. n.438. & ſeq.

Actus liber Dei quid? diſp.9. n. 51. cur non poſſit ſeparari à Deo. ibid.

Actus ſcientiæ in Deo cur ſit neceſſarius non autem actus volitionis. ibid. n.52.

Aer à quo moueatur quando aſcendit ad replendum vacuum. diſp.5. n.92.

Aeris natura, quæ diſp.11. à n.29. vſque ad 33. partitur in tres regiones infimam mediam, & ſupremam.

Aeternitas per eſſentiam, & participata. Aeuum, & tempus quid? diſ.5. à nu. 127. vſque ad 129.

Aeternitas propria Dei non eſt communicabilis creaturæ. diſp.9. n.100.

Agere immediatione ſuppoſiti, aut immediatione virtutis quid. diſp. 3. n.146.

Agere ex neceſſitate naturæ dupliciter intelligi poteſt. diſp.9. n.42.

Agere propter priuationem alicuius mali non implicat. diſp.3. n.280.

Agens naturale qua ratione agat propter finem. diſp.3. n.26. & ſeq.

Agens naturale quando producat effectum perfectiſſimum. diſp.2. n.70.

Agens naturale non poteſt de nouo ſtellas producere in firmamento. diſp.10. nu.65. & ſeq.

Agens increatum agit per præſentiam tum ſuppoſiti, tum virtutis. diſp.8. n.46.

Agens creatum non agit niſi vbi eſt immediatione virtutis, diſp. 8. à n.47. vſque ad 59. quomodo agat etiam immediacione ſuppoſiti. ibid.

Agens naturale inæqualiter applicatum paſſo agit vniformiter difformiter. diſp. 8. num.79.

Amor, & intentio finis ſunt effectus illius. diſp.3. n.292.

Angeli, & corpora cæleſtia quando identificent ſibi poſſe, & eſſe. diſp.4. n.68.

Angelis non conuenit definitio naturæ. diſp3. num.10.

Angeli cur non pertineant ad obiectum phyſicæ. diſp.1. n.73. & 74.

Angeli non habent potentiam motiuam diſtinctam ab intellectu, & volantate. diſ.10 num. 164. & ſeq.

Angelus mouens Cælum non eſt neceſſe vt ſit præſens toti cælo. diſp.10. n.166.

Angelus non mouetur per accidens ad motū ſui orbis. ibid. n.167.

Angelus non eſt in loco niſi per operationem. diſp.5. n.46. & 47.

Angelus ratione ſuæ ſubſtantiæ præciſè non dicit diſtantiam, aut indiſtantiam poſitiuam à mundo ſed ſolum priuatiuam. ibid.

Angelus incipit, & deſinit in inſtanti, & quomodo poſſit deſinere in tempore. diſp. 7. num.52.

Angulus rectilineus qui? diſp.7. n.87. & ſeq. vbi etiam de angulo contingentiæ.

Angulus rectilineus non habet partes actu infinitas. ibid.

Annorum quatuor ſunt ſpecies ſcilicet ſolaris, lunaris, magnus, & emergens. diſp.9. num.80. & ſeq.

Annus lunaris emboliſmicus qui? ibid. n.83.

Annus

Annus aſtronomicus, Ciuilis, ſeu Vſualis qui ibid. n.80. & ſeq. ubi etiam de anno Iubilæi. ibid. n.84.
Anima rationalis dupliciter poteſt conſiderari. diſp.3. n.32.
Anima rationalis quare non educatur de potentia materiæ. diſp.2. à n. 387. vſque ad 414.
Anima rationalis non indiget nouo concurſu Dei vt conſeruetur in ſtatu ſeparationis, nec aliquo modo perſeitatis illi ſuperaddito. diſp.2. n.411.
Anima rationalis eſt perfectiſſima natura. diſp.3. à n.28. vſque ad 35. quatuor continet gradus. ibid. n.29.
Anima rationalis incipit, & deſinit in inſtanti. diſp.7. n.51.
Animalia quæ naſcuntur ex putri ſunt eiuſdem ſpeciei cum illis quæ generantur ex ſemine. diſp.10. n.202, & 203.
Annihilatio lumine naturali oſtendi poteſt. diſp.9. n.29.
Antipathia, & eius effectus varij. diſp.8. n.74 & 75.
Appetitus quid diſp.2. nu.300. vbi quid ſit appetitus elicitus, quid innatus, quid in actu primo, quid in actu ſecundo.
Appetitus naturalis ſenſitiuus, & rationalis in quo differant. diſp.3. n.275.
Apprehenſio non eſt formalis ratio cauſandi in fine, ſed conditio ſine qua non. diſp.3. n.267. & ſequen.
Approximatio eſt duplex. diſp.8. n.44.
Eſſe apprehenſum poteſt accipi obiectiuè, & formaliter. diſp.3. n.279.
Aquam recuperare frigiditatem amiſſam quomodo intelligendum. diſp.3. nu. 241. & ſeq.
Aquæ ſalubriores quæ? diſp.11. n.169.
Aqua alia frigida, alia calida, alia ſalſa, alia amara. diſp.11. n.167. & 168.
Arbores ſylueſtres cur non perducant fructus ad maturitatem. diſp.1. n.27.
Ariſtoteles quid ſenſerit circa libertatem primæ cauſæ. diſp.9. n.54. & ſeq.
Ariſtoteles quomodo cognouerit creationem. diſp.9. n.10.
Ariſtotelis intentio in definienda cauſa efficiente. diſp.3. n.121.
Ariſtoteles ſenſit Deum ab æterno produxiſſe Angelos intelligentias calorum motrices, & cœlos ipſos. diſp.9. à num. 57. vſque ad 62.
Ars non poteſt efficere per ſe opera naturæ. diſp.4. n.55.
Artem imitari naturam quot modis intelligendum. diſp.3. n.52.
Aſſimilatio alia eſt analoga alia vniuoca. diſp.2. n.332.
Aſtra pluuiam influentia quæ? diſp.11. n.124
Aſtrorum natura, & effectus diſp.10. n.100.
Omnia aſtra differunt ſpecie. ibid. à nu.99. vſque ad 108. ſicut etiam eorum cæli. ibi.
Aſtrologia quomodo diſtinguatur à phyſica. diſp.1. n.86.
Augmentationem eſſe motum continuum tripliciter intelligi poteſt. diſp.6. n.10.
Augmentatio, & nutritio cur eſſe non poſſint à generante. diſp.8. n.23.

B

Baptiſmus collatus à pluribus non dependent ab illis tanquam à cauſis totalibus. diſp.3. n.318.
Baſiliſcus, & Bufo mirabiles operantur effectus. diſp.8. n.65. vbi varia curioſa.
Beatorum ſedes quæ? & vbi? diſp.5. n.55.
Beati non priuarentur viſione Chriſti etiam ſi deſcenderet de cælo in terram. diſput.5. num.86.
Bonum dicitur vniuocè de materia, forma, & compoſito. diſp.2. n.341.
Bonum in quantum tale eſt ratio finalizandi in fine. diſp.3. n.271. & 273. non tamen eſt neceſſariũ vt ſit reale. ibid. n.277. & 278. ſed ſufficit vt ſit vel verum, vel apparens. ibid. nec debet eſſe cognitum, vt apparens. ibid.
Bonum eſt paſſio entis participialiter ſumpti. diſp.2. n.338.
Bonum indiuidui cur magis repræſentat diuinam bonitatem, quam bonum ſpeciei. diſp.9. n.35.

C

CAlor, & frigus quomodo creſcant in vaporibus, & exhalationibus.diſ.11. n.22. & 23. ſimiliter per antipariſtaſim. ibid. n.24. & ſeq.

Capræ ſaltantes ex impreſſionibus ignitis generantur. diſp.11. n.37. & 38.

Caſtor, & Pollux quid prænuncient.diſp.11. num.45.

Cauſæ definitio multiplex. diſp. 3. num.58. & ſeq.

Cauſa poteſt eſſe notior, & ignotior. diſp.2. num.28.

Cauſarum genera quatuor, nec plura, nec pauciora. diſp.3. à n.66. vſque ad 74.

Cauſa inſtrumentalis continetur ſub efficienti. diſp.3. n.71.

Cauſa exemplaris reuocatur ad genus cauſæ formalis. ibid. n.72.

Cauſæ formalis genus duplex componens, & determinans. ibid.

Cauſa moralis quæ? ibid. n.74. in quo diſtinguatur a cauſa phyſica. ibid.

Cauſarum multiplicitas, & diuiſio. diſp. 3. num.83. & ſeq.

Cauſalitas, Cauſa, & Cauſatio in quo differant. diſp.3. n.102.

Cauſa tria importat. ibid. n.103.

Cauſa materialis eſt vna cauſa phyſica.diſ.3. à n.88. vſque ad 90.

Cauſalitas materiæ reſpectu formæ, & compoſiti in fieri, & in facto eſſe ibid. n.104.

Cauſæ efficientis definitio. diſp. 3. n.119. & ſeq.

Cauſalitas efficientis conſiſtit in actu agere vt verò reſpicit effectum cōſiſtit in actione. ibid. n.126. & ſeq.

Cauſa efficiens, & cauſa agens in quo differant. diſp.2. n.14.

Cauſa per accidens non infert cognitionem effectus. diſp.2. n.8.

Omnis cauſa in ſuo genere eſt ſaltem natura prior ſuo effectu. diſp.3. n.77. & ſeq.

Cauſam cauſæ eſſe cauſam cauſati quomodo intelligendum. ibid. n.80.

Cauſa quæ operatur ſucceſſiuè in quo differat ab illa quæ operatur in inſtanti. diſ.9. n.93.

Cauſæ eſſentialiter ſubordinatæ & accidentaliter quæ? diſp.9. n.143.

Cauſæ eſſentialiter ſubordinatæ cur non poſſint procedere in infinitum. diſput. 9. num.144.

Cauſæ eſſentialiter ſubordinatæ dependent non ſolum in eſſendo, ſed etiam in operando. diſp.3. n.168.

Omnes cauſæ ſecundæ ſunt propter ſuam operationem. diſp.3. à nu.133. vſque ad 143.

Cauſæ ſecundæ particulares licet non ſemper producant formam, producunt nihilominus totum compoſitum, & quomodo. diſp.3. n.139.

Cauſæ ſecundæ cur debeant prædeterminari à prima. diſp.3. à n.157. vſque ad 171.

Cauſa inſtrumentalis quot modis dicatur. ibid. n.172.

Cauſa principalis in quo differat ab inſtrumentali. diſp.3. n.196.

Cauſę quomodo conferantur inter ſe.diſp.3. num.298.

Ratio cauſæ in communi non eſt ſynonima, nec vt res, nec vt relatio diſp.3. n.300.

Cauſæ ſunt ſibi inuicem cauſæ, ſed in diuerſo genere. ibid. n.301. & n.338. & ſeq.

Cauſæ diuerſi ordinis, & adæquatæ nequeunt in vnicum eundemque effectum influere. diſp.3. n.312. & ſeq.

Cauſa ſecunda non indiget determinari à prima quantum ad ſpeciem, ſed quantum ad indiuiduum. diſp.3. n.333.

Cauſæ inter ſe ſubordinatæ quomodo ad vnicum eundemque effectum concurrant. diſp.3. n.317.

In cauſis ſubordinatis non poteſt dari infinitum in actu. diſp.4. n.91.

Cauſa efficiens principalis, & inſtrumentalis impreſſionum meteorologicarum quæ? diſp.11. n.19.

Cælum quid? diſp.10. à n.2. vſque ad 9. eius materia eſt diuerſæ rationis à noſtra ſublunari ibid. nec eſt quinta ſubſtantia. ibid.

Cæli non ſunt corpora ſimplicia ſed compoſita ex materia, & forma. diſp. 10. à n.11. vſque ad 20.

Cælum eſt ens phyſicum, & habet proprietates entis phyſici. ibid. n.13.

I N D E X

Cæli cur non ſint entia ſine materia. ibid. num. 14.

Cælum cur non poſſit eſſe viuens cognoſcitiuum. diſp 10. n. 17.

Cæli ſecundum Ariſtotelem componuntur ex materia, & forma. diſp. 10. à n. 21. vſque ad 26. non tamen, quæ ſit eiuſdem rationis cum noſtra. ibid. n. 27.

Cælum non eſt compoſitum ex elementis. diſp. 10. num. 30. & 31. nec ex materia ſublunari. ibid. n. 33. & ſeq.

Cælum non eſt igneæ naturæ, aut aqueæ, aut terreæ, aut aereæ. ibid. n. 38.

Cælum non conſtat ex primis qualitatibus. ibid. n. 39. nec ibi ſunt verè colores. ibid. num. 40.

Cælum non conſtat nec ex anima vegetatiua nec ſenſitiua, nec intellectiua, quæ ſit diſtincta ab intelligentia motrice. diſp. 10. à n. 48. vſque ad 52.

Cælum ſecundum ſe & ab intrinſeco eſt incorruptibile, licet poſſit ab extrinſeco ſcilicet à Deo corrumpi. diſp. 10. à n. 63. vſque ad 71.

Cæli inferiores mouentur duplici motu. ibid. num. 64.

Cæli ſunt ſolidi ſecundum omnes ſuas partes. diſp. 10. à n. 73. vſque ad 79.

Cęlorum ſoliditas non officit mutationi planetarum. ibid. n. 79.

Cælorum numerus diſp. 10. à n. 87. vſque ad 90.

Cælum vnde dictum. ibid. vbi etiam de cælo empyreo. ibid. n. 91.

Cæli aſtrorum ſunt eiuſdem ſpeciei. diſp. 10. à n. 90. vſque ad 108.

Cæli ſuperiores cur perfectiores inferioribus. diſp. 10. n. 105. & ſeq.

Cælum non mouetur efficienter ab intrinſeco, ſed ab extrinſeco. diſp. 10. à nu. 132. vſque ad 141.

Cæli ex motu edant ne? ſonum aut concentum? diſp. 10 n. 143.

Cæli non mouentur immediatè à Deo, ſed per Angelos. diſp. 10. num. 144. & ſeq.

Cælorum motus eſt illis naturalis non tanquam principio actiuo, ſed tanquam principio paſſiuo. diſp. 10. à num. 149. vſque ad 156.

Cælorum motu ceſſante ceſſaret ne motus in hæc inferiora? diſp. 10. n. 159. & ſeq.

Cæli ſinguli mouentur à ſingulis intelligentijs. diſp 10. n. 162. & 163.

Cælum habeat ne poſitionem dexteri, & ſiniſtri, & quomodo diſp. 10. à n. 169. vſque ad 172.

Cæli nihil agunt directè, & per ſe in voluntatem humanam bene tamen indirectè, & per accidens. diſp. 10. n. 191. & ſeq.

Cæli producunt omnia mineralia, gemmas, &c. diſp. 10. n. 195.

Cęli diſpoſitiuè concurrunt ad productionẽ viuentium non tamen ad productionem animæ rationalis. ibid. n. 196.

Cæli cauſant viuentia vt ſunt ſolum inſtrumenta intelligentiæ motricis. ibid. n. 197. & seq.

Cæli omnes non tantùm Sol tempore Ioſue ſteterunt. diſp. 5. n. 137.

Cæli inceperunt, & deſinent in inſtanti. diſp. 7. n. 53. quomodo poſſet id fieri in tempore. ibid.

Circulus minor cur non poſſit eſſe æqualis maiori. diſp. 7. n. 19.

Cognitio quid? diſp. 2. nu. 2. alia eſt confuſa, alia diſtincta. ibid. n. 3. & n. 40.

Cognitio confuſa prius fertur in magis vniuerſalia, non autem cognitio diſtincta. diſp. 2. n. 73.

Cognitio quomodo ſe habeat ad finem. diſ. 3. n. 293. & ſeq.

Cognitionis difficultas in rebus materialibus vndè oriatur. diſp. 2. à nu. 91. vſque ad 94.

Cognitio alicuius rei non reſpicit omnes cauſas illius. disp. 2. à n. 8. vſque ad 11.

Cognitio rei debet etiam haberi per cauſam remotam. ibid. n. 12.

Cognitio comprehẽſiua debet cognoſcere rem per omnes illius cauſas tam per ſe, quam per accidens. ibid.

Cognitio cur incipiat à notioribus. diſp. 2. num. 15.

Cognoſcendi difficultas partim oritur ab intellectu partim à rebus. diſp. 2. à n. 91. vſque ad 97.

Cognoſcibilitas maior vel minor vndè attendenda. diſp. 2. n. 17.

Colores qui apparent in aere ſint ne veri an apparentes, & vnde originentur. diſ. 11. n. 88.

Co-

I N D E X.

Comtia quid, & eius ſpecies. diſp. 11. à n. 47. vſque ad 50.

Cometa non conſtat ex materia cæleſti, ſed ex exalationibus gignitur. ibid. n. 51.

Cometarum materia proxima, & remota quæ? ibid. n. 52. vbi de earum cauſa efficienti. n. 53.

Cometa vbi generentur. ibid. n. 54.

Cometæ cur non accendantur in regione ignis. ibid. n. 55.

Cometæ quo tempore, aut loco videantur, & quantum durare ſoleant. ibid. n. 56.

Cometa quot modis moueatur. ibid. n. 57.

Cometa quibus nominibus appelletur. ibid. num. 58.

Cometarum colores quot, & quales. ibid. num. 59.

Cometæ cur rarò appareant. ibid. n. 60.

Cometæ quid prænuncient. ibid. nu. 61. & ſequen.

Compoſitionum genera quatuor. diſput. 2. num. 359.

Compoſitum non eſt natura. diſp. 3. n. 43.

Concurſus Dei cum cauſa 2. non eſt ſimultaneus ſed præuius. diſp. 3. n. 157. & ſeq.

Conſeruatio mundi quomodo fiat. diſput. 9. num. 75.

Continua eſſe non poſſunt ea, quæ ſpecie differunt. diſp. 6. n. 39. & 40.

Continuum coaleſcit tam ex indiuiſibilibus continuatiuis, quam terminatiuis. diſp. 7. à n. 4. vſque ad 12. non tamen ex ipſis ſolis, ſed etiam ex partibus realiter inter ſe diſtinctis. ibid. à n. 12. vſque ad 42.

Contrarietas motuum vnde ſumatur. dis. 6. n. 41. & ſeq.

Contrarium fieri ex alio quid. diſput. 2. num. 146.

Corona coloris ſanguinei ſub Sole quomodo formetur. disp. 11. n. 89.

Corpus dupliciter ſumitur. diſp. 2. n. 304.

Corpus eſſe mobile quomodo probetur. dis. 1. num. 63.

Corpus aliud phyſicum aliud metaphyſicum, aliud mathematicum. diſp. 1. n. 84.

Corpora non viuentia habent naturam, & & quare. diſp. 3. n. 12.

Corpora tam ſimplicia, quam mixta habere formam ſubſtantialem multis probatur. diſp. 2. à n. 351. ad 357.

Corpus Chriſti in pluribus Hoſtijs cõſecratis non eſt idem numericè formaliter. disp. 3. n. 322. nec pendet à pluribus cauſis totalibus, & adæquatis. ibid.

Corpus infinitum implicat habere figuram circularem. diſp. 4. n. 125.

Corpus locans eſt etiam locatum. diſput. 5. num. 17.

Corpora quo perfectiora eo habent locum ſuperiorem. diſp. 5. n. 38.

Duo corpora non poſſunt naturaliter eſſe in eodem loco. disp. 5. à n. 64. vſque ad 66. benè tamen ſupernaturaliter. ibid. à n. 68. vſque ad 75.

Corpus idem non poteſt eſſe in pluribus locis circumſcriptiuè. diſp. 5. à n. 77. vſque ad 87.

Corpus Chriſti, qua ratione poſſit dici, quod ſit in pluribus locis. ibid. & n. 88.

Corpus ſimplex non poteſt eſſe ſine materia. diſp. 10. à n. 15. vſque ad 20.

Corpora perfectè plana ſe in plano tangentia qua ratione poſſint ad inuicem ſeparari. diſp. 5. a n. 98. vſque ad 103.

Corpora ne penetrentur debent ſe tangere in indiuiſibili. disp. 7. n. 4.

Corruptio magis tribuitur materiæ quam formæ. diſp. 2. n. 324.

Creatio quid. diſp. 9. n. 2.

Creationem eſſe poſſibilem quomodo lumine naturali oſtendi poſſit. diſp. 9. a n. 12. vſque ad 26.

Creatio non eſt actio diſtincta a creatura, & quare. diſp. 9. n. 23.

Creatura quid. diſp. 9. nn. 3. cur dicatur eſſe ex nihilo. ibid. n. 16.

Creatura permanens vt Angelus, Homo, &c. potuit à Deo ab æterno produci. diſp. 9. a n. 88. vſque ad 105.

Creaturas poſſibiles poſſe produci in infinitum quomodo. diſp. 4. n. 108. & ſeq.

Creaturæ poſsibiles quomodo poſſint eſſe quid certum, & determinatum. disp. 4. n. 120.

Creaturam eſſe ab æterno nec repugnat eius limitationi, nec diuinæ infinitati. diſp. 9. num. 94.

Creatura ſecundum ſe nihil eſt, & quare abiret in nihilum ſi ſuæ facultati relinquatur. diſ. 9. a n. 106. vſque ad 112.

Dari

D

DAri per ſe motum ad prædicamenta quid? diſ.6. n.2. quæ conditiones requirantur. ibid. n.3.
Definitio cauſa quotuplex, & quæ? diſp. 3. num.58. & ſeq.
Definitio naturæ quomodo competat cælo. diſp.3. n.7. & 8.
Definitiones philoſophiæ quinque diſp. 1. a n.2. vſque ad 8.
Definitiones principior.entis naturalis.diſ.2. a n.149. vſque ad 155.
Demonſtratio quia, & propter quid conſtituunt vnicum tantum habitum, vna tamen ſe habet primariò, altera ſecundariò. diſp.1. n.53.
Denominatio realis non fit ſine mutatione reali. diſp.2. n.430.
Deſitio quid. diſp.7. nu.43. duos habet terminos. ibid.
Deſitio alia intrinſeca, alia extrinſeca. ibid. num.44.
Deus, & intelligentiæ qua ratione pertineant ad phyſicam conſiderationem.diſp.1.n.85.
Deus quomodo ſit cæteris entibus cognoſcibilior. & notior. diſp.2. n.22.& 23.
Deus clarè viſus cur non poſſit connaturaliter ab intellectu creato videri. diſput.2. num.83.
Deus, & prima genera excluduntur a ratione primi principij entis naturalis. diſp.2. n.153.
Deus de potentia ſua abſoluta poteſt ponere vnam formam in alia materia abſque eo quod recipiat indiuiduationem ab illa. diſp.2. n.368. & 369.
Deum poſſe ſupplere effectum ſecundarium quomodo intelligendum. diſp.2. nu.400. & 401.
Deus non poteſt ſupplere genus cauſæ materialis, & formalis, benè tamen efficientis. diſp.3. n.142. & 306.
Deus concurrit ad omnes, & ſingulas actiones cauſarum ſecundarum.diſp.3.a n.145 vſque ad 154. & hoc quatuor modis cõtingere poteſt.
Deus & creatura vna eademque actione concurrunt. diſp.3. n.152.
Deus concurrit cum actionibus cauſarum ſecundarum tam immediatione virtutis, quam ſuppoſiti. ibid. nu.153. & 154. & iſte concurſus debet eſſe prauius, vt ſaluetur dependentia cauſæ ſecundæ a prima, & ratio primæ cauſæ. ibid. a n.155. vſque ad 171.
Deum eſſe præſentem per potentiam quid. ibid. n.165.
Deus, & corpora cæleſtia concurrunt effectiuè ad productionem ſubſtantiæ. diſput. 3. n.204. & ſeq.
Deus ſi applicaret duos ignes àd lignum quinam ex illis combureret? ibid. n.319.
Deus ad intra identificat ſibi eſſe, & poſſe, non autem ad extra. diſp.4. n.67.
Deus ſolus eſt infinitus ſecundum perfectionem eſſentialem. diſp.4. n.90.
Deus cur contineat omnem perfectionem creaturarum etiam poſſibilium. diſput. 4. num.94.
Deus etiam de potentia abſoluta cur non poſſit producere infinitum. ibid. num. 97. & ſeq.
Deus nõ poteſt cognoſcere infinitum in actu & quare. ibid. n.97. & ſeq.
Deus non cognoſcit infinitas creaturas poſſibiles, factibiles actu, ſed potentia. ibid. num.109.
Deus non eſt agens neceſſarium, nec agit ſecundum vltimum ſui poſſe, diſput. 4. num.114.
Deus in ſua mente nec formaliter, nec obiectiuè poteſt cognoſcere infinitum in actu, ſeu infinitos homines. ibid. n.115.
Deus cur poſſit producere rem ex nihilo, non autem creatura. diſp.9. n.15. & ſeq.
Deum eſſe agens liberum lumine naturali oſtendi poteſt. diſp.9. n.20.
Deus non produxit mundum in tempore per nouam actionem. diſp.9. n.32.
Deus cur non fuerit inuidus bonitatis ſuarũ creaturarum producendo mundum in tẽpore non ab æterno, benè tamen ſi ſic genuiſſet filium. diſp.9. n.36.
Deus liberè mundum produxit, & nihil ex neceſſitate producit. diſp.9. a n.43. vſque ad 53.
Deum eſſe vnum non plures multis oſtenditur.

tur, diſp.9. a num.163. vſque ad 173.
Deus quomodo ſit in ſe ipſo, & in ſuis creaturis. diſp.9. n.179.
Draco volans vt impreſſio caleſtis quid. diſp.11. n. 44.
Duratio quid. diſp.5. n.149.
Duratio non datur per correſpondentiam ad tempus immaginarium. diſp.5. n. 49.
Duratio diſtinguitur realiter a re durante. diſp.5. a n.144. vsque ad 154.
Duratio alia formalis, alia fundamentalis. diſp.5. n. 151.
Duratio mundi quanta futura ſit. diſput.9. num.79.

E

ECnephias quid, & quomodo generetur. diſp.11. n.108.
Eductio quid. diſp.2. n.380. & ſeq.
Eductio ſpecierum intentionalium quomodo fiat. diſp.2. n.393. & ſeq.
Effectus poteſt eſſe totus a Deo, & totus a cauſa ſecunda. diſp.3. n. 141.
Effectus finis quot. diſp.3. n.295. & ſeq.
Effectus nec naturaliter, nec supernaturaliter poteſt ſimul, & ſemel a pluribus cauſis adequatis prodire. diſp.3. a nu. 311. vsque ad 322.
Effectus pendens a pluribus cauſis ſubordinatis quomodo producatur ab illis. diſp.3. num.317.
Effectus ab vna cauſa productus poſſit ne ab alia conſeruari. diſp.3. num. 323. & 336.
Effectus non poteſt idem numero ab alia cauſa reproduci ſi in iiſdem circumſtantiis applicetur. diſp. 3. à num. 325. vſque ad 338.
Effectum pendere a cauſa dupliciter intelligi poteſt. ibid. n.326.
Effectus ſecundarii poſſunt a Deo, aut impediri, aut ſuppleri. diſp.5. n.69.
Efficientis definitio. diſp.3. num. 119. & ſequen.
Efficiens non eſt principium intrinſecum motus. diſp.3. n.123.
Elementa dicuntur prima corpora, & quare. diſp. 2. n.152.
Elementa compoſiti ſubſtantialis quæ? diſp.2 num.141.
Elementum quodlibet duas habet ex primis qualitates vnam ſymbolam, aliam diſsymbolam. diſp.5. n.39.
Elementa ſe inuicem conſeruant. ibid. n.40. & 41.
Elementa cur potuerint eſſe ab æterno. diſp.9. n.140. & 141.
Elementa vt vaporent quid requiratur. diſp.11. n.2. & quænam ſint. ibid.
Ens prius natura eſt etiam, prius cognitione. diſp.2. n.27.
Ens per accidens quando cadat ſub ſcientia, & quando non. diſp.1. n.34.
Ens licet ordine ſimplicis cognitionis ſit prius cognoſcibile non autem ordine ſcientifico. num.77.
Ens ſumitur nominaliter, & participialiter. diſp.2. n. 338.
Ens eſt effectus ſolum diuinæ cauſalitatis reſpondens. diſp.3. n.148.
Ens in actu dicitur ab actu exiſtentia. diſp.7 num.40.
Ens quãtum dicatur diſtare a nihilo, & quomodo. diſp.9. n. 24.
Euaporatio quotuplex. diſp.11. n.9.
Euaporatio tum ex aqua, tum ex terra quomodo fiat. diſp.11. n.7.
Eurus perniciosos effectus producit.
Exalatio quid. diſp.11. nu. 12. & eius vis. num.113.
Exalationes, & vapores non diſtinguuntur eſſentialiter a materia a qua extrahuntur. diſp.11. n. 10. & ſeq.
Exiſtentia eſt poſitio rei extra cauſam. diſ.2. n.245. & 246. & vltimus actus ſubſtantiæ, & quomodo? ibid.
Particula Ex quot modis ſumatur. diſp. 2. a n.153. vsque ad 155.
Exiſtentia quomodo requiratur ad agendũ, an vt conditio, an vt modus intrinſecus. diſp.3. n.247. & ſeq.
Extenſio quantitatis in ordine ad locum poteſt a Deo impediri. diſp.5. n.69. ſicut poteſt impedire alios effectus ſecundarios.
Exiſtentia poteſt conuenire rei abſque duratione. diſp.5. n.144.

Fieri

F

Fieri ex nihilo negat ſubiectum præſuppoſitum ex quo res fiat 4. modis.diſp.8. num.2.
Fieri rei tripliciter eſſe poteſt. diſput. 3. n.130.
Finis definitio, & diuiſio. diſp. 3. nu. 251. & 252.
Finis diuiſio in cui, & cuius gratia non eſt in fines adæquatos. ibid.n.153.
Finis cuius gratia non eſt medium ad finem cui. ibid.n.154.
Finis præcedit in intentione effectum. diſ.3. n. 274.
Finis in agentibus per cognitionem non eſt bonum reale determinatè, ſed vel verum, vel fictum non tamen debet cognoſci vt tale. diſp.3. n.277. & ſeq.
Finis quo ſenſu habeat rationem principij. diſp. 3. num. 283. opponitur efficienti. ibid.
Finis cauſalitas quæ? ibid. 284. & ſequen. Eſſe propter finem dupliciter contingit eſſentialiter, & accidentaliter. ibidem nu. 289.
Finis pro conſequutione rei quæ requirat. diſp. 3. num.290. vſque ad 297. eiuſque effectus qui ibid.
Finis impreſſionum meteorologicarum alius intrinſecus, alius extrinſecus. diſput. 11. nu.27.
Fontes, & flumina vnde originentur, & quomodo generentur. diſp. 11. à nu. 160. vſque ad 166.
Formæ definitiones. diſp.2. n.358.
Formæ acceptiones variæ. diſp.2. num. 349. & 350.
Forma corrupta, & eius priuatio cur non ſint principia generationis. diſp. 2.n. 143.
Formæ ſubſtantiales, & materiales cur corruptibiles. diſp. 2.n.24.
Formam tribuere exiſtentiam materiæ primæ quomodo intelligendum. diſp. 2.num. 249. & ſeq.
Formæ ſeparabilitas vnde proueniat. diſp.2. n.323.
Formam ſubſtantialem eſſe actum purum quomodo intelligendum. diſp. 2. nu. 330. & 361.
Forma datur tam in corporibus ſimplicibus, quam in mixtis diſp.2. à num.351. vſque 357.
Forma qua ratione ſit communicabilis. diſp. 2. à num. 362. & ſeq. vbi quomodo ſit diuiſibilis, & extenſa. ibid. n. 364.
Forma vna numero non poteſt informare plures materias totales. ibid. nu. 366. nec ſimul, nec ſucceſſiuè. ibid. n. 367. & à n. 408. vſque ad 410.
Forma materialis ſi maneret ſeparata à materia non propterea fieret immaterialis, ibid. 369.
Formæ omnes excepta anima rationali educuntur de potentia materiæ. ibid. à n.374. vſque ad 406.
Formam educi de potentia materiæ quid? diſp.2.n.380. & ſeq.
Formæ cælorum, & elementorum non fuerunt eductæ, ſed concreatæ. ibid. nu. 384.
Formæ accidentales vnde, & quomodo educantur. ibid. num. 385. vbi etiam de formis artefactis.n.386.
Formæ materiales vt conſeruentur ſeparatæ à materia ſufficit continuatio concurſus, & additio noui modi perſeitatis. diſp. 2. nu. 412. & 413.
Forma eſt magis principaliter natura quam materia. diſp.3. n.24.
Forma vt natura non dicit relationem realẽ ad motum niſi quando actu operatur. ibi. nu.25.
Formæ aliæ ſunt principium actiuum motus aliæ paſſiuum. diſp.3. n.37. & ſeq.
Forma totalis non eſt natura. diſp.3. nu.44.
Forma non conuenit vniuocè cum materia in ratione naturæ. diſp. 3. nu. 48. & ſeq.
Forma quæ munera exerceat reſpectu materiæ aut compoſiti. diſp.3.n.105.
Formæ cauſalitas quæ. ibid. & ſeq.
Formæ tria conueniunt cauſarum genera. diſp.3.n.202.
Forma non poteſt eſſe immediatum principium eſſendi, & operandi. diſp.3. n.217.
Forma in quo genere cauſæ expellat aliam. diſp.3. nu.302. & ſeq.
Forma non poteſt producere niſi effectum illum ad quem ratione ſuæ differentiæ indiuidualis

diuiduals eſt limitata. ibid. num.314.& ſequen.
Forma cadaueris producitur à Cœlis & quare. diſp.3.n.321.
Fulmen quid? diſp. 11.n.75.& ſeq. differt à fulgure ibid.
Fulmen cur deſcendat motu irregulari, & tortuoſo. ibid. n. 78.
Fulmina quo tempore fieri ſoleant ibi.nu.79.
Fulminum genera tria. ibid. n. 80.
Fulminis effectus qui. ibid. n.81.& ſeq. vbi varia curioſa.
Fulmina cur Ioui, & non alijs planetis tribuantur. ibid.n.85.
Futuritio, & poſſibilitas finis non ſunt ratio finalizandi. diſp.3. n. 272.

G

GAlaxia, ſeu via lactea quid. diſp. 11. n. 86.
Gaudium, & delectatio non dependet per ſe a fine, ſed eſt paſſio conſequens ipſum. diſ. 3. n.295.
Generans non poteſt eſſe cauſa augmentationis, & nutritionis. diſp.8.n.23.
Generans eſt cauſa principalis motus grauium, & leuium extra centrum. diſ. 8.nu. 19. & ſeq.
Generatio duplex alia ſimpliciter, alia ſecundum quid. diſp.2. n.124.
Generatio non fit ex nihilo. diſp. 2.nu. 127. & 128.
Generatio ſubſtantialis intelligi non poteſt ſine materia. ibid. & n.130.
Generatio ſubſtantialis non eſt accidens. diſp. 2. num. 287. nec reſpicitur à materia prima tanquam quid diſtinctum à forma. ibid.
Generatio hominis differt à cæteris generationibus. diſp. 2. n. 382.
Generatio non ſolum dat eſſe, ſed etiam conſequentia ad eſſe. diſp.3.n. 238.
Genera indiuiſibilium tria. diſp.6.n.3.
Generationes omnes dempta generatione humana potuerunt eſſe ab æterno. diſp.9.à n. 128. vſque ad 144.
Generans eſt cauſa quietis elementorum in proprijs centris. diſ.8. n.27. & ſeq.
Generatio pluuiæ cur maiorem frigiditatem requirat quam generatio niuis. diſput.11. n.136.
Grando quid. diſp. 10. num. 134. differt à pluuia, & ab aqua congelata. ibid.n.139. differt etiam à niue. ibid. nu. 140. & ſeq.
Glacies quid? diſp. 11. n. 142.
Grauia, & leuia à quo moueantur? diſput.8. n.16.& 17.& grauitas, & leuitas ſe habent tanquam inſtrumentum. ibid.à n.19. vſque ad 27.
Grauium, & leuium motus ſunt proprietates illorum. ibid.n.21.
Grauia, & leuia ſecundum antiquos Philoſophos quanam habeant principia ſui motus. diſp.8.n.30.& ſeq.
Grauitas, & denſitas vnde cauſentur. diſ.11. num.21.
Gubernator Mundi quis, & an detur. diſp.9. n.73.& 74.

H

HAbitus ſpeculatiuus qui. diſp.1. n.40. Habitus virtutum tum naturalium, tum ſupernaturalium habeantne terminos magnitudinis, & paruitatis? diſp.7. num.77.
Hellena, Caſtor, & Pollux, vt impreſſiones cæleſtes quid? diſp.11. n.45.
Hiatus quid. ibid.
Homo viuus in vacuo cur poſſet moueri. diſ.5 à n.115. vſque ad 121.

I

IDea quid? diſp. 2. num. 325. eius definitio. ibid.
Idea non eſt cognitio formaliter, ſed obiectum illius immediatum ſeu verbum expreſſum. diſp.3.n. 113. & ſeq.
Idea non reperitur niſi in agentibus per cognitionem. diſp.3.n.119.
Idea materiæ primæ vel eſt totum compoſitum, vel forma. diſput. 3. à n.327. vſque ad 335.
Idea eſt ratio intelligendi, & operandi. ibid.

Idea

Idea ad quod genus cauſæ principalius ſpectet. diſp. 3.n.112.
Idea diuina in quo conſiſtant. ibid.nu. 117.
Ignis perpendicularis quando contingat.diſp. 10. n.41. vbi quid ignis fatuus, & lambens. ibid. n.42. & 43.
Illuminatio continetur ſub definitione motûs diſp.4.n.19.
Illuminatio non eſt noua emanatio lucis à Sole. diſp.2.n.60.
Inceptio quid. diſp.7. nu.43. alia eſt intrinſeca, alia extrinſeca. ibid.
Inceptio, & deſitio habent quatuor terminos. ibid.
Inceptio in inſtanti,& in tempore in quo differant. ibid.
Incorruptibilitas dupliciter ſumi poteſt. diſp. 10. n.69.
Indiuiſibilia motus, & cuiuslibet rei ſucceſſiuæ incipiunt, & deſinunt extrinſecè diſp. 7.n.46.
Indiuiſibilia continuatiua quæ ratione afficiant partes vnitas. diſp. 7. nu. 9. & ſeq.
Indiuiſibilia ex eo quod ſint poſſibilia probatur quod exiſtant. diſp.7.n. 7.
Impreſſiones ignitæ quæ, & quomodo differant inter ſe.diſp.11. n. 36.
Impulſus proiectorum recipiatur ne in ſuperficie an in toto? diſp.8. n. 37.
Infinitas debet eſſe vbicumque actus eſt indiuiſibilis,ſimplex, & idem cum potentia. diſp.4. n. 65. & ſeq.
Infinitum multiplex. diſp.4.n. 69. eius definitio.ibid.n.75.
Infinitum ſecundum eſſentiam pertinet ad conſiderationem metaphyſicam. ibid.n.70. non phyſicam. ibid.bene tamen alia infinita. ibid. & ſeq.
Infinito non conueniunt principia, & cauſæ entis naturalis. ibid. n. 73.
Infinitum in quantitate quinque modis ſumi poteſt. ibid. n.74.
Infinitum in actu non datur nec naturaliter dari poteſt. ibid. n.79. & ſeq. imo nec per potentiam Dei abſolutam.ibid. à num.90. vſque ad 120.
Infinitum in potentia non poteſt naturaliter reduci ad actum. diſput. 4. num. 82. & ſequent.
Infinitæ animæ rationales cur non ſint infinita entia actu. diſp.4. n.86.
Infinitum nec ſecundum magnitudinem, nec ſecundum multitudinem, nec ſecundum intenſionem dari poteſt. diſp. 4. à nu. 93 vſque ad 120.
Infinitum ſecundum perfectionem eſſentialem ſolus Deus conſtituit. diſp. 4. nu. 90
Infinitum in actu non poteſt dari in cauſis ſubordinatis. diſp.4. n.91.
Infinitum ſecundum eſſentiam debet eſſe infinitum etiam ſecundum exiſtentiam. ibid. n.94. & ſeq.
Infinitum maius alio cur dari non poſſit. diſ. 4. à num.101. vſque ad 107. & 123.
Infinitum aliud Categorematicum aliud ſyncategorematicum. diſput. 4. num. 117. & ſequen.
Infinitum nullo modo poteſt numerari, & pertranſiri. ibid.n. 122.
Infinito formaliter nihil poteſt addi, aut demi. ibid.n. 124.
Infinitum corpus implicat habere figuram. ibid.n. 125.
Infinitum in actu dicitur ab actu exiſtentiæ. diſp. 7.n. 40.
Influentiæ cæleſtes cur negari non debeant. diſp. 10. à n.173. vſque ad 191. & quæ ſint iſta influentiæ.ibid. vbi plura curioſa.
Inſtrumenti definitio. diſp.3. n. 183.
Inſtrumentum vt attingat effectum non ſufficit ſola ſubordinatio ad cauſam principalem. diſp.3. n.178. & ſeq.
Inſtrumentum agit per virtutem receptam à principali agente. diſp.3.n.176. & ſeq.
Inſtrumentum phyſicum debet habere aliquā actionem præuiam ad actionem principalis agentis. diſp. 3.n.188. & ſeq.
Inſtrumenti actio præuia non eſt neceſſe vt ſit realiter entitatiuè diſtincta ab actione principalis agentis.ſed ſufficit tantum formaliter.ibi. n.193. ſufficit etiam vt præcedat ſola prioritate naturæ. ibid.
Inſtrumenta rei naturæ,& artis, in quo differant.diſp.3.n.190.
Inſtrumentum quotuplex. diſp.3 n. 172.
Inſtrumentum non conſtituit ſpeciale genus cauſæ ab efficienti. ibid.n. 171.
Inſtrumenti munus quod? diſp.3.n.192.
Inſtans temporis quid. diſp.5.nu. 170.
Inſtans quomodo afficiat partem præteritam, & fu-

& futuram temporis. diſp.5.n.169.
Intellectionis difficultas in rebus ſpiritualibus oritur ex imbecillitate intellectus.diſp. 2.à n. 91. vſque ad 94. aliquando etiam oritur ex ipſis rebus. ibi. à num.91.vſque ad 97.
Intelligentię qua ratione pertineant ad phyſicam conſiderationem. diſp.1.n.85.
Intelligentia ſeu res ſempiterna quomodo poſſint non eſſe.diſp.9.n.11.
Intelligentia Cœlorum motrices non ſunt forma informantes, ſed tantum aſſiſtentes. diſp. 10. a n. 54. vſque ad 57.
Intelligentia cur non poſſint eſſe formę cœlorum. ibid. a nu. 56. vſque ad 58.
Intellectus in ordine ad cognitionem dupliciter. diſp.2. n.51.
Intellectus in quo diſtinguatur a ſenſu diſp. 2. n. 62.
Intellectus in definitione cur incipiat a genere. diſp.2.n. 65.
Intellectum determinari per ſenſum quomodo intelligendum.diſp.2.n.66.
Intellectus in quo ſenſu comparetur materia prima.diſp.2.num.94. comparatur etiam oculis veſpertilionum. ibid.nu.95.
Intellectus vt mouens, & motus quomodo diſtinguatur. diſp. 8. nu.13.
Interrogationum genera quatuor, nec plura nec pauciora. diſp.3. n.67.
Iris quid, & qua eius cauſa efficiens, & quæ conditiones requirantur ad illam formandam.diſp. 11. a n. 148. vſque ad.158.
Iris cauſatur etiam a luna. diſp.11.nu.156.
Iris cur ſemper ſemicircularis appareat.ibid. nu.157.
Irides poſſunt plures effici eodem tempore. diſp. 11.nu.154.
Iridis colores multi. ibid. n.150.
Iridis præſagia: qua diſp.11. n.158.
Iris ſeu Arcus Cœleſtis fuit etiam ante diluuium. ibid. n.155.

L

Libertas in quo differat à contingentia. diſp.9. n.50.
Linea ſuperficies, & Corpus quid. diſput.7. num. 3.
Locus non eſt terminus intrinſecus motus diſp.4. num. 29. benè tamen extrinſecus ibid.
Locus cur pertineat ad conſiderationem phyſicam. diſp.5. n.2.
Locum dari quomodo probauerit Ariſt. ibid. num.3.
Locus non eſt ſubſtantia, aut dimenſio à corpore ſeparata, aut vacuum. diſp.5. nu.7. & ſeq. diſtinguitur realiter à re locata. ibid. n.10.
Locus eſt ſuperficies pertinens formaliter ad prædicamentum quantitatis. diſp.5.n.15. vſque ad 25.
Locorum multiplicitas, & diuiſio. ibidem num.16.
Loci conditiones quinque. diſp.5. n.18.
Locus eſt ſolum ſuperficies extrema. ibid. num.20.
Locus quando eſt neceſſe vt conſeruet locatum. ibid.n.21.
Locus non eſt nec qualitas nec vbi. ibid.n.25 & 26. ſed pertinet ad quantitatem. ibid. num.27.
Loci conſtitutiuum quod? ibid. n.30. eiuſq; immobilitas varijs ſententijs explicatur. ibid.
Locus formaliter dicit etiam ſuperficiem formaliter. ibid. n. 31. & ſeq.
Loci vnitas in toto vniuerſo in quo conſiſtat ibid. n.36.
Locus naturalis habet vim conſeruandi locatum. ibid. à n.38. vſque ad 45.
Locus trahit locatum, & in quo genere cauſæ. diſp.5. à n.42. vſque ad 45.
Locatum non eſt in loco per correſpondentiam ad ſpatia imaginaria. ibid. n.49.
In loco dupliciter aliquid eſſe poteſt. diſp.5. n.57. & 59.
Locus circumſcriptiuus debet eſſe adæquatus locato. diſp.5. n.82. & 83.

Locus

Locus impreſſionum meteorologicarum. disp.11. n.28.
Locus vbi generantur cometa qui? diſp. 11 num.54.
Lumen non eſt corpus, ſed qualitas corporea. diſp.10. n.109.
Lumen receptum in corpore opaco tangit ſola indiniſibilia, ſeu ſuperficiem. diſput. 7. nu. 6. aliter recipitur in corpore diaphano. ibid.
Lumine naturali oſtēdi poteſt creationem ex nihilo eſſe poſſibilem diſp.9. à n.12. vſque ad 26.
Luna macula quid. diſp.10. n.122.
Luna quomodo ſit cauſa Iridis. diſput. 11. num.157.
Lux Solis, & aliorum Corporum Cæleſtium eſt eiuſdem rationis cum luce corporum ſublunarium. diſp.10. n.124.

M

MAculæ in Luna quid? diſput. 10. num. 122.
Magnetis virtus mirabilis. diſp.8. n. 60. & & ſeq. non trahitur à ſtella polari. ibid. num.63. vbi varia curioſa.
Magnitudo aut paruitas perfectionis quomodo reperiatur in rebus. diſp 7. nu. 59.
Magnum, & paruum quomodo opponantur. diſp.6. n.9.
Manna quid. diſp.11. n.148.
Mare ſit ne altior terra. diſp.11. à nu. 170. vſque ad 173. quatuor motibus mouetur ibid. eiuſque ſalſedo vnde originetur. ibid. n.174.
Materia acceptio multiplex. diſp.2. à n.202 vſque ad 205.
Materia prima definitio triplex. diſp.2. à n.221. vſque ad 225.
Materia prima poteſt dupliciter conſiderari in ordine ad formas. diſp.2. n.285.
Materia prima cur ſit minima cognoſcibilitatis. diſp.2. n. 17.
Materiam primam dari multis probatur. diſp.2. a n.207. vſque ad 218.
Materia prima quare dicat priuationē omnium formarum. diſp.2. n.189.
Materia prima quando, & à quo habuit eſſe. diſp.2. n.118. & ſeq.
Materia prima nullum habet actum, ſiue phyſicum, ſiue metaphyſicum. diſput.2. a n.228. vſque ad 238. ſed eſt pura potentia. ibid.
Materia prima ſublunarium eſt vna ſpecie tantum negatiuè. diſp.2. num. 238. & à n.269. vſque ad 278.
Materia cæleſtis, & ſublunaris per quid diſtinguantur. ibid.
Materia prima non habet propriam exiſtentiam, ſed exiſtit per exiſtentiam compoſiti, aut formæ. ibid. à nu.239. vſque ad 266.
Materia prima poteſt conſiderari in duplici ſtatu. diſp.2 n.251.
Materia prima cur non intelligatur exiſtere in illo inſtanti naturæ in quo intelligitur præcedere formam. diſp.2. à n.257. vſque ad 260.
Materia prima nec per diuinam omnipotentiam poteſt eſſe ſine omni forma. diſp. 2. num.263.
Materia prima poteſt conſeruari à Deo ſine quocumque accidente actuali. ibid. num. 266.
Materiæ conſideratio multiplex. ibidem. num.267.
Materia ſublunaris, & cæleſtis in quo differant. diſp.2. n.270.
Materia proxima impreſſionum meteorologicarum quæ? diſp.11. nu.12.
Materia proxima, & remota Cometarum quæ. diſp.11. n.52.
Materia prima alia numero, eſt in genito, & alia in corrupto. ibid. num.271. & poſitiuè in illis numero multiplicatur. ibid. & ſequen.
Materia prima dicit dupilcem rationem potentiæ. diſp.2. n.280.
Materia prima eſt eſſentialiter potentia ad omnes formas. diſp.2. à nu.284. & ſeq. & talis ratio potentiæ nullo modo eſt accidens. ibid.
Materiam primam habere potentiam ad formam corruptam quomodo intelligendum. n.289 & 293. & 303.
Materia ſublunaris nec eſt potentia ad formam cæleſtem, nec cæleſtis ad ſublunarē. diſp.2. n.291.

Mate-

Materia ſublunaris non eſt in pocentia ad formas ſpirituales accidẽtales. ibid. n.292. benè tamen ad omnes illas, quæ ab ipſa educuntur. ibid. n.293.

Materia prima qua ratione ſit in potentia ad animam rationalem. ibid. nu.296. & 299.

Materia prima eſt etiam in potentia ad formam quam habet. ibid. & n.301.

Materia prima indiſcriminatim appetit formas nobiles, & ignobiles. ibid. n.302.

Materia prima qua ratione corporea. ibid. nu. 305. & 306. non tamen habet formã corporeitatis ſibi coeuam. ibid. n.308. & ſequen.

Materia prima ſecundum ſuam entitatem eſt ingenerabilis, & incorruptibilis. ibid. à n.315. vſque ad 318. tamen vt connotat priuationem eſt principium corruptionis. ibid. n.321.

Materia primæ inſatiabilitas vnde proueniat. ibid. 322.

Materia prima non habet propriam ideam vt cognoſcatur, ſed cognoſcitur ratione formæ, vel compoſiti. ibid. à n.327. vſque ad 335.

Materia prima dicitur bona, vt eſt ens participialiter. ibid. nu. 339. ſimpliciter, & ſine addito. ibid.

Materia prima eſt ſimpliciter nobilior accidentibus. diſp.2. nu.345. eſt tamen ignobilior cæteris ſubſtantijs taliter, vt Deus de potentia abſoluta non poſſit producere ſubſtantiam ignobiliorem. ibid. n.346. & ſeq.

Materia vna numero non poteſt informari à duabus formis, ſiue ſubordinatis, ſiue non. diſp.2. à n.396. vſque ad 406.

Materia non ſolum in communi, ſed etiam in particulari eſt de eſſentia compoſiti ſubſtantialis. diſp. 2. num. 415. & ſequen.

Materia prima ſecundum ſe vt eſt vna negatiuè non eſt propriè natura. diſp. 3. à n.17. vſque ad 27. eſt tamen natura per formam tanquam per conditionem. ibid.

Materia eſt principium motus, ſed paſſiuum tantum. diſp.3. n.37. & ſeq.

Materia, & forma non conueniunt vniuocè in ratione naturæ, diſp.3. num.48. & ſequen.

Materia prima eſt cauſa compoſiti. diſp. 3. n.92. imo etiam forma, vt à compoſito diſtincta. ibid. à n.93.

Materia prima non eſt ſubiectum motus localis. diſp.6. n.36.

Materia Cælorum eſt diuerſæ rationis à ſublunari. diſput.10. à n. 29. vſque ad 46.

Materia Cælorum cur non ſit radix corruptibilitatis. diſp.10. n.43.

Materiam cælorum non habere potentiam contradictionis ex duplici capite oriri poteſt. ibid. n.44.

Mathematica quid conſideret, & quomodo? diſp.2. n.14.

Medicina alia eſt theorica, alia practica. diſp. 1. n.42. & 43. eſt pars philoſophiæ, & illi ſubalternatur. ibid. n.44.

Mel quid? diſp.11. n. 145.

Menſura poteſt dici diuiſibilis, & indiuiſibilis. diſp.5. n.157.

Metaphyſica quid conſideret. diſp.2. n.14.

Metallorum materia, & cauſa efficiens quæ? diſp.11. n.179. & 180. eorumque ſpecies ſeptem. ibid. n.181.

Mixta magis conſeruantur cum elementis ſymbolis, quam cum diſſymbolis. diſp. 5. num.41.

Mobile dupliciter conſiderari poteſt. diſp.1. num.61.

Mobile non poteſt idem ſimul eſſe in potẽtia formali, & actu virtuali. diſp.8. n.7. & 8.

Moderni quid ſentiant circa primum cognitum. diſp.2. n. 55. & 56.

Mors quid. diſp.1. n. 5. eſt ſeparatio duplicis vnionis. ibid.

Motio metaphyſica finis qua. diſp.3. n. 282.

Motus definitio, & eius explicatio. diſp.4. à n.2. vſque ad 10. multiplex eius acceptio. ibid. n.11.

Motus quando habeat terminos à quo, & ad quem, & quando non. diſp.2. n. 132.

Motus in alio non eſt motus naturæ. diſp.3. num.9.

Motus qui ſunt ab intrinſeco naturæ nunquam ſunt violenti. diſp.3. n.14.

Motus tam ſucceſsiuus, quam mutatio inſtantanea comprehenduntur ſub eius definitione. diſp.4. n.13. & ſeq.

Motus eſt entitas realis, & imperfecta diſtincta realiter à termino, non tanquam

res

res à re, ſed tanquam modus à re. *diſp.*4. *n.*19. & ſeq.
Motus localis ſubiectatur in mobili, non in loco. diſp.4. à n.27. vſque ad 29.
Motus non eſt vnio mobilis ad locum nec forma ad ſubiectum. diſp. 4. n.31. & 32.
Motus non eſt ſuperior ad actionem, & paſſionem. ibid. n.34. & ſeq.
Motus habet rationem ſubiecti quò reſpectu actionis, & paſſionis. ibid. num. 44. & ſequen.
Motus in ſuis partibus duplex prius & poſterius poteſt habere. diſp.5. n.158.
Motus localis per ſe terminatur ad vbi. diſ.6 n.13. & ſeq.
Motus per ſe non datur ad ſubſtantiam, nec ad actionem, nec ad paſſionem. ibid.n.17. & 18.
Motus deſumit ſuam vnitatem numericam à mobili termino, & tempore. diſp.6.n.31. & ſeq.
Motus variatur ad variationẽ mobilis. ibid. num.36.
Motus non dicunt eſſentialem ordinem ad ſubiectum, niſi ſint vitales. diſput. 6. num.29.
Omnes motus ab extremis coloribus, vt ab albo, & nigro ad rubrum, & è contra ſunt diuerſæ ſpeciei. diſp.6. n.38.
Motuum contrarietas quinque modis eſſe poteſt. diſp.5. n.45.
Moueri motibus contrarijs tripliciter intelligi poteſt. diſp.8. à n.40. vſque ad 43.
Motus contrarij, & per accidens poſſunt eidem conuenire, & quomodo. diſp.5.n.52. vbi de motu planetarum, & primi mobilis.
Motus contrarij ad qualitates contrarias etiam in gradibus remiſſis cur dari non poſſunt. ibid. n.55. & ſeq.
Idem ſecundum eandem partem moueri non poteſt duobus motibus contrarijs inuerſis. diſp.5. n.53.
Motus ex Galeno quid? diſp.6. n.7.
Motus alij ſunt phyſici, alij metaphyſici. diſp.8. nu.2. in motu phyſico nihil poteſt mouere ſe ipſum. ibid. à n.4. vſque ad 17.
Motus totius non dependet à motu partis, & quare. diſp.8. n.10. & ſequen.
Motus phyſicus debet eſſe diuiſibilis. ibidem. n.11. & 12.
Inter mouens, & motum non eſt neceſſaria diſtinctio ſuppoſitalis. diſp.8. n. 2.
Motus dupliciter poteſt dici naturalis principio paſſiuo. diſp.10. n.155.
Motus circularis non repugnat vacuo. diſ. 5. num.121.
Motus in vacuo per Ariſt. debet eſſe in inſtanti. diſp.5. a n. 188. vſque ad 214. & hoc ex defectu reſiſtentiæ. ibid.
Motus Cælorum eſt ſolum conditio non virtus actiua ad hoc vt agant. diſput. 10. num. 157.
Motus tortuoſus ventorum quomodo cauſetur. diſp.11. n.101.
Motus per puncta indiuiſibilia tam velocior quam tardus ſunt æquales, & quare. diſ.7. n.17. & ſeq.
Motus incipit extrinſecè, & prius per partem minorem, & indeterminatam. diſp.7. num.24.
Motus, & res ſucceſſiuæ incipiunt per vltimum non eſſe, & deſinunt per primum non eſſe. diſp.7. n.45.
Omne quod mouetur ab alio mouetur verificatur etiam in motibus metaphyſicis. diſ.8 n.13. & ſeq.
Motus grauium & leuium incipere in inſtanti quomodo intelligendum. diſp. 8. num.22.
Motus grauium, & leuium ſunt proprietates illorum. diſp.8. nu.21. poſſunt nihilominus naturaliter impediri. ibid. nu.24. & 25.
Motus proiectorum a quo fiat adæquatè. diſ.8 n.33. & 34.
Motus reflexus a quo producatur. diſput. 8. num.43.
Motus, & tempus cur potuerit eſſe ab æterno. diſp.9. a n.112. vſque ad 125.
Motus ſi eſſet ab æterno non propterea poſſet dici infinitus in actu. ibid. a n. 116. vſque ad 124.
Motorem primum eſſe vnum qua ratione probetur. diſp. 9. a n.155. vſque ad 157 & n.163. & ſeq.
Motor Cælorum tribus modis intelligi poteſt quod cælo aſſiſtat. diſp.9. n.158. & ſeq.
Primus motor cur debeat eſſe immobilis, & immutabilis. diſp.9. a n. 174. vſque ad 180.

Mun-

Mundus ex mente Ariſtot. fuit quidem ab æterno, ſed non ingenitus, & improductus. diſp.9. n.8. & ſeq.
Mundus eſt quintuplex. diſp.9. n.6.
Mundus conditus fuit in Vere diſp.9.a n.64 vſque ad 72. die vigeſima quinta Martij ibid.
Mundus fuit productus cum fructibus, & floribus, & quare, ibid. n.70.
Mundus fueritne conditus vno temporis momento, vel pluribus. ibid. n.72.
Mundus naturaliter quantum petat durare, & quantum de facto durabit. diſp. 9. a n. 148. vſque ad 154. vbi varia curioſa.
Mundus de facto non fuit ab æterno productus, ſed in tempore. diſp.9.a n.28. vſque ad 40.
Mundum fuiſſe creatum in tempore cedit in maiorem perfectionem Dei. ibid. n.29. & ſequen.
Mundus quomodo conſeruetur. diſp.9. n.75.
Mundus non poteſt transferri per ſpatia imaginaria tanquam de loco ad locum. diſp.5. n.48.
Mundi anni quot. diſp.9. n.80. & ſeq.
Mundi duratio quanta ſit futura. diſp.9. num.79.
Mundus fueritne liberè a Deo productus. diſp.9. a n.43. vſque ad 53.
Mundus in fine quomodo renouandus. diſ.9. num.86.
Mutatio naturalis tria requirit. diſp. 2. a n.113. vſque ad 125.
Mutatio alia ſimpliciter alia ſecundum quid ibid. n.124.
Mutatio contingit dupliciter. diſp.2. n.101

N

Naturæ nomine quid intelligatur. diſ.2 num.27.
Natura acceptiones multæ. diſp.3. n.2.
Natura alia eſt vniuerſalis, alia particularis ibid. n.3.
Naturæ particularis definitio. diſp.3. nu. 5. & ſeq.
Natura conuenit etiam non viuentibus. diſ.3 num.12.
Natura eſt indifferens ad eſſe principium actiuum, aut paſſiuum motus. diſp.3. nu. 37. & ſeq.
Natura Angelica cur non poſsit dici natura. diſp.3. n.46.
Natura reſpicit primario tam eſſe, quam operari. diſp.3. n.215.
Natura cur tantum abhorreat vacuũ. diſp.5. num.105.
Nebula eſt duplex. diſp.11. n.133.
Neceſſitas eſt nobilior contingentia. diſp. 9. num.50.
Nihil, eſt quid æternum nec eſt neceſſe vt præcedat ſua natura aliqua prioritate durationis. diſp.9. n.97. & 98.
Niuis vtilitates quę. diſp.11. n.38.
Niuis proprietates quæ. diſp.11. n. 137.
Nix, & grando quid. diſp.11. n.134.
Notio quid. diſp.2. n.16.
Notiora, ſunt magis ſenſibilia. diſp.2. n.18. & 19.
Notiora quatuor modis contingunt. ibidem num.20.
Notiora ſecundum ſe ſeu natura ſunt illa, quæ plus habent de entitate. ibid. à nu.21. vſque ad 25.
Notius ſecundum naturam, & ſecundum nos non poteſt dari ſecundum eandem rationem. diſp.2. n. 25.
Notiora nobis non ſunt ſemper notiora quoad naturam. diſp.2. n.26.
Notiora, & ignotiora quæ. diſp. 2. num. 27. & 28.
Notiora non exigunt vt facilius definiantur. diſp. 2. n.36.
Nubes niuoſa quomodo reſoluatur in niuem. diſp.11. n.135.
Numerus motus, & menſura motus ſunt idẽ. diſp.5. n.155.
Numerus alius numeratus, alius numerati- uus. diſp. 5. n. 156. an ſit quantitas diſcreta, vel continua. ibid.
Numerus ſtellarum quantus. diſp.10.n.94.& ſequen.
Nutritio, & Augmentatio cur eſſe non poſſint à generante. diſp.8. n.23.

Obie-

INDEX

O

Obiectum non eſt idem,ac ſubiectum. diſp. 1. n.57.
Obiectum phyſica ſecundum rem eſt tam ens mobile, quam Corpus mobile, expreſſius tamen loquendo eſt ens mobile.diſp,1. à n.60. & ſeq.
Obiectum phyſica non comprehendit entia ſpiritualia comprehendit tamen omnia materialia diſp.1. n. 73. 74. & 81. cum ſequen.
Obiectum materiale non eſt neceſſe vt ſit vniuocum benè tamen obiectum formale. diſp.1. n.76.
Obiectum ſupponi a ſcientia quomodo intelligendum. diſp.1. n.78.
Obiectum prius cognoſcitur quam quod cognoſcantur eius ſpecies. diſp.2. n.72.
Obiectum adæquatum facilius mouet ſenſum quam eius pars. diſp.2. n.76.
Obiectum terminatiuum aliud eſt mediatũ aliud immediatum. diſp.2. n. 86. mediatum magis latè patet quam immediatum. ibid.
Omni potentia diuina licet poſſit cognoſcere, non tamen poteſt actu producere omnes Creaturas poſſibiles. diſp.4. n.109.
Omnipotentia diuina non eſt ad actum infinitum categorematicè, ſed ſyncategorematicè. ibid. n. 111.
Omnipotentiæ diuinæ infinitas vndè attendi debeat. ibid. n.110.
Operari in creatis cur diſtinguatur realiter ab eſſe. diſp.3. n.210. & ſeq.
Operari propter finem omnibus agentibus conuenit. diſp.3. n.255. & ſeq.
Operari propter finem diuerſimodè contingit in cognoſcentibus, & in non cognoſcentibus. diſp.3. n.270.
Orbes Cæleſtes duplicem habent ſuperficiem concauam, & conuexam. diſp.5. n.17.
Orbes caleſtes ſunt ſubordinati tempori primi mobilis. diſp.5. n.159.
Ordo inter cauſas quadruplex.diſp.3.n.299.

P

Parelia quotuplex, & quomodo formetur. diſp.11. n.90.
Partes continui, vt ſint realiter diſtinctæ nõ debent eſſe certæ, & determinatæ. diſp.7. num.41.
Partes temporis non ſunt niſi præſens, & futurum. diſp.5. n.172.
Partes temporis debent eſſe quid ſucceſſiuũ. diſp.5. à n.162. vſque ad 178.
Partes temporis præterita, & futura non exiſtunt ratione ſui, ſed ratione inſtantis. diſp.5. n.162.
Partes motus vt præſcindunt à tempore non dicunt formaliter ſucceſſionem. diſput.5. num.158.
Partes vltimi Cæli qua ratione ſint in loco. diſp.5.n.59.
Partes quantitatis aliæ ſunt communicantes, aliæ non communicantes. diſp.4 nu. 76. non communicantes non ſunt eadem, ac proportionales. ibid. vnica exiſtentia exiſtunt. ibid. n.84.
Partes quando ſint notiores toto. diſput. 2. num.38.
Partes aliæ ſunt proportionales, aliæ determinatæ, ſeu aliquota. diſp.4. num.75. & ſequen.
Participare quid. diſp.2. n. 331. tripliciter contingere poteſt. ibid.
Participatio alia analoga, alia vniuoca.ibi. nu.332.
Paſſio quid? diſp.4. n.39.
Paſſiones debent poni in virtute actionis ponentis eſſentiam. diſp.3. n. 238. & ſequen.
Paſſum eſt ſubiectum actionis tranſeuntis non vero agens. diſput.4. num.59. & ſequen.
Paſſum dat indiuiduationem actioni. diſp.4. num.63.
Phantaſma non ſolum repræſentat ſubſtantiam, ſed etiam accidentia. diſp.2. nu.69. aliter repræſentat naturam,ac ſpecies intelligibilis. diſp.2. n.82.
Philoſophi quinam dicebantur naturales, & qui innaturales. diſp.2. n.105.

Philoſophi ponentes mundum ab æterno qui? ibid. n.106.
Philoſophi antiqui quid ſenſerint circa principia entium naturalium. diſput.2. à n.98. vſque ad 104.
Philoſophiæ definitiones quæ? diſp.1. à n.2. vſque ad 8.
Philoſophia in quot partes ſecetur. ibid. n.9. & 10.
Philoſophiæ inuentores, & reparatores qui? diſp.1. à n.14. vſque ad 17.
Philoſophia quinque modis poteſt inueniri. ibid. n.17. & 18.
Philoſophi antiqui quid ſenſerint circa conſtitutionem mundi. diſp.9. n.4.
Philoſophiæ dignitas, & vtilitas quanta? diſp.1. à n.19. vſque ad 24.
Philoſophia naturalis eſt verè, & propriè ſcientia. diſp. 1. à num.26. vſque ad 36. ſpeculatiua non practica. ibid. à num.38. vſque ad 46.
Philoſophia ſecundum omnes ſuas partes eſt vna. ibid. n.48. & ſeq.
Philoſophus naturalis poteſt rem demonſtrare per omnes cauſas naturales. diſput.2. num.13.
Phyſica inter ſcientias naturales cur ſit prius addiſcenda. diſp.1. n.13.
Phyſica cur dicta ſcientia naturalis. diſp.1. num.56.
Phyſica cur non agat de ente mobili cum ſit eius obiectum. diſp.1. n.77.
Phyſica cur ſit prius addiſcenda quam metaphyſica. diſp.2. n.35.
Planeta quare moueantur ad motum Cælorum. diſp.10. n.84.
Planeta quicumque habet proprium cælum. diſp.10. n.82.
Planetæ ſylueſtres cur non perducant fructus ad maturitatem. diſp. n. 27.
Pluuia eſt duplicis differentiæ. diſp. 11. n.123 quomodo differat ab alijs impreſſionibus humidis. ibid n.125.
Pluuia aliquando infert ranas, piſces, lac, ſanguinem, lapides ferrum, &c. ibidem. num.126.
Pluuia ex quibus ſignis dignoſcatur futura. ibid. n.127. & ſequen.
Potentia alia eſt actiua, alia paſſiua. diſp.4. num.66.
Potentia actiua aliter tranſit ad actum, ac tranſeat potentia paſſiua. diſp.4. n.56.
Potentia infinitè actiua cur non poſſit producere effectum actu infinitum. diſput.4. num.83.
Potentia poteſt ſumi dupliciter. diſp.2. n.282.
Potentia operatiua ſubſtantiæ non indigent aliquo actuali influxu ſibi ſuperaddito ad productionem ſubſtantiæ. diſp.3. à n.230. vſque ad 234.
Potentia operatiua quo pacto ſint inſtrumenta ſubſtantiæ in ordine ad productionem alterius. diſp. 3. n.222. & ſeq.
Potentia alia eſt merè receptiua, & alia eſt receptiua, & cauſatiua. diſp.2. n.281.
Potentia naturalis, & obedientialis quæ? diſp.2. n.370.
Potentia ad formas ſubſtantiales eſt de eſſentia materiæ primæ. diſp. 2. num. 284. & ſequen.
Potentia materiæ primæ quomodo ſe habeat ad formam corruptam. ibid. n.289.
Potētia remota materiæ primæ licet reſpiciat omnes formas quæ ab ipſa educi poſſunt non tamen potentia proxima ibid. n. 293. & 294.
Potentia materiæ primæ dupliciter ſumitur. num.298.
Potentia quæ ordinatur ad eſſe diſtinguitur realiter ab illa quæ ordinatur ad operari. diſp.3. à n.210. vſque ad 220.
Eſſe in potentia ad aliquid tripliciter contingere poteſt. diſp.4. n.3.
Poteſtas Dei in omnes res huius mundi. diſp.9. n.76. & ſeq.
Prædicata ſuperiora ſunt notiora naturæ prædicatis inferioribus. diſp.2. n. 28.
Ad prædicamenta dari per ſe motum quid. diſp.6. n.2. quæ conditiones requirantur. ibid. n.3.
Præteritum, & futurum non exiſtunt ratione ſui, ſed ratione inſtantis præſentis. diſp. 5. à n. 162. vſque ad 178.
Primum cognitum eſt obiectum connaturale noſtri intellectus. diſp.2. à n.81. vſque ad 89.
Primum cognitum noſtri intellectus cognitione confuſa eſt ratio vniuerſaliſſima entis. diſp.2. à n.58. vſque ad 65.
Primum cognitum quod nam aſſignetur à Moder-

Digitized by Google

I N D E X

Modernis. diſp.2. num. 55.

Primum mobile non mouetur immediatè à Deo. diſp. 10. *n.*168.

Primus motor debet eſſe vnus immobilis, & immutabilis. diſp. 9. *à nu.*155. *vſque ad* 180.

*Primus motor eſt æternus, vbique, eſt intelligens, & volens, ac infinitæ virtutis. diſ.*9. *à n.*181. *vſque ad* 193.

*Prima principia cur non poſſint eſſe contradictoria, diſp.*2. *num.* 147. *earumque definitio explicatur. ibid. à n.*149. *vſque ad* 155. *& n.*168. *& ſeq.*

*Principium in communi quomodo definiatur. diſp.*2. *à n.*107. *vſque ad* 111. *differt à cauſa. ibid.*

*Principium aliud eſt complexum, aliud incomplexum. ibid, n.*112. *item aliud communitatis aliud cauſalitatis. ibidem, & num.* 113.

*Principium incomplexũ aliud dicitur principium cognoſcendi aliud eſſendi. diſp.*2. *num.*118.

*Principium cognoſcendi non poteſt probari per medium phyſicum. ibid. nu.*120. *bene tamen ſi ſupponatur notum ſecũdum ſenſum. ibid. n.*121.

*Principium eſſeudi poteſt probari à phyſico. ibid. n.*122.

*Principia generationis naturalis tria. diſp.*2. *num.*113. *&* 125. *& à n.* 131. *vſque ad* 141. *alia ſunt intrinſeca, alia extrinſeca. ibid. n.* 140.

*Ex principijs fieri omnia quomodo intelligendum. diſput.*2. *à num.*155. *vſque ad* 164.

*Principia non conueniunt in vna ratione vniuoca ſed analoga, diſp.*2. *ibid. à n.*165 *& ſeq.*

*Principium commune ad ens reale, & fictum non poteſt vnica definitione definiri. diſp.*2. *n.*172.

*Prioritas alia eſt à quo, alia in quo. diſp.*3. *num.*82.

Prioritas in diuinis non eſt naturæ, ſed originis. ibid.

Priuatio poteſt eſſe quid bonum. diſput. 3. *num.*281.

Priuatio non poteſt dici natura. diſput. 3. *num.* 45.

*Priuatio eſt principium per ſe rerum in fieri. diſp.*2. *n.*199. *& ſeq.*

*Priuationes formarum ſolo numero diſtinctarum non multiplicantur numero, ſed ſunt vnica tantum priuatio. diſp.*2. *n.*190 *& ſeq.*

*Priuationes cur poſſint eſſe actu infinitæ, nõ autem formæ. diſp.*4. *n.*121.

*Priuatio proxima, & remota quomodo diſtinguantur. diſp.*2. *n.*187.

*Priuatio formæ in materia attenditur in indiuiduo. ibid. n.*186.

*Priuatio quatenus eſt principium quo pacto ſit notior compoſito quod principiat. diſp.*2. *num.*133.

*Priuatio in generatione quo ſenſu habeat rationem principij. diſp.*2. *nu.* 138. *& ſeq. & n.*200.

*Priuatio aliud dicit in recto, aliud in obliquo. diſp.*2. *n.*175.

*Priuatio ſecundum id quod dicit in recto nõ eſt ens reale, benè tamen ſecundum id, quod dicit in obliquo. diſp.*2 *nu.*176.

*Priuatio diſtinguitur realiter à materia prima, & quomodo. ibid. n.*177. *non eſt forma poſitiua. ibid. nu.*178. *non tamen eſt ens rationis. ibid. n.*179.

*Priuatio, & materia prima quomodo ſint vnum ſubiecto. diſp.*2. *n.*181.

*Prius & poſterius motus, & temporis qua ratione ſibi correſpondeant. diſput.*5. *nu.* 158.

*Prius natura eſt illud quod eſt prius ens. diſp.*2. *n.*27.

*Pruina quid. diſp.*11. *n.*144.

Pueri cur vocitent omnes homines Patres, & omnes fæminas matres. diſp. 2. *num.* 64.

*Punctum eſt duplex. diſp.*7. *n.*3.

*Punctum additum puncto non facit extenſionem. diſp.*7. *n.*15.

Q

QVantitatis natura quæ? diſp.5. n.67. Quantitas nequit eſſe infinita, & quare. diſp 4. n. 94. & ſeq.
Quantitas habet partes infinitas vnica exiſtentia exiſtentes. diſp.4. n.84.
Ad quantitatem dari per ſe motum multis oſtenditur. diſp. 6. à num. 5. vſque ad 10.
Quantitas non componitur ex ſolis indiuiſibilibus. diſp.7. à n. 11. vſque ad 24. vbi quid ſit componi ex ſolis indiuiſibilibus. num.13. & 14.
Quantitas diſcreta, & continua in quo differant. diſp.7. n.20.
Quantitas diſcreta cur componatur ex ſolis indiuiſibilibus, non autem continua. ibid.
Quantitas habet terminos magnitudinis, & paruitatis. diſp.7. n.75.
Quantitas terminata eſt propria paſſio materiæ caleſtis. diſp.10. n. 41. in quo differat à quantitate interminata. ibid.
Ad qualitatem datur per ſe motus. diſput.6. num. 12.
Qualitates contrariæ aicunt incompoſſibilitatem in fieri non autem in facto eſſe. diſp.6. n.56.
Qualitates materiales incipientes, & deſinētes per motum incipiunt per vltimum non eſſe, & deſinunt per primum non eſſe. diſp.7. n.47.
Qualitates vt ſunt diſpoſitiones concomitantes, & conſeruantes formam habent terminos magnitudinis, & paruitatis intenſiuè tam in viuentibus, quam in non viuentibus. ibid. n. 76. & ſeq. vbi quid dicendum ſit de qualitatibus elemētaribus.
Quidditas materialis eſt obiectum connaturale noſtri intellectus. diſp.2. à num.78. vſque ad 82. tam motiuum, quam terminatiuum. ibid. n.85. & 86.
Quidditas Angelica non poteſt dici natura. diſp.3. n.46.
Quies quid. diſp.6. n.47.
Quies dupliciter poteſt conſiderari. diſp.3. num.11.
Quies alia eſt in termino à quo, alia in termino ad quem. diſp.6. n.47.
Quies in termino ad quem dupliciter ſumi poteſt. ibid. opponitur motui oppoſitione priuatiua. ibid. à n.48. vſque ad 51.
Quanam quies opponatur motui ſucceſſiuo. ibid.
Quies quomodo incipiat, & deſinat. diſp.7. num.54. & ſeq.
Quies alia eſt priuatiua, alia poſitiua, ibid.
Quies elementorum in proprys centris eſt à generante. diſp.8. n.27. & ſeq.
Quies intercedat ne in puncto reflexionis motus directi. diſp.8. à num. 38. vſque ad 42.
Quies poſt diem Iudicij non erit Cælis violenta. diſp.10. n.156.
Quinta ſubſtantia quid. diſp. 10. a n.2. vſque ad 5. non eſt nec materia, nec forma Cæli. ibid.

R

RAdius eſt triplex. diſp.11. n.148.
Raritas, & denſitas aliquando ſunt ſecundæ qualitates ſupponentes primas, aliquando non. diſp.10. n.66.
Raritas, & denſitas à quibus qualitatibus reſultent. diſp.11. n.20.
Ratio formalis ſub qua phyſica ſumpta ex parte obiecti eſt abſtractio paſſiua, ſumpta verò ex parte potentiæ eſt modus tendendi illius per tale, vel tale medium. diſp.1. num.79.
Rationes primordiales obedientiales, & ſeminales quid. diſp.2. n.375.
Reale, aut non reale tripliciter aliquid dici poteſt. diſp.3. n.276.
Regula dignoſcendi formas eductas de potentia materiæ à creatis immediatè à Deo. diſp.2. n.376.
Regula dignoſcendi diſtinctionem partium in quantitate. diſp.7. n.34.
Relatio inter partes continui cur detur. diſ.7 num.33.
Relatio quam cauſam habeat emanatiuam ſui. diſp.8. n.14.
Riſpiratio, nutritio, & augumentatio cur

tur non ſint à generante . diſput. 8. num. 23.

Ros quid. diſp.11. num.143.

S

SCintillatio quod. diſp.10. n.121.& quæ eius cauſa ibid.

Scientia quinque modis poteſt inueniri. diſ.1. à n.17. vſque ad 19.

Scientia aliquando conſiderat etiam ens per accidens. diſp 1. n.34.

Scientia ad hoc, vt ſit practica non ſufficit, quod ſit de obiecto operabili. diſp.1. n.45.

Scientiam ſupponere ſuum obiectum quomodo intelligendum. diſp.1. n. 78.

Senſus viſus attingit in ſingulari attributa magis communia, quam minus communia. diſp.2. n.32.

Serenitatis ſigna quæ. diſp.11. n.132.

Singulare prius cognoſcitur, quam vniuerſale. diſp.2. nu. 32. & in illo prius cognoſcuntur attributa communiora, quam minus communia. ibid.

Singulare non eſt obiectum primæ cognitionis. diſp.2. n.57.

Sol, & reliqui Planetæ ſunt cauſa efficiens cometarum. diſp.11. n.93.

Sol non poteſt agere niſi per lucem . diſp. 10. num.125.

Sol cur non eclipſetur à Venere, & Mercurio ſicut à Luna. diſp.10. n.119.

Sol eſt perfectior cæteris planetis . diſput.10. num. 104.

Sol non procedit de potentia ad actum per actionem ſed per reſultantiam. diſ.2.n.60

Solidum, & fluidum quid? diſp.10. n.72.

Species limitatur in quolibet indiuiduo. diſ.3. n.314. & ſequen.

Specierum intentionalium eductio quomodo fiat. diſp.2. n.393.

Speculum quid? diſp.11. n. 151.

Spiritualia cur ſint noticra quoad naturam corporalibus. diſp.2. n.28.

Stellæ firmamenti omnes ſunt eiuſdem ſpeciei. diſp.10. n.99. & ſeq.

Stellæ miraculoſè producta. diſp.10. n.65.

Stellarum numerus quantus. diſp.10. nu.94. & ſequen.

Stellas è cælo caſuras in die Iudicij quomodo intelligendum. diſp.10. n.69.

Stellarum tam errantium, quam fixarum magnitudo. ibid.

Stellæ fixæ ſunt partes firmamenti magis, vel minus denſæ. diſp.10. nu.99.

Stellæ ſiue fixæ ſiue errantes aliquo modo lucent etiam à ſe. diſp.10. à nu.111. vſque ad 118.

Subiectum alind perfectum, aliud imperfectum. diſp.2. n.145.

Subſiſtentia vt vniatur cum eſſentia non indiget vnione ſuperaddita. diſp.2. n.442.

Subſtantiæ corporeæ repugnat quod ſit ſubſtantia ſimplex. diſp. 10. n.15. & 16.

Subſtantia quando producatur ſucceſſiuè, & quando inſtantaneè. diſp.6. n 8.

Subſtantia ſine quantitate qua ratione diceretur eſſe in mundo. diſp.5. n.54.

Subſtantia corporea, formæ ſubſtantiales, anima rationalis, & accidentia illarum ſunt in loco per accidens ad præſentiam quantitatis. diſp.5. n.50. & ſeq.

Subſtantia creata non eſt immediatè operatiua. diſp. 3. à nu.209. vſque ad 220. vbi quid dicendum ſit de ſubſtantia Angelica. ibid.

Subſtantia nec præſtat influxum immediatũ in effectum ſimul cum inſtrumento, nec in ipſum inſtrumentũ, ſeu potentiam operatiuam, ſed à principio emanant eleuata, & vigoroſa. diſp.3. n.230.& ſeq.

Subſtantiæ generabiles, & corruptibiles incipiunt, & deſinunt in inſtanti. diſput. 7. n.48. & ſeq.

Superficies propria loci quæ? diſp.5. n.28.

Superficies, & immobilitas loci quomodo inter ſe comparentur. ibid. n.29.

Superficies loci dupliciter ſumitur. diſp.5. nu.31. materialiter ſumpta non eſt locus, bene tamen formaliter. ibid.

Superficies, linea, & corpus quid? diſp.7. n.3.

T

TEmpus in quo conſiſtat. diſp.5. à n.122. vſque ad 126.

Tempus non eſſet poſſibile ſi eſſet impoſſibilit intellectus, & quare, ibid. n.125.

Tem-

Digitized by Google

Tempus diſtinguitur realiter à motu. diſp.5. à n.131. vſque ad 142.

Tempus aliud eſt intrinſecum, aliud extrinſecum. diſp.5. n.134. & à nu.144. vſque ad 160.

Temporis definitiones, & earum explicatio. diſp.5. à n.155. vſque ad 160.

Tempus diſtinguitur realiter à re durante, & ab actione qua producitur, & conſeruatur. diſp.5. à n.144. vſque ad 154.

Tempus primi mobilis eſt id quod principaliter definitur. ibid. n.155.

Tempus ſit ne quantitas diſcreta, vel continua. ibid. n.156.

Tempus, & motus quomodo ſibi inuicem correſpondeant. ibid. n.158.

Tempus tripliciter accipi poteſt. ibid. n.159.

Tempus eſt menſuratiuum tam motus, quam quietis. diſp.5. n.160.

Tempus non exiſtit per partem præſentem ſed per inſtans. diſp.5. à n. 162. vſque ad 178.

Tempus eſt quantitas ſucceſſiua. ibid.

Tempus non poteſt incipere in tempore. diſp.5 num.166.

Tempus quid menſuret? diſp.5. n.173.

Tempus habet inſtantia tum initiatiua tum copulatiua, tum terminatiua. ibid. n.174. & ſequen.

Omnia tempora ſunt eiuſdem ſpeciei. diſp.5. n.178. & in quo differant. ibid.

Tempus qua ratione poſſit eſſe prius motu. diſp.6. n.34.

Tempus potuit eſſe ab æterno, diſp.9. à n.113 vſque ad 125.

Temporalia magis repreſentant diuinam bonitatem, quam æterna. diſp.9. n.35.

Tempus eſſe ab æterno, nec abſolutè poteſt dici eſſe in finitum, aut in actu, aut in potentia. diſp.9. n.114. & 115.

Termini inceptionis, & deſitionis quatuor. diſp.7. n.43.

Termini magnitudinis, & paruitatis qui? diſp.7. n.58.

Termini magnitudinis, & paruitatis in viuentibus cur. diſp.7. n.61. & ſeq.

Terminus intrinſecus, & extrinſecus motus localis qui. diſp.6. nu.14.

Terminus ad quem mutationis ſubſtantialis qui? diſp.2. n.134.

Terra eſt immobilis. diſp. 10. n.127. & ſeq.

Terra in tres regiones partitur. diſ.11. n.156

Terra ſit ne nobilior cæteris elementis. diſp.11 num.178. & quæ nam ſit cauſa eius immobilitatis. n.177.

Terræmotus quid, & quomodo generetur. diſ.11. n. 110. & ſeq. vbi quot modis fiat. num.114.

Terræmotus poſſunt etiam fieri ſine exhalationibus. ibid. n.115.

Terræmotuum ſpecies quot? ibid. nu.116. eorumque ſoni varij. ibid. n.117.

Terræmotum quænam ſigna antecedant. ibid. n. 118. & 119. in quibus locis maximè contingant. ibid. n.120.

Terræmotuum effectus potiſſimi qui? ibid. num.121.

Titio, Columnæ piramidales, lanceæ, & trabes quid? diſp.11. n.46.

Tonitrua quomodo generentur. diſp. 11. à nu.64. vſque ad 74. eorumque definitio exponitur. ibid. n.72.

Tonitrui ſonus quot modis contingat. diſ.10. n.73. & ſeq.

Totorum genera quinque. diſp.2. n.450.

Totum eſt notius partibus. diſp.2. nu.38.

Totum phyſicum qua ratione diſtinguatur à ſuis partibus ſimul ſumptis, & vnitis. diſ.2. à n.451. vſque ad 466.

Totum moueri dupliciter contingere poteſt. diſp.5. n.59.

Trabes quid. diſp.11. n.46.

Tranſcendere quid. diſp.2. n.232.

Typho, ſeu turbo quid. diſp.11. n. 109.

V

Vacuum quid, & quot modis accipiatur. diſp.5. n.89.

Vacuum non dari multis probatur. ibid. n.90. & 94. cum ſeq. vbi varia curioſa.

Vacuum dari non poteſt per virtutem Angelicam, poteſt tamen per virtutem diuinã. diſp.5. n.104.

Vacuum cur tantum abhorreat natura. ibid. num. 105.

Vacuum in aere impedit motum corporis deſcendentis, vel per accidens ſolum mouetur in illo. diſp.5. n. 114.

I N D E X.

In vacuo nō repugnat motus circularis. diſ.5. num. 121.
*Vapores, & exhalationes non ſolùm extrahuntur ab aqua, & terra, ſed etiam à mixtis. diſp.*11. *n.*13. *& ſeq.*
*Vapor, & exhalatio ſufficiunt ad cauſandos effectus meteorologicos, tum in terra, tum in aqua, tum in aere. diſput.*11. *num.*34. *&* 35.
*Ventus quid? diſp.*11. *n.*91. *& ſeq. vbi de eorum materia. n.*95. *&* 96. *quomodo moueatur. n.*97. *& ſeq.*
*Venti quot ſint. diſp.*11. *n.*102.
*Venti collaterales à qua parte ſpirent. ibid. n.*103. *quaſnam qualitates habeant. ibid. n.*104. *& ſeq.*
*Venus, & Mercurius cur non ecclypſant Solem. diſp.*10. *n.*119.
*Vera definitio. diſp.*1. *n.*8.
Via inueſtigandi definitionem rei. diſput. 2. *num.*44.
*Via lactea quid. diſp.*10. *n.*123.
*Virtus actiua, & paſſiua in quo differant. diſp.*9. *n.*22.
*Virtus agendi principalis vt quo, in productione ſubſtantiæ eſt forma ſubſtantialis, vt quod vero compoſitum. diſp.*3. *nu.*198. *& ſeq.*
*Viſio triplex. diſp.*11. *n.*146.
*Viuentia habere terminos magnitudinis, & paruitatis vnde probetur. diſp.*7. *nu.*61. *& ſeq. & hi termini ſunt intrinſeci. ibid. nu.*66.
*Non viuentia habent terminos magnitudinis, & paruitatis, & in quo diſtinguantur à non viuentibus. ibid à n.*68. *vſque ad* 74.
Vltima ſphera quomodo ſit in loco. diſp. 5. *à n.*55. *vſque ad* 62.
*Vnio inter materiam, & formam non eſt accidentalis, ſed ſubſtantialis. diſp.*2. *n.*285.
*Vnio ſubſtantialis non eſt de eſſentia compoſiti, ſed vel eſt conditio, vel ad illud reducitur tanquam modus. diſp.*2. *nu.*423. *& ſequen.*
Vnio ſubſtantialis eſt quid poſitiuum materiæ, & formæ ſuperadditum. diſp. 2. *à n.*429. *vſque ad* 440. *eſt vna entitatiuè, & duplex formaliter. ibid. n.*444. *& ſeq.*
*Vnio inter materiam, & formam eſt materialis, & ſubiectatur in ſola materia. diſp.*2. *n.*448. *&* 449.
*Vnitas alia eſt poſitiua alia negatiua. diſp.*2. *num.*267.
*Vnitas loci in toto vniuerſo in quo conſiſtat. diſp.*5. *n.*36.
*Vnitas ſpecifica motus ſumitur tum ab vnitate termini tum via. diſp.*6. *à nu.* 21. *vſque ad* 29.
*Vnitas numerica motus requirit vnitatem numericam mobilis termini, & temporis. diſp.*6. *n.*31. *& ſeq.*
*Vnitas motoris cur requiratur ad vnitatem motus. diſp.*6. *n.*35.
*Vnitates motus tres. diſp.*6. *n.*19.
Vniuerſale tripliciter ſumitur. diſp. 2. *nu.*30.
*Vniuerſale ſumi poteſt, & vt totum potentiale, & vt totum actuale. diſp.*2. *n.*40.
*Vniuerſalia abſtracta ab omni materia quæ? diſp.*2. *n.*30.
Vniuerſale cognoſci poteſt cognitione diſtincta, & confuſa. diſp. 2. *n.*40.
*Vniuerſale complexum eſt ignotum etiam ſecundum nos. diſp.*2. *n.*31.
*Vniuerſaliora poſſunt dici notiora, & ignotiora. diſp.*2. *n.*28.
*Vniuerſaliora ſunt magis nota, quam minus vniuerſalia. diſp.*2. *n.*32.
*Minus vniuerſalia facilius definiuntur, quā magis vniuerſalia. ibid. n.*36.
Vniuerſaliora ſunt magis compoſita, quam minus vniuerſalia. ibid. n. 37.
*Vniuerſale vt totum potentiale difficilius, & confuſius cognoſcitur, quam minus vniuerſale. diſp.*2. *n.* 41. *&* 42. *& vt totum actuale facilius cognoſcitur. ibid. à nu.*45. *vſque ad* 48.
Vniuerſū qua ratione ſit in loco. diſp 5. *n.*59.
*Voluntas non poteſt eſſe ſimul mouens, & mota. diſp.*8. *n.*15.
*Vorago quid? diſp.*11. *n.*87.

Z

*Zaccarum vbi, & quomodo generetur. diſp.*11. *n.*147.
*Zodiacus per duodecim ſigna diſtinguitur, & quare. diſp.*10. *n.*94. *& quæ ſint iſta ſigna. ibid.*

F I N I S.

RO-

Digitized by Google

ROMÆ.

Ex Tipographia Philippi Mariæ Mancini.

M. DC. LXX.

SVPERIORVM LICENTIA.

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google